
NAZIONALE
55
2 D
8
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

IN ACADEMIA PATAVINA, PHILOSOPHI PRIMI,

Librorum ad Scientiam de Natura attinentium:


PARS TERTIA.

Respondens Libris de Ortu, & interitu Aristotelis.

Serenissimo VRBINATIVM Duci, Principi Heroico dicata.








SERENISSIMO

VRBINATIVM DVCI,

PRINCIPI HEROICO, ET DOMINO COLENDISSIMO.

Franciscus Piccolomineus seruus humillimus perennem felicitatem precatur.



VMMOPERE *lætari, suisq; studiis & vigiliis promptiores nauare operam coguntur omnes, qui disciplinam aliquam profitentur, dum felici sorte euenit, vt inspiciant, animos quoque Principes & Regios, eam excolere & magnifacere, virtus enim in animo sublimi & amplo, sublimior & amplior redditur, splendidius fulget, præclarumque euadit exemplar virtutis Populorum. Studium Sapientiæ profectò ex se est Regiũ & sublime, cui tu Serenissime Princeps, tam propense animum appulisti, vt meliores horas iam diu ei dicaueris & destinaueris, & humanæ scientiæ studium, cum studio diuinæ sapientiæ tam egregie iunxisti, vt tua Amplitudine Philosophiam in aliis angustam amplifices, tua Pietate eam humi iacentem per Theologiam erigas, tuaque diuinorum imitatione populos tibi felicissime creditos eminenti Iustitia regas, adeo vt simul Deo, tibi, populis, studioque sapientiæ cumulatissimè satisfacias. Ego autem qui per multos ab hinc annos tuam Heroicam conditionem sum admiratus, multiplici ratione me tibi deuin-*

ctum

ctum sentio: nam præter id quod à maioribus tuis, & præsertim à felicißima memoria Amplißimi Cardinalis Vrbini, varia & insignia Perusijs recepi beneficia, etiam egregiam conditionem tuam venerari teneor, cum studium sapientiæ, cui ego ab ineunte ætate animum deuoui, tam conspicuè extollas, & illustres. Propterea iam diu flagranter optaui signo aliquo, vt mihi liceret, conspicuo, debitum, obseruantiamque meam tibi, & cunctis sapientiæ studiosis conspicuam reddere, & cum modo occasio id faciendi se mihi obtulerit, libentißimè eam arripui: nam libros editurus in quibus de illis agitur, quæ ab Aristotele in libris de Ortu, & interitu explicantur, eos tuæ Sublimitati toto animo dicandos, & consecrandos decreui, & præsertim; quia non me fugit, Serenitatem tuam me per literas ad hanc inspectricium Librorum editionem ante decenniũ hortatam fuisse, dum curaui, vt libri mei ad scientiam ciuilem attinentes, tuæ Amplitudini offerrentur: Tibi itaq;, vt proximo Sapientiæ Deo, dominoque meo Colendißimo Libros hos ad Studium Sapientiæ attinentes, dico, & appendo. Patauij. Kal. Nouembris M. D. XCVI.

ELENCHVS PRINCIPALIVM CAPITVM LIBRI PRIMI.

De prima rerum Natura constantium Materia.

De prima rerum Natura constantium Materia Libri secundi.

De Materia rerum Natura constantium Libri tertii.

An

De quatuor primis Qualitatibus.

De effectione & perpessione operantium per Naturam.

De Elementis.

An

De Elementis lib. 2.

De Mixtione.

De conſideratione multitudinis formarum in eadem indiuidua ſubſtantia.

FRAN-

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De prima rerum Natura constantium materia:

LIBRI TRES.

Cap. I.

Proponitur agendum de Materia, & diuiditur.



ATERIA vt pro rerum mortalium esse, ita pro cognitione apprime est necessaria, & quoniam humilis & tenuissima est, ideo sui natura & conditione est tenebricosa, & obscura: Insuper quia est indefinita, inconstans, mendax, & animis eam indagātibus modo vario personatam se offert, ideo variarum difficultatum variarumque opinionum eis pręber occasiones; De quibus ego verba facturus, ne confusioni eius, confusionem aliam superaddam, sequar ordinem Quæstionum: & Primo perpendam attinentia ad Quæstionem an sit. Secundo, ad quid. Tertio, qualis. Demum ad propter quid sit. Consideraturus itaque primo, an materia sit, ab eius multiplici significatione, & distinctione ordiar, vt conspicue pareat, de qua sit sermo. Materiæ nomen id omne significat, ad eaque extenditur, quæ potestatem includunt, alteri subiiciuntur, & ab altero modo aliquo perficiuntur: & quoniam huiusmodi conditiones nedum competunt corporibus, verum etiam cæteris à corpore solutis sub Deo positis; propterea duplex statuitur materiæ genus: vnum sensibilium, alterum intelligibilium. Materia intelligibilium, quæ etiam dicitur materia intelligibilis, duplex est: vna Mathematicorum, altera Diuinarum Mentium sub Deo ordinatarum: Materia Mathematicorum quæ ab Aristotele in septimo Metaphysicæ 35. & in octauo Metaphysicæ 15. nuncupatur materia intelligibilis, est duplex, continuum, vt dicitur in tertio de anima, context. 11. & partes, vt elicitur ex se primo Metaphysicæ, & ex secundo Poster. quo loci dimidium duorum angulorum rectorum, cum sit pars, dicitur materia. Non me latet plurimos Latinorum de hac Mathematicorum materia longe secus sentire, qua de re non est hic disputandi locus. Materia intelligibilis separatarum Mentium sub Deo ordinatarum, minus proprie, & solum per Metaphoram Materiæ nomine denotatur, & ab Aristotele proprie loquente, nullibi materia dicitur, quamuis Scotus putet eam denotari 12. Metaphysicæ 49. At non recte sentit: à Theologis tamen & Academicis, latius vtentibus materiæ nomine, frequenter separatis formis materia tribuitur, & hæc præsertim duplex est: nam quia conditio materiæ est potentia, ideo vt potentia materia eis competit: Potentia eis competit dupliciter, primo, ad esse, secundo. ad intelligere, vt pertinet ad esse, quoniam recedunt à primo principio, ideo eis vt

Materia cognitio necessaria est Physico.

Materia cur cognitu difficilis.

Materia diuisio.

Materia intelligibilis duplex.

Materia formarum separatarum duplex.

entia sunt, non repugnat eminentior gradus perfectionis, quæ non repugnantia, cum sit quædam potentia, denotatur nomine materiæ, & quo magis à primo principio recedunt, eo magis materiatæ iudicantur & in eo quod non est, mixtæ. Secundo eis competit potentia ad intelligere, quatenus intelligunt aliquid supra se, à quo perficiuntur. Hi duo materiæ modi, cum principiis Peripateticorum minime pugnant. Hoc tamen verum est, quod minus proprie ex sententia Aristotelis, quam ex sententia Theologorum separatæ Mentes dici debent Materia prædita, primo: quia ex sententia Theologorum, magis pendent ex primo principio, ab eoque absolute recipiunt esse, cum ex se non sint. Secundo, ob modum intelligendi, nil enim intelligunt separatæ Mentes ex sententia Aristot. nisi per essentiam, & sine varietate penitus, non sic ex sententia Theologorum; De nostra autem Mente, magis est verum quod seruet materiæ conditionem, quia Locus est intelligibilium, vt dicitur in 3. de Anima, context. 6.

Materia nostra Mentis.

Academici quoque, cunctis sub Deo positis tribuunt materiam, & rerum principia, quæ dicunt esse infinitum, terminum, & vnitionem, vt patet ex Philebo. Hinc Plotinus, in suis libris de materia, etiam superis competere materiam demonstrauit. Considerarunt autem Academici in Diuinis modo vario materiam: nam primo, Mens relatu ad Deum, vt ab eo perficitur, materia dicitur. Secundo, anima cum perficiatur à Mente, dicitur materia Mentis. Tertio, in Mente pro Idearum constitutione consideratur infinitum, vt terminabile propriis terminis Idearum. Quarto, in Anima pro constitutione rationum, considerarunt infinitum vt terminabile terminis variarum rationum. Affirmarunt tamen materiam competere Menti, & Mundo intelligibili, modo eminentissimo, & intelligibili: Animæ rationali mediæ, modo medio, & rationali. Demum Mundo sensibili & corporeo, modo infimo, & sensibili. Scotus considerauit modum quendam materiæ quem Hecceitatem nuncupauit, competentem cunctis, præter quam Deo: de qua in consideratione Principij indiuiduationis aliquid dicam.

Academicorũ sententia.

Scotus.

Ex aduerso, materia sensibilium etiam prædita est variis gradibus. Nam datur Materia cœli & mortalium: ea cœli, dicitur subiectum & materia motus, vt legitur in 8. Metaphysicæ, context. 12. & 12. Metaphysicæ, cont. 10. Materia mortalium, vel est Materia accidentium, & dicitur subiectum eorum, vel formę substantialis, & hęc proprie dicitur Materia, vt patet ex primo de Ortu & interitu, context. 24. Quæ adhuc in quinque gradus distribuitur, & sunt materia prima, quatuor Elementa. Mixta imperfecta, vt vapores. Mixta perfecta consimilia, & demum Membra, his addere possumus gradum sextum, & sunt res complexæ, & corpora Physica suo ordine constituentia Vniuersum.

Materia sensibilium.

Insuper Materia prima, pro primo gradu sumpta, quadruplex est, vt dicitur ab Arist. in quarto de Cœlo, 37. & dicitur quadruplex ob quatuor primas eius potentias, quæ ad quatuor primas formas Elementorum referuntur. Demum huius primæ materiæ tres sunt notionis gradus. Primo enim consideratur pro suo esse absoluto. Secundo cum potestate & relatione ad formas quas est apta recipere. Tertio, vt eis formata est. Institutum meum est, de hac prima mortalium materia loqui, cum enim materiæ nomen sit ab vno, & de hac primo & magis proprie dicatur, & reliqui gradus sint materiæ munere huius, ideo de hac præsertim est agendum, & sermo de ea, facultate & virtute est sermo de omni materia.

Materia prima quadruplex.

Tres notionum materia gradus.

Institutum authoris.

CAP.

CAP. II.

Viginti quatuor Materiæ Nomina.

QVONIAM Materia incertæ & indefinitę conditionis est, & nullum habet proprium actum & formam, ideo nullo certo & definito nomine, sed variis & indefinitis denotatur. Hæc primo dicitur Materia, tanquam mater rerum. Secundo, Subiectum: quia formæ & transmutationi subiicitur. Tertio, Mater, fœmina, & nutrix, primo Physic. 80. & 81. ob priuationem ei iunctam, ob formæ eductionem ex ea, & eius conseruationem. Quarto, nuncupatur à Plat. in Timeo Locus, non quidem corporum, sed materiatarum formarum. Quinto, à Stoicis per Metaphoram dicebatur Silua. Sexto, ab Aristotele in primo Phys. 56. dicitur medium, non quidem per compositionem ex extremis, sed per negationem, priuationem, & potestatem. Septimo, in 3. Phys. 27. dicitur Panspermium hoc est commune seminarium. Octauo, dicitur Chaos 12. Metaphysicæ, cont. 9. & hoc est Anaxagoræ vnum, nimirum Chaos. Nono, dicitur mixtio, in eodem context. & hæc erat Empedoclis Mixtio, hoc est Mundus spherus, in quo cuncta sine pugna includuntur. Decimo, in primo de Ortu & interitu dicitur Genus, quod explicat Philoponus, comm. 57. & 108. & Alexan. in quæst. naturalibus manifestauit, quod quamuis dicatur genus, differt tamen à genere. Vndecimo nuncupatur Commune & Vacuum, vt elicitur ex primo de Ortu & interitu 31. & 33. & ex 4. Phys. 59. & ex Plotino En. 2. lib. 4. cap. 10. Nuncupatur duodecimo, à Plat. in Timeo Magnum & paruum, vt etiam dicitur in primo Phys. 80. Decimotertio à Pythagora nuncupabatur binarius, & par, denotantia indefinitam eius conditionem. Decimoquarto ab eodem Platone in Sophista, & ab Arist. in primo Physic. 79. & in primo de Ortu & interitu, dicitur non ens, quatenus est infra formam, & non ens actu, Decimoquinto ab Academicis dicitur Sinus informis, & exemplar diuinitatis expers. Decimosexto ab Ægyptiis (referente Simplicio in primo Phys. 65.) dicebatur fex vitæ, quia est infra vitam, & in eam fit vltima resolutio. Similiter ab eisdem ænigmatice dicebatur Aqua. Decimoseptimo ab Emped. dicebatur Vlophies, hoc est molle quiddam & aptum fieri cuncta, vt elicitur ex secundo Phys. 83. Decimooctauo à Plat. nuncupabatur Pandeches, hoc est cuncta continens, vt elicitur ex secundo de Ortu & inter. cont. 4. Decimonono à Plotino in lib. de Materia. cap. 5. dicebatur Alteritas, cum sit nec quid, nec quale, &c. & sit indefinitum quid, quod terminatur dum conuertitur in suum Principium. Vigesimo, dicitur Elementum: nam Elementi nomen dicitur proprie de primis internis Principiis, præsertim autem de Materia, vt dicitur in septimo Metaphysicæ, cont. 60. Vigesimoprimo, dicitur infinitum, quia indefinita est, & origo infiniti. Hinc Aristoteles solum concedit infinitum potestate, quod oritur ex Materia, vt patet ex tertio Phys. Vigesimosecundo, dicitur Potentia, quia ea est essentia materiæ, vt suo loco patebit, & omnis potentia formabilis modo aliquo, nuncupatur Materi . Vigesimotertio, ob eius necessitatem, ac etiam quia multa necessario eam sequuntur, vt interitus & imbecillitates, absolute dicitur Necessarium, & causa sine qua non, vt patet ex calce secundi Phys. Demum per Metaphoram dicitur Chameleo, & Proteus. Et cum tot sint eius nomina, principalia tamen ea duo sunt, Materia, & Subiectum: & à veteribus absolute nomine Naturæ, Entis, & Substantiæ denotabatur.

Materia. Subiectū. Mater. Locus. Silua. Medium. Panspermium. Chaos. Mixtio. Genus. Commune, & Vacuum. Magnum & paruū. Binarius & par. Non ens. Sinus informis. Fex vita & Aqua. Vlophies. Cuncta continēs. Alteritas Elementum. Infinitū. Potentia. Necessarium. Chameleo & Proteus.

CAP. III.

Sexdecim capita indicantia necessitatem Materiæ.



ARIA sunt quæ nobis Materiæ necessitatem indicant & patefaciunt, quæ in sexdecim prima capita redigi posse puto. Primo enim refulget necessitas materiæ, ex conditione agentis: nam agens definitur ab Arist. in 5. & in 9. Metaphys. cont. 2. p: t esse principium transmutandi aliud, id autem quod transmutatur ab agente Physico, vel est materia, vel non sine ea. Secundo eadem elicitur ex conditione transmutationis, quæ cum sit accidens, eget Subiecto: cum sit opera transiens, eget eo in quo recipiatur: & cum sit actus rei permutabilis, eget eo quod permutatur, & materia. Tertio, elicitur ex conditione eius quod potest gigni, omne enim quod gignitur, primo debet posse gigni, potentia per quam res dicitur posse esse, & posse gigni, est potentia patiendi, quæ ad materiam pertinet. Quarto, refulget ex cōditione rei genitæ, omne enim quod gignitur compositum est, ex principiis internis generationis eius, quæ sunt forma & materia: nam ex nihilo per naturam nihil fit, id autem ex quo inexistente res fiunt, materia est. Quinto, refulget ex cōditione rerum, quatenus aptæ sunt interire, interitus e..im, imbecillitates, & diminutiones ex materia prodeunt, & illam nobis patefaciunt. Sexto, refulget ex conditione corporum, contradistincta ab ea separatorum, & ex conditione sensibilium, contradistincta ab ea intelligibilium, sensibile enim omne in materia est, vt dicitur in primo de Cœlo, & corpus sine aliqua materia non subsistit. Septimo, elicitur ex conditione terminorum transmutationis, qui termini cum sint oppositi, requirunt cōmune Subiectum, quod materia est, circa quam variantur, manente materia. Octauo, ex conditione principiorum generationis, nam tot requiruntur principia, quot sunt subiecta pro rerum ortu, sola contraria sine communi subiecto sunt satis, vt legitur in primo Physic. 51. quare necessaria est materia. Nono, elicitur ex æternitate generationis, nam generatio seruatur æterna, quia vnius interitus, alterius est generatio: hoc autem pendet ex cōditione materiæ, quæ cum sit æterna, & non valeat sine forma seruari, exuens vnam formam induit alteram, vt patet ex primo de Ortu & interitu. Decimo, ex mutua mortalium actione, & perpessione, nisi enim corpora sub cœlo posita prædita essent communi Subiecto, non vicissim agerent & paterentur, vt dicitur in primo de Ortu & interitu. 43. Vndecimo, ex multitudine indiuiduorum sub specie, quæ minime seruati potest sine Materia, vt legitur in duodecimo Metaphysicæ 49. & in primo de Cœlo. Propterea in quinto Metaphysicæ cont. 12. definitur vnum numero, quod sit id, cuius materia est vna. Duodecimo, ea absolutione graduum Vniuersi, cum enim detur actus purissimus, detur actus iunctus cum potentia, est necesse vt etiam detur potentia immunis ab omni actu, quæ sola est materia: & cum dentur gradus supremi & medii, etiam est necesse vt detur gradus infimus. Decimotertio, patet necessitas inductione, progrediendo per omnia quæ fiunt, & perpendendo singulos modos quibus res fiunt, vt patet ex primo Physic 62. & 63. Decimoquarto, ex conditione contingentiæ, fortunæ, & destitutionis ordinis, quę ex sola Materia prodire valent: nam quamuis contingentia primo refulgeat in Dei libertate, & modo aliquo in libertate hominis, ea tamen quæ ex passione pendet, ex Materia oritur. Decimoquinto, elicitur ex conditione boni: nam bonum sui natura fœcundum est, & aptum participari, propterea debet dari locus, fœmina, & sinus informis, aptus recipere, formari, & participare.

Decimo-

Ex conditione agentis.
Ex conditione trāsmutationis.
Ex conditione eius quod potest gigni.
Ex conditione rei genita.
Ex conditione rei apta interire.
Ex conditione corporum & sensibiliū.
Ex conditione terminorum transmutationis.
Ex conditione principiorum generationis.
Ex æternitate generationis.
Ex mutua mortalium actione, & perpessione.
Ex multitudine indiuiduorum sub eadē specie.
Ex absolutione graduum Vniuersi.
Ex inductione per omnia q fiunt.

Ex contingentia. *Ex conditione boni.* *Ex conditione actus.*

Decimosexto, elicitur ex conditione actus, formæ, & perfectionis, cum enim detur actus, debet dari potentia ei respondens, cum detur forma & perfectio, est necesse vt detur formabile, & aptum perfici. Ex his conspicue elicitur necessitas Materiæ, ac insuper elicitur eam necessario esse numerandam inter interna principia generationis, quæ sunt duo termini, & subiectum. Aristoteles in primo Physic. non demonstrauit materiam esse, vt minus recte existimauit Auerroes: nemo enim ex veteribus Philosophis eam est inficiatus, & ex se adeo patet, vt ostensione non egeat: solum Aristoteles in eo primo Physic. demonstrauit, eam necessario inter Principia generationis esse numerandam, vt Græci interpretes recte sentiunt, & suo loco patefaciam.

Cap. IIII.

An Materia sit ens.

Sententia Veterum de Materia. *Plato.* *Quod sit non ens.* *Ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Quod materia sit ens.*

MATERIAM confuse sumptam in Vniuerso repetiri conceditur ab omnibus: dubium tamen est, an debeat dici Ens, adeo vt ens tanquam generatio ab vno de ea dicatur. Veteres putarunt Materiam vere, absolute, & solam esse ens, substantiam, & Naturam rerum. Plato in Sophista eam dicit non ens. Aristoteles se medium constituit, inquiens, quod est non ens actu, ens potestate, non ens ex accidēti ob adnexam priuationem, ens secundum se vt dicitur in primo Phys. 79. Quod Materia sit non ens, ostenditur primo: quia quod nullum est decem Prædicamentorum, est non ens, vt inquit Auer. in 1. Phys. 25. & dicūtur ab Arist. lib. 5. Metaphysicæ contex. 14. ea ex se esse, quæ significant figuras Prædicamentorū, at materia ex 7. Metaph. cont. 8. ex se nullum est decem Prædicamentorū, quare est non ens. Insuper, quod est potestate, non est, vt dicitur ab Auer. 4. Metaph. cont. 15. & iure: nam potentia iunctam habet priuationem, Materia autem potestate esse dicitur. Præterea, in 1. Phys. cont. 60. & 66. dicitur eadem numero cum priuatione, quæ ex se est non ens. Insuper, quod sui natura appetit bonum, non est ex se bonum, quia appetitus iunctam habet priuationē, materia ex se bonum appetit ex 1. Physic. 81. quare non est bona, & propterea non ens, cum ens & bonum reciprocētur. Demum, quod generatur siue substernitur generationi, non est, neque est in loco, ex 5. Phys. cont. 8. huiusmodi est materia, quare, &c. ex aduerso quod sit ens patet, cum sit pars entium, pars substantię, subiectum, principium, per se & sit potestate in quam diuiditur Ens, dum secatur per actum, & potentiam. Pro conspicua resolutione difficultatis, accurate considerari debent singulæ significationes Entis, & non Entis, ex quarum varietate ortum ducit vniuersa dubitatio, & quoniam quot modis dicitur vnum oppositorū, tot modis dicitur alterum, & significationes non Entis, sunt magis conspicuæ, ideo ab eis ordiar, & ex eis eliciam significationes Entis. Voce non entis duodecim denotari posse inuenio: nam consideratur non Ens vel in compositione orationis, & dicitur falsum, cui opponitur Ens pro vero sumptū, de hoc Arist. in 1. Poster. dixit, quod non est, non posse sciri. Vel consideratur non Ens simplex, & seorsum ab oratione, & hoc vel est supra Ens, & huiusmodi est Deus: qui est supra Ens, pendens, cui opponitur ens ex eo pendens, propria forma & actu præditum. Vel est infra huiusmodi Ens, qualis est Materia, cui opponitur id omne quod supra Materiam est positum. Vel quarto, est nō vere Ens, sed Vmbra potius, quæ dicitur fieri, non vere esse: sic vmbræ corporum sunt non entia, quibus opponitur Ens sumptum pro principali, cuius sunt vmbræ,

Significationes non Entis. *Pro falso.* *Supra ens.* *Infra ent.* *Vmbra.*

veluti apud Platonem mortalia vt sunt vmbræ & imitationes Idearum dicebantur non entia. Quarto, vsurpatur non ens pro cōtradistincto ab ente, dicto per denominationem de composito, cum enim ens sit nomen concretum, propriè compositum denotat, & frequenter apud Aristotelem pro composito vsurpatur. Sexto, vsurpatur pro alteritate, vt apud Platonem in Sophista, veluti lignū est non ignis, in qua significatione, de solo Deo non dicitur: cum ipse solus sit omnia. Septimo, vsurpatur pro non ente ex accidēti contradistincto ab ente per se, ita Materia ex accidenti est non ens, ob priuationem ei iunctam, vt patet ex 1. Phys. Octauo, pro contradistincto ab ente simpliciter, quod est substantia, ita accidens non dicitur ens, nisi quia entis. Nono, pro non ente actu, veluti Materia frequenter dicitur non ens. Decimo, pro nihilo, Veluti legitur in primo de Cœlo 100. extra cœlum nihil esse. Vndecimo, pro deprauatione & recessu, vt vitium, & malum dicitur non ens, bonum vero & virtus, ens. Duodecimo, pro corpore quod sub sensum non cadit: nam vbi est aer, dicimus nihil esse, & nos nihil inspicere, ex multiplici entis, & non entis significatione patet Materiā dici posse & ens, & non ens, & infra ens & principium entis & mediū inter non esse penitus, & esse actu, vt addidit Auerr. Ex Sententia Platonis quinque in Vniuerso considerantur gradus: Primo, Deus, qui est supra ens, & Principiū entis. Secundo Mens & Ideæ quæ dicuntur vere entia, & Mens suprema dicitur eminentissima entis veritas. Tertio anima quæ mediat, & partim est, quia est æterna, partim fit quia mouetur, & est participatio Ideæ. Quarto cōposita mortalia quæ solum dicuntur fieri, quia per naturæ semina producuntur, nō autem esse, cum sint tenues & variabiles vmbræ idearum. Infima est Materia quæ vère non est, cum expers sit actus, nec fit, sed omnib. quæ fiunt sedem exhibet, hinc dicitur exemplar diuinitatis expers & infra ens. Aristot. autem secus loquitur: nam neglectis Ideis vniuersam seriem constituentium vniuersum per actum & potentiam diuidit, & materiam nuncupat non ens actu, ens potestate, vt legitur in primo de Ortu & interitu 22. insuper ens per se, non ens ex accidenti, ob iunctam priuationem, vt legitur in 1. Phys. Ex his patet, quomodo ea quæ gignuntur, cum fiant ex materia, partim ex ente, partim ex nō ente fiant. Insuper patet resolutio principalis difficultatis, an scilicet materia sit ens, vel ne, nam vtrumq; dici potest, & cum sit ens, non est ens rationis, sed per naturam constitutum, & naturæ nomine denotatum. At instabatur: quia nullū est decem Prædicamentorum: respondeo nullum est actu, sed omnia potestate, & ad ea redigitur tanquam principium. Addebatur, quod est potestate, non est. Respondeo, ens potestate vsurpari dupliciter, pro Subiecto, & pro Obiecto: pro Subiecto est, at non pro Obiecto potestatis. Insuper, Materia dicebatur eadem numero cum priuatione: respondeo, esse eandem numero, non absolute, sed quatenus est eadem Subiecto: nam priuatio in ea est. Dicebatur: quia materia appetit bonum, ideo non est bona, & propterea non ens. Respondeo eam appetere id bonum quod est forma & actus, & ideo sui conditione non est forma, nec formam includit. Demum addebatur: id quod generatur, non est, nec est in loco: Respondeo, per id quo generatur Aristotelem eo loci denotare subiectum cum priuatione termini ad quem, acquirendi, quod vt eo priuatum non est, nec est in loco, cum eo careat, nec actu sit, insuper materia non est in loco per se, est tamen in eo ex accidenti, vt pars compositi, quemadmodum ex primo de Ortu & interitu, elicitur.

Pro non composito. *Pro alteritate.* *Pro non ente ex accidēte.* *Pro cōtra distincto ab ente simpliciter.* *Pro non ente actu.* *Pro nihilo q nec est, nec esse potest.* *Pro deprauatione.* *Pro corpore quod sub sensū nō cadit.* *Sententia Academicorum.* *Aristoteles.* *Diluuntur rationes aduersa.*

CAP. V.

An materia prima ſit ſubſtantia & hoc aliquid.

APPARVIT quomodo materia & ens, & infra ens, & non ens, dici poſſit: ſequitur conſiderandum an ſit ſubſtantia hoc aliquid. Dum primo quæritur an ſit ſubſtantia, rationes ſe offerunt pro vtraque parte; Quod non ſit ſubſtantia oſtenditur: quia omne quod fit, ex ſui negatione fit, ſubſtantia fit, igitur debet fieri ex non ſubſtantia. At fit ex Materia, igitur materia non eſt Subſtantia. Hinc Ariſtot. in 7. Metaphyſicæ, contexr. 8. ait, Materiam non eſſe quid, hoc eſt, non eſſe ſubſtantiam. Ex aduerſo, ſi materia non eſſet ſubſtantia, tunc ſubſtantia fieret ex non ſubſtantia, & non ſubſtantia eſſet prior quam ſubſtantia quæ tanquam abſurda dereliquit Ariſtot. in 1. Phyſic. 52. Et Confirmatur: quia natura eſt ſubſtantia, materia autem natura eſt. Sic itaque Ariſtot. nonnunquam inficiatur, aliquando affirmat materiam eſſe ſubſtantiam, nonnunquam etiam ſe medium conſtituit. vt in 1. Phyſic. cont. 79. inquiens, materiam prope, & quodammodo eſſe ſubſtantiam, inquiens prope, denotat modo aliquo mediate. Dubitatio ſoluitur duplici diſtinctione, prima eſt, Subſtantiæ nomen dupliciter vſurpatur, vel pro Subſtantia cõpoſita directe poſita in Prædicamento ſubſtantiæ, vel pro contradiſtincto ab accidente: materia non eſt ſubſtantia in prima ſignificatione. ſed eſt principium eius. Hinc Simplicius in primo Phyſic. exponens contexr. 52. inquit, proprie ſubſtantiam eſſe compoſitum: materiam autem & formam eſſe principia eius, & potius eſſe ſubſtantiales quam ſubſtantias: vt etiam non ſunt corpora, ſed corporales, quemadmodũ dicebat Eudemus. Dum vero Subſtantia vſurpatur pro ente contradiſtincto ab accidente, vtendum eſt altera diſtinctione, & dicendum, ſubſtantiã eſſe duplicem, vnam poteſtate, alteram actu, materia eſt ea ſubſtantia quæ eſt poteſtate, forma vero actus eſt. Hinc Ariſtoteles in 1. de Ortu & interitu, contexr. 22. ait: materia poteſtate eſt hoc, & ens, abſolute autem neque hoc, neque ens: rationes aduerſæ ſolum oſtendunt materiam non eſſe ſubſtantiam actu, vel compoſitam, hinc dicitur prope ſubſtantiã, quia eſt poteſtate, & modo aliquo Subſtantia, vt contradiſtinguitur ab accidente. Quærebatur inſuper, an ſit hoc aliquid? Ariſtoteles in 2. de Ortu & interitu, contexr. 4. id inficiatur, cum enim Plato in Timeo dixerit de Ideis & Materia recte dici pronomina demonſtrantia, inquit Ariſtoteles id eſſe verum de materia accidentium, quæ eſt compoſitum actu, non de prima rerum materia. Inſuper id quod eſt hoc aliquid, debet eſſe quid, nam hoc aliquid, includit quid. Materia non eſt quid, vt dicitur in ſeptimo Metaphyſicæ, contexr. 8. quare non eſt hoc aliquid. Ex aduerſo in primo Phyſic. 66. comparans materiam cum priuatione, inquit, materiam magis eſſe hoc aliquid. Pro Solutione accurate conſiderandum eſt: Apud Ariſtotelem hoc aliquid, & aliquid, ſex modis vſurpari, & nonnunquam denotare præſtantiam, nonnunquam diminutionem: Nam Primo, vſurpatur vt cõtradiſtinguitur à ſimpliciter, quod vt dicitur in primo de Ortu & interitu, contex. 11 duo denotat, nempe principale, & vniuerſe, & inde oritur duplex acceptio ipſius, hoc aliquid: vna pro accidente, per quam dum homo fit albus, dicitur fieri non ſimpliciter, ſed aliquid. Altera pro parte, vt dum non vniuerſum corpus curatur, dicimus non ſimpliciter, ſed aliquid eius curari. Tertio. vſurpatur pro ſubſtantia contradiſtincta à cæteris Prædicamentis, vt in tertio Phyſic contex. 3. &

Quod materia non ſit ſubſtãtia. — *Quod ſit ſubſtãtia.* — *Solutio.* — *Simplic.* — *An materia ſit hoc aliquid.* — *Aliquid, & hoc aliqd, ſex modis vſurpantur.*

in 7. Metaphysicę cont. 7. dum materia dicitur non quid, nec quale, &c. Quarto, magis proprie vsurpatur pro indiuiduo substantiæ, per se subsistente, contradistincto ab Vniuersali, vt in Prædicamento Substantiæ. Quinta vsurpatur pro quolibet existente, contradistincto a nihilo, de quo dicimus, quod non nihil, sed aliquid est. Sexto, pro permanente & æterno, vt apud Platonem in Timeo dicentem, pronomina ostensiua competere his quæ permanent, vt Materiæ & Ideis. Dum dicimus aliquid, magis denotamus imperfectionem, dicendo vero quid vel hoc aliquid, potius perfectionem. Ex his patet, quomodo Materiæ cōpetat, vel non competat, vt sit aliquid, vel hoc aliquid.

CAP. VI.

An Materiæ competat actus Entis, quem entitatiuum appellant opiniones variæ.

An materiæ cōpetat aliquis actus. DECVRSIS attinentibus ad quæstionem, an Materia sit: sequitur vt de attinentibus ad quid sit, verba faciamus: inter quæ primo considerandum occurrit, an Materiæ actus aliquis competere valeat? Qua de re tres sunt opiniones principales: Vna veterum Philosophorum, putantium Materiam esse id totum quod res est: nam eam solam putarunt Substantiam, cætera iudicarunt accidentia: nomine autem Entis, Substantiam intelligebant, adeo, vt Materiæ competeret actus & essendi, & existendi, & per se subsistendi. Hæc opinio a Pythagora, Platone, & Aristotele reiecta est. Propterea opinio altera huic aduersa est D. Thomæ & multorum illum sequentium, qui inquiunt, Materiam esse puram potestatem, expertem cuiuslibet actus, cum essendi, tum existendi, & actum omnem pondera ex forma, vt inquit D. Tho. in prima parte, q. 66. In quolibet. q. 3. & alibi, & ob id nec ei putat in Dei Mente respondere Ideam, nec eam posse per se intelligi, nec per absolutam Dei potentiam sine forma seruari, nec esse distinctum terminum Creationis, sed solum cum forma concreatā fuisse. Eidem sententiæ adherere videtur Auicenna secūdo tract. Metaphysicæ, cap. 4. Similiter Auer. duodecimo Metaphysicæ, contex. 14. inquiens: Vniuersitatem Materiæ, non habere esse extra Animam, & non intelligi nisi per priuationem. Vtuntur etiam qui huius sunt sententię variis authoritatibus ex Aristotele depromptis, & præsertim, quia in septimo Metaphysicæ, contex. 8. ait, Materiam non esse quid, nec quale, nec quantum. & in primo Physic. 82. essentiam Materiæ nuncupat potentiam Et in primo de Ortu & interitu, ait non esse actu, sed potētia. & ob id in primo Phys. 69. ait intelligi per Analogiam. & in decimo Metaphysicæ, contex. 24. per negationem, quæ indicant Materiæ nullum competere actum. Idq; ostenditur rationibus: & primo, omnis essentia vel est actus purus, vel pura potentia, vel aliquid ex eis compositum, materia non est actus purus cum id pertineat ad formam, non compositum cum sit simplex, quare est pura potentia. Præterea, quæcunque sunt ab vno, ita se habent, vt cum primo competant vni, per id mox competunt cæteris, ens, esse, & actus, sub ab vno, vt patet ex quarto Metaphysicæ. Quare primo competunt vni, & per id aliis, id primum nil aliud esse potest, præter formam, vt etiam dicitur in secūdo de Anima, cont. 7. quare materia ex se, nil eorum est sed omne habet a forma. Confirmatur per definitionem generationis, quæ ob mutationem formæ dicitur mutatio totius in totum. Hinc D. Thom. in primo Phys. 79. inquit, vt potentia ad

Opinio prima. Euersio. Opinio secunda.

Auicenna.

Ratio prima.

Secunda. Tertia.

Qualitatem non est aliquid extra genus Qualitatis, ita potentia ad esse substantiæ, non est aliquid extra genus substantiæ, non igitur potentia materiæ est affectio aliqua superaddita essentiæ eius, sed materia sui substantia est potestas ad esse substantiæ, &c. Sic ens diuiditur per actum & potentiam, & cum forma sit actus, materia dicitur omnino potentia. Eiusdem quoque opinionis fuit Ioan. Bacc. 2. Sent. Dist. 12. q. 1. Art. 1. & 2. Quol. q. 9. Platonici etiam idipsum sentire videntur, cum materiam constituant infra ens, quia est infra actum, & appellēt exemplar diuinitatis expers. Scotus in secundo Sent. dist. 12. & septimo Metaphysicæ, q. 5. se medium constituit. Pro cuius opinionis notitia considerandum, quod ipse vnà cum Henrico, triplicem excogitauit potentiam, vnam agendi, alteram patiendi, tertiam, quam non repugnantiam ex parte obiecti esse dixit, & potentiam obiectiuam nuncupauit. D. Tho. eam redegit ad potentiam agendi: Inquit enim potentiam esse triplicem, vnam patiendi, alteram agendi ex parte agentis, tertiam agendi ex parte obiecti apti produci, ac ita cum Aristotele omnem potentiam ait esse, vel agendi, vel patiendi. His præassumptis, ait Scotus, cum omni potentiæ respondeat actus, potentiæ obiectiuę respondet actus entitatiuus, per quem obiectum dum extra suas causas reperitur, actu esse dicitur, non amplius potestate, & in serie rerum est collocatum, adeo, vt illi actui in Dei Mente respondeat Idea, & per eundem materiam sit apta ex se intelligi, & ei nō repugnat, vt per Dei absolutam potentiam seruetur seorsum a forma, & in Mūdi creatione actus ille fuit terminus creationis materiæ, distinctus a termino creationis formæ. Quod autem Materiæ huiusmodi actus competat, patet quia Materia est ens per se, est substantia, est pars compositi, est subiectum, ex sentētia Aristotelis ingenitum, non natum interire, & actu est id, quod est, quatenus includit esse suum seorsum a causis, & non est potentia, vt obiectum & Materia, sed vt Subiectum natum formari forma: & ob id recte enunciauit Alexander, Materiam non egere forma, vt sit, sed vt sit actu.

Io. Bacc.

Academici.

Scotus.

Ratio.

CAP. VII.

Pro resolutione difficultatis explicantur nonnulla voces.

QVONIAM resolutio propositæ difficultatis exposcit cognitionem variarum Vocum, ideo ab earum explicatione ordiar. Inueniuntur hæ Voces, Ens, Esse, Essentia, Existens, Existere, Existentia, Subsistens, Subsistere, Subsistentia, Inexistens, Inexistere, Inexistentia, Coexistens, Coexistere Coexistentia. De quarum significationibus cum varia dicantur a variis, ego id solum proferam quod approbandum existimo. Ens & Esse, Græce ὤν, εἶναι, denotant id primum per quod res sunt & vsurpātur dupliciter, nimirum pro vero, hoc est pro reperiri in rerum natura, & pro genere latissimo quod est ab vno. Differunt autem, quia ens est concretum, denotans id quod est. Esse autem est tanquam ratio & formalitas eius; Hinc differre esse, est differre ratione, vt Materiam Philosophus ait differre a Priuatione τῷ εἶναι. Essentia, Græce οὐσία, deducitur ab esse, & est minus communis eo, Nam esse vt dixi nonnunquam vsurpatur pro esse in natura rerum, & constituit Problema de accidente, quod non cōpetit essentiæ, essentia enim significat id quod res est, hoc est naturā & cōditionem rei propriam, seorsum ab illis quæ ex accidenti cum ea nectūtur, & hæc est ea, quæ per definitionē explicatur, Adeo, vt essentia, & id quod res est, quod quidditas dicitur, in idem veniant. Ideo approbandam non puto opinionem

Ens & Esse.

Essentia.

Essentia & quidditas idē.

Auerrois, Zimaræ, & similium, dicentium materiam esse partem essentiæ, non autem quidditatis: nam essentia rei, & id quod res est, in idem veniunt. *Essentia no seruatur in solis causis, nisi potestate.* Similiter veram non puto multorum opinionem, dicentium, essentiam rerum seruari posse in earum causis, quamuis seorsum nullum inueniatur indiuiduum, id inquam non probo: quoniam esse in causis, est esse potestate, & futurum, non autem est propria rei essentia, quæ per Definitionem explicatur: Definitio enim est rerum existentium extra animam secundum commune earum, (vt recte in 1. Natur. quæst. docet Alexander) *Existētia.* Existentia, adhuc est vox magis contracta: nam denotat concretum ex essentia, & eo esse quod verum dicitur: adeo, vt sit essentia cōtracta per singularia, quæ existunt. Hinc scientiæ dicuntur abstrahere à particulari existentia, cum abstrahant à conditionibus singularium considerando solam essentiam in eis existentem: quæ tamen essentia, nō seruatur sine existentia. *Essentia no seruatur sine existētia.* Hinc demptis primis substantiis, nil aliorum seruari potest, vt dicitur in Prædicamento Substantiæ. Demum datur subsistētia quæ substantiis competit per se subsistentibus, cui respondet inexistentia proprie competēs accidentibus, quorum esse est alteri inhærere. *Subsistētia & inexistētia coexistētia.* Datur etiam coexistentia competens illis quæ sunt eiusdem gradus, & simul nectuntur, vt partes coexistunt & totum constituunt. Materiæ proculdubio competit, vt sit in ordine rerum, eique competit esse & essentia, de qua quæritur, an sit eadem cum potentia eius. Insuper ei competit existere in composito, in eoq; inexistere, & subiici formæ, non autem subsistere absolute. *De Actu.* Explicatis cæteris vocibus, superest vt de Actu loquamur: Diuiditur Actus ab Aristotele in secundo de Anima in primū, & secundum, hoc est in formam & operationem. Quæ Diuisio non est præsentis considerationis. Insuper, Diuiditur Actus, in Actum essentiæ, & Actum inexistentiæ: Actus inexistentiæ est Actus essentiæ complicatus cum conditionibus indiuiduantibus: Actus autem essentiæ est duplex: vel essentiæ quæ sit forma, quæ proprie & absolute Actus dicitur: Vel essentiæ quæ est natura propria & conditio cuiusuis rei, quæcunque ea sit, vel Materia, vel aliud quoduis. *Omnem essentiam posse dici Actum.* Et de huiusmodi essentia late sumpta, dubium est, an nomine Actus denotari valeat: & quod valeat, ita ostendo. *Ratio.* Omne quod ex se non est, sed pendet ex alio, vt pendens, dicitur transisse ex potētia ad actum: at præter Deum omnia sunt huiusmodi, quare, &c. Et quamuis Materia ab Aristotele dicitur ingenita, tamen ita ei competit Actus suæ essentiæ, ac si producta esset. *Confirmatio.* Confirmo efficacissime: quia cui competit nomen formæ & speciei, competit nomen Actus, omnis enim forma Actus est, sed cuilibet essentiæ competit nomen formæ & speciei, quod colligo ex Aristot. in 1. Physic. cont. 60. & 66. dicente, Materiam & Priuationem esse vnum numero, distingui autem forma, & specie: & per formam ait se intelligere rationem explicantem quid res ea sit, quæ formalitas sæpe dicitur. *Themistius.* Idipsum confirmo per Themist. in primo Physic. in Digress. de Materia, dicentem quod materia res quædam est in se, & existit Actu; Græce καὶ ὑπάρχει ἐνεργείᾳ. Conspicue Themistius essentiæ absolutæ materiæ tribuit nomen actus.

Et hæc de vocum significationibus.

CAP. VIII.

Quod Materiæ competat Actus entis siue præsentia.

EXPLICATIS vocibus, constanter affirmo, Materiæ conuenire actum entis siue præsentiæ: quod variis rationibus ostendo. Prima ratio elici potest ex Definitione Materiæ, hunc in modum. Materia est primum Subiectum ex quo inexistente res fiunt, & in quod vltimo resoluuntur, ex 1. Phys. 82. Cum sit Subiectum primum antecedens formæ & composito, eam considero vt Subiectum primum est: & quæro, vel tunc est aliquid absolutum, non pendens ex forma, vel ne: si non, minime esset Subiectum: nam quod nõ est, non est Subiectum, & præsertim, quia Subiectum in 1. Phys. dicitur prius Prædicato: si sic, ea igitur est aliquid absolutum non pendens ex forma, per quod actu inter ea quæ sunt numeratur. Hinc Aristot. in 1. Phys. 66. inquit, Materiam numerabilẽ esse. Insuper, Materia est id ex quo elicitur forma, & quod constituitur pars compositi, non autem subiiceretur transmutationi pro eductione formæ, nec esset Elementum, & pars Substantiæ, nisi esset absolutum aliquod in genere entium. Hinc Aristor. in 1. Phys. 66. dixit, Materiam esse prope, & quodam modo Substantiam, & magis hoc aliquid, quam sit Priuatio. Præterea, Materia est id, in quod vltimo ea quæ intereunt resoluuntur. Quæro de hoc vltimo, vel habet proprium entis & Substantiæ gradum, non pendentem ex forma, vel ne; si non habet, non fieret resolutio compositi in illud per destructionẽ formæ, sed periret totum esse eius: si autem habet, falsa erit Sententia aduersa, putantiũ totum id quod Materia est, pendere ex forma. Præterea, omnis transmutatio exposcit Subiectum manẽs idem sub vtroq; termino, Subiectum enim dicitur medium, quod actu neutrum est extremorum, potestate vtrunq;. Materia est Subiectum transmutationis, debet itaq; manere eadem sub vtroq; termino, non maneret autem eadem, nisi ei competeret esse aliquod proprium, non pendẽs ex terminis. Præterea, cum dicant Materiæ seorsum à forma nullum cõpetere esse actu, sed solum potestatem quæro de hac potentia vel est potestas sumpta pro Obiecto, vel pro Subiecto: non pro Obiecto, ita enim nil esset: nam quod est potestate, non est, vt dicitur in 4. Metaphys. com. 15. Si autem est potestate pro subiecto, omnis talis potentia nititur fundamento, quod cum pro suo esse actu sit, potestate est aliud, ne in potẽtiis detur progressio in infinitum. Insuper, hoc ens potestate, cum sit membrum in quod ens diuiditur, dum secatur per actum & potentiã, non potest esse potestate ens, sed actu: alioquin non contineretur sub ente, qui actus nil aliud esse potest, nisi actus per quem sit, & in vniuerso existat. Demum, cum Materia dicatur vna numero, æterna, ingenita, non apta interire, apta numerari inter ea quæ sunt, sit prædita affectionib. variis, sit fundamentũ relationis, denotetur per prædicata absoluta, dicendo quod sit ens, & substãtia, proculdubio est necesse vt propria aliqua essentia sit prædita, non pendente ex forma, per quam actu inter ea quæ sunt, reperiri dicatur. Hanc Veritatẽ frequẽter patefecit Aristot. cum eam dixerit esse Naturã, esse Bonam per se, Malam ex accidẽti, perinde se habere ac matrem, & magis esse hoc aliquid, quam sit Priuatio, Themistius lucidissime id affirmat, cum in 1. Phys. dig. ediens in attinentib. ad Materiam, dicat: Materia primo res quædã est in se, & existit actu, mox a Materia aliorum intelligitur esse. Alexander etiam frequenter id affirmat: nam in 4. Natur. qq. c. 24. inquit: Cum Materia sui ratione sit ens, & permaneat, sed vna

Materia competere actum entis.
Ratio prima.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta.
Sexta.
Aristoteles.
Themistius.

Simplicius. Philoponus.

sui naturam, recipit formam eius quod generatur: non enim possibile est manere, & subiici alicui, quod sui natura non est. Hinc Materia non eget forma vt sit, sed vt sit, actu. Simplicius in primo Physic. 56. inquit: Subiectum actu est subiectum, non potentia, & in secundo de Anima, exponens cont. 2. ait: Materia dicitur potestate, non quia sit potestate Materia, sed Substātia est potestate, nec ceu vnquam actu futura, manet enim semper quod vere est, Philoponus tam lucide tribuit Materiæ hunc actum, vt nil lucidius dici possit: nam in primo de Ortu & interitu, com. 50. inquit: Materia simpliciter est ens, & hoc modo generatio est ex ente. Cum autem dico actu ens, quod est in existentia, intelligendum est, quoniam Materia potestate alia existens, actu est materia. Idipsum confirmat, comm. 54. Insuper, latissime id affirmat in 11. Disp. contra Proclum, nam cap. 7. inquit, nil dari informe penitus, adeo, vt non sit actus aliquis: & tunc de Materia loquitur. Ammonius similiter hunc actum materiæ tribuit, & inquit Materiam esse corpus, & dimensiones ad eius essentiam pertinere. Colligamus itaque, Materiæ Actum competere, de quo Greg. Arim. 2. Sent. Dist. 12. q. 1. recte enunciauit, Materiam esse actu in genere eorum quæ sunt, potestate vero in genere formabilium.

Ammonius. Greg. Arim.

Cap. IX.

Euertuntur nonnullæ Sententiæ, & rationes aduersæ diluuntur.

Qvicvnqve aduersæ opinioni sunt addicti, vt vitent aduersas rationes, inquiunt, Materiam esse quidem, at ei non competere actum essentiæ, qui ad formam pertinet: neque existentiæ, qui competit composito. Insuper, inquit Iauellus septimo Metaphysicæ, q. quinta. Materiam anteire futuræ formæ, non quia ex se modo aliquo sit actu, sed per formam præcedentem, nec eam simpliciter esse, sed in composito, & distingui a forma, nō quia vtrique competat proprium esse, & sint duo supposita, sed quia vnum negatur de altero. Verum hæc & similia nullius sunt roboris, iam enim conspicue patefeci, Materiæ proprium esse competere, distinctum ab eo formæ, & prius eo, cui nomen actus optime congruit. Nam dum dicimus, Materia non est forma: id quod non est forma, vel est aliquid, vel nihil: si nihil, ea quæ gignuntur, ex nihilo fient: si aliquid, vel id pendet ex forma, vel ne, si pendet, falso Materia ab Aristotele in secundo de partibus Animal. cap. primo diceretur prior origine formæ: si non pendet, habet igitur materia proprium aliquid, ex forma non pendens, per quod actu inter ea quæ sunt reperiri dicetur, & ob id ab Aristotele in primo Physicorum dicitur numerabilis. Confirmatur: quia cum forma, tum materia, prædita sunt propria vnitate, propria natura, quare & proprio esse, quorum vnum est æternum, aliud mortale; Et si id verum esset, quod materia anteiret futuræ formæ, per formam antecedentem, tunc magis Materia diceretur corrumpi per interitum formæ per quam est, quam per interitum Priuationis; cōtra Aristotelem in primo Physic. 82. Insuper, si Materia secundum totum id quod est, penderet ex forma, ea non posset considerari notione prima & absoluta seorsum a quauis forma: quia ita non esset. Præterea, tunc forma largiretur esse Materiæ, quod verum non est: nam vt recte in secundo de Anima inquit Themistius, forma largitur esse Composito, non autem Materiæ: quia Materia vt sit, non eget forma. Demum, inquit

Iauellus. Euersio. Confirmatio. Themistius.

quit Aristoteles in septimo Metaphysicę, contex. octauo. Materiam esse id quod superest seiunctis omnibus formis. & in quarto Physic. context. 15. inquit: Cum enim remoueantur termini & affectiones a Sphera, nil relinquitur præter Materiam: quare secretis imaginatione formis omnibus, adhuc superest natura propria Materiæ, quæ non superesset, si ex forma penderet. Zimara Theor. 15. inquit, Actum entis posse dupliciter vsurpari: vel pro gradu quodam entis, vel pro actu respondente potentiæ obiectiuæ, qui sit idem cū actu existentiæ, per quam Materia in Composito prædita sit distincta existentia ab ea formæ. In prima significatione cōceditur, non in secunda: Quoniam Actus existendi, a forma est. Decipitur profecto cum hæc dicat: tum quia existentia late sumpta, non semper a forma est, vt in præcedentibus patefeci. Hinc Themistius & Alexander eam tribuunt Materiæ, cum dicant eam ὑπάρχειν. Tum insuper, quia concedens Materiæ gradum per quem sit, cogitur concedere id, quod respondet potentiæ obiectiuæ, quatenus est extra suas causas: huiusmodi autem est actus entis, siue pręsentiæ. Tum demum, quia inane est id, quod addit de Existentia: nam Existentiæ nomen apud varios in varia significatione vsurpatur. Ex Sententia Scoti Existentia est proprietas quædam ipsius essentiæ, vt Risibilitas Hominis: quemadmodum affirmat tertio Sen. Dist. 3. q. 6. adeo, vt essentia semper iunctam habeat existentiam, & simul oriantur & pereant: & propterea errat Zimara, qui negans a Materia existentiam, contra Scotum, vtitur nomine Existentiæ non in ea significatione, in qua ea vtitur Scotus, sed potius in qua ea vtitur D. Thom. qui (vt elicitur ex secundo contra Gentes, cap. 52.) Existentiam adeo secreuit ab essentia, vt putarit rei posse competere essentiam, sine existentia. His explicatis: superest vt aduersas rationes diluamus. Nonnulli reiicere nituntur actum præsentiæ & entis: quia ex Sententia Aristotelis, non datur potentia obiectiua, cui Actus ille respondet; Q[illegible] ratio inanis est penitus: nam quod concedi debeat potentia non repugnantiæ ex parte obiecti, nemini est dubium: solum dubitatio est, num redigatur ad potentiam agentis, vel patientis: & satest quod Materia ita se habet, vt ei competat esse seorsum a suis causis. Afferebatur Sententia Aristotelis in septimo Metaphysicæ, dicentis Materiam nec quid, nec quale, nec quantum esse. Scotus soluens, ait Aristotelem loqui non ex propria Sententia, sed ex opinione antiquorum. Quæ euasio est inanis: quia veteres putarunt Materiam esse quid, & vniuersam essentiam. Insuper Aristoteles alibi quoque eandem sententiam profert, vt in 3. Physic. dum ens actu, diuidit in decem Prędicamenta. & in decimo Metaphysicæ, dum Materiam ait negatione cognosci. Propterea dicamus, quod Materia non est quid, &c. Quoniam Prædicamenta constituuntur per formam, cuius Materia est expers, & ad quam est potestate, & dicitur esse Potestate, non vt Obiectum, quia ita non esset, sed vt Subiectum, non autem esset Subiectum, nisi primo absolute esset aliquid. Quod autem cognoscatur & per Analogiam, & per Negationē, mihi non obest: nam ēt Deus vtroque eorum modorum noscitur. Materia autem ita noscitur, quia caret actu formali, qui est ratio per quam res per se noscuntur. Insuper instabatur: quia omnis essentia vel est actus purus, vel pura potentia &c. Respondeo, Materia est pura potentia ad formam, est purus actus entis, quatenus non est complicatus cum alio actu: & demum, est vtrunque simul, quatenus est purus actus entis, & pura potentia ad formam. Addebatur, quia ens & esse sunt ab vno, ideo debet primo vni competere, & per illud aliis. Respondeo, Ens & esse, dici ab vno varia consideratione: nam vel consideramus ens, & esse formale: hoc primo competit formæ, & per

Zimara. *Euersio.* *Existētia.* *Diluuntur rationes aduersa.* *Scotus.* *Materia est purus actus & pura potentia.*

eam cæteris. Si consideramus esse absolute & extra causam, hoc primo in mortalium ordine competit materiæ. Hinc Aristoteles in secundo de partibus animalium cap. primo ait, materiam esse priorem origine, formam vero dignitate. Addo insuper, quod quamuis ens, & esse, sint ab vno, quatenus includunt ordinem quendam, non propterea vel materia est causa per quã forma sit id quod est, nec vice versa. Ideo Simplicius in primo Physic. exponens, cont. 50. inquit, neque ens a substantia defluit in cætera Prædicamenta, neque per eam cæteris competit, sed primo competit Substantiæ, cæteris vero post ipsam: vt etiam ordo non proficiscitur a primo ad secũdum, vt per primum secundo insit, sed vtriq; & singulis competit æque communis ordo &c. Ratio sumpta ex definitione Generationis leuis est: nam per Generationem & interitum dicitur mutari totum, quatenus mutatur forma, per quam Compositum est id totum quod est; considerando essentiam propriam eius. Neque etiam obest Sententia D. Thom. quod potentia sit essentia materiæ, vt ex sequentibus patebit. Similiter, quamuis Plato Materiam dixerit non ens, non ob id inficiatur esse huiusmodi actum: dixit enim Materiam esse infra ens, quia est infra formam, ait tamen quod ea solum est non ens, pro alteritate, vt patet ex Sophista. Immo in Phedone manifestauit Materiæ & Ideis recte competere pronomina demonstrãtia, cum semper maneant & seruentur.

Simplicius.

Cap. X.

An potentia sit essentia Materiæ.

CVm apparuerit Materiæ actum aliquem competere, quomodo potentia ad eam se habeat, nunc se offert considerandum; Ad cuius considerationem vt distinctius progrediamur, primo considerandum est, in Materia duplicem reperiri potentiam: Vnam communem competentem Materiæ ex sui conditione ante quam vlla aliena effectione sit prædita, per quam sui natura & conditione dicitur facilis & apta subiici formis. Alteram proximã, & propriam, pro definita forma, consurgentem ex dispositionibus, formæ recipiendæ congruentibus. De hac nulla est dubitatio, omnes enim consentiunt hanc esse accidens & qualitatem superadditam Materiæ, varietati obnoxiam. Dubitatio est de prima, quæ Materiam comitatur, eique est coæterna. Ex quo elicio, falsam esse quorundam Sententiam, qui inquiunt, potentiam omnẽ ex forma aliqua antecedente consurgere: nam potentia communis, indefinita ad formas, sequitur Materiæ conditionem, non autem formã aliquam, & præsertim, quia sumitur in diuisione entis per actum & potentiam: vna autem differentia opposita, non sequitur alteram. Insuper, cum sit potentia communis, deberet sequi formam aliquam communem quæ tamen in materia non reperitur. Præterea, cõsidero magnã esse litem, an affectio & potentia, distinguatur a suo fundamento? multi asserunt distingui, tum quia est accidens per se, quod se Subiecto dicitur & ostenditur, tum insuper, quia ab Aristotele statuitur secũda species Qualitatis, cuius Subiectum frequenter est Substantia. Opinionem tamen aduersam veriorem puto: Nam potentia definitur, quod sit principiũ agendi, vel patiendi, quod principiũ non est accidens & qualitas rei, sed natura & essentia eius: Dispositio autem solum est principium per quod facile agat vel patiatur. Confirmatur per Aristotelem, qui in 7. Phys. necnon in 5. Metaph. numerans species Qualitatis, de Potentia nullum fecit verbum. Hinc Alexander referẽte

Duplex potentia materiæ.

Nõ omnis potentia sequitur formam.

An potentia distinguatur a suo fundamento.

Auer.

Auer. in 7. Phys. potentiā a suo fundamēto nō secreuit, veluti nec Auic. teste eodem Auerr. in calce primi de Ortu, & interitu. Confirmatur: quia principium agendi vel patiendi, quo est prius, eo magis nomine principii honestari meretur. Cum itaq; ea quæ sunt, nisi necessitas vrgeat, multiplicari non debeant, nec vlla necessitas nos cogat statuere potentiam a suo fundamento distinctam, colligamus eam pro absoluto in idem cum suo fundamēto venire, & solum distingui extrinsecus per supperadditam relationem, vt latius patefeci in secundo gradu Moralis Philosophiæ. Er quia ex aduerso dicebatur, Affectionem esse accidens, quod de Subiecto dicitur, & ostenditur: Respondeo, esse accidēs & Qualitatem secundum modum denominationis, & distingui secundum formam, ob superadditam relationē, & ob id dicitur sequi formam, & interna principia speciei. His præassumptis, tres statuo Cōclusiones. Prima est: Potentia cōmunis Materiæ, antecedēs formis & dispositionibus, intrinsecus & pro absoluto considerata, est natura, & essentia Materiæ. Altera est: Potentia ea communis considerata extrinsecus pro superaddita relatione ad obiectum, & considerata secundum formam & modum denominationis, distinguitur ab essentia absoluta Materiæ, & est eius affectio. Tertio assertio est: Potētia propria, ex dispositione consurgens, est Qualitas & accidens, & solū dici potest essentia Materiæ, vt ad huiusmodi formam relatæ. Ex quibus elicio, potentiam Materiæ sine vlla cōtrouersia dici posse Substantiam, & essentiam materiæ, Qualitatē eius, affectionem, & relationem. Insuper, elicio solutionem apparentis cōtrouersiæ in Themistio: nam in digressione de prima Materia inquit: Potentiam non competere Materię nisi in secunda eius notione, & adueniente forma euanescere potentiā, & Materiam transire in Subiectum. Oppositum enunciauit in Paraphrasi, contex. 82. inquiens, Potentiam Materiæ semper seruari, & per aduenientem formam minime destrui: Nam prima sententia est vera de potentia considerata cū superaddita relatione: Altera vero de potentia pro esse absoluto.

Diluuntur rationes aduersa.

Prima conclusio.

Secunda.

Tertia.

Controuersia in Themistio diluitur.

CAP. XI.

Ostensio prolatarum Conclusionum.

QVAMVIS prolatæ Conclusiones per ea quæ præassumpsi, satis sint conspicuæ, vt tamen veritas splendidior fulgeat, in earum comprobatione & præcipue primæ immorabor. Quod Potentia Materiæ coæua, sit eius essentia, affirmauit Aristoteles in primo Phys. 82. quo loci ostensurus essentiam Materiæ esse æternam, dixit Materiam secundum potentiam non gigni nec interire. Simplicius id exponens inquit: Materiæ essentiam esse potentiam ac posse. Materia enim est substantia per potentiam: & quando adest Actus potentia Materiæ remanet, nec permutatur in actum, ne materia pereat, quæ per potentiam Substantia est. Eadem Sententia variis confirmatur rationibus & primo: Omnis essentia, vel est purus actus, vel pura potentia, vel compositum ex vtrisq; Materiæ essentia nec est purus actus formalis, nec aliquid compositū, vt patet, quare est pura potentia, quæ cum sit gradus, & modo aliquo differentia entis, dici potest actus entis, & præsentiæ. Confirmatur per Aristotelem qui in 2. de Anima, cont. 2. cum substantiā secasset in Materiam, Formam, & Compositū. Materiam dixit esse potentiā, Formam vero actum, & vt actus est ipsamet essentia formæ, ita potentia Materiæ, non autem accidens ei superadditum. Præterea vtor Regula Arist. 12. Metaph. 35. 8. Physic. 37. Si datur compositum ex duobus

Confirmatio primæ Conclusionis.

Ratio prima.

Confirmatio.

Regula Aristotelis.

oppositis, & datur vnum eorum seorsum, dabitur & alterum: at datur compositum ex actu & potentia, & datur actus purus qui sui essentia est actus, igitur datur & id, quod sui essentia est potentia. Præterea, si hæc communis potentia coæua Materiæ de qua est sermo, esset Qualitas, & accidens eius, (vt nonnulli aiũt) falsa redderetur Sententia Arist. 7. Metaph. cont. 8. absolute dicentis, Materiam nec quid, nec quale esse, ita enim esset qualis. Præterea, falsa esset Græcorũ Sententia, primum quod recipitur in materia, esse quantitatem, & ob id Prædicamentum Quantitatis secundo loco fuisse explicatum, ita enim Qualitas antecederet. Præterea, falsa redderetur Sententia Aristotelis 8. Metaphysicæ 15. dicentis, ex Materia & forma per se fieri vnum: quia materia est Potẽtia, forma autem Actus, ita enim nõ per se, at per aliud, nempe per Qualitatem ex Materia & forma vnum fieret. Præterea, omnis mortalium Qualitas ad aliquem sensum pertinet, & vel prima vel secunda est: hæc potentia Materiæ quæ a nonnullis dicitur Qualitas, nullo sensu percipitur, & nec prima, nec secunda Qualitas est, vt patet, quare omnino est explodenda: & præsertim, quia penitus videtur superuacanea, cum sine ea cuncta seruentur, quæ ad ortum & interitum rerum pertinent. His accedit, quod qui potentiam Materiæ aiunt esse Qualitatem, sibimet aduersantur, cum mox dicant, eam opponi Actui oppositione priuatiua: at Qualitas nec Priuatio est, nec priuatiue opponitur. Vera est itaque prima assertio, quod Potentia communis, sit essentia Materię. Quę etiam fuit opinio Platonis, qui in Timeo asseruit, Potentiam nunquam a Materia seiungi, in eaque seruari, etiam adueniente forma, quod latissime in libro de Materia patefecit Plotinus. Auerroes vario modo potentiam considerans, varia de ea enunciauit: nam in 3. tract. Paraphrasis Metaphysicæ, dixit eam esse vmbram, hoc est affectionẽ Materiæ. Aliquando, esse relationem, & accidens varietati obnoxium, vt in primo Physic. 70. Aliquando, Differentiam & Substantiam, vt in primo cap. de Substantia Orbis, inquiens Naturam primæ Materiæ esse naturam potentiæ, adeo, vt Potentia sit Differentia Substantialis: & ideo nullam habere formam propriam, & naturam actu existentem, sed eius Substantiam collocatam esse in posse. &c. Nuncupatur ab Auerr. potentia Materiæ differentia, quia est gradus, & modus Entis, & vt ens nonnunquam dicitur genus, ita gradus eius dicuntur differentiæ. Cæteræ Assertiones vt conspicuæ, dimittuntur. Ex his elicio minus recte sensisse Zimaram, qui asseruit, Potentiam esse essentiam Materiæ non in prima, sed in secunda notione, quatenus in sola secunda notione potentiam includit. Hoc inquam verum non est: quoniam potentia semper includitur in Materia, quauis notione concipiatur, nil enim concipi potest seorsum a sua essentia, & hoc ostendo: quia Materia in prima notione est ens, quare vel est Actus, vel Potentia: non Actus, quia pertinet ad formam, per Aristotelem in 12. Metaphysicæ, quare est Potentia. Sed ipse errauit, quia Potentiam considerauit non pro absoluto, & fundamento, sed cum superaddita relatione. Sed quæret aliquis: dum dicimus, Materia est potestas, vt inquit Aristoteles in secundo de Anima, contex. 2. qualis nam iudicari debeat ea enunciatio? Respondeo, dum potestas profertur in recto, enunciatio est per se, in primo modo, quia Prædicatum est essentia Subiecti: nam affectio & accidens non dicuntur in recto. Dum vero enunciatur in obliquo, & cum denominatione, adeo vt obtineat locum affectionis, enunciatio erit per se, in secundo modo. Si vero consideretur Potentia proxima consurgens, ex accidente disponente materiam, ita erit accidens ex accidenti Materiæ competens.

Ratio tertia. *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Conclusio.* *Plato.* *Plotinus.* *Auerroes.* *Aduersus Zimaram.* *Dubitatio.* *Solutio.*

Propo-

CAP. XII.

Proponuntur & diluuntur dubia varia.

POTENTIAM distingui ab essentia Materiæ, Varii variis nituntur ostendere rationibus: quarum ego potiores quam breuissime referam, & diluam. Dubitatur primo; Quia nulla notione potest aliquid seorsum a sua essentia concipi: Materia in prima notione potentiam non includit, vt in digress. inquit Themistius, quare potentia non est eius essentia. Et Cõfirmatur: Quia Materia est ens absolutum, Potentia relatum: Materia est vna, Potentia multiplex. Et demum, quod est Potentia, non est, vt asseritur ab Auer. quinto Metaphysicæ, comm. 15. Materia autem per se est. Solutio patet ex distinctione Potentiæ consideratæ & pro absoluto, & cum superaddita relatione: pro absoluto, semper includitur in Materia, & est vna, & æterna vt materia, & cum sit gradus entis, etiam dicitur aliquid absolutum, & solum extrinsecus relatũ. Et dum dicimus, id, quod est potestate, non est: verum est, dum consideratur pro Obiecto, at nõ pro Subiecto: immo pro Subiecto, necesse est vt primo absolute sit aliquid, mox potestate sit aliud. Hinc Themistius, comment. octuagesimoprimo primi Physicor. asseruit, potentiam nunquam deserere Materiam. At occurrit secunda Dubitatio, quia si Potentia non differt ab essentia, cum Materia sit potestate omnia Prædicamenta, vt dicitur in septimo Metaphysicæ, contex. 8. igitur Potentia ad Qualitatem, erit essentia & Substantia Materiæ, & ita potentia ad reliqua Prædicamenta: & cum omne Prædicamentum diuidatur per Actum & Potentiam, in omni Prædicamento reperietur essentia Materiæ, vt pars eius Prædicamenti, quod maxime videtur absurdum. Respondeo per duo fundamenta: Primum elicitur ex Aristotele in octauo Metaphysicæ, contex. 12. dicente, Accidentia non includere Materiam ex qua constent, hoc enim solum competit Substantiis Cõpositis, sed in qua recipiantur, adeo vt essentia Materiæ sit principium accidentium secundum fieri, non secundum essentiam. Alterum fundamentũ est: Quia quamuis Potentia intrinsecus sit essentia Materiæ, extrinsecus tamen (vt dixi) distinguitur ratione, & redigitur tanquam principium ad Prædicamentum ad quod refertur, & ita Potentia, & Actus dicuntur eiusdem generis. Alia Dubitatio elicitur ex nono contex. 3. Physic. quo loci ostendit Aristoteles, Potentiam distingui a suo fundamento duplici ratione. Primo: Quia si Potẽtia esset eadem suo fundamento, tunc res moueretur vt actu est, cum moueatur vt est potestate. Secundo: Quia eadem vni tertio, sunt eadem inter se, & quia vni competunt potentiæ ad opposita, illæ potentia erunt eædem, idem inter se, veluti potentia ad sanitatem erit eadem potentię ad ægritudinem: quod est absurdum. Soluitur: Quia Aristoteles tunc considerat potentiam extrinsecus, & cum superaddita relatione, nam considerat mobile, vt mobile est, & ideo inquit, non esse idẽ simpliciter, & secundum rationem, indicans, quod quamuis simpliciter hoc est pro absoluto, sint idem, tamen distinguuntur ratione. Dubitatur insuper: Quia asserere potentiam vsurpari pro absoluto, est pugnantia pro fe tre: nam potentia omnis respicit aliud, & Definitur per id, ad quod refertur: Potentia enim futurum denotat. Respondeo: Cum essentiæ rerum lateant, & præsertim ea Materiæ, & desint nomina earum propria, frequenter eas circumscribimus per connexa notiora, veluti essentiam materiæ dicimus potentiam, denotando fundamentum & absolutum, per id nomen quod relationem præ se fert, & id efficere etiam cogimur: quia Materia à nobis noscitur per Analogiã, & per aliquam relationem.

Prima Dubitatio. *Confirmatio.* *Solutio.* *Secunda.* *Solutio.* *Tertia.* *Solutio.* *Quarta.* *Solutio.*

Quod autem id nomen frequenter vsurpetur pro absoluto, patet, veluti, dum Ens diuidimus per Actum & potentiam: ac insuper, dum Materiam in recto dicimus potentiam: & dum asserimus ex actu & Potentia per se fieri vnum. At dubitatur adhuc: Quia Priuatio distinguitur a Materia, quæ tamen est in ratione potentiæ. Insuper materia Definitur, quod sit primum principium, ex quo inexistente res fiunt, & in quod resoluuntur. Quæ definitio, nequaquam competit potentiæ, vt patet. Solutio est conspicua: nam potentia includit Priuationem, dum consideratur cum superaddita relatione: & Definitio Materiæ competit potentiæ consideratæ pro fundamento, & pro absoluto, nõ cum superaddita relatione quæ variatur, & multiplicatur. Demum dubitatur: Cum Potentia & Actus dicantur inuicẽ opponi, qua oppositionis specie opponantur? Nonnulli aiunt opponi non per Relationem, sed per Priuationem & Habitum: nam potentia priuatio est ipsius actus, idque ostendunt: quoniam relata sunt simul natura, & non se mutuo destruunt, potẽtia est origine prior actu, & ab actu destruitur, nec simul sunt. Insuper quamuis potentia referatur ad actum, non propterea, vice versa, actus dicitur potentiæ actus. Hæc sententia non est approbanda: Primò, Quia priuatio & potentia sunt duo distincta, & priuatio est terminus a quo, generationis, potentia vero ad Materiam & Subiectum pertinet: quare cum actui per priuationem opponatur Priuatio, est necesse vt Potentia a Priuatione distincta, modo alio opponatur. Præterea, conspicue Aristoteles in secundo Phys. 26, inquit, Materiam & formam esse ad aliquid. Et profecto Materia per potentiam refertur ad formam, & ita dicitur quod alterius formæ altera est Materia. Confirmatur per Auer. qui in primo Physic. comm. 7. inquit: Si Potentia esset essentia Materiæ, tunc Materia intrinsecus & sui essentia Relatio esset, indicans potentia referri ad aliud, dum consideratur non pro solo absoluto, sed cum superaddita Relatione. Propterea, dicamus potentiam tria denotare, primo essentiam fundamenti, ac ita non opponitur actui, sed ex eis per se fit vnũ ex octauo Metaphysicæ 15. Secundo, dum superadditur externa Relatio, dicitur præsupponere Priuationem obiecti, & ita pertinet ad Priuationem, nõ propria sui ratione, sed ratione eius quod præsupponit. Tertio, ratione propria denotat relationem, & ad actum refertur, dum cõsiderant tanquam perfectibile natum actu perfici Rationes aduersæ facile diluuntur. Instabatur primo quia non sunt simul, sed se destruunt, Respondeo: actus & potentia perinde se habent ac perfectio & perfectibile, quæ inuicem referuntur, & perfectio præsens refertur ad præsens perfectibile, & cum eo est simul, futura vero cum futuro. Similiter actus & potẽtia pro fundamento non se destruunt, sed seruatur, & perficitur potentia adueniente actu, solũ variatur: quia primo erat potentia ad futurã formam, mox vero ad præsentem. Addebatur quod actus non dicitur potentiæ actus: Respondeo hoc esse falsum, quia vt perfectio perfectibilis, ita actus potentiæ dicitur actus, & cum ea per se nectitur: his accedit quod Aristoteles in quinto Metaphysicæ, cont. 20. conspicuis verbis hanc difficultatem dissoluit, inquiens: Quæcunq; secundum numerum, & potentiam dicuntur ad aliquid, omnia sunt ad aliquid, eo quod ipsum quod sunt, alterius dicuntur, sed non eo quod ad illud aliud dicatur, &c. conspicue Aristoteles potentiæ tribuit relationẽ, & instantiã ab his excogitatam dissoluit.

Quinta. *Solutio.* *Sexta.* *Opinio quorundam.* *Euersio.* *Ratio.* *Aristoteles.* *Auer.* *Opinio propria.* *Diluuntur rationes aduersa.*

CAP:

Cap. XIII.

Quomodo Materia se habeat ad Priuationem.

CVm apparuerit quomodo materia se habeat ad potētiam, sequitur vt consideremus quomodo se habeat ad Priuationem; Pro cuius exacta notitia quinque se offerunt explicanda. Primo, quotuplex sit priuatio. Secundo, quid sit. Tertio, quomodo se habeat ad Materiam & Potentiam. Quarto, quomodo sit principium, Demum an iure Aristoteles tribuat Platoni quod Materiam a Priuatione non secreuerit. A Primo ordiens Aristoteles in quinto Metaphysicæ, contex. 27. varias refert Priuationis significationes. Nam datur primo Priuatio ex parte generis, vel ab vno, vt Intelligentia Saturni, dicitur priuata perfectione Dei: quia ei ratione entis non repugnat maior perfectio. Vel vniuoci remoti, vt lapides dicantur cœci: quia videre non repugnat substantiæ. Similiter Planta dicitur cœca, quia ei vt viuens est, non repugnat videre. Vel generis vniuoci proximi vt talpa dicitur cœca, quia ei vt est animal, non repugnat videre, & hoc ei proximius competit quam Plantæ. Insuper datur Priuatio in specie, vt Homerus dicitur cœcus. Et hæc Priuatio triplex est: vel exacta priuatio, vel diminutio, vel deprauatio, vt recte declarauit Auerroes 3. Cœli, 35. Insuper priuatio considerari potest, vel in prima materia, & ea est Priuatio indefinita, confusa, vniuerse & indefinite respiciens formas omnes materiatas, coæua materiæ, eiusque conditionem sequens. Vel consideratur in subiecto proximo & proprio, & ea definita est, sequens dispositionem requisitam pro forma, quæ incipit & desinit. Insuper, priuatio considerata in Subiecto proximo, vel antecedit formæ, & hæc iuncta est cum potentia, vel formam sequitur, a qua ad formam saltem eandem numero, non datur regressus. Demum hæc Priuatio in Subiecto proximo, vel est formæ ad Substantiam pertinētis, vel accidentis, proprie, & præsertim ea dicitur Priuatio, quæ est formæ ad Substantiam pertinentis, vt enim hæc est proprie & præsertim forma, & præsertim materiæ respondet, ita eius opposita præsertim & proprie est Priuatio. Cum appareuerit quotuplex sit Priuatio, cōsiderandum occurrit quid sit. Et sumendo Priuationem vniuerse, dico, quod est absentia formæ in subiecto nato eam recipere. Differt Priuatio a negatione: quia negatio solum remouet, nil ponit, hinc absolute dicitur non ens. Priuatio vero remouet formam, consignificat tamen Subiectum, & ideo dicitur per se non ens, ex accidenti autem ens: negatio est communior quam Priuatio, de quo enim vera est Priuatio, etiam est vera negatio, & non vice versa. Cum Priuatio sit absentia formæ, quæritur, an modo aliquo dici possit forma, qualitas, & affectio aliqua, vel iudicari debeat absoluta absentia? Breuibus dico, Priuationem proprie & per se, esse absentiam, modo tamen aliquo dici posse formam & Qualitatem, & id contingere quinque modis, Primo secundum modum denominationis: nam per priuationem tanquam per dispositionem denominatur subiectum, & dicitur nudum & cœcum, vt dicitur in quinto Physic. cont. 9. Secundo, quia Priuatio proxima & propria, nectitur cum forma antecedente, vt lignum dicitur priuatum forma ignis, cuius Priuatio cum forma ligni nectitur. Tertio, quia Priuatio propria alicuius, considerata in Subiecto proximo est complicata cum affectionibus, vel disponentibus Subiectum pro futura forma, vt priuatio formæ ignis in ligno arido, vel aduersis formæ, vt cœcitas in Subiecto actu. Quarto, quia iuncta summopere est cum potentia eique est affinis: potentia autem dum consideratur vt

Quinque explicanda.

Quotuplex sit Priuatio.

Priuatio antecedens & sequens formam.

Quid sit Priuatio. Differentia a negatione.

An Priuatio sit forma. Solutio.

affectio denominans Subiectum, est modo aliquo Qualitas. Demum, quia Priuatio frequenter vsurpatur pro forma deteriore, secundum quam significationem Aristoteles in secundo Physic. 15. dixit, Priuationem esse modo aliquo formam & naturam. Ex his elici potest solutio difficultatis motæ a Simplicio, in primo Physic. Num detur Priuatio Priuationis. Simplicius absolute id negat, quod tamen penitus inficiari non debemus: Nam Priuatio consideratur dupliciter. Primo, per se, vt Priuatio est: secundo, vt modo aliquo est forma, dum ea consideratur per se, eius non datur Priuatio, quoniam omnis Priuatio est formę: At dum consideratur vt modo aliquo est forma Materiæ, quoniam cuiuslibet Materiatæ formæ consideratur Priuatio, etiam priuationis, modo aliquo erit Priuatio.

An detur Priuatio Priuationis.

Cap. XIV.

An Priuatio distinguatur a Materia & quomodo ad eam se habeat.

PRIVATIO adeo cum Materia est iuncta, vt nonnulli putarint eam in idem cum Materia venire: & Aristoteles Platoni tribuit quod putarit a Materia minime distingui. Propterea in primo Physic. laborat pro assignando discrimine: & ex variis contextibus duodecim præcipuæ differentiæ eliciuntur, quarum prima sumitur ex modo loquendi: nam de omni Priuatione recte dicimus, ex hoc fit hoc, non autem de omni Materia. Insuper, de eadem Priuatione sæpe vti valemus duobus loquendi modis, dicendo, ex hoc fit hoc, & hoc fit hoc, vt ex immusico fit musicus, & immusicus fit musicus, non autem de eadem materia, demum modus loquendi in obliquo magis congruit Priuationi, quæ est terminus a quo generationis, modus vero loquendi in recto, magis congruit Subiecto & Materiæ, quæ subiicitur & permanet. Altera differentia est: quia priuatio est opposita formæ non Materia. Tertia, quia Priuatio interit adueniente forma. Subiectum vero & Materia remanet, & redditur pars compositi. Quarta differentia est, quia Materia est magis hoc aliquid quam Priuatio: nam remanet & est pars compositi, cui competit, vt sit hoc aliquid. Quinta, Materia est principium geniti per se, Priuatio ex accidenti. Sexta, Materia est magis apta numerari inter ea quæ sunt, quam Priuatio. Septima, Materia & priuatio distincto modo conspirant ad rerum ortum, Priuatio vt terminus a quo, Materia vt Subiectum. Octaua, Materia sui natura formam appetit, non Priuatio. Nona, Materia est tanquam Mater & benefica; Priuatio machinatur maleficium, nam statim quod in aliquo imaginamur priuationem formæ eius, imaginamur eius interitum. Decima, Materia est mala, fœmina, & turpis ex accidenti, Priuatio autem per se, immo est ipsamet turpitudo. Vndecima differentia est, quia Materia ex se æterna est, & solum interit ex accidenti ob interitum Priuationis, Priuatio vero ex se interire dicitur, quatenus variatur non per aliud, sed per sui conditionem. Duodecima, Materia est Ens, & Substantia ex se, Priuatio, solum ex accidenti, vt materiam denotat in qua est. Hæ sunt differentiæ quæ ex primo Physic. eliciuntur, quæ vt clariores reddantur, considerandum est, quomodo priuatio ad potentiam, & materiam se habeat: Pro cuius explicatione dicendum, primo reperiri essentiam Materiæ, quæ est potentia, quatenus potentia est gradus & modus entis. Secundo, huic fundamento additur relatio ad formam ex qua relatione consurgit potentia extrinsecus considerata, nec nō priuatio quædam

Duodecim differentia Materia a Priuatione. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Nona.* *Decima.* *Vndecima.* *Duodecima.* *Vide pro his expositionem 62. cont. 1. Physic.*

vniuersa potentia quidem vt valens recipere, priuatio vero vt carens: & quia non diceretur carere nisi esset nata recipere, ideo potentia antecedit, quam comitatur Priuatio, adeo vt Priuatio pro suo esse absoluto non distinguatur a Materia, sed solum consurgat conditio propria, & distinctio, dum Materia refertur ad formam. Afficitur mox Materia affectionibus variis congruentibus variis formis, ex quibus consurgat Potentia propria, & proxima, necnon proxima & propria priuatio huius vel illius formæ, quæ potentiæ & priuationes incipiunt & desinunt. Potentia autem statuitur prior Priuatione, tum, quia magis indicat essentiam Materiæ, tum insuper, quia affirmat & ponit aliquid, Priuatio vero remouet. At dubitatur: quia potentia semper præsupponit priuationem, quod enim est potestate, priuatum est: quare Priuatio antecedit. Respondeo, Priuatio & potentia ita se habent, vt vnum exposcat aliud, secūdum originem tamē conditio propria potentiæ antecedit, & id quod ab ea præsupponitur est potius negatio, quam priuatio. Primo enim consideratur Subiectum nō habens formam, & valēs eam recipere, & cum non habeat, & valeat recipere, dicitur deinde priuatum, adeo vt negatio antecedat, cui succedit potentia, mox cōsurgit Priuatio. *Cur potentia sit prior.* *Dubitatio.* *Solutio.*

Explicato quomodo priuatio ad Materiam se habeat, sequitur considerandum quomodo sit principium generationis & interitus. Qua de re breuibus dico, transmutationem omnem exposcere duos terminos, a quo, & ad quem: & cum generatio sit maxima omnium transmutationum, ideo terminos exposcit maxime distantes & oppositos: maxima distantia & oppositio est inter esse, & non esse, & propterea Aristoteles in quinto Physic. ait, eam versari inter contradictoria: At quia non esse, & esse, sunt termini nimium communes, nec ex omni non esse, datur transitus ad esse, sed ex eo non esse, cui iuncta est Potentia & Priuatio, ideo iure Priuatio & forma statuuntur termini proprii generationis & interitus. Et recta ratione id fit: nam hæc est oppositio prima, quæ consideratur in Materia, ad quam cæteræ contrarietates rediguntur, & priuatio necessaria est pro appetitione formæ: recte itaque Priuatio statuitur terminus a quo, generationis, ad quem vero, interitus. Quæ Priuatio ad duo potest referri: primo, ad generationem, vt transmutatio est, secundo, ad rem genitam, dum refertur ad generationem, dicitur principium eius per se, nam tanquam terminus eam constituit, & sumitur in eius definitione, dum vero refertur ad rem genitam, dicitur principium ex accidenti, tum quia eius est principium, vt accidit Materiæ & necessaria est pro dispositione Materiæ: tum insuper, quia non remanet in re genita, nec eius est pars; Sed instabit aliquis: si Priuatio est principium ex accidenti, quomodo est necessarium, cum omne ex accidenti dicatur posse non esse, vt legitur in primo Poster. necnon in primo, & in octauo Phys. Respondeo, id quod est secundum accidens, quatenus tale est, posse non esse, at si particeps fuerit eius quod est per se, etiam reddetur particeps necessitate: Priuatio vt est secundū accidens, potest non esse, quatenus res genita ex ea non constituitur: at quia vt dixi modo aliquo est per se, ideo etiam dicitur principium necessarium. Priuatio partim redigitur ad formam, partim ad Materiam, ad formā, vt in secundo Physic. 15. quatenus modo aliquo disponit & format Materiam; ad Materiam vero, vt in primo Physic. dicitur eadem numero cum ea, quatenus est necessaria, vt sit apta recipere formam, & pro absoluto non distinguitur a materia. Priuatio numeratur inter principia tanquam distinctum aliquod, nō autem potentia, quoniam Priuatio ad ortum concurrit modo proprio & distincto ab aliis, nempe vt terminus a quo, Potentia vero non secus ac Materia, & ideo non numeratur *Quomodo Priuatio sit principiū generationis & interitus.* *Cur ortus & interitus versetur inter contradictoria.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Priuatio & ad formam & ad Materiam redigitur.*

Dubitatio. pro principio a Materia distincto. Sed oritur Dubitatio, quia Aristoteles in Post prædicamentis ait, a Priuatione ad habitum non dari regressum: quare male statuitur terminus a quo generationis. *Solutio.* Soluitur per duo fundamenta: primum est, quia Priuatio est duplex, vna in Subiecto in actu, vt cęcitas: Altera in prima Materia, & in Subiecto in potentia: prima euertit actum & facultatem: altera solū actum, & supponit facultatem: prima potest esse terminus ad quem, interitus: at non a quo ortus. Altera econtrario est terminus a quo ortus, non autem ad quem interitus: ideo prima dicitur Priuatio post formam: Altera antecedēs formæ. Alterum fundamentum est: quia a priuatione antecedente formæ, non dicitur dari regressus ad eam formam, sed progressus, non enim recuperat subiectum formam quam prius habuerit, & amiserit, sed eam recipit quam non habuit, & ad quam est potestate.

CAP. XV.

An Plato & Aristoteles de attinentibus ad Priuationem conciliari poßint

INVEHITVR frequenter in Platonem Aristoteles in primo Physic. tum quia Materiam a Priuatione non secreuit, tum insuper, quia Priuationem pro tertio distincto principio non numerauit. An autem iure id fecerit, considerandum occurrit. *Plotinus.* Plotinus En.4.lib.4.cap.13. & sequentibus asserit ex sententia Platonis, & propria, Materiam non distingui a Priuatione, & Aristotelem carpit, quia in primo Physic. dixit Materiam esse numero vnam, cum priuatione, specie vero, & ratione distinctam. Insuper addit, adueniente forma, priuationem non euanescere, sed seruari, cum seruetur potestas, & materia. *Aduersio.* Missas facio rationes eius, quia re vera leues sunt, & vnicuique licet in eo illas legere. Errat tamen Plotinus primo, non distinguens Materiam a Priuatione, quorum distinctio in præcedentibus est explicata. Secundo, perperam asserit Priuationem seruari adueniente forma, nam terminus a quo, non simul manet cum eo ad quem, cum sint oppositi, & præsertim quia termini transmutationis necessario distinguuntur a Subiecto, cum vnum oppositum non valeat recipere aliud. Insuper errat, quia considerabat Priuationē vniuerse sumptā, semper cum Materia iunctam, cum potius debuisset considerate priuationem illam, quæ aduenienti formæ opponitur, & proximum principium generationis costituit. Præterea eam communem Priuationem cum negatione confundebat, cum tamen negatio sit priuatione communior, vt vnà cum Alexandro, Themistius, & Simplicius declararunt. Demum minus recte Platonem tuetur, & Aristotelem carpit, quoniam dum accurate Platonis sententiam consideramus, inspicimus illum Materiam a Priuatione secreuisse, & litem inter illum & Aristotelem potius esse de verbis, quam de Sententia: *Litem inter Platonem & Aristotelem in verbis esse positā.* Nam Plato in Phedone, constituens terminos Ortus & interitus, non secus ac Aristoteles ait, cuncta fieri ex contratiis, & contraria constituit terminos transmutationis, quæ omnia contraria in formam & priuationem rediguntur tanquam in necessarios & per se terminos ortus & interitus. Præterea, distinctius idipsum in Lyside patefacit, in quo Dialogo referens requisita pro appetitione, ea nō secus ac Aristoteles in primo Physi. 81. asserit esse tria Appetibile, appetens, & oppositum appetibilis, quod Priuatio est: adeo vt conspicue patefaciat necessitatem Priuationis, & distinctionem

eius a Materia. Prætereain Phedone, Materiam ait esse hoc aliquid, & permanens, non autem ait esse priuationem, hinc Aristoteles in primo Physic.80.inquit, Platonem despexisse priuationem, quia machinatur maleficium, numerasse autem Materiam, quia est tanquam mater: quibus verbis fatetur Platonem distinxisse priuatione a Materia, neglexisse tamen proprium & distinctum modum quo ad generationem conspirat, quia videtur malefica. Re vera itaque Plato & Aristoteles non dissentiunt, nisi per modum loquendi, nam Aristoteles distinctius Materiam & priuationem explicauit, & priuationem numerauit inter Principia, quod non fecit Plato. nam Plato in Philebo, numerando principia non seorsum numerauit priuationem, sed dixit ea esse infinitum, denotando Materiam priuatione affectam, & terminum, denotando formam: demum cō ciliantur: quia materia & priuatio pro absoluto non distinguuntur, sed solum consurgit distincta ratio & formalitas, dum materia refertur ad formam, vt explicans primum Physicorum patefeci. *In expositione cōt. 62.*

Cap. XVI.

De variis materiæ notionibus & nominibus eius.

VT distinctius ad Materiæ descriptiones descendamus, de variis eius notionibus primo agendum est, omne subiectum primo in se est aliquid absolutum, mox refert ad aliud. Quare materia quæ Subiectum est, dupliciter potest considerari: primo in se & per prædicata absoluta, secundo cum relatione quadam, vt vna cum Alexandro, Themistius, & Simplicius in primo Physic. affirmarunt. Dum consideratur notione prima, ei competunt prędicata absoluta, & dicitur ens, substantia, bona, & vna, vt hæc conuertuntur cum ente, & est essentia quædam consimilis: in qua notione, etiam ei competit actus entis, & potentia sumpta pro absoluto, quæ est eius essentia. Nonnulli inficiātur hac prima notione Materiam dici vnam, & bonam: quia hæ sunt affectiones constituentes secundum modum per se: in prima autē notione solum Materiæ competunt prædicata per se in primo modo. At errant, cum enim ea prædicata reciprocentur cum ente, vt prima notione materia est ens, ita est vna, & bona: Ratio aduersa soluitur, tum quia illæ non sunt proprie affectiones, sed potius modi entis: tum insuper, quia in prima notione ei competunt nedum prædicata primi, verū etiam secundi modi per se, dummodo fuerint absoluta. Secundo, considerantur materia cum relatione ad aliud & hoc fieri potest quatuor modis: primo, per negationem, dum refertur ad decem Prædicamenta, per actum constituta, & dicitur nec quid, nec quale, &c. vt asseritur in septimo Metaphysicæ, contex. 8. Et hic modus satis est iunctus cum prima notione, quatenus de Materia in prima notione veræ sunt negationes, vt Alexander & Themistius affirmarunt: tamen quoniam hoc non fit sine aliqua comparatione & relatione, ideo modū hunc numeraui pro primo includente relationem. Secundo, consideratur Materia cum Priuatione communi, sequente conditionem suam, quatenus est nata consimiliter recipere formas omnes eiusdem gradus. Tertio consideratur cum Priuatione propria cōsurgente ex dispositionib. prædefinita forma. Quarto, vt actu formis variis est insignita. Quinque itaque sunt notiones Materiæ, sub duobus capitibus contentæ, quorum vnum est absolutum, alterum cum aliqua comparatione & relatione iunctum. Nonnulli viri docti inficiantur Materiæ competere notionem primam absolutam, cum putent id omne quod est,

Notiones materiæ. Notio absoluta. Sententia quorundam. Euersio. Actio cū relatione quadruplex. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Sententia quorundam. Euersio.

Sententia quorundam. habere ab alio: At decipiuntur: iam enim patuit materiam ex sui natura esse aliquid absolutum, & propterea notione absoluta concipi potest, vt Græci interpretes concordes asseruerunt. *Euersio.* *Aliorum opinio.* Alii inficiantur in prima notione ei competere potentiam; Qui etiam errant, nam in prima notione est ens, igitur vel actus, vel potentia: non actus, quare est potentia, sumendo potentiam pro absoluto, & pro gradu entis. *Euersio.* *Themistius.* Cum autem Materiæ duæ sint primæ notiones, sententia fuit Themistii in 1. Physic. ob eas formata fuisse duo nomina, Subiectum scilicet, & Materiam, quæ id habent commune, vt relationem includant: differunt tamen, quia Materia respicit futura, & competit Materię dum refertur ad recipiēdam formam, Subiectum vero denotat iam facta, & competit Materiæ formatæ, adeo, vt Materia recipiendo formam transeat in Subiectum. In prima autem notione, neutrum horum nominum ei proprie competit, cum ambo nomina denotent relationem, a qua prima notio materiæ est immunis: ea tamen notione rectius dicitur Subiectum, quia hoc nomen non respicit futura, sed iam facta, & præsentia. *Error interpretum.* Hæc est legitima sententia Themistii, vt legendi Græca eius verba redditur notum, quam tamen Hermolaus Barbarus perperam est interpretatus. Et eiusdem sententiæ fuit Alexander, vt refert Simplicius in primo Physic. 56. *Simplicius.* Simplicius tamē, ea de re secus sentit: inquit enim Materiā, in prima notione rectius dici Materiam, dum vero refertur ad formam, vel futurā, vel præsentem, rectius dici Subiectum, vel potestate, vel actu. Hæc fuit sententia Græcorum. *Sententia propria.* Putarem tamen ego, formata fuisse ea duo nomina, non ob varias notiones Materiæ, Materia enim quauis notione concipiatur, semper rectius dicitur Materia, sed formata fuisse ob duplex genus formarum, quod in ea recipitur nimirum Substantiæ, & Accidentium: nam Substantiæ est Materia, Accidentium vero Subiectū. Hinc sola accidentia proprie & absolute dicuntur esse in Subiecto. *Confirmatio.* Hoc confirmo: quia Materia parata est ob formam, & ideo ob varietatem formarum vario nomine denotatur. Hinc Aristoteles in primo de Ortu & interitu, cont. 24. dixit proprie materiam esse Substantiæ, mox cæterorum Prædicamentorum, & ob eandem rationem, Cœlum rectius dicitur subiectum, cum sit actu, quam materia: confundunt tamen ea nomina, & vnum frequenter pro altero vsurpatur. Propria autem eorum significatio distincta est: & quia Subiectum est notius, cū actu sit, ideo Materia per Subiectū definitur, & dicitur Subiectum primum. *Recessus a Themistio.* Recedo itaque a Themist. primo, quia non puto formata ea duo nomina ob duas notiones Materiæ, sed ob duplex genus formarum in quod dirigitur. Secundo, quia puto in quauis notione semper ei magis congruere nomen Materię quam Subiecti, etiam dum consideratur vt formata, & ob id veram non puto sententiam illam Boethi approbatam a Themistio, eam nō dici Materiam præsentis formæ, sed Subiectum, nam definitur Materia quod sit id ex quo inexistente res fiunt. Et propterea antequam recipiat formā, dicitur eius Materia potestate, cum vero eam susceperit, fit eius Materia actu. Tertio, dissentio, quia in prima notione minime proprie puto posse dici subiectū, sed rectius Materiam, quia Subiectum magis denotat id quod formatum est, & proximius est formæ accidentium, a qua materia in prima notione magis distat. Hinc Aristoteles decimo Metaphysicę, non de Subiecto, sed de Materia inquit, quod negatione cognoscitur, quę cognitio per negationem satis est iuncta primę notioni Materiæ, nam de materia seorsum a relatione ad formas cōsiderata, verę sunt negationes, nedum decem Prædicamentorum, sed etiam priuationis, & potentiæ relatæ, vt etiam vna cum Alexandro affirmat Themistius. Et dum dicimus

cimus de Materia in prima notione veras esse negationes, non ex eo inferendum est Materiam esse negationem, hoc enim falsum est, vt docet Aristoteles in septimo Metaphysicæ, contex. octauo, sed solum inferendum est de Materia ex sui natura veras esse negationes aliorum, veluti dicendo Materia non est sui natura Qualis, & non est sui natura non Qualis, nam si sui natura esset Qualis, vel non Qualis, nō posset cum altero eius opposito seruari, sic est media per negationem.

Cap. XVII.

De Materiæ circumscriptionibus.

Explicatis variis Materiæ notionibus, sequitur vt de eius Definitionibus, siue potius circūscriptionibus verba faciamus. Quatuor sunt præcipui modi, quibus Materia apta est circumscribi: primus est, per negationem: alter per potentiam & communem priuationem, tertius per Analogiam & Metaphoram, quartus, per nomina, ex variis eius conditionibus sumpta. Dum primo consideramus quid Materia non sit, oritur circumscriptio per negationem, de qua inquit Aristoteles in calce decimi Metaphysicæ, Materiam negatione cognosci, & in septimo Metaphysicæ, cont. 8. eam circumscribens, inquit esse id, quod nec quale, nec quantum, nec aliquod cæterorum Prædicamentorum est, & considerandum quod extrema ea sunt, quæ recte per negationē cæterorum definiuntur, extremæ autem sunt, Deus & Materia, ideo hæc duo præsertim definiuntur negatione: id tamen ita fit, vt loquendo de Deo, pateat præstantia eius, quia de eo addimus, quod sit aliquo eminentius: nam dicimus, Deus non est Elementum, sed aliquid eminentius, non cœlum, non Angelus, sed aliquid supra hæc. De Materia vero indicamus imperfectionem, quia subintelligimus vel addimus quod sit aliquid humilius, dicendo quod sit infra, & potestate: sic dicimus quod sit id vltimum, quod remanet, remotis imaginatione cunctis formis, & vt legitur quarto Physic. contex. 15. cum ex spęra terminus & affectiones remoueantur, relinquitur nil præter Materiā. Definiri potest secundo, per communem potentiam & priuationē, & tunc dicitur commune subiectum aptum fieri omnia, quod sit mediū inter non esse penitus, & esse actu, vt asseruit Auerroes in primo Physi. 70. & 78. Quod sit subiectum indefinitum, aptum a forma recipere terminos. Quod sit exemplar Diuinitatis expers, eiusque capax, vt Plato enūciauit. Tertio, inquit, Aristoteles in primo Phys. 69. Materiam nosci per Analogiam, hoc est per similitudinem variarū rationum, quæ Analogia ex variis peti potest: Plato in Timeo eā desumsit ex Loco, inquiens: quod Materia est Locus, qui nunquam interit, & omnibus quę fiūt sedem exhibet: insuper, eam sumsit ex nutrice, ex fœmina, & ex aliis. Aristoteles in primo Physic. eam sumpsit ex Materia rerum, quæ arte constant, inquiens, Materiam esse id Subiectum, quod perinde se habet ad ea quæ natura constant, ac Materia Arte constantium, ad artificiosa: Sic Analogia peti potest ex Silua, ex fece, & ex aliis similibus. Definitio autem ex Analogia deprompta dicitur tradita per Metaphoram: quia primo consideratur ratio, secundo Analogia, tertio commutata proportio, quarto Metaphora. Demum circumscribitur per conditiones, affectiones, & effecta eius, & præsertim per transmutationem. Sic definitur in primo Physic. 82. quod sit subiectum primum ex quo inexistente ea fiunt, quæ gignuntur, & in quod vltimo per interitum resoluūtur. In secundo autem Physic.

Quatuor modi circumscribendi Materiā.

Modus primus per negationem.

Modus secundus per communem potentiā.

Modus tertius per Analogiam.

Modus quartus.

28. Definitur per solum Ortum, dicendo, esse id ex quo fit aliquid, cum insit, & iure definiri potest per solum Ortum, dimittendo interitum: quia Ortus est id, quod ex se optatur a natura, non interitus. Aristoteles in quinto Metaphysicæ, context. 4. definiens Elementum, inquit: esse id ex quo res primo componitur, & est in ea indiuiduum specie, in aliam speciem. Quæ Definitio distincta ratione & primæ Materiæ, & quatuor corporeis Elementis competit, non autem soli primæ Materiæ, vt censuit Scotus, nec solis corporeis Elementis, vt putauit Card. Contarenus in lib. de Elementis. Insuper, definitur ab Aristotele in primo de Ortu & interitu 54. quod sit commune Subiectum oppositorum, se habēs vt genus. Dum tamen eam consideramus vt commune & necessarium principium generationis rerum, non recedendo ab Aristotele, ita definiendam putatem. Materia prima, est primum Subiectum, ex quo inexistente res Physicæ fiunt, & in quod vltimo resoluuntur Dei Prouidentia paratum, pro æterna eorum successione, quæ numero æterna seruari nequeunt: Materia autem Cœli est Subiectum simplex, non egens forma vt actu sit, vitam recipiens a separato motore, terminatum figura orbiculari, natum moueri semper in orbem.

Elementum. *Definitio propria.* *Materia Cœli.*

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De prima rerum Natura constantium Materia.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

De variis Materiæ conditionibus.



DECVRSIS principalioribus capitibus eorum quæ attinent ad quæstiones simplices Materiæ, explicanda modo se offerunt attinentia ad quæstiones compositas, de quibus vt distinctius agamus, referendæ sunt primo affectiones variæ eius, & conditiones. Porphyrius in lib. de occasionibus, has esse inquit affectiones Materiæ, vt sit incorporea, vitæ expers, informis, permutabilis, infinita, impotens, verum non ens, imago molis, appetitio substantiæ, stans, non in statu, & similes. Vt autem distinctius conditiones & affectiones eius intueamur, comparare eam debemus cum forma: cum enim inuicem referantur, & Materia noscatur per formam, per mutuam comparationem clarius refulgent: Forma est gradus Entis supremus, Materia infimus, ea actus, hæc potentia. Forma alteri inest, aliudque sibi subiicit, Materia subiicitur & substernitur. Forma est perfectio, & terminus, Materia id quod perficitur & terminatur. Forma opponitur priuationi, Materia

Affectiones materiæ. Porphyrius. *Comparatio Materiæ cum forma.*

Materia est media, & seruatur cum vtrisq;, Forma cum sit terminus generationis variatur, Materia seruatur eadem, forma est contraria formæ, Materia nulli est contraria, sed campus est litis, & contrarietatum. Insuper quia Forma est Actus, origo est effectionis, Materia potentiæ & perpessionis, & ob id Forma valet mouere facultatem cognoscendi, eamque formare, Materia nec mouere, nec formare valet, & propterea dicitur ignota, & sensum fugiens, cum tamen omne sensibile fit in Materia, vt dicitur in primo de Cœlo, & obiectum intellectus sit quidditas Materiata, quod propterea euenit, quia etiã facultas hominis, cognoscens est cum corpore, & Materia iuncta. Insuper, Forma est cornu copiæ, bonũ, & optabile, Materia semper est cornu inopiæ, & tanquam fœmina id optat & quærit a quo perficiatur, Forma ita est pars corporis Physici, vt aliqua ratione sit totum, dicitur enim totum id quod res est, Materia contra, ita est pars vt aliqua ratione sit nihil, nil enim propriæ Naturæ rei adest, antequam adueniat forma, vt dicitur in secundo Physic. context. 11. Hinc etiam in secundo Physic. 31. Materia dicitur pars, Forma vero compositio, & totum. Insuper forma & actus est verè vnum, & vnius causa, vt dicitur in secundo de Anima context. 7. Materia vero est binarium, potestate multiplex, & multitudinis origo. Præterea, Forma est finis, cuius gratia parata est Materia, Ex aduerso, Materia dicitur causa sine qua non, necessaria pro fine, ordinataque in illum. Forma est differentia contrahens, Materia vero tanquam genus quod contrahitur, Formæ non repugnat seorsum a Materia seruari, vt patet de seiunctis formis, Materiæ autem repugnat; Formæ formosum ordinem in vniuerso constituunt, Materia informis, expers distincti ordinis, subiacet, Cum autem materia huius sit conditionis, iure optimo ob priuationem ei iunctam redditur origo senii, imbecillitatis, multitudinis, infiniti, interitus, vitii, mali, turpitudinis, monstri, contingentiæ, casus & fortunæ, obliuionis, & inscitiæ, & hæc competunt Meteriæ: quia cũ sit infima eorum quæ sunt, complicata est cum Priuatione, & non ente, & propterea vt ex se est ens, ita est initium ortus, subiectum formæ, Natura, & pars Compositi; ob non esse vero cum ea iunctum, est origo senii, interitus, & malorum, & ob id Arist. in primo Phys. 81. dixit Materiam malam, turpem, & fœminam ex accidenti, non autem per se vt male putarunt qui eam a Priuatione non secreuerunt.

Pars est totum.

Cur materia origo imbecillitatũ.

CAP. II.

An Materia sit nata per se intelligi.

CVM Materia sine sensu sentiri, & adulterina cognitione dicatur percipi, vt legitur in Timeo, iure de ea quæritur, an sit apta per se intelligi. Et quoniam esse aptum per se intelligi contingit dupliciter, vel quia valeat suo Phantasmate Mentem mouere, vel quia saltem propria notione eam valeat formare, adeo vt iudicium Mentis in eam desinat, de vtraque notione est dubitatio. Qua de re tres sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media. Veteres putantes materiam primam esse vniuersam rerum essentiam, & esse actu, etiam putarunt eam posse mouere & formare Mentem: sed quoniam eorum sententia a Pythagora, Platone, & Aristotele, iam diu explosa est, ideo ea neglecta, opiniones alias perpendamus. D. Thomas putat eam nullo pacto esse aptam per se intelligi. Scotus se medium constituit, inquiens eam non posse mouere suo Phantasmate Mentem, sed propria notione illam formare, in quam desinat iudicium Mentis. Cuius-

Per se, intelligi dupliciter.

Opiniones tres.

Prima Veterum.

Secunda D. Thomæ.

Tertia Scoti. Rationes pro opinione Scoti.

Sentētia variis rationibus ab eius assectis cōfirmatur: & primo. Quod per se est, natum est per se intelligi: Materia per se est, quare est nata per se intelligi: Minor patet ex præcedentibus. Maior ostenditur, quia res vt se habent ad esse, ita ad cognitionem, ex 2. Metaphysicæ. Hinc ens statuitur obiectum Mentis. Præterea, quod non est aptum per se intelligi, non accipitur in eorum Definitioni-
1 bus quæ per se intelliguntur, non enim id quod est per se, pendet ex eo quod est
2 ex accidenti: at Materia sumitur in Definitionibus rerum natura constantium, quæ per se intelliguntur, igitur ea quoque est apta per se intelligi. Insuper, id de quo vera sunt prædicata, nata per se intelligi, est aptum per se intelligi: de Materia vera sunt hæc prædicata, quod sit ens, sit substantia, quę nata sunt per se intel-
3 ligi, quare ea quoque debet iudicari talis. Præterea, Materia suo proprio nomine denotatur, definitur, attinet ad scientias inspectrices, quæ ei non compete-
4 rent, nisi esset apta per se intelligi. Demum, quod in Deo modo diuino includitur, natum est per se intelligi. nil enim in Deo est, quod per se intelligi non sit a-
5 ptum, cum Deus sit eminentissimè intelligibilis. Materia in Deo includitur, cum recedat a non gradu entis, & Deus includat vniuersam eius quod est latitudinem. Et addebat Scotus in secundo Senten. distinctione 12. Materiæ in Dei

Scotus. Mente, Ideam respondere, Idea enim vel est obiectum in esse cognito, vel ratio cognoscendi, vel ratio per quam cætera imitari valent essentiam Dei in de-

Themistius. finito gradu, & quouis modo vsurpetur, semper competit Materiæ Idea. Confirmatur eadem sententia auctoritate Themistii, asserentis, in primo Physicorum, materiam secreta omni forma posse notione prima intelligi, quamuis

Rationes pro parte aduersa. cum difficultate. Ex aduerso autem ratio, auctoritas, & experientia opposi-tum nobis patefaciunt; nam quamuis concesserim Materiæ competere actum præsentiæ, & eius quod est, illum tamen non iudico esse talem, vt valeat propria notione formare mentem: quod ostendo, & quoniam ab omnibus Academicis, & Peripateticis conceditur, Materiam non esse aptam mouere Men-

Ratio. 1. tem, quia hoc est officium formæ, in eo solo versabor vt ostendam, quod non valeat per se propria notione mentem formare, adeo, vt in eam per se desinat iudicium Mentis; Et primo: quod est proprium formæ, non est tribuendum materiæ, at formare propria notione mentem, est proprium formæ, quod ostendo: quia recipi in alio, terminare, & formare aliud, est proprium

Ratio 2. formæ, hinc Aristoteles in tertio de Anima, contex. sexto, dixit Mentem esse locum formarum. Confirmatur, quia sicut sensus in secundo de Anima, dicitur suscipere species sine Materia, ita longe magis Mens, non Materiam, sed species dicitur recipere, cum Magis a Materia abstrahat. Ideo Aristoteles in tertio de Anima 38. manifestans quomodo Anima fiat omnia, inquit: Non lapis in Anima est, sed eius forma, ideo Men dicitur species specierum, & sensus species sensibilium, vt manus organum organorum, conspicue Arist. formam nō materiā ait formare Mentem Hic actus ad formam pertinens, dicitur ratio intelligendi
3 & cognoscendi, & quidditas materiata constituitur per se obiectum Mentis. Præterea, Aristot. in contex. nono, tertii de Anima, loquens de aptis intelligi a
4 Mente, numerat carnem, & esse carni, compositum scilicet & formam, non autem numerat Materiam. Insuper, in tertio Physicorū cap. de infinito, infinitum
5 dicitur secundum se ignotum, at Materia est quoddam indefinitum, termino carens, & origo infiniti, quare ne dum ex se est ignota, verum insuper est origo inscitiæ cæterorum. Præterea, cognoscere aliquid per se, est cognoscere quid est, quare vt res se habet ad quid est, ita putandum est se habere ad cognitionem:

Materia non est pars, sed vehiculum ipsius quid est, vt asseritur in calce secundi Physic. quare ea non est apta per se intelligi, sed esse vehiculum formarum quæ per se intelligi aptę sunt. Propterea Plato in Timeo & Academici omnes, inficiantur materiam per se intelligi; Platonem sequitur Aristoteles, qui nunquam dixit eam intelligi per se, sed vel esse ignotam, vel intelligi per negationem, vel per Analogiam. Græci interpretes id ipsum affirmant: & quãuis Themistius asseruerit Materiam posse apprehendi notione prima seorsum ab omni relatione, non ob id dixit eam ita per se intelligi, vt notione propria valeat formare mentẽ, sed solum quatenus per prædicata nonnulla communia quæ sunt ab vno circũscribi valet. Præterea id quod dicitur a Scoto, quod Materiæ in Dei mente Idea propria respondeat, verum non puto: nam Ideæ nomen denotat speciem quæ forma est. Hinc Plato magnus Idearum assertor & propugnator, & cum eo Academici omnes, non Materiæ, sed solum formæ approbatunt Ideas, & Aristoteles quoq; in 2. Physi. 28. Ideam redegit ad formam, inquiens, formam, & exẽplar constituere vnum genus causæ. Et confirmatur: quia Idea est quid completum, & definitum, soli rei perfectæ & in specie constitutæ competens, qualis nõ est Materia. Demum Ideæ sunt vere intelligibilia, Materia autem a Platone solum adulterina notitia vix percipi dicitur.

Materia Ideam non respondere.

Cap. III.

Resolutio difficultatis: an Materia sit apta per se intelligi.

Pro exacta resolutione propositæ difficultatis, prænoscendi sunt modi, quibus Materia cognoscitur: qui hunc in modum rediguntur in ordinem. Materia cognoscitur vel per negationem vt dicitur in decimo Metaphysicæ, 24. vel per positionem & affirmationem, qui secundus modus vel ei competit sine relatione, vel cum relatione: si sine, vel id fit per priora, vel per posteriora, per priora principia nosci non potest, cnm sit simplex, & principium primum, solum id fieri potest per prædicata communia, & absolute dicendo quod sit Ens vel Substantia. Si noscitur per posteriora, ea vel sunt composita vel operationes, si composita, noscitur per eorum resolutionem, si fuerint operationes, Transmutatio dicitur nos ducere in notitiam Materiæ. Si vero noscitur per relatiọnẽ, ea vel est pura & simplex relatio, sic materia noscitur per formam ad quam refertur: Si vero non fuerit simplex relatio, sed similitudo plurimum rationum, tunc nosci dicitur per Analogiam, quæ Analogia ex variis accipi potest, vt ex loco, ex silua, ex matre, ex fœmina ex Protheo, & similib. præsertim tamen & aptissime sumitur ex arte constantibus, vt patefecit Aristoteles in primo Physicorum 69. Ex his colligo varios esse modos quibus materia apta est cognosci. Insuper pro resolutione difficultatis duas profero Cõclusiones: prima est Materia cognitione incomplexa non est apta per se intelligi, nec ita, vt mouere valeat, nec ita, vt valeat formare Mentem, terminando actum intelligendi. Altera est: Materia cognitione complexa nedum manifestari potest per prædicata relata, verum etiam per absoluta, dicendo quod sit ens, & substantia, & hoc indicauit Themistius in sua digressione, vt dixi in præcedentibus. Prima 2 assertio conspicua est per dicta in calce præcedentis cap. & eam frequenter approbauit Auerroes, & præsertim in primo Physicorum 69. in 12. Metaphysicæ, 14. & alibi, Nec difficile est rationes aduersas diluere. dicebatur primo, Materiã esse aptam per se intelligi, cum sit per se ens. Respondeo, per se natum intelligi,

Modi quib. Materia noscitur. *Per negatione.* *Per priora prædicata cõmunia, & absoluta.* *Per posteriora cõposita.* *Per trãsmutationem.* *Per resolutionẽ.* *Per Analogiam.* *Conclusio 1.* *Diluuntur rationes aduersa.*

Solutio 1. duplex esse, vel per se, hoc est per prædicata absoluta, ei per se competentia, non per aliud, & ita concedo Materiam nosci, & hoc ostendit ratio, vel per se: quia valeat formare mentem, & esse per se terminum actus intelligendi, & ita nego Materiam per se intelligi. At addebatur, vt res se habet ad esse, ita ad cognitionem, concedo: Materia est ens absolutum & per se, ideo per prædicata absoluta cognoscitur, at nō est ens qui sit actus formalis, ideo nō potest nosci eo cognitionis genere qui huiusmodi actui congruit, est ens cui repugnat existere seorsum ab actu & forma, ideo ei repugnat ita nosci. Dicebatur secundo, quod non est aptum per se intelligi, non accipitur in eorum definitione quæ per se intelligi apta sunt. Respondeo, in eis non accipi vt principale & primo declarans; sed vt iunctum cum eo, ideo inquit Arist. in secundo Physicorum contex. vltimo, Materiam accipi in Definitione, tanquam vehiculum Definitionis. Addebatur materiam suo nomine denotari, definiri, ingredi scientias. Respondeo, hæc ei com-

Solutio 2. perere modo illi consentaneo & iam explicato. Præterea, etiam inane, & infinitum denotantur nomine, definiuntur, & considerantur in scientiis, cum tamen non sint. Insuper dicebatur: omne quod includitur in Dei mente est aptum per se intelligi. Respondeo, esse aptum per se intelligi, vt in ea includitur, in ea au-

Solutio aliorum. tem sunt Materiata sine Materia, Contraria sine Oppositione, Mortalia modo Diuino, inchoata cum perfectione, & demum secundum eminentiam, non autem in Dei Mente locum habet distincta Materiæ Idea, vt patefeci. At dicet aliquis, cum Materia noscatur per prædicata absoluta, & ea sint apta per se intelligi, est necesse, vt etiam Materia sit apta intelligi per se. Respondeo ea prædicata absoluta, non sunt vniuoca, & ob id non sunt natura vna in cunctis eadem, sed sunt ab vno, quorum conditio propria in cunctis est varia, & in talibus primo apprehendimus principale, & per illud cum quadam translatione cognoscimus alia, & propterea nec Ens, nec Substantia sunt toto genere nata per se intelligi, & cognitioni absolutæ materiæ semper antecedit cognitio aliqua cum relatione, ob quam dicitur nosci per aliud.

CAP. IV.

An Materia per absolutam Dei potentiam valeat seruari seorsum a Forma.

Non est dubitatio per Aristotelem an materia seruari valeat sine forma. VT distincte percipiamus attinentia ad propositam difficultatem, prænoscendum est, hac de re ex Sentētia Arist. nullam esse dubitationē: ipse enim solum nouit modum operandi Dei per intermedias secundas causas, & per naturam, de quo omnes consentiunt, non posse materiam seorsum a forma existere, & seruari: non autem nouit modum alterum operandi absolutū, de quo recte Theologi inquiunt, quæ potest facere Deus per causas secundas, potest & sine eis, & de hoc est dubitatio. Insuper, dum hoc quæritur, præsupponitur Deus immensi roboris, & cum valeat efficere omnia quæ sub potentiam cadunt, de

De quo sit dubitatio. hoc tantum est dubitatio, an dicere Materiam seruari seorsum a forma includat contradictionem, necne, nam si includit contradictionem, nō cadit sub potentiam: Si vero eam non includit, inferendum erit per absolutam Dei potentiam

D. Tho. Scotus. id posse fieri, & de hoc solum, per principia Peripatetica disputare valemus an includat contradictionem, vel ne. Qua de re duæ sunt opiniones. D. Thom. existi-

existimat id includere cõtradictionem: Scotus vero ob actum entitatiuum quẽ *D. Thomas.*
ei tribuit, id renuit, & ob id asserit per absolutam Dei potentiam posse seruari
seorsum a forma. Pro qua opinione variæ & hæ præsertim possunt afferri ratio- *Scotus.*
nes,, & primo: Magis pendent accidentia ex Substantia & suo Subiecto, quam *Ratio 1.*
materia ex forma, sed ea in Sacraméto Altaris seruantur sine Subiecto, quare &
Materia sine forma. Accidentia magis pendent, quia accidentis esse est alteri in- 2
hærere, tum insuper. quia sunt posteriora Substantia: Confirmatur: quia absolu-
tum distinctum & prius alio, potest sine cõtrouersia seruari seorsum ab eo, ma- 3
teria comparata cum forma est huiusmodi; Insuper quodcunque Deus efficit
per intermedias causas secundas, potest efficere sine eis, dum non sunt essentia 4
illius, at forma est causa secunda, quæ non est essentia Materiæ, quare &c. Præ-
terea, ablata forma a Materia cui altera non succedat, vel Materia interit, vel ser-
uatur, non est dicendũ quod intereat, quia est æterna, & præsertim, quia si inte-
riret, vel transiret in nihil, vel in aliquid, nõ in aliquid, quia est simplex, si in nihil,
hoc fieri non potest per naturã, sed solum per absolutam Dei potentiam, & nos
supponimus Deũ velle seruare Materiam: si alterum eligis, id est quod volumus. 5
Præterea, quod Deus sine medio valet creare, etiam sine medio valet seruare, si- 6
ne intermedia forma creauit materiã, quare sine ea valet illam seruare. Insuper,
quęcunq; ex accidenti connectuntur valent secerni, Materia & forma nectũtur
ex accidẽti, quod ostendo: nam quæ sibi exposcunt genus aliquod, etiã exposcũt
speciem & definitum indiuiduũ, at Materia nullam sibi definitam formã expo-
scit, quare nec formã. Quod .n. contingenter se habet ad singularia, contingẽter
etiam se habet ad speciem, & genus eorum, his vel similib. rationib. Scotus in 2. *Scotus.*
Sen. d. 12. q. 2. asserit per absolutam Dei potentiam posse materiam seruari sine *Philopõ.*
forma; Eiusdem opinionis visus est fuisse Philoponus, qui exponẽs cont. 51. pri-
mi Phys. inquit: Quãquam Materia nunquam sit sine forma, tamen ea est natu-
ra prior, nam Materia sublata aufertur forma, non vice versa, valemus .n. cogita-
tione secernere formas a Materia & intelligere eam subsistere cum non egeat
Subiecto vt sit, formã autẽ neque cogitatione potest per se subsistere, & esse si-
ne materia: & si particulares res Deus produxit, constat, quod tunc præexistebat *Alexander.*
Subiectum. Idipsum quoque videtur asserere Ale. in 1. de Anima c. 2. Ex aduer-
so tamen actus præsentiæ materiæ nõ videtur tãti momenti; vt ob illum materiæ *Sententia aduersa.*
non aduersetur seruari sine forma, & quod id controuersiam includat, ostendo,
& primo, seruari seorsum ab altero, est illud actu existere sine altero, actu au- *Ratio.*
tem existere est munus formæ, & includit formalem actum. Propterea Auerr.
2. Physic. 12. & 3. Cœli 29. dixit. Si Materia existeret sine forma, quod non est
actu, esset actu, est instantia de Cœlo; quod est corpus simplex, & subsistens. *Instantia.*
Soluitur, quia Cœli Materia varia est, nam est Materia actu proportione re- *Solutio.*
spondens Elementis compositis, in Cœlo enim inueniuntur iuncta, quæ in *Ratio 2.*
mortalibus sunt seiuncta. Præterea si Materia existeret seorsum a forma, ea es-
set natura aliqua absoluta & completa definitæ speciei, & non esset, esset qui-
dem: quia quæ in vniuerso subsistunt, sunt indiuidua alicuius speciei, at Mate-
ria cum sit potestate, est solum inchoatio quædam, & non est quid, nec qua-
le, nec quantum, cum tamen omne quod in vniuerso est aptum seorsum existe-
re, aliquid eorum sit. Præterea, tunc Materia esset, & non esset Materia, esset 3
quidem per asserentes eam seruari: non esset autem. quia vt inquit Auerro. in
8. Physic. context. 4. si materia esset immunis ab omni forma, non posset esse
Subiectum motus & mutationis, quod est proprium Materiæ, nam potentia

proxima per antecedentem formam constituitur. Praeterea, vt ex ratione Arist. in primo de Ortu & interitu 27. Si Materia reperiretur seorsum a forma, ea esset in loco, & nō esset: non esset, quia mole careret: esset autem, quia quod generatur ex ea, in loco est. Insuper, ea esset extensa, & non extensa: esset extensa, quia vt legitur in 4. Phys. 15. Materia est effusio & extensio quaedam, distincta a magnitudine, quę superficie & terminis circumscribitur. & est tanquā inane quoddam, vt elicitur ex eodem 4. Phys. 79. & 81. Ex aduerso non esset extensa: quia nō esset quanta, & ita daretur interuallum sine interuallo, dimensio, sine dimensione, tanquam separabile vacuum: ideo inquit Arist. in primo de Ortu & interitu 39. illud autem cuius haec sunt extrema, materia est, quę sine affectione non valet existere, neque sine forma. Et re vera imaginari non valeo, quid nam esset haec Materia seorsum a forma, & quomodo existeret. Hinc inter Miracula Dei nunquam hoc legitur, vt Materiam sine forma seruauerit: Quae sit tamen absoluta veritas, Deus scit, cui me subiicio.

Conclusio.

Cap. V.

Diluuntur aduersae rationes.

Solutio primae rationis. Rationes quibus ostendebatur Materiam posse sine forma seruari facile diluuntur. Dicebatur primo Accidentia magis pendere ex substantia. Respondeo, ea magis pendere secundum esse absolute, at non secundum actum existendi, qui est proprius formae. Insuper, accidentia pendent ex substantia in genere materiae, non formae, Deus potest supplere sua potentia munera Materiae, at non formę, cum hoc fieri nequeat sine controuersia. At addebatur, quod accidentis esse est alteri inhęrere. Respondeo, debere inhętere alteri quo necessario eget, nisi aliud eminentiori virtute suppleat attinentia ad id, seruando accidentia sine Subiecto, quibus per se competit, vt sint apta alteri inhęrere. Addebatur absolutum & prius posse sine altero seruari, quod non attinet ad essentiam eius. Respondeo, materiam considerari posse & secundum esse absolu-

Diluitur 2. te, & secundum actum existendi, prima consideratione est prior, altera est posterior forma, ideo non eget forma vt sit, sed vt actu existat. His addo non semper vnum absolutum & modo aliquo prius posse seruari sine alio, nam animal sine aliqua eius specie, & species sine aliquo indiuiduo seruari non potest, & vt repugnat dari genus sine aliqua specie, ita repugnat actu existere Materiam, quae dicitur genus, sine forma quae est eius species.

Solutio 3. Addebatur ablata forma a Materia cui altera non succedat, vel Materia seruatur, vel ne. Respondeo, hanc rationem petere in principio: nā hoc est id de quo est dubitatio, an possit forma aboleri, cui altera non succedat. At dices, forma per Dei potentiam potest in nihilū redigi, vt ex nihilo potest Creari. Respōdeo redigere formam in nihilum, est vna quoq; in nihilum redigere Materiā eius quod diuinae potentiae non aduersatur, vt enim concreata fuit materia cum forma, ita vna in nihilū redigi potest.

Solutio 4. Addebatur id quod Deus sine medio valet create, etiā sine medio valet seruare. Respondeo, sine medio Deus constituit esse Materię, at per mediam formam ei tribuit vt actu existat in vniuerso. Dicebatur Materiam cum forma ex accidenti necti. Respondeo, in ratione includi deceptionem a seiunctis ad coniuncta, non n. sequitur, Locus potest esse sine hoc definito copore, & sine illo, igitur absolute sine corpore: nam Materiam exposcere formam contingit dupliciter: vel definite, vel indefinite sumptam, non exposcit formam definite sumptam, sed indefinite,

definite, veluti etiam species vt sit in vniuerso, non exposcit aliquod definitum particulare, cum tamen particulare aliquod exposcat indefinite sumptum. Afferebatur sentētia Philop: quam ego missam facio, quia multa dicit de prima Materia, & præsertim in disputationibus contra Proclum, quæ ego valde dubia iudico, ne dicam falsa.

Cap. VI.

An Materia sit vna, rationes pro vtraque parte.

DVm principale latet, ea quoque obscura sunt, quę cum eo nectuntur: Quęri de Materia solet, an sit vna vel multiplex, & si est vna, quomodo sit vna. Dubitatio est de materia prima rerū natura constantiū. Qua de re opiniones varię sunt, nonnulli enim eas putant innumeras, alii vnam, nonnulli plures vna. Innumeras eas dixere Democritus, Leucippus, & Epicurus, qui Materiam putarunt innumeras Atomos. Similiter Anaxagoras qui Materiam dixit innumera mixta similium partium, in Chao confuse inclusa, plures & finitas existimauit. Empedocles, qui quatuor corporea Elementa dixit materiam rerum. Similiter Parmenides constituens ignem & Terram, vnam asseruere. Hesiodus, qui Terram, Thales, qui Aquā, Diogenes qui aerem, Heraclitus qui Ignem, Anaximander qui intermedium quoddam asseruit esse Materiam. Sed quoniam horum Sententiæ iam sunt explosæ, quid senserit Arist. perquiramus. Philosophi qui Aristotelē præcesserunt, materiam Cœli ab ea mortalium non secreuerunt, Arist. fuit primus qui referente Porphyrio in lib. de abstinentia ab esu carniū, eam existimauit distinctam, nunc autem sermo est de Materia mortalium, quæ primo intuitu videtur nō vna, sed multiplex: Prima, quia Materia refertur ad formam, & alterius formę altera est Materia, vt dicitur in secundo Phys. 26. at formę sunt multæ, quare etiam Materiæ. Præterea, ad mouendum & agendum non satis est vnum, sed pro variarum rerum ortu plura requiruntur efficientia: quare neque ad patiendum satis est vnum: Deducitur consequutio, tum quia inuicem referuntur, tum insuper, quia agens agit in contrarium, & patitur a contrario, vni autem vnum est contrarium. Præterea, si Materia esset vna numero, cuncta quæ ex ea fierent, essent vnum numero: deducitur consequutio per Aristotelem in 5. Metaphysicæ, 12. dicentem, vnum numero id esse, cuius Materia est vna. Insuper vnum non est origo multitudinis, Materia est origo multitudinis indiuiduorum, quare non est vna numero. Maior patet, quia quod pendet ex vno, vt vnum est, etiam dicitur esse vnum. Minor est Arist. 12. Metaphysicæ, 49. & primo Cæli, 91. dicentis, omnia cum Materia iuncta, vel esse plura, vel esse apta multiplicari. Confirmatur, quia vnum numero non potest in multis reperiri, Materia reperitur in multis, nedum numero, sed etiam specie, & genere distinctis, materia enim est principium omnium decem Prædicamentorum, vt asseritur in 12. Metaphysicæ. Præterea, si omnium esset eadem Materia, tunc ex quouis posset fieri quoduis, quod falsum asserit Arist. in primo Phys. disputans contra Anaxagoram. His & similibus rationibus posset aliquis suspicari, materiam non esse vnam. Ex aduerso Aristo. in primo Phys. 56. Materiam asserit vnam, inquiens, ad patiendum satis esse vnum, & si duæ essent primæ Materiæ, duæ essent primæ contrarietates, quod est absurdū. Præterea, in primo de Ortu & interitu 43. inquit, hoc recte dixit Diogenes, nisi ex vno essent omnia, non inuicem agerent & paterētur. Præterea, quę inuicem permutantur, prædita sunt cōmuni Subiecto, mortalia inuicem permutantur, quare communi Subiecto prædita sunt. Maior

Opinio Democriti & Anaxagoræ. *Opinio Empedoclis.* *Opinio 3.* *Dubitatio prima.* *Materia mortalium an sit vna.* *Quod nō, ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Rationes quod vna sit.* 1 2 3

patet: quia pro permutatione requiritur Subiectum aliquod manens idem sub
4 vtroque termino Insuper si Materiæ mortaliũ essent multæ, vel essent subordi-
5 natæ, vel distinctæ penitus: si subordinatæ, omnis ordo exposcit vnum primum.
6 Si distinctæ penitus, nulla earũ essent absolutè prima, sed solum in aliquo gene-
re. Confirmatur: quia omnis distinctio est per actum, & formam, Materia au-
tem potestas est. Præterea, si primæ Materiæ essent plures, vel cuncta ex quauis
earum gigni possent, vel quædam ex vna, alia ex altera fierent; si primum, tunc
altera erit redundans, si alterum eligis, nulla earum erit commune principium.
7 Insuper, vt se habet de prima contrarietate attinente ad Materiam, ita de Mate-
ria se habere putandum est, omnis enim prima contrarietas Subiectum vnum
exposcit, contrarietas prima in quam cæteræ rediguntur, vnica est, forma & pri-
8 uatio: quare etiam prima Materia iudicanda est vna. Demum vt se habet de pri-
mo agente, ita de primo patiente putandum est se habere: primum agens est v-
num, in quo cuncta dicuntur includi actu, hoc est virtute producendi, quare si-
militer primum patiens statui debet vnũ, in quo cuncta sint potestate, ideo Stoi-
ci & Manichæi hæc duo dixere prima principia rerum, Materiam, & Deum.

Cap. VII.

Resolutio difficultatis per varias distinctiones, & Conclusiones.

Vnum multipliciter.
Vnum numero multiplex.

DVm quæritur an Materia prima mortalium natura constantium sit vna,
prænoscendum, quod Vnum multipliciter vsurpatur. Nam primo datur V-
num numero, specie, genere, & Analogia, vt legitur in 5. Metaphysicæ. Insuper
Vnum numero etiam est multiplex, & præsertim triplex, primò per negationẽ,
quia non sit numero multiplicatũ. Secundo per priuationem, quia sit priuatum
distinctione secundum numerum. Tertio per affirmationem, & hoc est duplex,
vel per denominationem, quod competit composito, vt Cæsar est vnus nume-
ro, vel vt vnum contra distinguitur a quauis multiplicatione & distinctione, &
hoc est duplex, vel actu, vt forma, vel potestate, vt ait Auerr. 12. Metaphysicæ

Septem Conclusiones. Prima.

cont. 11. His præassumptis, vniuersam difficultatem in septẽ Conclusionibus dis-
soluendam puto. Prima est: si consideratur Vnũ numero actu & per denomina-
tionem, materia nec vna, nec multiplex est, ita enim vnũ est compositum, quod
per formam est numero & actu vnũ. Hæc assertio est Arist. in primo Phys. 69.
2 dicentis, Materia nõ ita vnum Principium est, nec ita ens, vt hoc aliquid, nempe
compositum. Secunda assertio est, si Materia consideratur prima notione, per
prædicata absoluta & per ea quæ illi competunt seorsum a relatione, Materia est
Vna per affirmationem, & per se. Sumendo vnum vt conuertitur cum Ente.
Hæc assertio conspicua est per dicta sub initio quarti Metaphysicæ, nam Ma-
3 teria cum per se sit ens, & substantia, per se quoque Vna iudicari debet. Tertia
assertio, si materia consideratur cum relatione ad decem Prædicamenta, quia
nil eorum est, etiam est vna per negationem, quatenus est expers multitudinis
& varietatis pendentis ex formis decem Prædicamentorum, Quarta assertio, si
4 Materia consideratur cum relatione, & cum communi priuatione & potẽtia, ea
est vna per priuationem, quatenus est priuata varietate formarum, quas apta
est recipere: & hæc est illa Vnitas, similis vnitati generis, vt dixit Aristo. secundo
Metaphysicæ, cont. 7. ita.n. potentia tanquam genus, refertur ad genus mate-
riatarum

riatarum formarum. Quinta assertio est, si materia consideratur extrinsecus cũ superadditis relationibus, tot sunt Materiæ, quot formę ad quas refertur, & quia prima refertur ad quatuor formas Elementorum, ideo Arist. 3. Cœli 37. dixit, quadruplicem esse Materiam primam. Et in primo de Ortu & interitu, contex. 29. asseruit, Materiam esse numero vnam, ratione nõ eandem. Sexta assertio, dum Materia consideratur vt formarum varietate ornata, ita totuplex est, quotuplices sunt formæ quibus distinctè formatur. Hinc Aristoteles in 2. Phys. 26. dixit alterius formæ alteram esse materiam, adeo, vt hac consideratione Materia ex se vna sit, ex accidenti verò, hoc est per formas, sit multiplex. Postrema assertio est, Materiam omnem esse vnam secundum Analogiam, adeo, vt Cœli, Mortalium, & Arte constantium Materia, sit eadem secundum Analogiam, & propterea Aristo. in 1. Phys. 69. asseruit, Materiam nosci per Analogiam. At cum Materia variis modis apparuerit Vna, iure quæritur, num eius Vnitas sit aliquid solum in Anima, vel etiam extra Animam? Aue. 12. Metaphys. 14, & cum eo Zimara asseruit solum reperiri in Anima, secus ac se habeat de genere, cuius Vnitas secundum affirmationem extra Animam in speciebus reperitur. Verum cũ apparuerit Materiam modis variis esse vnam, dum quæritur, qualis sit eius Vnitas, interrogatio non vna est, sed multiplex, & distinctione est vtendum. Nam si loquimur de vnitate quæ conuertitur cum ente, & de multitudine externa, ex potentiis & formis prodeunte, ita est aliquid extra animam, vt conspicuum est. At dum loquimur de Vnitate per priuationem, & negationem, quoniam ei solum competit vt per Animam confertur cum alio, quod vel non habet, vel ea caret, ita solum in anima reperitur, ita tamen, vt non repugnet naturæ & conditioni eius.

5

6

7

Qualis sit Vnitas Materia.

Auerroes. Sententia propria.

Cap. VIII.

Diluuntur rationes aduersæ.

ELVCIDATA veritate, facile est, rationes aduersas diluere. Instabatur primò: Formæ ad quas Materia refertur sunt multæ, & alterius formæ altera est Materia: quare Materiæ multæ sunt. Respõdeo, Materiæ proximæ multæ sunt, Materia autẽ prima est vna pro absoluto, & fundamento, multiplex extrinsecus, & ratione, vt patefeci. Addebatur ad agendum non satis esse vnũ. Respondeo, agẽs primum esse vnum, proximum verò multiplex, vt etiam Materia. Insuper agens respondet potentiæ Materiæ, quæ multiplex est, ideo proxima agentia sunt multa. His accedit, quod maior competit distinctio agenti: quia est forma, & actus, quam patienti. Inferebatur, si materia esset vna numero, omnia essent vnũ numero. Respondeo, non sequi, quia dum dicimus Vnum numero id esse, cuius materia est vna. Denotatur materia proxima prædita accidẽtibus propriis indiuiduorum, quorum collectio in alio eadem non reperitur. Addebatur vnum numero, non esse originem multitudinis, nec posse in multis numero distinctis reperiri. Dicendum cum Auerroe duodecimo Metaphysicæ, comm. decimoquarto, id esse verum de vno numero actu, non de eo quod potestate est, & est vnum per negationem & priuationem, quod etiam valet esse origo multitudinis, ob multiplicem facultatem, ad varias formas. Inferebatur, ita ex quouis, posset fieri quoduis. Respondeo, id contingere non proximè, sed è longinquo, non per vnam, sed per multas transmutationes. Ex declaratis colligo primo, materiam esse vnam, Materiam esse multiplicem, & e...n

Diluitur prima ratio.

2

3

4. & 5

6

Quæ elicuntur ex dictis.

Dubitatio. pro principio a Materia distincto. Sed oritur Dubitatio, quia Aristoteles in Post prædicamentis ait, a Priuatione ad habitum non dari regressum: quare male statuitur terminus a quo generationis. *Solutio.* Soluitur per duo fundamenta: primum est, quia Priuatio est duplex, vna in Subiecto in actu, vt cęcitas: Altera in prima Materia, & in Subiecto in potentia: prima euertit actum & facultatem: altera solū actum, & supponit facultatem: prima potest esse terminus ad quem, interitus: at non a quo ortus. Altera econtrario est terminus a quo ortus, non autem ad quem interitus: ideo prima dicitur Priuatio post formam: Altera antecedēs formæ. Alterum fundamentum est: quia a priuatione antecedente formæ, non dicitur dari regressus ad eam formam, sed progressus, non enim recuperat subiectum formam quam prius habuerit, & amiserit, sed eam recipit quam non habuit, & ad quam est potestate.

CAP. XV.

An Plato & Aristoteles de attinentibus ad Priuationem conciliari possint.

INVEHITVR frequenter in Platonem Aristoteles in primo Physic. tum quia Materiam a Priuatione non secreuit, tum insuper, quia Priuationem pro tertio distincto principio non numerauit. An autem iure id fecerit, considerandum occurrit. *Plotinus.* Plotinus En. 4. lib. 4. cap. 13. & sequentibus asserit ex sententia Platonis, & propria, Materiam non distingui a Priuatione, & Aristotelem carpit, quia in primo Physic. dixit Materiam esse numero vnam, cum priuatione, specie vero, & ratione distinctam. Insuper addit, adueniente forma, priuationem non euanescere, sed seruari, cum seruetur potestas, & materia. *Euersio.* Missas facio rationes eius, quia re vera leues sunt, & vnicuique licet in eo illas legere. Errat tamen Plotinus primo, non distinguens Materiam a Priuatione, quorum distinctio in præcedentibus est explicata. Secundo, perperam asserit Priuationem seruari adueniente forma, nam terminus a quo, non simul manet cum eo ad quem, cum sint oppositi, & præsertim quia termini transmutationis necessario distinguuntur a Subiecto, cum vnum oppositum non valeat recipere aliud. Insuper errat, quia considerabat Priuationē vniuerse sumptā, semper cum Materia iunctam, cum potius debuisset considerare priuationem illam, quæ aduenienti formæ opponitur, & proximum principium generationis constituit. Præterea eam communem Priuationem cum negatione confundebat, cum tamen negatio sit priuatione communior, vt vnà cum Alexandro, Themistius, & Simplicius declararunt. Demum minus recte Platonem tuetur, & Aristotelem carpit, quoniam dum accurate Platonis sententiam consideramus, inspicimus illum Materiam a Priuatione secreuisse, & litem inter illum & Aristotelem potius esse de verbis, quam de Sententia: *Litem inter Platonem & Aristotelem in Verbis esse positā.* Nam Plato in Phedone, constituens terminos Ortus & interitus, non secus ac Aristoteles ait, cuncta fieri ex contrariis, & contraria constituit terminos transmutationis, quæ omnia contraria in formam & priuationem rediguntur tanquam in necessarios & per se terminos ortus & interitus. Præterea, distinctius idipsum in Lyside patefacit, in quo Dialogo referens requisita pro appetitione, ea nō secus ac Aristoteles in primo Physi. 81. asserit esse tria Appetibile, appetens, & oppositum appetibilis, quod Priuatio est: adeo vt conspicue patefaciat necessitatem Priuationis, & distinctionem eius

dius a Materia. Præterea in Phedone, Materiam ait esse hoc aliquid, & permanens, non autem ait esse priuationem, hinc Aristoteles in primo Physic. 80. inquit, Platonem despexisse priuationem, quia machinatur maleficium, numerasse autem Materiam, quia est tanquam mater: quibus verbis fatetur Platonem distinxisse priuationē a Materia, neglexisse tamen proprium & distinctum modum quo ad generationem conspirat, quia videtur malefica. Re vera itaque Plato & Aristoteles non dissentiunt, nisi per modum loquendi, nam Aristoteles distinctius Materiam & priuationem explicauit, & priuationem numerauit inter Principia, quod non fecit Plato. nam Plato in Philebo, numerando principia non seorsum numerauit priuationem, sed dixit ea esse infinitum, denotando Materiam priuatione affectam, & terminum, denotando formam: demum cōciliantur: quia materia & priuatio pro absoluto non distinguuntur, sed solum consurgit distincta ratio & formalitas, dum materia refertur ad formam, vt explicans primum Physicorum patefeci. *In expositione cōt. 6a.*

Cap. XVI.

De variis materiæ notionibus & nominibus eius.

VT distinctius ad Materiæ descriptiones descendamus, de variis eius notionibus primo agendum est, omne subiectum primo in se est aliquid absolutum, mox refert ad aliud. Quare materia quæ Subiectum est, dupliciter potest considerari: primo in se, & per prædicata absoluta, secundo cum relatione quadam, vt vna cum Alexandro, Themistius, & Simplicius in primo Physic. affirmarunt. Dum consideratur notione prima, ei competunt prędicata absoluta, & dicitur ens, substantia, bona, & vna, vt hæc conuertuntur cum ente, & est essentia quædam consimilis: in qua notione, etiam ei competit actus entis, & potentia sumpta pro absoluto, quæ est eius essentia. Nonnulli inficiātur hac prima notione Materiam dici vnam, & bonam: quia hæ sunt affectiones constituentes secundum modum per se: in prima autē notione solum Materiæ competunt prædicata per se in primo modo. At errant, cum enim ea prædicata reciprocentur cum ente, vt prima notione materia est ens, ita est vna, & bona: Ratio aduersa soluitur, tum quia illæ non sunt propriæ affectiones, sed potius modi entis: tum insuper, quia in prima notione ei competunt nedum prædicata primi, verū etiam secundi modi per se, dummodo fuerint absoluta. Secundo, considerantur materia cum relatione ad aliud & hoc fieri potest quatuor modis: primo, per negationem, dum refertur ad decem Prædicamenta, per actum constituta, & dicitur nec quid, nec quale, &c. vt asseritur in septimo Metaphysicæ, contex. 8. Et hic modus satis est iunctus cum prima notione, quatenus de Materia in prima notione veræ sunt negationes, vt Alexander & Themistius affirmarunt: tamen quoniam hoc non fit sine aliqua comparatione & relatione, ideo modū hunc numeraui pro primo includente relationem. Secundo, consideratur Materia cum Priuatione communi, sequente conditionem suam, quatenus est nata consimiliter recipere formas omnes eiusdem gradus. Tertio consideratur cum Priuatione propria cōsurgente ex dispositionib. prædefinita forma. Quarto, vt actu formis variis est insignita. Quinque itaque sunt notiones Materiæ, sub duobus capitibus contentæ, quorum vnum est absolutum, alterum cum aliqua comparatione & relatione iunctum. Nonnulli viri docti inficiantur Materiæ competere notionem primam absolutam, cum putent id omne quod est,

Notiones materiæ. Notio absoluta. Sententia quorundam. Euersio. Alia cū relatione quadruplex. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Sententia quorundam. Euersio.

Sententia quorundam. habere ab alio: At decipiuntur: iam enim patuit materiam ex sui natura esse aliquid absolutum, & propterea notione absoluta concipi potest, vt Graeci interpretes concordes asseruerunt. *Euersio.* Alii inficiantur in prima notione ei competere potentiam; *Aliorum opinio.* Qui etiam errant, nam in prima notione est ens, igitur vel actus, vel potentia: non actus, quare est potentia, *Euersio.* sumendo potentiam pro absoluto, & pro gradu entis. *Themistius.* Cum autem Materiae duae sint primae notiones, sententia fuit Themistii in 1. Physic. ob eas formata fuisse duo nomina, Subiectum scilicet, & Materiam, quae id habent commune, vt relationem includant: differunt tamen, quia Materia respicit futura, & competit Materię dum refertur ad recipiēdam formam, Subiectum vero denotat iam facta, & competit Materiae formatae, adeo, vt Materia recipiendo formam transeat in Subiectum. In prima autem notione, neutrum horum nominum ei proprie competit, cum ambo nomina denotent relationem, a qua prima notio materiae est immunis: ea tamen notione rectius dicitur Subiectum, quia hoc nomen non respicit futura, sed iam facta, & praesentia. *Error interpretis.* Haec est legitima sententia Themistii, vt legendi Graeca eius verba redditur notum, quam tamen Hermolaus Barbarus perperam est interpretatus. Et eiusdem sententiae fuit Alexander, vt refert Simplicius in primo Physic. 56. *Simplicius.* Simplicius tamē, ea de re secus sentit: inquit enim Materiā, in prima notione rectius dici Materiam, dum vero refertur ad formam, vel futurā, vel praesentem, rectius dici Subiectum, vel potestate, vel actu. Haec fuit sententia Graecorum. *Sententia propria.* Putarem tamen ego, formata fuisse ea duo nomina, non ob varias notiones Materiae, Materia enim quauis notione concipiatur, semper rectius dicitur Materia, sed formata fuisse ob duplex genus formarum, quod in ea recipitur nimirum Substantiae, & Accidentium: nam Substantiae est Materia, Accidentium vero Subiectū. Hinc sola accidentia proprie & absolute dicuntur esse in Subiecto. *Confirmatio.* Hoc confirmo: quia Materia parata est ob formam, & ideo ob varietatem formarum vario nomine denotatur. Hinc Aristoteles in primo de Ortu & interitu, cont. 24. dixit proprie materiam esse Substantiae, mox caeterorum Praedicamentorum, & ob eandem rationem, Coelum rectius dicitur subiectum, cum sit actu, quam materia: confundunt tamen ea nomina, & vnum frequenter pro altero vsurpatur. Propria autem eorum significatio distincta est: & quia Subiectum est notius, cū actu sit, ideo Materia per Subiectū definitur, & dicitur Subiectum primum. *Recessus a Themistio.* Recedo itaque a Themist. primo, quia non puto formata ea duo nomina ob duas notiones Materiae, sed ob duplex genus formarum in quod dirigitur. Secundo, quia puto in quauis notione semper ei magis congruere nomen Materię, quam Subiecti, etiam dum consideratur vt formata, & ob id veram non puto sententiam illam Boethii approbatam a Themistio, eam nō dici Materiam praesentis formae, sed Subiectum, nam definitur Materia quod sit id ex quo inexistente res fiunt. Et propterea antequam recipiat formā, dicitur eius Materia potestate, cum vero eam susceperit, fit eius Materia actu. Tertio, dissentio, quia in prima notione minime proprie puto posse dici subiectū, sed rectius Materiam, quia Subiectum magis denotat id quod formatum est, & proximius est formae accidentium, a qua materia in prima notione magis distat. Hinc Aristoteles decimo Metaphysicę, non de Subiecto, sed de Materia inquit, quod negatione cognoscitur, quę cognitio per negationem satis est iuncta primę notioni Materiae, nam de materia seorsum a relatione ad formas cōsiderata, verę sunt negationes, nedum decem Praedicamentorum, sed etiam priuationis, & potentiae relatae, vt etiam vna cum Alexandro affirmat Themistius. Et dum dicimus

eimus de Materia in prima notione veras esse negationes, non ex eo inferendum est Materiam esse negationem, hoc enim falsum est, vt docet Aristoteles in septimo Metaphysicæ, contex. octauo, sed solum inferendum est de Materia ex sui natura veras esse negationes aliorum, veluti dicendo Materia non est sui natura Qualis, & non est sui natura non Qualis, nam si sui natura esset Qualis, vel non Qualis, nõ posset cum altero eius opposito seruari, sic est media per negationem.

Cap. XVII.

De Materiæ circumscriptionibus.

EXPLICATIS variis Materiæ notionibus, sequitur vt de eius Definitionibus, siue potius circũscriptionibus verba faciamus. Quatuor sunt præcipui modi, quibus Materia apta est circumscribi: primus est, per negationem: alter per potentiam & communem priuationem, tertius per Analogiam & Metaphoram, quartus, per nomina, ex variis eius conditionibus sumpta. Dum primo consideramus quid Materia non sit, oritur circumscriptio per negationem, de qua inquit Aristoteles in calce decimi Metaphysicæ, Materiam negatione cognosci, & in septimo Metaphysicæ, cont. 8. eam circumscribens, inquit esse id, quod nec quale, nec quantum, nec aliquod cæterorum Prædicamentorum est, & considerandum quod extrema ea sunt, quæ recte per negationẽ cæterorum definiuntur, extremæ autem sunt, Deus & Materia, ideo hæc duo præsertim definiuntur negatione: id tamen ita fit, vt loquendo de Deo, pateat præstantia eius, quia de eo addimus, quod sit aliquo eminentius: nam dicimus, Deus non est Elementum, sed aliquid eminentius, non cœlum, non Angelus, sed aliquid supra hæc. De Materia vero indicamus imperfectionem, quia subintelligimus vel addimus quod sit aliquid humilius, dicendo quod sit infra, & potestate: sic dicimus quod sit id vltimum, quod remanet, remotis imaginatione cunctis formis, & vt legitur quarto Physic. contex. 15. cum ex sphæra terminus & affectiones remoueantur, relinquitur nil præter Materiã. Definiri potest secundo, per communem potentiam & priuationẽ, & tunc dicitur commune subiectum aptum fieri omnia, quod sit mediũ inter non esse penitus, & esse actu, vt asseruit Auerroes in primo Physi. 70. & 78. Quod sit subiectum indefinitum, aptum a forma recipere terminos. Quod sit exemplar Diuinitatis expers, eiusque capax, vt Plato enũciauit. Tertio, inquit, Aristoteles in primo Phys. 69. Materiam nosci per Analogiam, hoc est per similitudinem variatũ rationum, quæ Analogia ex variis peti potest: Plato in Timeo eã desumsit ex Loco, inquiens: quod Materia est Locus, qui nunquam interit, & omnibus quę fiũt sedem exhibet: insuper, eam sumsit ex nutrice, ex fœmina, & ex aliis. Aristoteles in primo Physic. eam sumpsit ex Materia rerum, quæ arte constant, inquiens, Materiam esse id Subiectum, quod perinde se habet ad ea quæ natura constant, ac Materia Arte constantium, ad artificiosa: Sic Analogia peti potest ex Silua, ex fece, & ex aliis similibus. Definitio autem ex Analogia deprompta dicitur tradita per Metaphoram: quia primo consideratur ratio, secundo Analogia, tertio commutata proportio, quarto Metaphora. Demum circumscribitur per conditiones, affectiones, & effecta eius, & præsertim per transmutationem. Sic definitur in primo Physic. 82. quod sit subiectum primum ex quo inexistente ea fiunt, quæ gignuntur, & in quod vltimo per interitum resoluũtur. In secundo autem Physic.

Quatuor modi circumscribendi Materiã.

Modus primus per negationem.

Modus secundus per communem potentiã.

Modus tertius per Analogiam.

Modus quartus.

28. Definitur per solum Ortum, dicendo, esse id ex quo fit aliquid, cum insit, & iure definiri potest per solum Ortum, dimittendo interitum: quia Ortus est id, quod ex se optatur a natura, non interitus. Aristoteles in quinto Metaphysicæ, contex. 4. definiens Elementum, inquit: esse id ex quo res primo componitur, & est in ea indiuiduum specie, in aliam speciem. Quæ Definitio distincta ratione & primæ Materiæ, & quatuor corporeis Elementis competit, non autem soli primæ Materiæ, vt censuit Scotus, nec solis corporeis Elementis, vt putauit Card. Contarenus in lib. de Elementis. Insuper, definitur ab Aristotele in primo de Ortu & interitu 54. quod sit commune Subiectum oppositorum, se habēs vt genus. Dum tamen eam consideramus vt commune & necessarium principium generationis rerum, non recedendo ab Aristotele, ita definiendam putarem. Materia prima, est primum Subiectum, ex quo inexistente res Physicæ fiunt, & in quod vltimo resoluuntur Dei Prouidentia paratum, pro æterna eorum successione, quæ numero æterna seruari nequeunt: Materia autem Cœli est Subiectum simplex, non egens forma vt actu sit, vitam recipiens a separato motore, terminatum figura orbiculari, natum moueri semper in orbem.

Elementum. *Definitio propria.* *Materia Cœli.*

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De prima rerum Natura constantium Materia.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

De variis Materiæ conditionibus.



Ecvrsis principalioribus capitibus eorum quæ attinent ad quæstiones simplices Materiæ, explicanda modo se offerunt attinentia ad quæstiones compositas, de quibus vt distinctius agamus, referendæ sunt primo affectiones variæ eius, & conditiones. Porphyrius in lib. de occasionibus, has esse inquit affectiones Materiæ, vt sit incorporea, vitæ expers, informis, permutabilis, infinita, impotens, verum non ens, imago molis, appetitio substantiæ, stans, non in statu, & similes. Vt autem distinctius conditiones & affectiones eius intueamur, comparare eam debemus cum forma: cum enim inuicem referantur, & Materia noscatur per formam, per mutuam comparationem clarius refulgent: Forma est gradus Entis supremus, Materia infimus, ea actus, hæc potentia. Forma alteri inest, aliudque sibi subiicit, Materia subiicitur & substernitur. Forma est perfectio, & terminus, Materia id quod perficitur & terminatur. Forma opponitur priuationi,

Affectiones materiæ. Porphyrius. *Comparatio Materiæ cum forma.*

Materia est media, & seruatur cum vtrisque, Forma cum sit terminus generationis variatur, Materia seruatur eadem, forma est contraria formæ, Materia nulli est contraria, sed campus est litis, & contrarietatum. Insuper quia Forma est Actus, origo est effectionis, Materia potentiæ & perpessionis, & ob id Forma valet mouere facultatem cognoscendi, eamque formare, Materia nec mouere, nec formare valet, & propterea dicitur ignota, & sensum fugiens, cum tamen omne sensibile sit in Materia, vt dicitur in primo de Cœlo, & obiectum intellectus sit quidditas Materiata, quod propterea euenit, quia etiā facultas, hominis, cognoscens est cum corpore, & Materia iuncta. Insuper, Forma est cornu copiæ, bonū, & optabile, Materia semper est cornu inopiæ, & tanquam fœmina id optat & quærit a quo perficiatur, Forma ita est pars corporis Physici, vt aliqua ratione sit totum, dicitur enim totum id quod res est, Materia contra, ita est pars vt aliqua ratione sit nihil, nil enim propriæ Naturæ rei adest, antequam adueniat forma, vt dicitur in secundo Physic. contex. 11. Hinc etiam in secundo Physic. 31. Materia dicitur pars, Forma vero compositio, & totum. Insuper forma & actus est verè vnum, & vnius causa, vt dicitur in secundo de Anima context. 7. Materia vero est binarium, potestate multiplex, & multitudinis origo. Præterea, Forma est finis, cuius gratia parata est Materia, Ex aduerso, Materia dicitur causa sine qua non, necessaria pro fine, ordinataque in illum. Forma est differentia contrahens, Materia vero tanquam genus quod contrahitur, Formæ non repugnat seorsum a Materia seruari, vt patet de seiunctis formis, Materiæ autem repugnat; Formæ formosum ordinem in vniuerso constituunt, Materia informis, expers distincti ordinis, subiacet, Cum autem materia huius sit conditionis, iure optimo ob priuationem ei iunctam redditur origo senii, imbecillitatis, multitudinis, infiniti, interitus, vitii, mali, turpitudinis, monstri, contingentiæ, casus & fortunæ, obliuionis, & inscitiæ, & hæc competunt Materiæ: quia cū sit infima eorum quæ sunt, complicata est cum Priuatione, & non ente, & propterea vt ex se est ens, ita est initium ortus, subiectum formæ, Natura, & pars Compositi; ob non esse vero cum ea iunctum, est origo senii, interitus, & malorum, & ob id Arist. in primo Phys. 81. dixit Materiam malam, turpem, & fœminam ex accidenti, non autem per se vt male putarunt qui eam a Priuatione non secreuerunt.

Pars est totum.

Cur materia origo imbecillitatū.

CAP. II.

An Materia sit nata per se intelligi.

CVM Materia sine sensu sentiri, & adulterina cognitione dicatur percipi, vt legitur in Timeo, iure de ea quæritur, an sit apta per se intelligi. Et quoniam esse aptum per se intelligi contingit dupliciter, vel quia valeat suo Phantasmate Mentem mouere, vel quia saltem propria notione eam valeat formare, adeo vt iudicium Mentis in eam desinat, de vtraque notione est dubitatio. Qua de re tres sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media. Veteres putantes materiam primam esse vniuersam rerum essentiam, & esse actu, etiam putarunt eam posse mouere & formare Mentem: sed quoniam eorum sententia a Pythagora, Platone, & Aristotele, iam diu explosa est, ideo ea neglecta, opiniones alias perpendamus. D. Thomas putat eam nullo pacto esse aptam per se intelligi. Scotus se medium constituit, inquiens eam non posse mouere suo Phantasmate Mentem, sed propria notione illam formare, in quam desinat iudicium Mentis. Cuius-

Per se intelligi duplicīter.

Opiniones tres.

Prima Veterum.

Secunda D. Thomæ.

Tertia Scoti. Sentētia variis rationibus ab eius aſſeclis cōfirmatur:& primo. Quod per ſe eſt,
Rationes pro opinione Scoti. natum eſt per ſe intelligi:Materia per ſe eſt,quare eſt nata per ſe intelligi:Minor
patet ex præcedentibus. Maior oſtenditur, quia res vt ſe habent ad eſſe,ita ad
cognitionem, ex 2.Metaphyſicæ. Hinc ens ſtatuitur obiectum Mentis. Præ-
terea,quod non eſt aptum per ſe intelligi, non accipitur in eorum Definitioni-
1 bus quæ per ſe intelliguntur,non enim id quod eſt per ſe,pendet ex eo quod eſt
2 ex accidenti:at Materia ſumitur in Definitionibus rerum natura conſtantium,
quæ per ſe intelliguntur, igitur ea quoque eſt apta per ſe intelligi. Inſuper, id de
quo vera ſunt prædicata,nata per ſe intelligi, eſt aptum per ſe intelligi:de Mate-
ria vera ſunt hæc prædicata,quod ſit ens,ſit ſubſtantia,quę nata ſunt per ſe intel-
3 ligi,quare ea quoque debet iudicari talis. Præterea, Materia ſuo proprio nomi-
ne denotatur, definitur, attinet ad ſcientias inſpectrices, quæ ei non compete-
4 rent,niſi eſſet apta pet ſe intelligi.Demum, quod in Deo modo diuino includi-
tur,natum eſt per ſe intelligi.nil enim in Deo eſt, quod per ſe intelligi non ſit a-
5 ptum, cum Deus ſit eminentiſſimè intelligibilis. Materia in Deo includitur,
cum recedat a non gradu entis,& Deus includat vniuerſam eius quod eſt latitu-
dinem.Et addebat Scotus in ſecundo Senten. diſtinctione 12. Materiæ in Dei
Scotus. Mente, Ideam reſpondere, Idea enim vel eſt obiectum in eſſe cognito, vel ra-
tio cognoſcendi, vel ratio per quam cætera imitari valent eſſentiam Dei in de-
Themiſtius finito gradu,& quouis modo vſurpetur, ſemper competit Materiæ Idea. Con-
firmatur eadem ſententia auctoritate Themiſtii, aſſerentis,in primo Phyſico-
Rationes pro parte aduerſa. rum, materiam ſecreta omni forma poſſe notione prima intelligi, quamuis
cum difficultate. Ex aduerſo autem ratio, auctoritas, & experientia oppoſi-
tum nobis patefaciunt; nam quamuis conceſſerim Materiæ competere actum
præſentiæ, & eius quod eſt, illum tamen non iudico eſſe talem, vt valeat pro-
pria notione formare mentem: quod oſtendo, & quoniam ab omnibus Aca-
demicis, & Peripateticis conceditur, Materiam non eſſe aptam mouere Men-
tem, quia hoc eſt officium formæ, in eo ſolo verſabor vt oſtendam,quod non
Ratio.1. valeat per ſe propria notione mentem formare, adeo, vt in eam per ſe deſi-
nat iudicium Mentis; Et primo: quod eſt proprium formæ, non eſt tribuen-
dum materiæ, at formare propria notione mentem, eſt proprium formæ,
quod oſtendo: quia recipi in alio, terminare, & formare aliud, eſt proprium
Ratio 2. formæ, hinc Ariſtoteles in tertio de Anima, contex.ſexto, dixit Mentem eſſe
locum formarum. Confirmatur,quia ſicut ſenſus in ſecundo de Anima,dicitur
ſuſcipere ſpecies ſine Materia, ita longe magis Mens, non Materiam,ſed ſpecies
dicitur recipere, cum Magis a Materia abſtrahat. Ideo Ariſtoteles in tertio de
Anima 38.manifeſtans quomodo Anima fiat omnia,inquit:Non lapis in Ani-
ma eſt,ſed eius forma,ideo Men dicitur ſpecies ſpecierum, & ſenſus ſpecies ſen-
ſibilium, vt manus organum organorum, conſpicue Ariſt.formam nō materiā
ait formare Mentem Hic actus ad formam pertinens, dicitur ratio intelligendi
3 & cognoſcendi, & quidditas materiata conſtituitur per ſe obiectum Mentis.
Præterea, Ariſtot.in contex.nono, tertii de Anima,loquens de aptis intelligi a
4 Mente,numerat carnem,& eſſe carni,compoſitum ſcilicet & formam, non au-
tem numerat Materiam.Inſuper,in tertio Phyſicorū cap.de infinito, infinitum
dicitur ſecundum ſe ignotum,at Materia eſt quoddam indefinitum,termino ca-
5 rens,& origo infiniti,quare ne dum ex ſe eſt ignota,verum inſuper eſt origo in-
ſcitiæ cæterorum.Præterea,cognoſcere aliquid per ſe, eſt cognoſcere quid eſt,
quare vt res ſe habet ad quid eſt, ita putandum eſt ſe habere ad cognitionem:

Materia

Materia non est pars, sed vehiculum ipsius quid est, vt asseritur in calce secundi Physic. quare ea non est apta per se intelligi, sed esse vehiculum formarum quæ per se intelligi aptę sunt. Propterea Plato in Timeo & Academici omnes, inficiantur materiam per se intelligi; Platonem sequitur Aristoteles, qui nunquam dixit eam intelligi per se, sed vel esse ignotam, vel intelligi per negationem, vel per Analogiam. Græci interpretes id ipsum affirmant: & quãuis Themistius asseruerit Materiam posse apprehendi notione prima seorsum ab omni relatione, non ob id dixit eam ita per se intelligi, vt notione propria valeat formare mentẽ, sed solum quatenus per prædicata nonnulla communia quæ sunt ab vno circũscribi valet. Præterea id quod dicitur a Scoto, quod Materiæ in Dei mente Idea propria respondeat, verum non puto: nam Ideæ nomen denotat speciem quæ forma est. Hinc Plato magnus Idearum assertor & propugnator, & cum eo Academici omnes, non Materiæ, sed solum formæ approbarunt Ideas, & Aristoteles quoq; in 2. Physi. 28. Ideam redegit ad formam, inquiens, formam, & exẽplar constituere vnum genus causæ. Et confirmatur: quia Idea est quid completum, & definitum, soli rei perfectæ & in specie constitutæ competens, qualis nõ est Materia. Demum Ideæ sunt vere intelligibilia, Materia autem a Platone solum adulterina notitia vix percipi dicitur.

Materiæ Ideam non respondere.

CAP. III.

Resolutio difficultatis an Materia sit apta per se intelligi.

PRo exacta resolutione propositæ difficultatis, prænoscendi sunt modi quibus Materia cognoscitur: qui hunc in modum rediguntur in ordinem. Materia cognoscitur vel per negationem vt dicitur in decimo Metaphysicæ, 24. vel per positionem & affirmationem, qui secundus modus vel ei competit sine relatione, vel cum relatione: si sine, vel id fit per priora, vel per posteriora, per priora principia nosci non potest, cum sit simplex, & principium primum, solum id fieri potest per prædicata communia, & absolute dicendo quod sit Ens vel Substantia. Si noscitur per posteriora, ea vel sunt composita vel operationes, si composita, noscitur per eorum resolutionem, si fuerint operationes, Transmutatio dicitur nos ducere in notitiam Materiæ. Si vero noscitur per relatiõnẽ, ea vel est pura & simplex relatio, sic materia noscitur per formam ad quam refertur: Si vero non fuerit simplex relatio, sed similitudo plurimum rationum, tunc nosci dicitur per Analogiam, quæ Analogia ex variis accipi potest, vt ex loco, ex silua, ex matre, ex fœmina ex Protheo, & similib. præsertim tamen & aptissime sumitur ex arte constantibus, vt patefecit Aristoteles in primo Physicorum 69. Ex his colligo varios esse modos quibus materia apta est cognosci. Insuper pro resolutione difficultatis duas profero Cõclusiones: prima est Materia cognitione incomplexa non est apta per se intelligi, nec ita, vt mouere valeat, nec ita, vt valeat formare Mentem, terminando actum intelligendi. Altera est: Materia cognitione complexa nedum manifestari potest per prædicata relata, verum etiam per absoluta, dicendo quod sit ens, & substantia, & hoc indicauit Themistius in sua digressione, vt dixi in præcedentibus. Prima assertio conspicua est per dicta in calce præcedentis cap. & eam frequenter approbauit Auerroes, & præsertim in primo Physicorum 69. in 12. Metaphysicæ, 14. & alibi, Nec difficile est rationes aduersas diluere. dicebatur primo, Materiã esse aptam per se intelligi, cum sit per se ens. Respondeo, per se natum intelligi,

Modi quib. Materia noscitur. Per negationẽ. Per priora prædicata cõmunia, & absoluta. Per posteriora cõposita. Per trãsmutationem. Per resolutionẽ. Per Analogiam. Conclusio 1. 2. Diluuntur rationes aduersæ.

Solutio 1. duplex esse, vel per se, hoc est per prædicata absoluta, ei per se competentia, non per aliud, & ita concedo Materiam nosci, & hoc ostendit ratio, vel per se: quia valeat formare mentem, & esse per se terminum actus intelligendi, & ita nego Materiam per se intelligi. At addebatur, vt res se habet ad esse, ita ad cognitionem, concedo: Materia est ens absolutum & per se, ideo per prædicata absoluta cognoscitur, at nõ est ens qui sit actus formalis, ideo nõ potest nosci eo cognitionis genere qui huiusmodi actui congruit, est ens cui repugnat existere seorsum ab actu & forma, ideo ei repugnat ita nosci. Dicebatur secundo, quod non est aptum per se intelligi, non accipitur in eorum definitione quæ per se intelligi apta sunt. Respondeo, in eis non accipi vt principale & primo declarans, sed vt iunctum cum eo, ideo inquit Arist. in secundo Physicorum contex. vltimo, Materiam accipi in Definitione, tanquam vehiculum Definitionis. Addebatur materiam suo nomine denotari, definiri, ingredi scientias. Respondeo, hæc ei competere modo illi consentaneo & iam explicato. Præterea, etiam inane, & infinitum denotantur nomine, definiuntur, & considerantur in scientiis, cum tamen non sint. Insuper dicebatur: omne quod includitur in Dei mente est aptum per se intelligi. Respondeo, esse aptum per se intelligi, vt in ea includitur, in ea autem sunt Materiata sine Materia, Contraria sine Oppositione, Mortalia modo Diuino, inchoata cum perfectione, & demum secundum eminentiam, non autem in Dei Mente locum habet distincta Materiæ Idea, vt patefeci. At dicet aliquis, cum Materia noscatur per prædicata absoluta, & ea sint apta per se intelligi, est necesse, vt etiam Materia sit apta intelligi per se. Respondeo ea prædicata absoluta, non sunt vniuoca, & ob id non sunt natura vna in cunctis eadem, sed sunt ab vno, quorum conditio propria in cunctis est varia, & in talibus primo apprehendimus principale, & per illud cum quadam translatione cognoscimus alia, & propterea nec Ens, nec Substantia sunt toto genere nata per se intelligi, & cognitioni absolutæ materiæ semper antecedit cognitio aliqua cum relatione, ob quam dicitur nosci per aliud.

Solutio 2. (margin, beside "petere modo illi consentaneo")

Solutio aliorum. (margin, beside "tem sunt Materiata… Diuino, inchoata")

CAP. IV.

An Materia per absolutam Dei potentiam valeat seruari seorsum a Forma.

Non est dubitatio per Aristotelem an materia seruari valeat sine forma. De quo sit dubitatio.

D. Thomas.

VT distincte percipiamus attinentia ad propositam difficultatem, prænoscendum est, hac de re ex Sententia Arist. nullam esse dubitationẽ: ipse enim solum nouit modum operandi Dei per intermedias secundas causas, & per naturam, de quo omnes consentiunt, non posse materiam seorsum a forma existere, & seruari: non autem nouit modum alterum operandi absolutũ, de quo recte Theologi inquiunt, quæ potest facere Deus per causas secundas, potest & sine eis, & de hoc est dubitatio. Insuper, dum hoc quæritur, præsupponitur Deus immensi roboris, & cum valeat efficere omnia quæ sub potentiam cadunt, de hoc tantum est dubitatio, an dicere Materiam seruari seorsum a forma includat contradictionem, necne, nam si includit contradictionem, nõ cadit sub potentiam: Si vero eam non includit, inferendum erit per absolutam Dei potentiam id posse fieri, & de hoc solum, per principia Peripatetica disputare valemus an includat contradictionem, vel ne. Qua de re duæ sunt opiniones. D. Thom. existi-

existimat id includere cõtradictionem: Scotus vero ob actum entitatiuum quẽ ei attribuit, id renuit, & ob id asserit per absolutam Dei potentiam posse seruari seorsum a forma. Pro qua opinione variæ & hæ præsertim possunt afferri rationes,, & primo: Magis pendent accidentia ex Substantia & suo Subiecto, quam materia ex forma, sed ea in Sacramẽto Altaris seruantur sine Subiecto, quare & Materia sine forma. Accidentia magis pendent, quia accidentis esse est alteri inhęrere, tum insuper quia sunt posteriora Substantia: Confirmatur: quia absolutum distinctum & prius alio, potest sine cõtrouersia seruari seorsum ab eo, materia comparata cum forma est huiusmodi; Insuper quodcunque Deus efficit per intermedias causas secundas, potest efficere sine eis, dum non sunt essentia illius, at forma est causa secunda, quæ non est essentia Materiæ, quare &c. Præterea, ablata forma a Materia cui altera non succedat, vel Materia interit, vel seruatur, non est dicendũ quod intereat, quia est æterna, & præsertim, quia si interiret, vel transiret in nihil, vel in aliquid, nõ in aliquid, quia est simplex, si in nihil, hoc fieri non potest per naturã, sed solum per absolutam Dei potentiam, & nos supponimus Deũ velle seruare Materiam: si alterum eligis, id est quod volumus. Præterea, quod Deus sine medio valet creare, etiam sine medio valet seruare, si ne intermedia forma creauit materiã, quare sine ea valet illam seruare. Insuper, quęcunq; ex accidenti connectuntur valent secerni, Materia & forma nectũtur ex accidẽti, quod ostendo: nam quæ sibi exposcunt genus aliquod, etiã exposcũt speciem & definitum indiuiduũ, at Materia nullam sibi definitam formã exposcit, quare nec formã. Quod n. contingenter se habet ad singularia, contingẽter etiam se habet ad speciem, & genus eorum, his vel similib. rationib. Scotus in 2. Sen. d. 12. q. 2. asserit per absolutam Dei potentiam posse materiam seruari sine forma; Eiusdem opinionis visus est fuisse Philoponus, qui exponẽs cont. 51. primi Phys. inquit: Quãquam Materia nunquam sit sine forma, tamen ea est natura prior, nam Materia sublata aufertur forma, non vice versa, valemus. n. cogitatione secernere formas a Materia & intelligere eam subsistere cum non egeat Subiecto vt sit, forma autẽ neque cogitatione potest per se subsistere, & esse sine materia: & si particulares res Deus produxit, constat, quod tunc præexistebat Subiectum. Idipsum quoque videtur asserere Ale. in 1. de Anima c. 2. Ex aduerso tamen actus præsentiæ materiæ nõ videtur tãti momenti, vt ob illum materia non aduersetur seruari sine forma, & quod id controuersiam includat, ostendo, & primo, seruari seorsum ab altero, est illud actu existere sine altero, actu autem existere est munus formæ, & includit formalem actum. Propterea Auerr. 2. Physic. 12. & 3. Cœli 29. dixit. Si Materia existeret sine forma, quod non est actu, esset actu, est instantia de Cœlo; quod est corpus simplex, & subsistens. Soluitur, quia Cœli Materia varia est, nam est Materia actu proportione respondens Elementis compositis, in Cœlo enim inueniuntur iuncta, quæ in mortalibus sunt seiuncta. Præterea si Materia existeret seorsum a forma, ea esset natura aliqua absoluta & completa definitæ speciei, & non esset, esset quidem: quia quæ in vniuerso subsistunt, sunt indiuidua alicuius speciei, at Materia cum sit potestate, est solum inchoatio quædam, & non est quid, nec quale, nec quantum, cum tamen omne quod in vniuerso est aptum seorsum existere, aliquid eorum sit. Præterea, tunc Materia esset, & non esset Materia, esset quidem per asserentes eam seruari: non esset autem. quia vt inquit Auerro. in 8. Physic. context. 4. si materia esset immunis ab omni forma, non posset esse Subiectum motus & mutationis, quod est proprium Materiæ, nam potentia

D. Thomas. Scotus. Ratio 1. 2 3 4 5 6 Scotus. Philopõ. Alexander. Sententia aduersa. Ratio. Instantia. Solutio. Ratio 2. 3

proxima per antecedentem formam constituitur. Præterea, vtor ratione Arist. in primo de Ortu & interitu 27. Si Materia reperiretur seorsum a forma, ea esset in loco, & nō esset: non esset, quia mole careret: esset autem, quia quod generatur ex ea, in loco est. Insuper, ea esset extensa, & non extensa: esset extensa, quia vt legitur in 4. Phys. 15. Materia est effusio & extensio quædam, distincta a magnitudine, quę superficie & terminis circumscribitur. & est tanquā inane quoddam, vt elicitur ex eodem 4. Phys. 79. & 81. Ex aduerso non esset extensa: quia nō esset quanta, & ita daretur interuallum sine interuallo, dimensio, sine dimensione, tanquam separabile vacuum: ideo inquit Arist. in primo de Ortu & interitu 39. illud autem cuius hæc sunt extrema, materia est, quę sine affectione non valet existere, neque sine forma. *Conclusio.* Et re vera imaginari non valeo, quid nam esset hæc Materia seorsum a forma, & quomodo existeret. Hinc inter Miracula Dei nunquam hoc legitur, vt Materiam sine forma seruauerit: Quæ sit tamen absoluta veritas, Deus scit, cui me subiicio.

CAP. V.

Diluuntur aduersæ rationes.

Solutio primæ rationis. RATIONES quibus ostendebatur Materiam posse sine forma seruari facile diluuntur. Dicebatur primo Accidentia magis pendere ex substantia. Respondeo, ea magis pendere secundum esse absolute, at non secundum actum existendi, qui est proprius formæ. Insuper, accidentia pendent ex substantia in genere materiæ, non formæ, Deus potest supplere sua potentia muneta Materiæ, at non formę, cum hoc fieri nequeat sine controuersia. At addebatur, quod accidentis esse est alteri inhęrere. Respondeo, debere inhęrere alteri quo necessario eget, nisi aliud eminentiori virtute suppleat attinentia ad id, seruando accidentia sine Subiecto, quibus per se competit, vt sint apta alteri inhęrere. Addebatur absolutum & prius posse sine altero seruari, quod non attinet ad essentiam eius. *Diluitur 2.* Respondeo, materiam considerari posse & secundum esse absolute, & secundum actum existēdi, prima consideratione est prior, altera est posterior forma, ideo non eget forma vt sit, sed vt actu existat. His addo non semper vnum absolutum & modo aliquo prius posse seruari sine alio, nam animal sine aliqua eius specie, & species sine aliquo indiuiduo seruari non potest, & vt repugnat dari genus sine aliqua specie, ita repugnat actu existere Materiam, quæ dicitur genus, sine forma quæ est eius species. *Solutio 3.* Addebatur ablata forma a Materia cui altera non succedat, vel Materia seruatur, vel ne. Respondeo, hanc rationem petere in principio: nā hoc est id de quo est dubitatio, an possit forma aboleri, cui altera non succedat. At dices, forma per Dei potentiam potest in nihilū redigi, vt ex nihilo potest Creari. Respōdeo redigere formam in nihilum, est vna quoq; in nihilum redigere Materiā eius quod diuinæ potentiæ non aduersatur, vt enim concreata fuit materia cum forma, ita vna in nihilū redigi potest. *Solutio 4.* Addebatur id quod Deus sine medio valet creare, etiā sine medio valet seruare. Respondeo, sine medio Deus constituit esse Materię, at per mediam formam ei tribuit vt actu existat in vniuerso. Dicebatur Materiam cum forma ex accidenti necti. Respondeo, in ratione includi deceptionem a seiunctis ad coniuncta, non n. sequitur, Locus potest esse sine hoc definito copore, & sine illo, igitur absolute sine corpore, nam Materiam exposcere formam contingit dupliciter: vel definite, vel indefinite sumptam, non exposcit formam definite sumptam, sed indefinite,

definite, veluti etiam species vt sit in vniuerso, non exposcit aliquod definitum
particulare, cum tamen particulare aliquod exposcat indefinite sumptum. Affe-
rebatur sentẽtia Philop. quam ego missam facio, quia multa dicit de prima Ma-
teria, & præsertim in disputationibus contra Proclum, quæ ego valde dubia iu-
dico, ne dicam falsa.

Cap. VI.

An Materia sit vna, rationes pro vtraque parte.

DVm principale latet, ea quoque obscura sunt, quę cum eo nectuntur. Quę-
ri de Materia solet, an sit vna vel multiplex, & si est vna, quomodo sit vna.
Dubitatio est de materia prima rerũ natura constantiũ. Qua de re opiniones va-
rię sunt, nonnulli enim eas putant innumeras, alii vnam, nonnulli plures vna.
Innumeras eas dixere Democritus, Leucippus, & Epicurus, qui Materiam puta- *Opinio*
runt innumeras Atomos. Similiter Anaxagoras qui Materiam dixit innumera *Demo-*
mixta similium partium, in Chao confuse inclusa, plures & finitas existimauit. *crati & Anaxa-*
Empedocles, qui quatuor corporea Elementa dixit materiam rerum. Similiter *gora*
Parmenides constituens ignem & Terram, vnam asseruere. Hesiodus, qui Ter- *Opinio*
ram, Thales, qui Aquã, Diogenes qui aerem, Heraclitus qui Ignem, Anaximan- *Empedo-*
der qui intermedium quoddam asseruit esse Materiam. Sed quoniam horum *clis.*
Sententiæ iam sunt explosæ, quid senserit Arist. perquiramus. Philosophi qui A- *Opinio 3.* *Dubi-*
ristotelẽ præcesserunt, materiam Cœli ab ea mortalium non secreuerunt, Arist. *tatio pri-*
fuit primus qui referente Porphyrio in lib. de abstinentia ab esu carniũ, eam e- *ma.*
xistimauit distinctam, nunc autem sermo est de Materia mortalium, quæ primo *Materia*
intuitu videtur nõ vna, sed multiplex: Prima, quia Materia refertur ad formam, *morta-*
& alterius formę altera est Materia, vt dicitur in secundo Phys. 26. at formę sunt *lium an sit vna.*
multæ, quare etiam Materiæ. Præterea, ad mouendum & agendum non satis *Quod nõ,*
est vnum, sed pro variarum rerum ortu plura requiruntur efficientia: quare ne- *ratio pri-*
que ad patiendum satis est vnum. Deducitur consequutio, tum quia inuicem re- *ma.*
feruntur, tum insuper, quia agens agit in contrarium, & patitur a contrario, vni *Secunda.*
autem vnum est contrarium. Præterea, si Materia esset vna numero, cuncta quæ *Tertia.*
ex ea fierent, essent vnum numero: deducitur consequutio per Aristotelem in *Quarta.*
5. Metaphysicæ, 12. dicentem, vnum numero id esse, cuius Materia est vna. Insu- *Quinta.*
per vnum non est origo multitudinis, Materia est origo multitudinis indiuiduo-
rum, quare non est vna numero. Maior patet, quia quod pendet ex vno, vt v-
num est, etiam dicitur esse vnum. Minor est Arist. 12. Metaphysicæ, 49. & primo
Cæli, 91. dicentis, omnia cum Materia iuncta, vel esse plura, vel esse apta mul-
tiplicari. Confirmatur, quia vnum numero non potest in multis reperiri, Materia
reperitur in multis, nedum numero, sed etiam specie, & genere distinctis, ma-
teria enim est principium omnium decem Prædicamentorum, vt asseritur in *Sexta.*
12. Metaphysicæ. Præterea, si omnium esset eadem Materia, tunc ex quouis pos-
set fieri quoduis, quod falsum asserit Arist. in primo Phys. disputans contra Ana-
xagoram. His & similibus rationibus posset aliquis suspicari, materiam non esse *Rationes*
vnam. Ex aduerso Aristo. in primo Phys. 56. Materiam asserit vnam, inquiens, ad *quod vna sit.*
patiendum satis esse vnum, & si duæ essent primæ Materiæ, duæ essent primæ 1
contrarietates, quod est absurdũ. Præterea, in primo de Ortu & interitu 43. in- 2
quit, hoc recte dixit Diogenes, nisi ex vno essent omnia, non inuicem agerent & 3
paterẽtur. Præterea, quę inuicem permutantur, prædita sunt cõmuni Subiecto,
mortalia inuicem permutantur, quare communi Subiecto prædita sunt. Maior

patet: quia pro permutatione requiritur Subiectum aliquod manens idem sub
4 vtroque termino. Insuper si Materiæ mortaliũ essent multæ, vel essent subordi-
5 natæ, vel distinctæ penitus: si subordinatæ, omnis ordo exposcit vnum primum.
6 Si distinctæ penitus, nulla earũ essent absolutè prima, sed solum in aliquo gene-
re. Confirmatur: quia omnis distinctio est per actum, & formam, Materia au-
tem potestas est. Præterea, si primæ Materiæ essent plures, vel cuncta ex quauis
earum gigni possent, vel quædam ex vna, alia ex altera fierent; si primum, tunc
altera erit redundans, si alterum eligis, nulla earum erit commune principium.
7 Insuper, vt se habet de prima contrarietate attinente ad Materiam, ita de Mate-
ria se habere putandum est, omnis enim prima contrarietas Subiectum vnum
exposcit, contrarietas prima in quam cæteræ rediguntur, vnica est, forma & pri-
uatio: quare etiam prima Materia iudicanda est vna. Demum vt se habet de pri-
8 mo agente, ita de primo patiente putandum est se habere: primum agens est v-
num, in quo cuncta dicuntur includi actu, hoc est virtute producendi, quare si-
militer primum patiens statui debet vnũ, in quo cuncta sint potestate, ideo Stoi-
ci & Manichæi hæc duo dixere prima principia rerum, Materiam, & Deum.

Cap. VII.

Resolutio difficultatis per varias distinctiones, & Conclusiones.

Vnum multipliciter. *Vnum numero multiplex.* DVm quæritur an Materia prima mortalium natura constantium sit vna, prænoscendum, quod Vnum multipliciter vsurpatur. Nam primo datur Vnum numero, specie, genere, & Analogia, vt legitur in 5. Metaphysicæ. Insuper Vnum numero etiam est multiplex, & præsertim triplex, primò per negationẽ, quia non sit numero multiplicatũ. Secundo per priuationem, quia sit priuatum distinctione secundum numerum. Tertio per affirmationem, & hoc est duplex, vel per denominationem, quod competit composito, vt Cæsar est vnus numero, vel vt vnum contra distinguitur a quauis multiplicatione & distinctione, & hoc est duplex, vel actu, vt forma, vel potestate, vt ait Auerr. 12. Metaphysicæ

Septem Conclusiones. Prima. cont. 11. His præassumptis, vniuersam difficultatem septẽ Conclusionibus dissoluendam puto. Prima est: si consideratur Vnũ numero actu & per denominationem, materia nec vna, nec multiplex est, ita enim vnũ est compositum, quod per formam est numero & actu vnũ. Hæc assertio est Arist. in primo Phys. 69.
2 dicentis, Materia nõ ita vnum Principium est, nec ita ens, vt hoc aliquid, tempe compositum. Secunda assertio est, si Materia consideratur prima notione, per prædicata absoluta & per ea quæ illi competunt seorsum a relatione, Materia est Vna per affirmationem, & per se. Sumendo vnum vt conuertitur cum Ente. Hæc assertio conspicua est per dicta sub initio quarti Metaphysicæ, nam Ma-
3 teria cum per se sit ens, & substantia, per se quoque Vna iudicari debet. Tertia assertio, si materia consideratur cum relatione ad decem Prædicamenta, quia nil eorum est, etiam est vna per negationem, quatenus est expers multitudinis & varietatis pendentis ex formis decem Prædicamentorum. Quarta assertio, si
4 Materia consideratur cum relatione & cum communi priuatione & potẽtia, ea est vna per priuationem, quatenus est priuata varietate formarum, quas apta est recipere: & hæc est illa Vnitas, similis vnitati generis, vt dixit Aristo. secundo Metaphysicæ, cont. 7. ita. n. potentia tanquam genus, refertur ad genus materiatarum

riatarum formarum. Quinta assertio est, si materia consideratur extrinsecus cũ superadditis relationibus, tot sunt Materiæ, quot formę ad quas refertur, & quia prima refertur ad quatuor formas Elementorum, ideo Arist. 3. Cœli 37. dixit, quadruplicem esse Materiam primam. Et in primo de Ortu & interitu, contex. 29. asseruit, Materiam esse numero vnam, ratione nõ eandem. Sexta assertio, dum Materia consideratur vt formarum varietate ornata, ita totuplex est, quotuplices sunt formæ quibus distincte formatur. Hinc Aristoteles in 2 Phys. 26. dixit alterius formæ alteram esse materiam, adeo, vt hac consideratione Materia ex se vna sit, ex accidenti verò, hoc est per formas, sit multiplex. Postrema assertio est, Materiam omnem esse vnam secundum Analogiam, adeo, vt Cœli, Mortalium, & Arte constantium Materia, sit eadem secundum Analogiam, & propterea Aristo. in 1. Phys. 69. asserit, Materiam nosci per Analogiam. At cum Materia variis modis apparuerit Vna, iure quæritur, num eius Vnitas sit aliquid solum in Anima, vel etiam extra Animam? Aue. 12. Metaphys. 14, & cum eo Zimara asseruit solum reperiri in Anima, secus ac se habeat de genere, cuius Vnitas secundum affirmationem extra Animam in speciebus reperitur. Verum cũ apparuerit Materiam modis variis esse vnam, dum quæritur, qualis sit eius Vnitas, interrogatio non vna est, sed multiplex, & distinctione est vtendum. Nam si loquimur de vnitate quæ conuertitur cum ente, & de multitudine externa, ex potentiis & formis prodeunte, ita est aliquid extra animam, vt conspicuum est. At dum loquimur de Vnitate per priuationem, & negationem, quoniam ei solum competit vt per Animam confertur cum alio, quod vel non habet, vel ea caret, ita solum in anima reperitur, ita tamen, vt non repugnet naturæ & conditioni eius.

5 6 7

Qualis sit Vnitas Materiæ.

Auerroes.

Sententia propria.

Cap. VIII.

Diluuntur rationes aduersæ.

ELVCIDATA veritate, facile est, rationes aduersas diluere. Instabatur primò: Formæ ad quas Materia refertur sunt multæ, & alterius formæ altera est Materia: quare Materiæ multæ sunt. Respõdeo, Materiæ proximæ multæ sunt, Materia autẽ prima est vna pro absoluto, & fundamento, multiplex extrinsecus, & ratione, vt patefeci. Addebatur ad agendum non satis esse vnũ. Respondeo, agẽs primum esse vnum, proximum verò multiplex, vt etiam Materia. Insuper agens respondet potentiæ Materiæ, quæ multiplex est, ideo proxima agentia sunt multa. His accedit, quod maior competit distinctio agenti: quia est forma, & actus, quam patienti. Inferebatur, si materia esset vna numero, omnia essent vnũ numero. Respondeo, non sequi, quia dum dicimus Vnum numero id esse, cuius materia est vna. Denotatur materia proxima prædita accidẽtibus propriis indiuiduorum, quorum collectio in alio eadem non reperitur. Addebatur vnum numero, non esse originem multitudinis, nec posse in multis numero distinctis reperiri. Dicendum cum Auerroe duodecimo Metaphysicæ, comm. decimoquarto, id esse verum de vno numero actu, non de eo quod potestate est, & est vnum per negationem & priuationem, quod etiam valet esse origo multitudinis, ob multiplicem facultatem, ad varias formas. Inferebatur, ita ex quouis, posset fieri quoduis. Respondeo, id contingere non proximè, sed e longinquo, non per vnam, sed per multas transmutationes. Ex declaratis colligo primo, materiam esse vnam, Materiam esse multiplicem, & eam

Diluitur prima ratio.

2 3 4 & 5 6

Quæ colliguntur ex dictis.

nec vnam nec multiplicem esse. Colligo secundo, Materiam esse vnam genere, vt asserit Aristoteles secundo Metaphysicę cont. septimo, quod verum est, quatenus materia est simillima generi, differt tamen a genere, vt declarauit Alexander, secundo naturalium quæst. capit. vigesimosexto, & cum eo Auerroes duodecimo Metaphysicæ, decimoquarto. Colligo tertio, materiam non vno, sed multis modis posse dici vnam numero.

Cap. IX.

An Materia sit bona vel mala.

Plotinus. Sententia Manichæorũ. CVm materia ex se sit ens, & substantia, iure de ea quæritur, an sit bona, vel mala, formosa, vel deformis? Plotinus vna cum Stoicis & Manichæis, asseruit materiam esse eandem cum priuatione, & ex se malam. Ideo asseruerunt relati Philosophi duo esse prima rerum principia, tanquam duos exercituum duces. Deum & materiam, bonum, & malum, ex quorum mutua pugna variæ prodirent victoriæ, & superante Deo effunderentur bona, vincente materia, affluerent mala, quam pugnam dixere Mundo coæuam, de qua loquitur Philoponus in disp. contra Proclum, Simplicius in Epictetum cap. 32. D. Thomas 3. contra Gent. c. 15. Auerroes 3. Disp. contra Alga. in fol. 12. dubii. *Quomodo falsa.* Quæ sententia partim falsa, partim vera est: falsa quidem, tum quia materia ex Deo pendet, non autem est principium absolute primum, contra distinctum a Deo, tum insuper quia ea non est ipsum malum, sed ex accidenti mala est, nempe ob adnexã priuationem, tum demum, quia materia vt ex accidenti est mala, ita etiam ex accidenti est causa malorum. *Quomodo vera.* Vera autem quatenus mala prodeunt ex imbecillitate materiæ & ex permixtione eius cum non Ente, siue cum priuatione, & inde prodeunt mõstra, imbecillitates, senium, interitus, & similia. Cum enim non valeat exacte accipere ordinem, prodeuntem ex superis principiis, est origo inordinationis, & mali. *Resolutio. Bonum quadruplex.* Propterea pro resolutione propositæ difficultatis an materia sit bona vel mala, accipiendum est bonum esse quadruplex, Metaphysicum, Physicum, Morale, & Diuinum. Materia non est bona bono diuino, huiusmodi enim est Fides, Spes, & Charitas. Non bono morali, id enim vel virtus est, vel ex ea prodit. Si loquimur de bono Physico, huiusmodi est forma, & perfectio compositorum per naturam, de quo bono loquendo, Forma est principale bonum, & est bonum secundum formam, materia est bona ex accidenti, quatenus est prædita forma, ex se autem nec bona est secundum formam, nec mala, est tamen bona secundariò, quia vtilis est & necessaria pro constitutione compositi. Demum si loquimur de bono Metaphysico, quod reciprocatur cum eo quod est, quia materia ex se est ens, & substantia, ex se etiam bona est, & vt est infima in ordine eorũ quæ sunt, ita est infima in ordine bonorum. *Instãtia.* Vtrum instabit aliquis; Omne includens conditionem boni, includit conditionem finis, materia non includit conditionem finis, quia finis est forma, vt dicitur in secundo Physicorum, quare nec boni. *Solutio.* Respondeo, finem esse duplicem, vnum principalem, & huiusmodi est forma. Alterum non principalem, sed ordinatum in principalẽ, & huiusmodi sunt requisita pro fine, quæ optantur pro fine principali, & omne quod optatur, quatenus optatur, obtinet conditionem finis, & id quod optatur ob aliud, includit conditionem eius boni, quod vtile dicitur. *Considerantur notiones variæ.* Et progrediendo per notiones materiæ, dicendum est, materiam in prima notione consideratam per prædicata absoluta, esse per se bonam, vt bonum reciprocatur cum ente, consideratam cum nega-

negatione decem Prædicamentorum, non esse bonam secundum formam. Consideratam tertio, cum priuatione, esse malam ex accidenti, nempe ob priuationem; Demum cōsideratam cum forma, esse bonam ex accedenti, ex se verò esse vtilem & necessariam. Et quoniam materia partim est ens, partim non ens, ob priuationem, vt est ens, est causa boni, & constitutionis compositorum: vt verò non ens, est origo detrimenti & malorum, quæ tamen mala per Dei prouidentiam diriguntur in bonum, veluti interitus in ortum rerum. Ex his quoque patet, quomodo materia iudicari debeat formosa, & deformis.

Cap. X.

An Materia formam appetat.

ASSERITVR in primo Physic. 81. Materiam appetere formam, vt turpe pulchrum, & fœmina marem. Quæ Sententia cum sit dubia discutienda proponitur. Videtur materiam non posse appetere formam, primò: quia nō cognoscit, inquit autem Aristoteles in 3. de Anima, Plantas nō appetere, quia non cognoscunt. Prætetea, asseritur in eodem 3. de Anima, appetitum esse quendam motum appetentis, materia nō mouetur tendendo in aliud, cum sit omnino potestate. Tertiò, vel eam appetit quam habet, vel qua caret: nō quam habet, quia ea non eget, non qua caret, quia non est, & non cognoscitur a materia. Insuper, vel cunctas æquè appetit, ac ita vel omnes simul, vel nullam recipiet, vel vnam appetit magis quàm alteram, at non apparet quam magis appetere debeat & præsertim quia est immunis ab omni dispositione. Demum, si materia formam appetit, vel eam appetit per se, vel ex accidenti: non per se, quia in prima notione dum consideratur seorsum a priuatione, eam non appetit, sed solum eam appetit vt priuata. Si ex accidenti, hoc aduersatur Aristoteli in primo Physic. 81. Insupèr, tunc esset principium generationis ex accidenti. Ex aduerso Aristoteles in primo Phyc. 81. ait materiam appetere formam, idque ostendit: nam in transmutatione naturali per quam forma acquiritur, debet aliquid intrinsecus reperiri, quod formam appetat, id autem vel est priuatio, vel forma, vel materia, non priuatio, quia opponitur formæ, & euertitur per formā, & nil secundum se optat sui interitum: non forma, quia appetitus exposcit indigentiam, forma autem non eget seipsa, quare materia ea est quæ sui conditione formam optat. Et pro resolutione difficultatis, præaccipio appetitum esse multiplicem, & singulis rerum gradibus, gradum proprium appetitionis competere. Vt tamē ad rem facit, appetitus est duplex, vnus sequens proximè cognitionem, alter ex cognitione non prodiens, primus dicitur animarius, alter Physicus, primus materiæ non competit, loquēdo autem de Physico, hic est duplex, vel enim sequitur formā, & dicitur ὁρμὴ, siue propensio, quo appetitu, grauia appetunt locum inferum, leuia superum, vel non sequitur formam, sed conditionem & naturam rei ordinatæ in aliquem fi nem, quo appetitu materia formam appetit, quatenus sui conditione in eam dirigitur, vt in finē & optime parata est pro ea, facilisque est ad illam recipiendam, Auicenna, & cum eo nonnulli, negatunt materiam appetere formam, & dixerunt, eam solum ordinata esse in formam, & aptam eam recipere: verum hi verba mutarunt more Stoicorum, non sententiam, ordo enim ille & promptitudo pro recipienda forma, siue facilitas, ea est quæ nomine appetitus latè sumpti denotatur: Insuper considerandum quod appeti-

Quod nō appetat. *Ratio 1.* 2 3 4 5 *Quod formam appetat.* *Resolutio.* *Appetitus duplex.* *Appetitus materiæ est duplex*

tus materiæ duplex eſt, vel materiæ communis & primæ, vel proximæ, primus abſolutè ſequitur cōditionem cōmunis materiæ, vt dixi: alter verò ſequitur formam antecedentem & diſpoſitionem pro ſubſequente, veluti menſtrua appetūt formā fœtus, & lignum aridum ignis. Ex quo elicio conſpicuè nonnullos decipi, qui diſtinctione non vtentes, abſolute aiunt appetitū materiæ prodire ex formæ antecedente, nam id ſolum eſt verum de appetitu proximę materię. Demum, animaduertendum quod quāuis proximè non omnis appetitus ſequatur cognitionem abſolute, tamen appetitus omnis eam præſupponit, niſi proxime & ſine medio, ſaltem e longinquo, & per media: nam appetitus Phyſicus præſupponit eminentiſſimam Dei cognitionem, cuius ſublimi Prouidentia cuncta in ſuum proprium & proximum finem diriguntur, & per illum in poſtremū. Hic appetitus formarum competit materię Phyſicorum corporū, non autem materiæ eorum quæ arte conſtant, & inde oritur, quod generatio Phyſicorum dicitur ſecūdum naturam, ea vero arte conſtantiū, violenta, vt recte conſiderauit Auerroës, decimo Metaphyſicæ; com. 1. & 11. Verū adhuc quæret aliquis, hic appetitus materiæ quidnam eſt, & vnde prodit? Reſpondeo, appetitus materiæ non eſt proprie motus, ſed facilitas & promptitudo, vt per tranſmutationem ab efficiente educatur forma & conſtituatur compoſitum, ſequens propriam conditionem materiæ, hic appetitus apprime eſt iunctus cum naturali potentia materiæ, adeo vt ab ea ſola ratione diſtinguatur, nam quatenus materia includit naturalem poteſtatem ad formam, dicitur eam appetere, propria ratio potentiæ antecedit, quoniam materia propterea dicitur appetere, quia per naturam ſuā eſt poteſtate ad eam formam, non autem contra. Hic appetitus dicitur oriri ex priuatione, non quia priuatio ſit cauſa principalis appetitum producens, non enim abſentia producit per ſe aliquid, ſe quia eſt conditio neceſſario requiſita in appetente, ex ſe autem ſequitur conditionem propriam materiæ tamquam affectio eius. At quæritur adhuc, cum omnia quærant bonum, & dirigantur in bonum, num priuatio etiam bonum quærat? Ariſtoteles in primo Phyſicorum 80. priuationem aſſerit maleficam, & cont. 81: negat eam appetere formam, alioquin appeteret ſui interitum. Reſpondeo, Ens omne vt ens, optare bonum, priuatio ex ſe non eſt ens, ideo ex ſe non optat bonum, ſed eſt malefica, quia eſt interitus, & non eſſe eius cuius eſt priuatio, & cum ſit ens ex accidenti nempe ob materiam, quam conſignificat, ita ex accidenti & ob materiam appetit formam, & bonum, non eſt autem abſurdum, aliquid optare ſui interitum ex accidenti.

Error quorundam.

Materia arte constantium non appetit formam eorum

Quod ſit appetitus materia.

Num priuatio bonum optet.

Solutio.

CAP. XI.

Diluuntur rationes quibus oſtendebatur materiam non appetere formam.

SPLENDORE elucidatæ veritatis, conſpicue redduntur ſolutiones aduerſarum rationum. Inſtabatur primo cum materia non cognoſcat, non poteſt appetere. Solutio iam patet; non enim appetit appetitu animario, ſed Phyſico. Addebatur ſecundo appetitum eſſe motum. Reſpondeo id eſſe verum de appetitu animario, & de illo ſententiam eam profert Ariſtoteles in tertio de Anima: quid autem ſit appetitus materiæ, iam patefeci. Inſtabatur tertio, quia materia vel appetit formam quam habet, vel quia caret. Reſpondeo appetere vtramque, nam appetit pro facultate ſeruare eam quam habet, & appetit per-

Solutio prima inſtantia

Solutio 2.

Solutio 3.

tit perfici ab ea, quam non habet, cum ad eam recipiendam sui natura apta sit. Sed dicet aliquis: cum materia sit ordinata pro composito cuius est principium, potius compositum quam formam videtur optare. Respondeo, eam appetere formam vt finem, cuius gratia, compositum vero vt finem cui, insuper dicitur appetere formam, quia ex ea pendet perfectio compositi, & præter materiam in cõposito sola forma reperitur, quæ dicatur posse appeti a materia. Instabatur deinde: quia, materia vel cunctas formas æque appetit, vel vnam magis quam alteram. Respondeo materiam proximam non æque se habere ad formas oppositas, sed proxime eam formam optare, pro qua est parata: Materiam verò primam & communem, eas æque, & non æque respicere: non æque secundum institutum naturæ, quæ præsertim optat id quod est melius, æque autem secundum condicionem & constitutionem materiæ, quæ non magis pro vna, quam pro altera est parata, & ordine facilitatis frequenter facilius recipit viliorem, & hoc intelligi debet de formis eiusdem gradus: nam formas distinctorum graduum, vt ordinatæ sunt, ita appetuntur, primo enim appetuntur formæ Elemẽtorum, mox cæterorum sequentium. Demum instabatur, quia si materia formã appetit, vel eam appetit secundum se, vel ex accidenti, Aristoteles hac de re non videtur sibi constare: nam in contextu 81. primi Physic. ait, materiam sui natura appetere formam: mox inquit, quod eam appetit vt fœmina, & turpis, sed ea est fœmina & turpis ex accidenti ob priuationem ei iunctam, quare ex accidenti appetit. Confirmatur; quia ostensum est, essentiam materiæ esse potentiam, essentiam formæ actum potius, & actus sunt differentiæ oppositæ, mutuo se destruentes, quare vna secundum se non appetit alteram. Respondeo in appetitu formæ duo considerantur, vnum est appetens, alterum conditio requisita pro appetitu, appetens sui natura est materia, quæ appetit vt materia, vt apta perfici, vt potentia, ideo Aristoteles 8. Metaphysicæ 15. inquit, quęrere cur ex materia & forma, siue ex potentia, & actu fiat vnum, nihil est quærere, id enim eis competit propria conditione: quia vnum, est actus, alterum est potentia. Si verò loquimur de conditione requisita pro appetitu, ea est priuatio, vt dicitur in primo Physicorum 81. & a Plat. in Lyside, adeo vt materia sui natura & conditione formam appetat, verum non sine priuatione; Hinc oritur quod materia appetit formam non in prima, sed in secunda notione, quatenus in secunda notione consideratur cum priuatione. Ex quo patet, Aristotelem non secum pugnare: nam primo loquens de appetente, ait materiam sui natura formam optare, mox explicans conditionem requisitam, ait, vt turpe pulchrũ, & fœmina marem. Insuper elicio potentiam sumptam pro absoluto, esse essentiam materiæ, cum enim materia appetat sui essentia, & appetat quia est potentia, colligitur essentiam eius esse potentiam sumptam pro absoluto, quæ ab actu non destruitur sed perficitur, & ex eis per se vnum constituitur. Sed occurrit alia Dubitatio, & est an materia appetat formas infinitas? ex vna parte videtur eas appetere, quia successione recipere valet formas infinitas, ex aduerso id videtur falsum: quia tunc simul in ea reperiretur infinitus numerus potentiarum, & priuationum, quod infinitum renuitur ab Aristotele. Respondeo, materiam appetere formas infinitas dupliciter posse intelligi, vel successione, & ita infinitas appetit, quatenus successione innumeras est apta recipere, vel simul, adeo, vt simul ei competant infinitæ potentiæ & priuationes, & tunc vtendũ est altera distinctione, & dicendũ, habere potentias infinitas simul, dupliciter posse intelligi, vel sine distinctione in quodã communi facultate inclusas, vel distinctas;

Dubitatio. *Solutio.* *Solutio 4.* *Solutio 5.* *Controuersia in Aristotele.* *Solutio.* *An materia appetat formas infinitas.* *Solutio.*

secundo modo eas non habet, in fundamento enim naturæ hoc est in prima cõmuni materia, nil est distinctum: sed eas habet modo primo, nõ secus ac species dicitur includere sub se facultate innumera indiuidua, ea autem communis facultas ad innumeras formas, redigitur mox ad actum, successione recipiendo distinctas dispositiones pro distinctis formis. Ex his elicitur solutio dubitationis propositę ab Aue. 1. Cęli, 120. nã quæritur quomodo priuationes & potẽtię sint æternæ pro præterito, & non pro futuro tempore? Solutio est, quia potentia & priuatio communis & jndefinita, omni ex parte est æterna, illæ autem quæ intereunt sunt priuationes, & potentiæ proximæ, quę vt intereunt, ita etiam oriũtur per ortum dispositionum materiæ. Sed pulchra superest soluẽda Dubitatio, & est: cum materia appetat formam, & fœmina marem, num vice versa forma appetat materiam: Respondeo, appetere aliquid, contingit dupliciter, vel vt finem, vel pro fine, æger vt finem optat sanitatem, pro fine verò medicamenta. Forma appetit materiam non vt finem, sed pro fine, hoc est pro suimet conseruatione: dico conseruatione, quia forma quæ non est, cum non sit, non potest appetere, ea autem quæ est, appetit sui conseruationem.

Solutio dubitationis proposita ab Auerroe.

Num forma appetat materiam.

CAP. XII.

Quomodo forma sit in Materia.

CVM materia appetat formam, eamque recipiat, quæritur quo pacto deinde forma sit in materia, num per se, vel ex accidenti, & si per se, in quo modo dicendi per se, ei competat. Mouit hanc difficultatem Alexander in primo Nat. quæst. cap. 26. & cum ostendisset formã non esse in materia, in primo modo dicendi per se, nec, vt accidens in Subiecto, colligit esse in ea in secundo modo dicendi per se, vt par & impar insunt numero. Quæ sententia videtur dubia: tum quia secundum modum dicendi per se, constituunt accidentia propria, qualis non est forma relata ad materiam, tum insupèr, quia non magis materia sumitur in definitione formæ, quam econtrario, cum inuicem referantur, immo magis materia cognoscitur per formam, quam vice versa: cum potentia cognoscatur per actum. Propterea difficultatem soluens, dico, modos omnes dicendi per se, præditos esse latitudine quadam, & nonnulla principalius alia minus principaliter ad eos redigi. Dum loquimur de modo quo forma sit in materia, solum secundum quandam similitudinem & minus proprie, dicere valemus esse per se. Insuper, addo hac de re varias, & præsertim quinque formari
1 posse enunciationes, quæ etiam modo vario sunt per se. Nam primo dicere pos-
2 sumus materia est apta formari, & hoc pèrtinet ad secundum modum per se, quia ea facultas est veluti proprietas sequens naturam materiæ, vt facultas ad ridendum sequitur conditionem hominis Secundo dicimus materia est actu formata, & hic est tanquam actus facultatis, & secũdi modi per se, vt dum dicimus,
3 Homo ridet, & redigitur ad modum secundũ vt, actus eius. Tertio dicimus, ma-
4 teria actu existit per formam, & pertinet ad primum modum per se, quia forma est ratio per quam materia actu existit. Quarto dicimus forma est apta inesse materiæ, & quoniam materiatæ formæ pro suo esse pendent ex materia, in genere materię, & materia est prior origine, & pars Definitionis earum, ideo modo aliquo redigitur ad primum modum per se. Si autem forma non penderet ex materia, redigeretur ad secundum, vt dicendo Intelligentia Saturni est apta esse in orbe Saturni. Quinto, dicimus forma est in materia, quæ enuntiatio intelligi

Alexander.

Dubitatio.

Quinque enunciationes

ligi poteſt dupliciter, primo vt ſit tanquam actus præcedentis enunciationis, & F
redigitur ad eundem modum. Secundo vt indicetur formam eſſe in materia ſine vllo medio, veluti dicimus, corpus eſſe in loco, & colorem in ſuperficie per ſe, in corpore autem per mediam ſuperficiem, quia ex ſententia Themiſtii eſt modus alius per ſe, ſecundum quem valemus quærere an forma ſit in materia G
per ſe, hoc eſt ſine vllo medio, vel per medias alias diſpoſitiones, & formas. His quinque Enunciationibus addi poteſt ſexta dicendo, ex materia & forma fit vnum, quæ eſt per ſe in ſecundo modo, quatenus ex eis aptum eſſe conſurgere vnum eſt tanquam affectio ſequens conditionem earum, vt elicitur ex octauo Metaphyſicæ 15. Sic itaque diſtincta conſideratione modo vario forma eſt per ſe in Materia.

CAP. XIII.

An Materia gignatur, & intereat.

SENTENTIA eſt Ariſtotelis in primo Phyſicorum octuageſimoſecundo, materiam partim gigni, partim non gigni, dum enim conſideratur ſecūdum potentiam, hoc eſt ſecundum ſuam eſſentiam, nec fit, nec interit. Dum vero cōſideratur vt iunctam habet priuationem, ob eam gigni & interire dicitur, variātur enim particulares priuationes ſeruata eſſentia abſoluta materiæ. Quod autem nec fiat, nec intereat, oſtendit, quoniam omne quod fit ex materia gignitur, & quod interit in materiā reſoluitur, quare ſi materia oriretur & interiret, fieret ex ipſamet materia, & ita eſſet antequam fieret, & in eandem reſolueretur, ac ob id eſſet corrupta, antequam corrumperetur, & dum eſſet corrupta, etiam eſſet, quod includit contradictionem. Hinc Philoſophi veteres id omne quod pro materia ſumpſerunt, dixerunt eſſe immune ab Ortu, & interitu. Ea tamen quæ præſertim ſententiam hanc reddunt dubiam hæc ſunt, & primo ea quæ inuicem referuntur, videntur eſſe eiuſdem conditionis. Nam Oppoſitorū eadem eſt ratio, materia & forma inuicem referuntur, & forma oritur & interit, quare & materia. Præterea, Sententia eſt Ariſtotelis tertio Cœli 61. æternorum æterna, mortalium mortalia eſſe principia, materia eſt principium mortalium, quare interitui eſt obnoxia. Tertio aſſeritur 10. Metaphyſ. æterna præſtare mortalib. quare ſi materia eſſet ęterna, dignitate pręſtaret formę quę mortalis eſt. Quartò, æternum & neceſſarium, non videtur poſſe eſſe origo contingentiæ, & varietatis, materia eſt origo contingentiæ & inconſtantiæ, quare non videtur æterna. Demum, cum materia magis pendeat ex forma, quam ex priuatione, & formæ magis proprie competunt Ortus & interitus, quam priuationi, cur Ariſtoteles potius dixit materiam gigni & interire per priuationē, quam per formam? Pro reſolutione difficultatis accipio primo Ortū & interitum vel referri ad abſolutam Dei poteſtatē, vel ad modū operandi Naturæ, ſi referatur ad primum cum Thologis dicimus, materiam in mundi creatione vna cum forma a Deo fuiſſe creatam, quam creationem Philoſophi non cognouerunt, cum ſolum per opera naturæ progreſſi ſint. Conſiderando autē modum operandi Naturę, quę ſemper pro rerum ortu materiam præſupponit, dicimus cum Philoſophis, materiam nec oriri, nec interire poſſe. Accipio ſecundo, ęternū eſſe duplex, F
vnum ſupra ortum, alterum infra ortum, & ſubiectum ortui, ęternum ſupra ortum, eſt præſtantius mortali, id verò quod eſt infra ortum, & ſubiectum ortui, eſt vilius. Ex his elicio ſolutiones aduerſarum rationum. Dicebatur primo in-

Oſtenſio quod materia non fiat.

Rationes aduerſa.

Prima.

Ratio 2.

Ratio 3.

Ratio 4.

Ratio 5.

Pro reſolutione accipitur. 1

Diluuntur rationes aduersæ & primo. Prima.

uicem relata esse eiusdem conditionis, &c. Respondeo, Materia prima refertur ad vniuersum genus formarum, quod æternum est, Materia proxima refertur ad formam propriam, & vtrumque incipit & desinit. Addo secundo, etiam æternum posse referri ad mortale per mutationem factam in re mortali, vt creator ad creaturas. Addebatur secundo, principia mortalium esse mortalia, dico
2 propria & proxima, non communia & remota, immo principium origine primum ex quo cuncta prodeunt, debet esse æternum. Dicebatur æterna præstare mortalibus, dico æterna supra ortum, non subiecta ortui, insuper æterna actu,
3 vt diuina. His addo cum Aristotele in primo Nicomachiorum, rem non ob id esse nobiliorem, quia æterna vel diuturnior sit, æternitas solum est signũ præstan-
4 tiæ rei, quę actu sit, immo malum quo est diuturnius, eo est deterius, malum autem vt malum, est non ens. Addebatur quarto, æternum non esse originẽ contingentiæ. Respondeo, id esse verum de æterno actu, & supra ortum posito, non de æterno potestate, & ortui subiecto, hoc enim perennis varietatis & contingentiæ origo est. Demum dubitabatur, cur Aristoteles potius dixerit materiam gigni & interire per particulares priuationes, quam per formam? Respondeo, iure id ab Aristotele fuisse dictum, nã priuatio intimior est materiæ, proximior est conditioni eius, & est conditio necessario requisita pro materia, vt appetat formam, & cum materia ad formam referatur, materia ita relata, priuationem includit, & propterea context. sexagesimo, & sexagesimosexto, primi Physic. materia & priuatio dicuntur idem numero, & dum variatur priuatio, etiam variatur conditio proximæ materiæ. De forma autem secus se habet, forma enim est & constituit aliud re vera & absolute a materia distinctum, ideo vt per priuationem materia fit, & interit, ita per formam fit & interit compositum.

CAP. XIV.

An Materiæ competant inchoationes Formarum.

Doctri inchoationum formarum. Aduersus Philoponum. Auicennam.

QVONIAM communi veterum Philosophorum consensione, ex nihilo nihil fit. Propterea vt seruaretur formas rerum non fieri ex nihilo, suspicati sunt multi, necessario in materia insita esse semina quædam & tanquam rudimenta, & inchoationes formarum, quæ ei essent coæterna, quarum absolutio esset deinde generatio formarum, id autem esse necessarium ostenditur: cum enim formæ per transmutationem ab agente educantur ex materia, vel in ea insunt, vel ne, si non insunt, non possunt educi, & si educerentur ex nihilo fierent, nam materia & potentia, quæ antecedunt, non sunt pars eius. Si autem insunt, illæ dicentur inchoationes formarum, quæ generantur. Neque sentiendum est cum Philopono, in primo de Ortu & interitu, dicente, formas induci ab Vniuersi opificio, hoc est, ab ordine communium causarum, per Ideas primæ causæ, vel cum Auicenna asserente eas induci ab Intelligentia assistente Mundo mortali: quam datricem formarũ nuncupabat, ea enim non vera generatio, sed potius creatio quædam formarum esset, ex materia non pendentium; aduersus quam sententiam recte dixit Auerro. 12. Metaphysicæ 18. agentem non largiri multitudinem, sed perfectionem, & in 7. Metaphysicæ 31. enunciauit, quod idem est agens disponens & inducens formam. Cum autem multi de neces-

Sententia Varia.

1 sitate huiusmodi inchoationum consenserint, dissenserunt de modo, & præsertim in quinque classes sunt distributi: Anaxagoras per Metaphoram nuncupans materiam Chaos, dixitque in ea confusè mixtas reperiri formas omnes

mnes mixtorum consimilium, quarum generatio nil aliud esset, nisi earundem ab agente in Lucem eductio. Quæ sententia a Platone primo, mox ab Aristotele in primo Physicorum reiecta est. Propterea, est secunda opinio Academi- 2.
corum, qui constituentes ordinem Idearum Mentis, rationum animæ, seminum Naturæ, & formarum materiæ, dixere inchoationes formarum esse semina coæua mareriæ, a Mundi Anima in eam infusa. Quæ sententia est dubia: tum quia Aristoteles eam seriem inficiatur, tum quia semina ex Anima prodeuntia, solum sunt viuentium, cum tamen, non omnia quæ gignuntur sint vita prædita; tum demum, quia Anima Mundi a Deo distincta, redundans & superuacanea est, vt suo loco patefeci. Tertia opinio est quorundam interpretum Aristotelis, 3.
qui aiunt materiæ coæuam esse formam quandam communem, & genericam, quam nuncupant formam corporis ad substantiam pertinentem, quæ cum sit forma communis, & generica, est tanquam inchoatio cæterarum formarũ non secus ac genus dicatur inchoatio specierum. Quæ opinio reiicietur per ea quæ de huiusmodi forma suo loco dicemus. Propterea, est opinio quarta, quorun- 4.
dam asserentium materiæ insita, & coæua esse initia quædam, & tanquam rudimenta singularum formarum, secundum speciem, quæ initia essent tanquam primi gradus formarum producendarum. Quæ opinio etiam explodenda videtur, tum quia non omnis forma est prædita gradibus, sed nonnullæ in indiuiduo sunt positæ, quia vt formæ inuicem pugnant, & mutuo se expellunt, ita earum initia, tum demum, quia ita genus non esset mutatio totius in totum, vt dicitur in primo de Ortu & interitu. Propterea est opinio quinta nonnullorum, asserentiũm ipsammet materiam, & naturã eius, esse inchoationem formarum, adeo, vt quemadmodum puer viri, ita materia formæ inchoatio sit. Quæ opinio 5.
etiam est apprimè dubia: nam si id esset, tunc ea quæ gignuntur essent simplicia, dum enim inchoatum absoluitur, nõ fit compositio, sed perfectio; vt dum puer fit vir. Præterea inchoatio non est Subiectum eius cuius est inchoatio, vt Puer viri, materia autem est subiectum formæ. Demum inchoatio est eiusdem conditionis cum eo cuius est inchoatio, at materia contradistinguitur a forma, & distinctæ est conditionis: Res itaque valde est dubia & perplexa.

CAP. XV.

Resolutio difficultatis de inchoationibus Formarum.

VT pateat propositæ difficultatis resolutio, triplici distinctione vtendum puto. Prima est, inchoatio ad duo referri porest, vel ad compositum per- *P.ma distinctio.*
fectione præditum, quod propriè dicitur gigni, vel ad eius perfectionem, quæ forma est, & terminus ad quem generationis. Altera est, si inchoatio refertur 2.
ad formam, ea vel propriè est inchoatio, adeo, vt sit gradus aliquis formæ, vel est inchoatio late sumpta, & extensa ad omnem antecedentem dispositionem. Tertia distinctio est, si inchoatio vsurparur latè, ea vel est dispositio indefi- 3.
nita & communis, vel est definita, & propria illius formæ quæ educenda est. His præassumptis tres profero Conclusiones. Prima est, si considera- *Tres cõclusiones.*
tur inchoatio compositi, Natura & essentia materiæ, est inchoatio eius, cum sit parata pro eo, & reddatur pars eius, ita lapides sunt inchoatio ædificiorum, quæ assertio ex se conspicua est. Altera est, si referatur in- 1. 2.
choatio ad formam, & vsurpetur proprie pro aliquo antecedente gradu

formæ, coæuo materiæ inchoatio vt inanis reiicienda est. Quæ Conclusio in præcedenti cap. ostensa est. Et confirmatur: quia materia simplicissima est & penitus potestate. 3 Tertia Cõclusio, si inchoatio formæ vsurpetur latè, ea aliqua consideratione concedi debet: nam huiusmodi inchoatio potest esse duplex, vel communis, coæua materiæ, vel propria, incipiens & desinens. Inchoatio cõmunis adhuc est duplex, vel molis, vel sequentium formarum: inchoatio molis, tanquam affectio quædam materiæ, est effusio conditionis eius, in qua recipitur dimensio, vt dicitur in 4. Phys. cont. 15. de qua suo loco verba faciam. Inchoatio cæterarum formarum est communis potentia & promptitudo ad eas recipiendas, quæ dicitur inchoatio quatenus mediat inter non esse penitus, & esse actu in materia, quæ potestate est: dicitur media, & agens, deducens eam potentiam ad actũ, dicitur largiri non multitudinem, sed perfectionem. Inchoatio autẽ proximo & propria, est ea dispositio, quæ inducitur ab agente & incipit ac desinit: de qua vera est sententia Auerrois quod idem est agens, disponens, & educens formam, nam ea dispositio est tamquam semen formæ producendę. Ex his patet inchoationes partim approbandas, partim reiiciendas esse; patet insuper, qua significatione vera sit ea opinio, quod materia sit inchoatio formarum, ea. n. eatenus approbanda est, quatenus potẽtia modo aliquo dicitur inchoatio, quæ potentia pro absoluto est essentia materiæ. At superest diluenda principalis dubitatio, quę erat quomodo formæ non fiant ex nihilo, si nil earũ antecedit. *Solutio principalis difficultatis.* Pro responsione dicto primo cum Arist. in 1. Phys. & 7. Metaphys. id quod vere fit, esse compositũ ex materia & forma, eique proprie competere principia generationis, & de eo absolute dicimus non fieri ex nihilo, sed antecedere materiam, tamquam inchoationem eius. Addo secũdo, formam quoq; modo aliquo fieri quatenus est terminus ad quem generationis, qui primo non erat, & deinde est, & cum ita fiat, partim fit ex nihilo, quatenus nil eius antecedit, & per interitum in nihilum sui transit: partim no fit ex nihilo, eo modo quo ea quæ creãtur, & eius ortus contradistinguitur a creatione, cum ex parte subiecti, tum ex parte termini a quo: ex parte subiecti, quia pro creatione non requiritur subiectum, per cuius transmutationem ab agente producatur forma, vt requiritur pro generatione. Ex parte autem termini a quo, quia pro creatione non reperitur terminus a quo, qui sit forma antecedens, cui iuncta sit priuatio sequentis, ob quod semper generatio vnius est interitus alterius, non enim creatio vnius est alterius destructio. *Dubitatio.* At vrgebit adhuc aliquis, quomodo forma poterit educi ex materia, si nec tota, nec eius portio in ea præexistit? *Solutio.* Respondeo, forma dicitur educi, non quia præfuerit actu, sed quia præfuit potestate, & educitur ab agente quatenus vna cum materia ab agente denuo producitur, accidentia possunt a qualitate aliqua simili sine antecedente dispositione produci, vt calor a calore, frigus a frigore, formæ autem substantiales educuntur per intermedias antecedentes dispositiones, quæ sunt tanquam semina earum, quæ accidentia disponentia agunt virtute agentis principalis, non secus ac genitura quæ in 2. de Gen. Animalium dicitur formare fœtum facultate infusa ab eo ex quo defluxit: ac ita patet, cuncta pro ortu requisita, per eminentissimam Dei Prouidentiam optimè fuisse disposita, cui soli Honor & Gloria.

Finis Secundi Libri.

FRAN-

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Materia rerum Natura constantium,

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

De distinctione Materiæ in materiam totius, & materiam partis.



NTER varias quæ ex materia, tamquam ex vetustissimo Chao prodeunt difficultates, ea accurata consideratione digna est, per quam in dubium vertitur, an approbanda sit distinctio materię in materiam totius & partis; de qua duo sunt consideranda; Primum, an ea distinctio approbanda sit; Alterum, quænam sit materia totius. Et quoniam materia refertur ad formam, & per eam noscitur, ideo de distinctione formæ in formam totius & partis est disserendum, ab eaque ordiendum. Forma partis est altera pars compositi, vt Anima Animalis, cui respondet materia partis, quæ est altera pars ex qua conflatur Animal. Forma totius dupliciter considerari potest, vel comparando vniuersalius, cum minus vniuersali, qua comparatione vniuersalius veluti genus dicitur totum, & forma totius: vel comparando essentiam rei, cum his quæ sunt præter essentiam; Et quia essentia tota consurgit ex forma & materia, ideo hoc consurgens dicitur forma totius, cui respondet materia totius, includens accidentia indiuiduantia, quæ sunt præter essentiam, a quibus scientiæ abstrahunt. Hæc distinctio cum formæ, cum materiæ, a nonnullis approbatur, ab aliis negligitur. Propterea ego primo nitar ostendere eam esse approbandam, mox aduersas rationes diluam. Elicitur hæc diuisio ex Aristotele in secũdo Physicorum, 3t. qui enumerans varietates formarum, ait: & totum, & compositio, & species, si totum, & compositio denotant formam, ea nil esse potest præter formam totius: nam totum denotat proprie constitutum ex partibus integrantibus, veluti ex membris, compositio verò ex essentialibus, quæ præsertim componi dicuntur. Similiter in 5. Metaphys. totum dicitur denotare formam. Et confirmatur; quia genera & species per Aristotelem in Prædicamento Substantiæ significant Quale: at Quale ad formam pertinet, quare species & genera sunt formæ. Et quia sunt composita, & non sunt forma partis, igitur sunt forma totius. quod ostenditur: quia forma partis non prædicatur de composito, non enim homo est anima, genus autem & species prædicantur de contentis sub eis, quare sunt forma totius. Præterea, Arist. 1. Cæli, 92. inquit, qui dicit Cœlum, dicit formam, qui hoc Cœlum, formam cum materia. Similiter caro denotat formam, hæc caro formam in materia, at caro, Cælum, & similia, sunt totũ, & compositio quædam; Quod confirmatur. quia Arist. in 3. de Anima, cont. 9. inquit,

Materia est Chaos vetustiss.

Quæ sit forma partis.

Forma totius.

Approbatio materiæ totius.

Confirmatio.

Ratio.

Confirmatio ex primo de Cælo Ex tertio, de Anima.

quod aliud est caro, & esse carni, quia caro est compositum. At in 1. de Cœlo 92. ait, quod Caro est forma, quare compositum quoque forma est. Præterea, in 2. Phys. cont. 11. inquit, compositum dici naturam ob formam, nō autē compositum diceretur natura, nisi id quoq; esset forma. Insuper, frequenter forma vsurpatur pro essentia rei, adeo, vt etiam essentia, & ratio materiæ, & priuationis, nomine formæ denotentur, quod patet ex 1. Phisic. 60. & 66. contextib. in quib. Aristot. ait, materiam & priuationem esse idem numero, distingui specie, hoc est forma & ratione. Præterea, hanc formam totius conspicue denotauit Aristoteles in primo de Ortu & interitu, dum loquens de accretione, dixit, id quod crescit seruari idem secundum formam, variari secundum materiam, denotans per formam essentiam rei existentem in particularibus extensam cum magnitudine. per materiam vero signatas & definitas partes. In eadem significatione etiam in 4. Metaphysicæ disputans aduersus Heraclitum, dixit, res Physicas variari secundum quantum, seruari secundum quale, denotans per quale, formam totius & essentiam. Eadem distinctio, & forma totius conspicuè elicitur ex Auer. & Græcis expositoribus: Auer. in 2. Physic. 29. dicit, genus esse formam communem, cum tamen genus sit compositum. Et in primo de Cœlo cont. 92. ea forma totius ad Cœlum pertinens ab eo dicitur cœlitas, & in 5. Metaphys. vna cum Aristotele ait, totum denotare formam, partes vero materiam. Simplicius in 5. Phys. 11. de hac forma totius loquens, ait, ignis forma in cunctis qualitatibus est, & in substantia quæ subiicitur qualitatibus, adeo vt constitutum ex forma, & materia formā nuncupet. Et in secundo Physicorum com. 11. idipsum quoq; asseruit. Alexander quoque eandem totius formam conspicuè comprobauit, ideo in primo Nat. qq. ca. 3. inquit: Animal rationale mortale, si cum materiatis circumstantiis & differentiis sumatur, cum quibus subsistit, quæ alterius alteræ sunt, Socratem constituit, & singulares homines: si autem sine his sumeretur, commune fieret, cuius communis ait esse definitiones, quæ etiam formæ dicuntur. In hac significatione forma, definitio, quid est, & nomen, idem modo aliquo denotant. Hæc autem etiam de composito dicuntur, cuius essentia est forma totius, de qua Arist. 7, Metaphysicæ 60. dixit, quod AB. non A. & B. sed totum simul, inquit enim & syllaba non est Elementa, nec idem b. & a. nec caro, ignis & Terra, dissolutis enim, hæc non amplius sunt. Elementa vero sunt & ignis, & Terra. Est igitur aliquid syllaba non solum Elementa vocalis & consonans, sed & alterum aliud aliquid, &c. Plato quoque hanc formam totius approbauit: nam in appendice Legum inquit, non ne verissime Animal secundum Naturam, tunc affirmamus, cum vna animæ corporisque constitutio, vnam suo concursu formam parit? id ipsum elicitur ex Philebo dum pro principiis statuit infinitum, terminum & vnitionem, constat itaque cum conspicue dentur forma totius, & partis, & forma referatur ad materiam, quod concedere cogimur materiam totius, & partis.

Ex primo Physic. *Ex primo de Ortu & interitu.* *Ex quarto Metaphysic.* *Ex Auer.* *Simplicius.* *Alexander.* *Plato.*

CAP. II.

Quid sit Materia totius, & partis, necnon dubia aduersus eam.

Quid sit materia totius. *Scotus.*

CVM apparuerit concedendā esse materiam totius & partis, & constet quid sit materia partis, inquirendum superest quid sit materia totius. Solertissimus Scotus, in 2. Sent. dist. 3. q. 6. concedens materiam totius, inquit eam esse

hæcceita-

hecceitatē, quæ est postrema realitas, vel formæ, vel materiæ, vel compositi cōtrahēs naturam essentiam speciei ad esse indiuidui, ac indiuiduum, constituēs in esse subiicibili, quæ est extra essentiam & quid est speciei, & ab eo statuitur principium indiuiduationis. Quæ sententia mihi videtur apprime dubia, vt latius patefaciam in consideratione principii indiuiduationis: nam in forma nil includitur quod sit extra essentiam, cum forma statuatur essentia simplex. Præterea, materia totius in eis tātum debet reperiri, in quib. seruatur distinctio formæ totius ab ea partis. At huiusmodi distinctio non habet locum in abiunctis, in eis.n. non consideratur forma partis, quare nec interit materia totius; At Scotus illam hecceitatem cunctis tribuit præter quam Deo. Præterea minus recte realitas vnius oppositi denotatur nomine alterius, materia, vt potentia, opponitur formæ, quæ actus est, quare minus recte realitas formæ denotatur nomine materiæ. Propterea dicendum puto, distinctionem formæ & materię in eam totius & partis, solū habere locum in formis materiatis, & compositis ex materia & forma, & hoc denotauit Aristot. in primo de Cœlo 92. inquiens, hoc esse verum de formis, cum Materia iunctis, quod aliud est caro, & hæc caro, ideo in 3. de Anima context. 9. dixit, in nonnullis hoc est in seiunctis a materia, carnem & esse carni, idem esse: formæ itaque a materia solutæ, non sunt forma partis, cum non constituant compositum, sed ex se sunt totum & forma totius, in iunctis vero cum Materia, forma partis est altera pars cōpositi, forma totius, est essentia totius, consurgens ex materia partis, & forma, excludens omne quod est præter essentiam: Materia autem totius constituitur per differētias, siue accidentia indiuiduantia, quæ sunt præter esentiam a quibus scientiæ abstrahunt. Hoc conspicue elicitur ex decimo Metaphysicæ contex. 25. quo loci Aristot. loquens de distinctione maris a fœmina, inquit, differre secundum materiam quia differunt per accidentia contrahentia ad esse marem vel fœminam, quæ constituunt materiam totius. At dubitatur aduersus hanc sententiam: primo, quia huiusmodi materia erit accidens, nam sunt differentię indiuiduales cōtrahentes naturam communem ad esse indiuidui, nō secus ac differentię generi additæ illud contrahant ad esse speciei, ex quo duo prodeunt absurda, primum, quod materia totius substantiæ sit accidens: alterum, quod materia sit differentia contrahens, forma vero sit ea quæ contrahitur, cum tamen conditio contrahentis sit, vt sit actus, contracti vero, vt sit potentia. Præterea Vniuersale est sola forma communis in materia existens, non compositum. Hinc forma dicitur fundamentum vniuersalis. Præterea Aristot. in primo Phyic. 82. definiens materiam, ait, esse primum subiectum ex quo in existente res fiunt, & in quod vltimo resoluuntur, quæ definitio nequaquam competit materiæ totius. Pro solutione accipio materiæ nomen esse ab vno, & ad varia extendi, & cum primo & proprie competat vni, non est necesse, vt mox cæteris competat cum omnibus conditionibus, sat est vt competat cum nonnullis, vt patet de materia Mathematicorum, & dum definitur, inspicitur illud quod primum est. Ex his elicio solutiones. Dicebatur primo, differentias indiuiduantes esse accidentia: Respōdeo, dum forma totius sumitur pro vniuersali contradistincto a singularibus, tunc singularia dicuntur materia eius quatenus in eis existit, & sine eis reperiri non potest, dum vero consideratur essentia tota contradistincta ab eo quod est præter essentiam, sic materia sunt differentiæ illæ materiatæ indiuiduantes, quæ seruant conditionem materiæ, primo, quia vt materia partis est extra essentiam formę partis, ita hæ sunt extra essentiā formę totius. Pręterea, quia sine illis

Euersio. *Senten. tia propria.* *Dubitatio.* *Pro solutione iacitur fundamentum.* *Elicitur solutio.*

essentia rei materiatæ non subsistit. Insuper, quia dispositiones subiecti ad materiam rediguntur, quatenus illam disponunt, & materiam proximam constituũt, & cum sint materia secundum aliquam similitudinem, non est absurdum quod sint accidentia. Addebatur, quod contrahere est officium formæ. Respondeo, contrahere, & constituere varietatem essentiæ, est officium formæ, at contrahere ad esse indiuidui, & constituere varietatem indiuiduorum, etiam competere potest materiæ sine qua multitudo indiuiduorum non seruatur, veluti affirmauit *Arist.* Arist. decimo Metaphysicæ, 25. de distinctione maris a fœmina. Addebatur vniuersale esse solam formam: Respõdeo, vniuersale sua prima significatione esse solam formam partis, secunda autem significatione esse solam formã totius, includere tamen materiam partis, hoc nos docuit Arist. in 7. Metaphysicæ, cap. decimo, inquiens, vniuersale ex vniuersali forma & materia cõstare, singulare vero ex singularibus. Hinc Arist. 12. Metaphysicæ, post cont. 18. actum & potentiam hoc est formam & materiam constituit communia principia decem Prædicamentorum, & nisi vniuersalia essent composita, non prædicarẽtur directe de contentis sub eis. Dicebatur Definitionem materiæ non competere materiæ totius: Respondeo, definiri tunc materiam pro principali & primo ab vno, quæ definitio competit materiæ totius secundum quandam similitudinẽ, vt patefeci.

CAP. III.

An Materia sit pars Essentiæ & definitionis.

QVONIAM approbata est in præcedentibus forma totius, quæ includit Materiam partis, ideo hæc alia emergit dubitatio, an Materia partis sit pars Essentię, & Definitionis rerum ex Materia constantium. *Dubitatio.* Dubitatio est de sola Materia partis, quoniam Materia totius, omnium consensione est extra essentiam rei. Insuper nomine essentiæ denotatur id quod res est, quod per Definitionem explicatur, & ab Aristotele, dicitur οὐσία, φύσις, τὸ εἶναι, τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ λόγος, De proposita difficultate quatuor sunt opiniones, *Opiniones quatuor.* vna veterum, asserentium materiam solam esse id, quod res est, & vniuersam essentiam rerum: quę opinio iam est reiecta. Alia est quorundam qui penitus renuunt Materiam esse partẽ ipsius quid est; Cuius opinionis fuit Zimara. Nonnulli inquiunt eam esse partem non tamen principalem, vt Scotus. Quidam demum se medios constituunt, & aliqua ratione asserunt, alia renuũt eam esse partem; *Materiã esse partem ipsius quid est.* Quod materia sit pars ipsius quid est, & essentię, ostenditur: Primo, *Ratio 1.* quia forma totius est essentia rei, materia partis (vt patuit) est pars formæ totius, quare est pars essentiæ. *Ratio 2.* Præterea, pars Definitionis est pars essentiæ, materia partis est pars Definitionis compositorum, quare est pars essentiæ. *Ratio 3.* Tertio, quia partes compositi essentiales, sunt pars essentię, materia autem & forma dicuntur partes essentiales compositorũ. *Ratio 4.* Quarto, ea ex quibus per se fit vnum, sunt partes essentiæ eius, ex materia & forma per se fit compositum, ex 8. Metaphysicæ, 15. quare &c. *Ratio 5.* Præterea, quod est pars rei Vniuersalis, est pars essentiæ, Vniuersale enim essentia est, Materia est pars rei Vniuersalis, & decem Prædicamentorum, ex 12. Metaphysicæ. *Ratio 6.* Demum, quia hæc est differentia inter essentiam rei Materiatæ & formæ solutæ a materia, ea enim est particeps, hæc expers materiæ. Id ipsum confirmatur authoritate, *Arist.* quia Aristo. ob id Platonem carpit, quoniam Plato Hominem dicebat Animam, & rerum essentias, Ideas, ipse autem asserit esse compositum, & ob id in 7. Meta-

Metaphysicæ inquit Hominem non esse sine carnibus, indicans Materiam esse partem Essentiæ rerum. Ex aduerso, dicentes formam partis esse id totum quod res est, variis vtuntur rationibus: & primo, id solum pertinet ad esse rei, & ad quid, quod est actus, non quod est potentia, actus autem ad formam pertinet: hoc conspicue enunciauit Philosophus in secundo Phys. contr. 11. inquiens, potestate caro aut os, non habet adhuc sui ipsius naturam, ante quam recipiat formam: quam Definientes dicimus quid est caro, aut os. Præterea, id est totum quid est rei, per quod distinguitur a cæteris, quæ id non sunt, at distinctio solum est per actum & formam. Præterea, Aristoteles in secundo Physicorum 28. Definiens formam, ait, quod est ratio ipsius quid erat esse, quod sæpe alibi confirmat: Definitio autem debet cum Definito reciprocari; Insuper, id est vniuersa rei essentia, quo præsente, res tota est, & absente, tota abest: hoc competit formæ partis, ob quam Aristot. in primo de Ortu & interitu, 22. dixit ortum & interitum esse mutationes totius in totum, cum tamen sola mutetur forma, non materia. Confirmatur, quia quod non est quid, nec quale, nec quantum, nō valet esse pars essentiæ rerum: quæ sunt vel quid, vel quale &c. at materia ex 7. Metap. non est quid, nec, quale, quate &c. Hinc Auer. 7. Metaphysicę. 21. inquit, formam esse quidditatem Hominis, non congregatum ex materia & forma, & propterea forma ab Aristotele dicitur Endelechia, hoc est actus & comprehensio vniuersæ perfectionis. Insuper, cum formæ a Materia solutæ sint essentia vniuersa, non debemus id inficiari de formis materiatis. Hoc indicauit Aristot. in calce secundi Phy sic. inquiens, Materiam ingredi Definitiones tanquam Materiam Definitionis, hoc est tanquam vehiculum ipsius quid est, & in 7. Metaphysicæ cap. 10. legitur, carnem & ossa partes esse totius vt materiam, non autem esse partes formæ & rationis, & in 3. de Anima, contex. 9. asseritur in complicatis cum materia carnem, & esse carni differre, esse autem carni dicitur totum id quod est caro, & est sola forma, Caro autem includit materiam: Iure optimo itaque suspicati sunt nonnulli, materiam non esse partem essentiæ, & ipsius quid est: Non defuere nonnulli, qui conati sunt opiniones pugnantes conciliare, a quorum sententiis referendis & reiiciendis supersedendum censui.

Rationes pro parte aduersa. *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Auer.* *Confirmatio.* *Aristot.*

Cap. IIII.

Resolutio difficultatis an materia sit pars Essentia, & Definitionis compositorum.

PRo conspicua elucidatione propositæ difficultatis, quatuor præaccipienda puto: primum est, apud Aristotelē esse rei, quid res est, formam, & Definitionem, pro eodem vsurpari: hinc forma in secundo Phys. 28. dicitur ratio, & quid erat esse. Addo secundo, nomen idipsum denotare, quod Definitio & quid res est, vt asserit 4. Metaphysicæ 11. quo loco legitur nomina id significare, quod per Definitionem denotatur, & con. 28. additur, quod ratio quam significat nomen, est Definitio, idipsum dicitur in primo Phys. conte. quinto ex quo elicitur, quod nomen confuse id denotat, qđ Definitio distincte explicat. Accipio tertio, nomina compositorum esse ab vno, & odine naturæ primò denotare formam, secundo compositum, quamuis secundum vulgarem vsum, contra se habeat: hoc asseritur ab Arist. 8. Metaphysicæ contex. 7. dicente, Animal primo denotare Animam, secundo compositum, idipsum asseritur ab Auer. 4. Metaph. com.

Primum assumptum. *Alterū.* *Tertium.*

14.& in Paraphrasi Metaphysicæ tractatu secundo. Ex quo elicio, cum nomen compositi sit ab vno,& nomen idipsum denotat quod Definitio,& quid res est, necessario etiam definitio, & quid res est, erit ab vno; & primo dicitur de forma partis, secundo de composito ex forma partis & materia. Accipio quarto, formam vsurpari dupliciter,& pro forma partis,& pro ea totius, vt patefeci, & id ipsum dicendū est de Materia. His præassumptis, quę omnia ex Aristotele cōspicue eliciuntur, tres profero conclusiones. Prima est: Essentia & id quod res est, in prima significatione nullam includit materiam: patet, quia est forma partis. Hoc asseritur ab Aristotele in secundo Physic. 11 dicente, formā esse vniuersam naturam compositi. Et in octauo Metaphysicæ cont. 7. affirmāte, Animam esse id, quod est homo in prima significatione. Altera conclusio est: essentia,& quid est, in secunda significatione, includit materiam partis, secundario tamē & denominatam per formam, hoc patet: quia ea secunda significatione denotatur forma totius, includente etiam materiam partis, quale est vniuersale; Addo tertio, materiam totius nullius essentiæ esse partem, cum sit aliquid præter essentiā rei; Ex his elicio primo, omnem essentiam esse formā, & denotari nomine formæ, vel partis, vel totius, immo etiam essentia Materiæ ab Aristotele in primo Physicorum 60.& 66. denotatur nomine formæ, dicente, Materiam esse vnam numero cum priuatione,& differre specie, hoc est forma,& ratione. Insuper, elicio solutiones rationum pro vtraque parte relatarum, & controuersiarum in Aristotele apparentium.

Quartū · *1. Conclusio.* · *2. Conclus.* · *3. Conclus.* · *Elicitur 1.* · *Elicitur 2.*

Cap. V.

An Materia competat forma corporis, opiniones variæ.

MAGNA inter viros sapientes est controuersia de mole & dimēsionib. materiæ. Qua de re quatuor pręcipue sunt opiniones; Nonnulli enim putant materiam sui essentia esse corpus simplex. Alii, non ex se esse corpus, præditā tamen esse forma substantiali corporis ei coæua; Quidam vtrumque inficiantur, aiunt tamen, eam esse præditam dimensionibus terminorum expertibus. Nonnulli demum aiunt Materiam, nec corpus esse, nec præditā forma corporis, nec dimensionibus ei coæuis, sed in rerum ortu & interitu cuncta variari pręter materiam: adeo, vt semper fiat resolutio vsque in primam Materiam; hæc sunt opinionum capita singulatim perpendenda. Et ordiēdo a primo, Existimarunt veterum plurimi, Materiam sui essentia esse simplex corpus. Ex quorum numero fuerunt Democritus Leucippus, & Epicurus, qui eam dixere atomos siue indiuisibile corpus; Insuper Anaximander qui eam iudicauit corpus infinitū. Similiter Stoici, Cynici, Cirenaici, & post eos Pericles, Lydus eam simplex corpus asseruerunt; non tamen infinitum. Philoponus in disputationibus contra Proclum, Disput. 11. ex propria sententia asserit, latissimeq; ostendere nititur, Materiam esse corpus simplex: ideo inquit corpus vt corpus, mutari nō posse, sed mutationibus subiici, & vt dantur Qualitates substantiales, ita ait dari substantiales Quantitates, quod ostendit: quia id sine quo corpus intelligi nequit, est essentia eius, absque dimensionibus corpus intelligi nequit, quare sunt eius essentia. Hęc est opinio eius propria, quamuis in libro de Ortu & interitu ex Sententia Aristotelis secus loquatur. Simplicius quoque existimauit, Materiam sui essentia corpus esse, nam in primo Physicorū exponens cont. 69. cum ex opinione Stoicorum

De mole materia opiniones quatuor · *Opinio putantiū materiam esse corpus.* · *Philoponus.* · *Simplicius.*

eorum & Periclis Lydi, asseruisset Materiam esse corpus, eamque reiecisset, nititur deinde sententiam illam tueri, quod corpus sit, inquiens molem esse duplicem, materialem vnam, alteram formalem, & ait Materiam esse molem Materialē; Explicās deinde huiusmodi molem, inquit, eā non esse corpus ex se subsistens, tribus dimensionibus præditum, sed potius remissionem quandam, intensionem, & inde finitionem incorporeæ indiuiduæque naturæ, nequaquam trina dimensione formaliter impressam ac definitam: quæ autem huiusmodi moles sit, explicat per verba Porphyrii in secundo libro, de materia referentis sententiam Moderati, & dicentis, eam esse quantitatem informem, indiuiduam, figuræ expertem, susceptricem tamen formæ, figuræ, diuisionis, qualitatis, cæterorumq; huius generis: insuper eandē molem nuncupauit Plato omnicapacem, informem, inuisibilem et fluxum mente comprehendendam: Hanc aiunt Pythagoram & Platonem nuncupasse quantum, non vt formam quantam, sed quantum per priuationem, dissolutionem, extensionem, & separationem, tanquam fecem & vitam extremam, ac dimensionem & molem Physicam. Sic itaque Materia ex sententia Philoponi, est quantum formale, ait enim nil dari informe penitus ex sententia Simplicii, Porphirii, Ammonii, Moderati, est quantum materiale. Et quamuis Simplicius in primo Physicorum hanc sententiam explicans, dicat, se explicasse opinionem alienam de Materia, quæ sua non sit, tamen in quarto Physicorum contex. 16. eandem confirmat: & in quinto Physicorum com. nono ait, corpus non perire vt corpus, sed vt tale corpus. Et in primo Physicorum dixit, nedum Cœlum, sed etiam Materiæ corpus, esse æternum, Ex sententia itaque Simplicii Materia est corpus Materiale tanquam effusio & extensio quædam, capax corporis formalis, & valde eius opinio differt ab ea Auerrois qui negauit materiam esse corpus, præditam tamen esse dimensionibus eicoæuis, quæ accidentia sint & formæ. Ex quo constat primo errare nonnullos dicentes, opinionem Simplicii esse eandem cum opinione Auerrois; Elicio secundo, minus rectè hæc duo opinionum capita à nonnullis confundi, nimirum materiam esse corpus, & esse præditam forma corporis, nam valde differunt.

Porphyrius.

Conclusio.

Cap. VI.

Fundamenta putantium Materiam esse corpus.

VARIARVM rationum, quæ pro opinione asserentium materiam esse corpus afferri possent, has esse potiores existimo; Cum materia cognoscatur per trasmutationem, id est materia, quod cum non varietur, subiicitur cunctis transmutationibus, huiusmodi autem est corpus, materia itaque corpus est. Hinc Aristot. in primo de Ortu & interitu dixit corpus non fieri vt corpus, sed vt hoc, vel illud, quod etiam in tertio de Cœlo confirmauit cont. 29. Insuper, definitur Materia in primo Physic. 82. quod sit subiectum primum, huiusmodi est corpus, id enim quod non est corpus, non est subiectum transmutationum, & cuncta quæ gignuntur & pereunt fiunt ex corpore, & in corpus resoluuntur. Præterea, ex non corpore non consurgit corpus, at ea quæ gignuntur sunt corporea, igitur principium aliquod eorum debet esse corpus, huiusmodi non est forma, quare est materia, forma enim per materiā extenditur & redditur quanta. Consimilem rationem format Arist. in primo de Ortu & interitu, inquiens, id quod generatur est in loco, igitur & illud ex quo sit. Quarto vtor ratione,

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Ratio 4.

Simplicii, in quarto Physicorum exponentis cont. 15. Quod est capax magnitudinis, debet esse extensum, & dimēsio quædā, materia est capax formalis magnitudinis, debet itaque esse effusio & extensio aliqua, vt enim locus non reciperet corpus & magnitudinem, nisi esset dimensio quædam, ita materia nisi esset effusio, & dimensio, formalem magnitudinem non reciperet: Et hoc videtur asseruisse Aristoteles in quarto Phys. 15. inquiens, quatenus locus est distātia magnitudinis videtur esse Materia, hæc namque diuersa est a magnitudine. Præterea, inquit Arist. sub initio secundi de Ortu & interitu, primo dari materiam. Secundo ei cōpetere qualitates primas. Tertio, & eis consurgere Elementa, quare per Aristotelem id est materia, quod subiicitur primis Qualitatibus, id autem corpus est. Et confirmatur, quia Arist. in secundo de Ortu & interitu, concedit Elementa posse dici æqualia secundum materiam, quatenus æqua portio materię singulis competit, id autem seruari non potest nisi materia quantum aliquid sit. Est itaque materia sui essentia effusio, moles & extensio quædam; Hinc Ammonius in Prædicam. cum Quantitatis, tum Qualitatis, ait, vt dantur Qualitates ad Substantiam Elementorum attinentes, ita dari dimensiones, & Quantitates, quę sint essentia materiæ; Et ob id ipsum Hesiodus enūciauit in rerū origine primo extitisse Chaos, hoc est susceptaculum, & effusionem, Chaos autē erat materia, vt interpretatur Aristot. in 12. Metaphysicæ contex. 9. Similiter ex sententia Platonis in Timæo, materia locus est, hoc est effusio, & extensio quædam indefinita, quæ magnum & paruum ab eodem nuncupabatur: quæ omnia indicant materiam esse corpus aliquod ex cuius participatione cætera omnia reddantur corporea & materiata. Hæc opinio quamuis aliquid veri includat, dubia tamen videtur, primo, quia omne corpus vel est in prædicamento Substantiæ, vel Quantitatis, materia non est corpus attinens ad Prædicamentum Quantitatis, quia id est accidens, neque attinens ad Prædicamentum Substantiæ, quia id compositum est, cuius principium est materia, principium autem distinguitur ab eo cuius est principium. Præterea, omne corpus vel Physicum est, vel Mathematicum, vel Artificiosum, materia nō est corpus Artificiosum, vt patet, non Mathematicum quia id est accidens: non Physicum, quia id est compositum, est formatum, est per se in loco cadit sub Sensum, per se est aptum intelligi, quæ pugnant cum conditione materiæ. Præterea, corpus vt corpus, non valet iudicari primum & irresolubile, qualis iudicatur materia, corpus enim in superfices, lineas, & puncta resoluitur. Hinc Arist. in primo de Ortu & interitu, 19. inquit; At vero neque puncta, neque lineas statuendum corporis esse materiā, sed illud cuius hæc vltima sunt; Ex quo hæc elicitur ratio, id quod materiam exposcit, non est materia, magnitudo materiam exposcit, vt dicitur loco relato, & in cont. 3t. eiusdem primi de Ortu & interitu, quare magnitudo non valet esse materia; Confirmatur: quia affectiones corporis sunt magnum & paruum, quæ sunt duo contraria, omnia autem contria Subiectum exposcunt. Hinc iure Aristot. in septimo Metaphysicæ cont. 8. inquit, attinentia ad corpus, nempe longitudinem, latitudinem & profunditatem, non esse Substantias, sed Accidentia; Et propterea minus recte Ammonius asseruisse videtur, dari dimensiones quæ Substantiæ sint. Et longe magis videtur errasse Philoponus dum in disputationibus contra Proclum, asserut materiam esse Simplex corpus, idque corpus esse formale, ita enim moueret Sensum, per se esset in loco, & ea quæ fierent essent accidentia, quia aduenirent Enti actu, & ex ea & forma non per se fieret vnum; Dubia itaque valde est ea sententia quod materia sit corpus. Rationes

autem

Marginal notes: Arist. — Ratio. 5. — Ratio 6. — Ammonius. — Hesiodus. — Plato. — Dubitatio Ratio prima pro parte aduersa. — Ratio 2. — Ratio 3. — Arist. — Ratio 4.

autem pro ea relatæ, quid roboris habeant, suo loco patebit.

Cap. VII.

Opinio putantium materia competere formam coæuam, quæ substantia sit, & corpus constituat quam appellant formam corporietatis.

Cvm apparuerit apprimè dubiam esse sententiam putantium materiam esse simplex corpus. Propterea alii reperti sunt, qui cum putarint materiam non esse corpus, existimarunt tamen materiæ competere formam vnam communem, ad substantiam pertinentem, ei coæuam, per quam corpus constitueretur, ex materia & hac prima, communique forma conflatum, quod corpus nonnulli dixerunt esse genus prædicamenti Substantiæ; Cuius opinionis fuerunt Auicenna, Magnus Albertus, Suessanus, M. Anthonius Ianua, & alii nonnulli Philosophi celebres, eamque necessariam putarunt: Primo vt per eam tanquam per inchoationem materia appeteret proprias formas, insuper constitueretur, communis quędam priuatio communisque forma, quæ essent principia communia, & æterna cuiuslibet ortus & interitus, nam sententia Arist. est in primo Physi. oportere principia semper manere, idque approbauerat prius Plato, inquiens, si principia perirent, ortus & interitus non seruarentur æterna. Insuper, materia & forma inuicem referuntur, & alterius materiæ altera est forma, vt dicitur in 2. Phys. 26. quare vnius communis materię, vna esse debet communis forma, quæ pro omnium generatione sit necessaria. Confirmatur: quia oppositorum eadem est ratio; Quare cum potentia materialis, & actus materiatus inuicem opponantur, vt datur vna communis potentia ita dari debet vnus communis actus materiam perficiens, eique coæuus, & pręsertim, quia æternitas magis cōgruit formæ, quæ præstantior est, quam materiæ. Insuper in omni genere causæ ad vnum primum necesse est deuenire, quare in genere materiatarum formarum, necesse est ad vnam primam & communem materiatam formam deuenire. Insuper nisi hæc communis forma daretur, formæ quæ gignuntur & pereunt, ex nihilo fierent, & in nihilum redigerentur. Insuper, agens nō lagiretur perfectionē formarum, sed multitudinem, quod aduersatur Auer. in 12. Metaphysicæ 18. Præterea, ea forma cui nil est contrarium, non perit, orta enim inter contraria versatur formę corporis in materia prima nil est contrarium, quare nō perit, & æterna est, ita Arist. in primo de Cœlo colligebat Cœlum non gigni, nec interire, quia motui eius contrarium non competit, & in tertio de Cęlo 29. negat omnia posse gigni, quia corpus gigni non potest, alioquin daretur vacuum separatum. Et in primo de ortu & interitu, 33, inquit in mutua permutatione Elementorum seruari idem commune corpus, & in conte. 40. addit corpus vniuersale non gigni. Præterea, genus Prædicamenti Substantiæ corpus est, quod cum sit vniuocum, est necesse vt per vnam communem formam constituatur, quæ alia esse non porest præter formam corporis materiæ coæuam. Nituntur nonnulli ostendere Auerroē fuisse huius opinionis, at quia ex primo Physi. 53. ex lib. de Substantia Orbis, & ex epitome Metaphys. tract. 2. c. postremo lucidissimè oppositum colligitur, ideo in reiiciendo errore conspicuo, morari nolo.

Auicenna. *Confirmatio.* *Defensentia Auer.*

Zzzz

Reiicitur forma Substantialis corporis coæua materiæ Hæc opinio cum Arist. tum rationi aduersatur. Arist. primo, quia nunquã indicauit huiusmodi formam dari, & valde esset diminutus si putasset eam dari, & nullibi eam explicasset. Præterea, perperam definiuisset materiam in primo Phys. 82. inquiens esse subiectum primũ, ex quo in existente res per se fiunt, & in quod vltimo resoluuntur, nã concessa hac corporis forma coæua materiæ, ea definitio non materiæ, sed composito ex ea & forma corporis competeret, vt
Ratio 1. consideranti redditur notum. Præterea, conspicue Arist. in calce primi Phys. in-
Ratio 2. ter formas a materia secretas, ad Metaphysicum attinentes, & formas mortales
Ratio 3. attinentes ad Physicum, nullam formam ponit mediam, inquit. n. de principio secundum formam, hoc est de forma a materia secreta, siue vna, siue multiplex sit primi Philosophi officium est verba facere, de Physicis autem, & mortalibus formis, in sub sequentibus differetur. &c. Adeo, vt solum numeret formas a ma-
Ratio 4. teria secretas, & mortales, ex quarum genere non est forma corporis. Et confirmatur: quia si datur huiusmodi forma, vel est considerationis Physicæ, vel Me-
Ratio 5. taphysicæ, non Metaphysicæ, quia non est abiuncta, sed materiata, non Physicæ, quia non est natura, cum non sit finis generationis, & principium alicuius
Solutio. motus. Insuper, vtor ratione, qua vtitur Aristoteles sub initio primi de Ortu &
Euersio. interitu, aduersus veteres statuentes materiam vnam aliquod Elementorum: Si materia coæuam haberet formam, & esset corpus actu, omnis transmutatio esset accidentium, id. n. quod in Subiecto recipitur, quod actu sit, est accidẽs. At soluunt, dicentes formas subordinatas posse in eodem reperiri, vt in viuente reperiuntur formæ mixtorũ, & Anima. Hæc solutio nõ satis facit, tum quia forma æterna non parat pro mortali, tum quia formæ parantes pro subsequente, recipiunt magis & minus, quod non competit formæ corporis, tum demũ, quia cæteræ formæ non sunt coæuæ materię propriæ eius, & ratio recipiendi reliquas,
Ratio 6. vt forma corporis, quæ reddit cæteras formas quantas, & aptas diuidi. Præterea, vtor rationibus. Aristot. in 5. Phys. cont. 8. ostendentis generationem non esse motũ, inquit. n. quod mouetur est in loco, quod generatur, hoc est subiectum generationis, non est in loco, at si esset corpus, per se esset in loco. Insuper inquit, id quod mouetur est, nempe actu, quod generatur, hoc est subiectum generationis, non est, s. actu, at si esset corpus, esset actu, & generatio motus esset.
Ratio 7. Præterea, perpendo reliqua Prædicamenta, nullum reperitur genus generalissimum eorum, quod per vnam communem formam constituatur, distinctam ab ea specierum, veluti non datur vna prima cõmunis forma Qualitatis, Quantitatis, Relationis, & cæterorũ, distincta a formis specierum, quare similiter non debet dari vna communis forma corporis, constituens genus generalissimum Substantiæ, distincta a formis specierum eius. Hinc Arist. in 1. de Ortu & interitu, cont. 40. inquit, Quantum vniuersale non gignitur, vt nec Animal; quod nec Homo, nec aliquod singularium sit, indicans perinde se habere de corpore, ac
Ratio 8. de cæteris Animalibus quæ colliguntur ex singularibus & seorsum ab eis nec sunt, nec seruantur. Præterea, si daretur huiusmodi forma corporis, corpus non esset genus Prædicamenti Substantiæ, quod ostendo: quia ex sententia Aristote. in calce 10. Metaphysi. æternum & mortale non sunt eiusdem gene-
Ratio 9. ris. Insuper Aristote. sub initio 2. de Ortu & interitu, constituens ordinem in-
Ratio 10. ter principia generationis, primam statuit materiã, eam sequi ait contrarietates Qualitatum, mox Elementa, de hac corporis forma nullum facit verbum, vt nec alibi. Insuper, cum omnis forma Substantialis ex se sit indiuidua, quomodo hæc sola quæ nedum est forma Substantiæ, verum insuper æterna, erit

per se

per se apta diuidi, & erit origo diuisionis cæterarum? & præsertim cum omne diuisibile sit mortale, & diuisio sit via ad interitum, & nulla alia æterna forma reperiatur quæ diuidi possit. Præterea, Elementa vere possent ex se moueri, & possent moueri in vacuo, quia diuiderentur in formam Elementi mouentem & corpus actu, mobile, & resistens, quod tamen aduersatur Aristote. Insuper, si id esset, Physicus vtens medio transmutationis, non posset resoluere vsque in primam materiam, sed solum in compositum ex ea & forma corporis, quia huiusmodi compositum nunquam variaretur. Insuper, euerteretur ratio Aristote. in calce 8. Physic. ostendentis motores Cœli esse a materia solutos, nam in context. 78. loquens de formis materiatis, inquit maius corpus diutius seruari & moueri, corpus autem minus seruata proportione minus seruari, quæ regula redderetur falsa, si daretur forma corporis materiata, & æterna, tam diu enim seruaretur pars, quam seruatur totum. His & cõsimilibus rationibus conspicue ostendi potest, huiusmodi formam esse commentum quoddam, & conspicue pugnare cum ratione & sententia Aristot. Rationes aduersæ posterius diluentur. *Ratio 11.* *Ratio 12.* *Ratio 13.*

Cap. VIII.

De dimensionibus terminorum expertibus coæuis materiæ.

Cum apparuerit materiam nec corpus esse, nec esse præditam forma corporis sibi coæua, sequitur vt videamus an ei competant dimensiones Prædicamenti Quantitatis, terminorum expertes, eique coæuæ. Auer. vir acri iudicio præditus, variis in locis, præsertim tamen in cap. de Substantia Orbis, cum putarit materiam nec corpus esse, nec præditam forma corporis, existimauit ei necessario huiusmodi indefinitas dimensiones competere: quod variis rationibus comprobari potest; Et primo, cum natura per gradus ex imperfecto ad perfectum progrediatur, pro prima rerum origine necessarium est commune Subiectum, extensione & dimensionibus præditum, vt diuidatur in partes, terminis circumscribatur, reddatque ea quę recipit quanta, & apta diuidi nam id quod dimensionum est expers, non valet cætera ex accidenti reddere quanta. Hinc materia dicitur Chaos, vacuum, magnum & paruum, & indefinita moles; Nec obest id, quod dicitur, accidentia exposcere Subiectum quod actu sit, id enim verum est de accidentibus terminatis, nam accidentia inhærent materiæ, & terminos recipiunt a forma, & ob id accidens pro suo esse absoluto solum necessario exposcit materiam, pro esse autem terminato exposcit Subiectum, quod actu sit; Confirmatur eadem opinio quia sententia fuit primo Phythagoræ, mox Platonis, demum Aristotelis infinitum aduersari formæ, consentaneum autem esse materiæ, & ex materia oriri, vt patet ex tertio Physic. materia autem non esset origo infiniti, nisi coæuam haberet quantitatem & molem, finitum enim & infinitum sunt affectiones Quantitatis, vt asseritur ab Aristotel. in primo Physic. Insuper, confirmatur eadem opinio ratione, qua frequenter consueuit Aristote. vti pro indaganda propria conditione rerum. Nam id est materia, quo materiata a non materiatis distinguuntur, at distinguuntur mole, & extensione, materia itaque est rudis indefinitaq; moles. Demum, id quod requiritur pro quouis Subiecto rerum, & contrario caret, non permutatur in rerum interitu & ortu, huiusmodi autem est moles, nam frustra *Auer.* *Ratio 1.* *Reiicitur instantia quorundam.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Confirmatio.*

Confirmatio. moles interiret, vt reficeretur, natura enim nil facit frustra. Insuper omne quod fit ex contrario fit, magnitudini in materia nil est contrarium, & quemadmodū Animal vt dicitur in primo Phys. non fit ex Animali, quia iam est, ita nec Quantū ex Quanto. Hinc Aristoteles in primo de ortu & interitu, 33. inquit, accretionē fieri adueniente aliquo quanto, quoniam nō acquiritur noua moles, nisi adueniat noua materia. Hæc opinio approbatur a variis, & satis consona est rationi, & experientiæ, tamen est dubia, tum quia compositum per se, quale est compositum ex materia, & forma Substantiæ, debet anteire compositum ex accidenti, tum insuper, quia vt Substantia quouis modo dicitur prior accidente, in 7. Metap. 4. cont. 4. ita forma Substantiæ debet esse prior accidente, tum tertio, quia nulla materiata forma & diuisibilis, videtur posse esse æterna, vt patuit in præcedentib. tum demū, quia definitio materiæ tradita in primo Phys. 82. nō primæ materiæ competeret, sed congregato ex materia, & huiusmodi indefinita mole: & confirmantur hæc omnia, quia Arist. in primo de Ortu & interitu, 12. derelinquit tamquam conspicue absurdum, dari Ens potestate, expers cuiusque actus Substantiæ, cui competeret aliquis actus cæterorum Prædicamentorum in quod absurdum illi labuntur qui sunt huius opinionis.

Opinio vertitur in dubiū.

CAP. IX.

Opinio putantium materiam nulla sibi coæua mole esse præditam.

D. Thomas. D. Thomas interpres egregius Arist. existimauit materiā nec esse actum aliquem, nec vllum sibi coæuum actū exposcere, sed in ortu & interitu rerū, semper fieri resolutionem vsq; in primā materiam; Eiusdem opinionis visus est fuisse Plotinus, qui in li. de materia, dixit, in rerum ortu formam secum deferre molem sibi congruentē. Confirmatur hæc opinio, primo, quia definitur ab Arist. Gen. in primo de ortu & interitu, quod sit permutatio totius in totū, nullo superstite sensibili. Insuper, quia accidēs exposcit subiectum quod actu sit. Tertio, quia nulla forma materiata & diuisibilis valet esse æterna. Quarto, quia materia primo & proprie est materia Substantiæ, mox accidentium, vt in primo de Ortu & interitu, quare non valet primo esse materia dimensionū; Quinto, quia ea moles indefinita ad prædicamentum quantitatis attinere non poterit, cum sit æterna. Sexta materia, nec quid, nec quale, nec quantum est, sed omnia hæc potestate, quare non habet molem sibi coæuam, quia ad eam non esset potestate, omne. n. ad quod materia est potestate, est mortale, potentia namq; materiæ ad opposita est, vt patet ex 9. Metaphysicæ. Verum hæc quoque op. nio dubia est. Primo, quia corpus fieri non potest vt in præcedentib. apparuit, quare est coæuum materiæ, sine ortu & interitu. Prætetea, cum nec materia, nec forma sint corpora, constitutum quoque ex eis nō posset reddi corpus, non. n. ex non quanto fit quantum, vt ex punctis non fit linea, nec ex lineis corpus, contrariū n. fit ex suo contrario tanquam ex termino a quo, at nō tamquam ex parte. Prætetea, si formæ in materia non quanta reciperentur, non redderentur quantæ, & diuisibiles, formæ. n. sunt diuisibiles & quantæ ex accidenti, & omne quod ex accidenti est tale, reddi debet tale per id quod primo ex se tale est, tum huiusmodi ex se tale debet antecedere, quoniam id quod accidit, posterius est eo cui accidit, vt legitur in secundo Phys. in calce cap. de casu & Fortuna. Demum, nisi materia coæuam haberet molem, esset apta diuidi in partes, nec ex se esset

Plotinus. *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Ratio 6.* *Euersio.* *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.*

origo

origo multitudinis, omne enim quod diuiditur, ob Quantitatem diuiditur; Est itaque hæc opinio satis dubia, quanti autem roboris sint rationes pro ea relatæ, ex dicendis patebit.

Cap. X.

De mole materiæ opinio propria.

CVm de mole materiæ singula quatuor principalia capita satis dubia apparuerint, vt de re obscura proferam quod sentio, non polliceor me nouā allaturum sententiam, sed eam distinctè explicaturum, quam Aristotelis & plurimorū Græcorum puto fuisse opinionem, pro cuius elucidatione accipio primo, vt rerum formas, ita materiam, sequi affectiones nonnullas, quas proprietates appellant, tanquam vmbras earum. Accipio secundo, (vt alibi patefeci,) affectiones partim esse idem cum fundamento, partim distingui, sunt idem pro esse absoluto, distinguuntur autem extrinsecus, & secundum propriam formalitatem, ac rationem. His præassumptis, dico, materiam sequi duas principales affectiones, quarum vna est potentia ad materiatas formas, altera autem est effusio essentialis, materiata dimensio, siue indefinita extensio, non euertens simplicitatem materiæ, & hoc est Subiectum absolute in primū, in quo mox recipiuntur formæ per quas primum illud Subiectum terminis circumscribitur, & tunc dicitur affici quantitate formali, & magnitudine, ex trina dimensione constituta, & quoniam hoc habet a quauis Substantiæ forma, ideo quæuis materiata forma dicitur constituere corpus & omne compositum a forma habet, vt formaliter corpus sit, dum corpora inuicem permutantur, seruatur materiata dimensio, insuper seruatur corpus in genere. At corpus formale, definitum & terminatum, variatur, ideo dixit Aristot. corpus absolute non gigni, sed fieri, hoc, vel illud corpus, adeo, vt nec detur forma corporis coæua materiæ, nec dimensiones formales & indefinitæ, quæ accidētia sint eidem coæua, nec materia sit formale corpus, sed essentiales effusio, materiata dimēsio, & indefinita moles, tanquam Chaos inane & sedes formarum, nec non formalium magnitudinum: hoc conspicue ex Aristotele elicitur, nam in quarto Physic. context. 15. inquit, quatenus locus videtur esse interuallum magnitudinis, eatenus videtur esse materia, hæc namque distincta est a magnitudine, cum contineatur sub forma, definiaturque ab ea &c. adeo, vt eo loci Arist. conspicue distinguat interuallum siue effusionem materiæ, a magnitudine formali quam recipit, quam effusionem frequenter nuncupauit nomine vacui, veluti in primo de Ortu & interitu, inquiens: Si materia seruaretur seorsum a forma, daretur separabile vacuum, ideo Plotinus dixit a nonnullis materiam dici vacuum, & in 12. Metaphysicæ cont. 9. Arist. inquit Chaos denotans susceptaculum, nil aliud esse, nisi materiā; Ita seruatur id quod dicitur ab Aristotele in secundo de Ortu & interitu, Elementa posse dici æqualia, quatenus æqualem materiæ portionem participant. Hæc fuit sententia Porphyrii & Moderati, referente Simplicio, in primo Phys. in exp. con. 69. nam Porphyrius referens sententiam Moderati, dixit: Quoniā aliqua Mens, ratioque cum voluisset (vt Plato inquit) ortum rerum in materia constituendum esse, secreuit ab ea per priuationem quantitatem, cum priuauerit eam cunctis rationibus & formis, materiam autem nuncupauit quantitatem informem, indiuiduam, figuræ expertem, capacem tamen formæ, figuræ, diuisionis qualitatis, cæterorumque huius generis: insuper eandem molem nun-

Opinio approbanda. Primum quod accipitur.

Materiā sequuntur duæ principales affectiones.

Dimensio siue effusio materialis & dimensio formalis.

Plotinus.

Porphyrius.

cupauit Plato omnicapacē, informem, inuisibilem mente comprehēdendam, &c. Conspicue Porphyrius cum Platone, & Moderato, ait materiam esse indefinitam effusionem, hac consideratione seruatur vera sententia Ammonii in Prædicamentis, dicentis, dari dimēsionem, & molem quæ Substantia sit. Hanc fuisse opinionem Simplicii ex dictis in præcedentib. conspicuum est, ideo in 4. Phys. com. 16. dixit, materiam esse dimensionem quandam materiatam, & indefinitam, quæ non sit forma, quantum & magnitudo, sed dispersio, effusio, & infinitudo quædam. Insuper eodem com. inquit, Alexādrum multa dixisse vt materiatam dimensionem a magnitudine secerneret, tamen hæc videri confundere & in vnum redigerere, adeo vt Alexandro tribuat, ipsum quoq; putasse materiatam molē esse à formali magnitudine distinctā. Sententia Auer. de dimensionib. interminatis, materiæ coæuis, dum recte explicatur, non differt a comprobata sententia, nam dimensio interminata considerata tanquam affectio materiæ, intrinsecus, & pro suo esse absoluto, est essentia materiæ, & essentialis eius effusio, extrinsecus tamē, & pro superaddita propria formalitate, est accidens ad quantitatē pertinens, quod per superuenientem formam terminos & perfectionem recipit. Scio tamen, asseclas, Auerr. longe secus eius opinionem explicare; Sic itaque principalium authorum, & interpretum sententiæ satis recte conciliantur; Et cum duæ sint affectiones materiæ, potentia, & moles, quæritur quænā earum sit prior? puto dicendum, effusionem, & dispersionem antecedere. Ratio est: quia materia non esset apta recipere formas, nisi esset dispersio & effusio quædam essentialis; At dubitabit aliquis, quia Aris. in primo Phys. disputans aduersus asserentes ens esse vnū & infinitum, inquit, si est infinitum, non est vnum, quia includit Substantiam, & Quantitatem, at per hanc opinionem materia statuitur vnum simplex, & indefinitum; Respondeo, infinitum actu & per denominationem, non est vnum, infinitudo autem materiata & essentialis effusio, est vnū & simplex; Sed adhuc instatur: quia Arist. in tertio Phys. loquens de infinito, inquit, nil diuidi in partes nisi quantum sit, at per hanc opinionem, materia cum sit effusio, diuidi poterit sine quantitate; Respondeo nil diuidi actu, nisi quantum, materia autem quamuis sit effusio, solum potestate est diuisibilis: hinc Porphyrius eam dicebat indiuisibilē, redditur autem diuisibilis actu per quantitatem superuenientem.

Alexander Auer. *Quæ affectio materiæ sit prior.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Alia dubitatio.*

Cap. XL

Diluuntur aduersæ rationes.

QVAMVIS ex hactenus declaratis satis conspicue eliciantur solutiones rationum, cum approbata sententia pugnantium, clarioris tamen cognitionis gratia, potiores earum quam breuissime diluam, ostendebatur c. 6. materiam esse corpus, rationes illę pro eo vim habent, vt ostendant materiam esse effusionem, & materiatā molem, vt patefeci, ea est subiectum primum, inuariabile secundum essentiam, cætera quæ ei superueniunt, quāuis seruari possint genere, numero tamen variantur, vt ex dictis patet; At instabatur, quia omne corpus vel est Substantia vel accidens, corpus autem quod est Substantia compositum est; Respōdeo, id esse verum de corpore actu & formali, de quo etiam vera sunt cætera, quæ eo loci adducuntur, non de effusione, & materiata mole. Afferebantur cap. 7. rationes pro forma corporis, coæna materiæ, quæ exigui sunt roboris, nam primo ea forma non requiritur vt sit inchoatio formarum, quia pro eo sat

Diluuntur rationes 6. cap. *Diluuntur rationes 7. cap.*

eo fit est potentia materiæ, vt suo loco patefeci. Similiter non requiritur pro constituenda communi priuatione, quia priuatio non sequitur formam, sed comitatur potentiam, & quemadmodum in materia consideratur communis potentia, ita communis priuatio, nec pro ortu debet dari forma communis æterna, quia forma est principium, vt terminus a quo, vel ad quem, termini autem variantur. Addebatur vnius communis materiæ, vnam deberi esse communem formam: Respondeo, materiam referri ad formas per potentiam, vt se habet de potentia; ita se debet habere de forma, potentia nō est vna numero, & communis sed vna genere. Addebatur in omni genere esse deueniendum ad vnum primum. Respondeo in genere formarum absolute, deueniendum est ad vnam primam formam absolute, quæ Deus est, in genere formarum materiatarum, attinentium ad Prædicamentum Substantiæ, id primum debet esse vnum non numero sed genere, vt in reliquis Prædicamentis. Dicebatur, quod nisi ea communis forma daretur, formæ fierent ex nihilo, & agens nō largiretur perfectionem, sed multitudinem, hoc persolui dum loquebar de inchoationibus formarum, nam potentia est inchoatio cuius perfectio est forma & actus. Addebatur, corpus non gigni quia caret contrario. Respondeo, ea materiata effusio non gignitur, corpus ad Quantitatem & ad Substantiam pertinens non gignitur genere, omnis enim forma Substātiæ dat materiæ vt fit corpus, at variatur numero & tāquam terminata proprio termino. Dicebatur corpus prædicamenti Substantiæ esse vniuocum, & egere forma vna per quā constituatur. Hęc ratio quæ a nonnullis maximi fit, negligenda est, nam genus vniuocum, vt est vnum, ita exposcit formam vnam, at est vnum genere, & si ea ratio alicuius esset roboris, necesse esset omne genus constitui per formam vnam, quod tamen in nullo Prædicamentorum seruatur, vt consideranti notum est. Demum afferebantur rationes pro dimensionibus interminatis, ex sententia Auerrois, quę rationes, & sententia quid veri includant, patet ex rectiore explicatione eius opinionis. Rationes pro opinione D. Tho. relatæ per sępe dicta solutę sunt, & præsertim quoniā ego cū D. Th. existimo cuncta quę in composito repetiūtur, pręter essentiā materiæ permutationi esse obnoxia. Insuper generatio dicitur mutatio totius, quia dum mutatur postrema differentia, variatur totum vltima enim forma est totum id quod res est, vt dicitur in 7. Metaphysicę 43. Sed duæ supersunt diluendæ difficultates, vna est, an materia cum sit materiata moles, prędita sit partibus; Altera an sit in loco. De prima, videtur prædita partibus, omnis enim effusio partes habet inuicem distantes. Insuper, vt totum ad totū, ita pars se habet ad partem, sed tota materia est prior tota formali mole, vt Substantia accidente, quare partes sunt priores partibus formalis molis. Respondeo, materiam habere partes potestate, non actu, habere partes essentialis & materialis effusionis, non formalis molis; Et dum dicitur vt totum ad totum, &c. Respondeo materiam totam antecedere secundum esse absolute, at non secundum esse formaliter quantum, & idipsum dicēdum de partib. veluti corpus est prius albedine secundum esse absolute, at non secundum esse formaliter album; de altera difficultate, dum quæritur an materia sit in loco? Aristot. hac de re videtur secum pugnare: nam in 5. Physic. 8. ostendens generationem non esse motum, inquit: quod mouetur est in loco, quod generatur nēpe materia, & Subiectum generationis, non est in loco. In primo autem de Ortu & interitu, 27. inquit: id quod gignitur, necessario est in loco, quare & materia ex qua gignitur. Pro solutione considerandum, quod dum quæritur an materia sit in loco, id potest

Ratio qua a nōnullis plurimi fit negligenda penitus Diluuntur rationes pro dimensionibus interminatis.

Prima dubitatio an materia sit prædita partib.

Solutio.

An materia sit in loco.

Solutio.

intelligi dupliciter: vel an sit in loco vt est pars cõpositi, vel an si seorsum existeret, esset in loco: in prima significatione dicendum est, eam esse in loco ex accidenti, & id tribus modis, primo, quia per formalem molem in ea existentem, secundo, quia per compositum quod per se est in loco, tertio, per Qualitates mouentes secundum locum dicitur vel sursum vel deorsum esse secũdum naturam, siue præter naturam. Arist. in 5. Phys. negat eam esse in loco per se; in primo de Ortu infert eam esse in loco nisi per se, saltem ex accidenti. In altera significatione an materia seorsum subsistens esset in loco, inquit Scotus in 2. Senten. si materia seorsum a forma cõsideraretur extra vniuersum, minime esset in loco quia extra Mundum locus non est, at si intra consideraretur, ea non esset in loco per circumscriptionem, sed per definitionem, vt etiam separatæ formæ. At quia iam patefeci quod asserere materiam existere seorsum a forma includit cõtradictionem, propterea dicendum puto, quod materia secundum propriam conditionem considerata, potius dicenda esset locus dimensionum formalium, & inane, vt a Platone & ab Arist. dicitur, quam in loco: nam quod est in loco debet ambiri, indefinito repugnat vt ambiatur; Insuper cum sit tãquam vacuum repugnat vacuo esse in loco, alioquin vnum interuallũ esset in alio. Quare dicamus, quod putare materiam existere seorsum a forma, variæ sequuntur contradictiones, quarum vna hæc est, quod simul non esset in loco, & esset in loco: primo non esset in loco, quia non esset: insuper quia esset tanquam inane, cui repugnat esse in loco, vt etiam repugnat conditioni indefinitæ & non terminatæ, cum locus sit terminus ambiens, ex aduerso esset in loco, quia quod fit ex ea in loco est, vt argumentatur Arist. in primo de Ortu & interitu.

Sententia Scoti.

Opinio propria.

Cap. XII.

An Materia sit Principium indiuidua constituens.

Vnum quadruplex.

Vnum genere & specie per formam constituitur.

Vnum numero. Indiuiduum.

Qvamvis indiuidua sint proxima sensibus & primo a nobis cognoscantur, quod tamen principale principium sit, per quod constituantur, summopere latet, qua de re loquuturus, accipio primo vnum esse quadruplex, numero, specie, genere, Analogia, siue potius ab vno & ad vnum. Horum quatuor vnum numero est maxime vnum, & cætera includit. Insuper accipio tamquã notum, vnum specie, & genere per formam constitui, vniuersale enim formam denotat, & ex ea elicitur, hinc qui dicit Cœlum, Carnem, & similia vniuersalia, formã denotat, vt asseritur 1. de Cœlo 92. Tertio considerandum, quod vnum numero vsurpatur & latè, & propriè, late, dum ea quæ sunt vnum Subiecto, dicuntur vnum numero, vt in primo Phys. 66. materia & priuatio vnũ numero dicuntur, indiuiduum autẽ siue vnũ numero proprie, adhuc est duplex, vel speciei, vt Alcibiades, vel generis, vt hoc animal, hoc corpus, præsertim tamen indiuiduũ speciei, est propriè indiuiduũ. Dubitatio est de quolibet indiuiduo, præsertim tamẽ de eo speciei. Quod indiuiduũ est duplex, vel indefinitum, constituẽs enunciationẽ particularẽ, vt quidam Homo, vel definitũ, & hoc tribus modis indicatur, vel nomine proprio, vel propria circumscriptione, vel pronomine ostensiuo. Insuper, vnum numero, vel consideratur in formis abiunctis, vel in compositis materiatis, dubitatio est de his, nam de abiunctis conspicua est sententia Aristotelis, in eis non differre naturam speciei ab ea indiuidui, & seipsis, sine medio esse id quod sunt, vt constat ex septimo Metaphysicæ, 41. 8. Metaphys. cont. vltimo, & 3. de Anima, cont. 9. Similiter in primo de Cœlo, 92. legitur in solis

Indiuiduum speciei duplex.

iunctis

iunctis cum materia Cœlum, & hoc Cœlum distingui. Hoc autem vnum numero materiatum adhuc est duplex, vel compositum ad substantiam pertinens, vt Alcibiades, vel compositum ex substantia & Accidente, vt hoc album. Dubitatio est de substantia, quod proprie & præsertim vnum numero dicitur, in qua considerantur vna numero forma, vna numero materia, & vnum numero compositum, de quo compositio est sermo. De huiusmodi indiuiduo loquendo, considerandum est, quod cum in se sit vnum, etiam est distinctum, à quouis alio, & non est aptum, vt tale est, competere pluribus. Demum accipiendum est vnius rei plura posse esse principia, & causas, vt legitur in secundo Physicorum, ideo etiam indiuiduationis principia, & causæ possunt esse plures. At dubitatio est de principali, & potissima. Quæritur itaque quodnam sit principale principium constituens postremum indiuiduum materiatæ substantiæ. *Conclusio.*

Cap. XIII.

Rationes pro opinione dicentium, Materiam esse principale principium indiuiduationis.

De principali principio indiuiduationis, sex sunt opiniones principaliores, nonnulli enim id tribuunt materiæ, alii modo cuidam materiæ, quidam Quantitati, nonnulli simul materiæ & Quantitati, quidam congregato ex accidentibus, quæ nuncupantur indiuiduantia, nonnulli demum formæ. *De principio indiuiduationis opiniones sex.* Quicunque id materiæ tribuunt, rationibus & authoritatibus satis validis & conspicuis vtuntur, & primo Singulare, & Vniuersale opponuntur ex sententia Aristotelis in secundo cap. primi Poster. quare principale principium constituens Singulare, debet opponi principali principio constituenti Vniuersale, at Vniuersale constituitur per formam, quare Singulare per materiam, oppositam formæ per relationem, & vt potentia opponitur actui; hoc videtur denotasse Aristot. in primo de Cœlo 92. inquiens, circulum denotare formam solam, hunc vero circulum formam cum materia. *1. Quod materia sit principiũ. Ratio 1. Aristotel.* Præterea id statui debet principium indiuiduationis, quod est multitudinis, & infiniti est origo; indiuidua enim multa & indefinita sunt, multitudo autem & infinitum ex materia prodeunt, tum ex sententia Pythagoræ, denotantis materiam per binarium, & numerum parem, quæ sunt semina multitudinis & infiniti, tamen ex sententia Platonis nuncupantis materiam magnum & paruum, hoc est indefinitum quoddam & binarium: tum demum, ex sententia Aristotelis asserentis in 3. Physic. infinitum ex sola materia prodire, & ob id solum dari infinitum potestate, hinc in primo de Cœlo 92. inquit, omnem formam in materia existentem, vel esse numero multiplicem, vel esse posse, & 12. Methaphys. 49. ait: si plures essent primi motores, materiam includerent. *Ratio 2.* Præterea, id est principale principium indiuidui, quo posito indiuiduum secernitur à conditione speciei, & quo dempto aufertur ea distinctio, at hoc materiæ competit, nam ex sententia Aristotelis in tertio de Anima, nec non in 7. & 8. Metaphysicæ, in seiunctis à materia, ea non distinguuntur. *Ratio 3.* Quarto cum indiuidua inter se distinguantur, vel primo & præsertim distinguuntur forma, vel materia, non forma, quia quæ distinguuntur forma, distinguuntur specie, & essentia quare distinguuntur materia, quod non contingeret, nisi ea esset principium indiuiduationis. *Ratio 4.* Et confirmatur per Aristotelem, in 10. Metaphysicæ 25. dicentem, marem à fœmina distingui non specie, sed materia, at si mas *Confirmatio.*

per materiam & corpus distinguitur a fœmina, longe magis per ea distinguentur inter se indiuidua. Hinc Auer. in prima disp. contra Algaz. in sol. 7. & 8. difficultatis, conspicuè asserit, indiuidua ab inuicem distingui materia, & ob id asserre quod si Animæ seruarentur post interitum Hominum, esset necesse vt in vnam venirent. Quinto id conspicuè elici videtur ex Definitione Indiuidui, nam in quinto Metaphysicæ cōtex. 12. definit Indiuiduum quod sit id, cuius materia est vna, ex quo hæc elicitur ratio, id est principale principium Indiuidui per quod definitur, at definitur per Materiam, quare ea est principale principium. Hoc asseritur ab Aristotele in septimo Metaphysicæ cont. 28. dicente, omnis iam talis forma in his carnibus & ossibus, Callias est, & Socrates, distincta quidem per materiam. Et in cont. 35. vltima materia singulare est. & 5. Metaphysicæ 11 loquitur: Multitudo vel est rerum differentium forma, vel Quantitate; Eiusdem opinionis visus est fuisse Alexander: nam in primo Nat. qq. cap. 3. inquit: Animal rationale si cum materiatis circumstantiis sumatur, Singulare constituit, sine eis verò Vniuersale. Idipsum repetit cap. 25. & in primo de Anima cap. 25. ait: dum speciem Hominis abdicatis materiæ appendicib. excipimus, nil aliud quam communem hominem intuemur, quippe quod singularium Hominum differentia a materia proficiscitur. Hæc opinio dubitatione non caret: Nam indiuiduum est id, quod non est aptum competere aliis, est non distinctum a se, & distinctum a quouis alio: hoc non potest ex materia oriri, ea enim nec vnum constituere valet, nec distinctionem, cum sit communis cunctis mortalibus, & expers cuiuslibet distinctionis. Præterea, principale principium huius debet esse cōditionis, vt cum ex se sit tale, cætera sint talia munere eius, materia, & eius partes non sunt ex se indiuiduę, non natæ subiici a i s, & separatis a materia sine materia competit conditio indiuidui. Demum si per materiam constitueretur indiuiduum, ea scientia quæ abstraheret a materia, abstraheret etiam a conditione Indiuidui, at hoc non accidit, nam Aristoteles in septimo Metaphysicæ trigesimoquinto, inquit, dari singularia Mathematica, quæ cum sint sciūcta a materia, ea appellat singularia intelligibilia.

Auer. *Ratio 5.* *Arist.* *Alexander.* *Rationes aduersæ. Ratio 1. Ratio 2.* *Ratio 3.*

CAP. XIIII.

De Principio Indiuiduationis opinio secunda & tertia.

EXISTIMARVNT nonnulli principium Indiuiduationis non materiam sed Quantitatem esse, idque nituntur ostendere, primò, quia distinctio indiuiduorum non potest constitui per differentias essentiales, illæ enim constituunt, & distinguunt species, quare constitui debent per acccidentales, accidentium autem origine primum est Quantitas, per eam itaque primo constitui debet. Præterea id primo constituit indiuiduum, per quod materia in partes diuiditur, & sine quo distinctio, & multitudo indiuiduorum non seruatur, huiusmodi autem est Quantitas. Demum frequenter Aristoteles conditionem indiuiduorum circumsc[illegible] it per quantum, veluti in 4. Metaphysicæ 22. inquit mortalia fluere secundum quantum, hoc est secundum conditionem singularem, seruari vero secundum quale, hoc est secundum conditionem communem. Nec desunt alii qui tertiam enunciantes sententiam inquiunt accidentia cuncta, singulorum propria, & præsertim quantitatem esse principium indiuiduationis: hinc ea dicuntur accidentia indiuiduantia. Ratio est: quia si solam quantitatem inspicimus, ea est apta in partes diuidi, pluribusque formis sub ic.

Principiū esse Quātitatem. Ratio 1. Ratio 2. *Ratio 3.* *Opinio 3.* *Ratio 1.*

Con-

Confirmatur authoritate Porphyrii, qui circumſcribens ſingularia, dixit eſſe ea quæ ex accidentibus conſtant, quorum collectio non valet eadem in alio reperiri. & in ſecundo Poſter. inquit Philoſophus, ſub eadem ſpecie multas reperiri differentias, ad eſſentiam non attinentes, quæ ſunt accidentia indiuiduantia: ideo eo loci inquit Philoponus id fuiſſe dictum, quia indiuiduum eſt congregatum ſecundum accidens. Præterea, illud eſt principium indiuidui, per quod indiuiduum vnum differt ab altero, at differunt, non per eſſentiam, ſed per accidentia, ea itaque ſunt principium indiuidui. Inſuper, id eſt principium indiuidui à quo abſtrahunt ſcientiæ, quarum officium eſt abſtrahere ab indiuiduis, at abſtrahunt non à materia, nec à forma, ſed ab accidentibus, ea itaque ſunt principium indiuiduorum. Præterea, id eſt principium indiuidui, quod ſingulare ſuperaddit naturæ ſpeciei, at ſuperaddit ſolum accidens. Hinc Boetius in Porphyrium dixit, ſpeciem denotare vniuerſam eſſentiam indiuidui, & indiuiduum nil addere niſi accidens. Hæ duæ opiniones apprimè dubiæ videntur, non enim indiuiduum Subſtantiæ poteſt primo per accidentia conſtitui, quod oſtendo, & primò. Vt genus Subſtantiæ ſe habet ad genus Accidentium, & ſpecies ad ſpeciem, ita indiuiduum ad indiuiduum, vt genus & ſpecies Subſtantiæ ſunt priora genere & ſpecieb. Accidentium, vt dicitur in 7. Metaphyſ. cont. 4. quare indiuiduum quoque Subſtantiæ, iudicandum eſt prius indiuiduis Accidentium, prius autem non conſtituitur per poſterius. Inſuper, accidentia indiuidua redduntur per Subiectum, & albedo vnius partis niuis, eſt numero vna, quia Subiectum eſt numero vnum, quare non poteſt Subiectum reddi vnum numero per eius Accidentia. Præterea, inquit Philoſophus in Prædicamento Subſtantiæ, indiuidua eius eſſe Subſtantias primas, & cætera vel eis accidere, vel de eis dici, Subiectum autem eſt prius his quæ illi accidunt, vt dicitur in 1. Phyſic. Præterea, vt Prædicamentum ſe habet ad Prædicamentum, ita indiuiduum ad indiuiduum, Prædicamentum Subſtantiæ eſt prius origine Prædicamentis Accidentium, quare indiuiduum Subſtantiæ antecedit origine indiuidua Accidentium, & non poteſt per ea conſtitui. Præterea, inquit Themiſtius in 3. de Anima, quod aliud eſt indiuiduum, & eſſe indiuidui, vt Socrates, & eſſe Socratis, Socrates includit Accidentia, eſſe eius, illa excludit & ſolum includit principale principium indiuidui, & cum eſſe Socratis nō ſit Accidens, ſed prima Subſtātia, abſurdum eſt dicere accidens eſſe principale principiū indiuidui. Præterea, aſſeritur in 2. Phyſ. omne ſecundum Accidens, eſſe poſterius eo quod eſt ſecūdum ſe, & redigi ad id prius quod eſt ſecundum ſe, at Accidentia cum ſubſtantia conſtituunt compoſitum ſecundum Accidens, quare expoſcunt aliquid prius ſecundum ſe, id autem eſt indiuiduum quod dicitur prima Subſtantia, quare id non conſtituitur per aliquod Accidens, ſed per aliquam Subſtantiam antecedentem. Demum Accidentia, & præſertim terminata Quantitas, quæ ab eis ſtatuitur principium principale indiuidui, variantur, ſeruato indiuiduo eodem, quare ea non ſunt principale principium Indiuiduorum.

Porphirius. *Ariſtot.* *Philoponus.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Boetius.* *Euerſio.* *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Ratio 6.* *Ratio 7.*

Cap. XV.

De Principio Indiuiduationis opinio Quarta.

Opinio 4. OPINIO quarta est D. Thomæ & multorum qui eum sequuntur, & inquiunt, nec solam materiam, nec solam Quantitatem, sed materiam quantam *D. Thom.* esse Principium indiuiduationis: Hoc elicitur ex D. Tho. in quinto Metaphysicæ exponente, cont. 12. & latius in 3. parte Summæ, q. 77. art. 2. quo loci inquit: Conditio indiuidui est, vt nequeat in pluribus esse: quod dupliciter contingere potest, primo, quia non sit natum in aliquo esse, veluti formæ immateriatæ ex se subsistunt, & indiuiduæ sunt. Secundo, quia quamuis sit natum esse in aliquo, non tamen valet esse in plurib. vt formæ materiatæ Substantiarum, & Accidentiũ, quæ ita sunt in aliquo, vt nequeant esse in alio, veluti hæc albedo. Vt pertinet ad primum, materia est principium indiuiduationis singularum formarum in ea existentium: cum enim huiusmodi formæ exposcant Subiectum, & recipiantur in materia, quæ non est in alio, similiter nec forma ei inhærens poterit esse in alio. Vt verò pertinet ad secundum, Quantitas est indiuiduationis principium, ideo enim aliquid aptum est esse in vno solo, quia id ex se indiuisum est, & diuisum ab omnibus aliis, diuisio autem competit Substantiæ per Quantitatem, ac ita Quantitas est quoddam indiuiduationis principium, quatenus formæ numero distinctæ, sunt in variis partibus materiæ, & ob id Quantitas ex se includit quandam indiuiduationem; Possumus enim imaginari plures lineas eiusdem speciei, differentes positione quæ ad Quantitatem pertinet, &c. Ex his elicitur conspicua sententia D. Tho. quam nonnulli recentiorum sibi, vt pro-*Confirmatio.* priam arrogarunt. Pro cuius opinionis confirmatione ea afferri possunt, quæ in præcedentibus pro opinione putantium vel materiam, vel Quantitatem esse *Euersio.* principia indiuiduationis, relata sunt. At ex aduerso vt per ea fundamenta confirmatur, ita per aduersas rationes reijcitur, & præsertim per eas quibus osten-*Ratio alia.* sum est, accidẽtia non posse statui principia indiuiduationis. Quibus addo, quod cum hi duo statuant principia indiuiduationis, vel ea æquè sunt prima, vel vt *Euasio.* non æquè, non enim Substantia & Accidens iudicari valent principia æqualiter, & eiusdem gradus. Si alterum eorum est priùs, nos id quærimus, & de eo est dubitatio. At inquit D. Tho. indiuiduorum duas esse conditiones, quæ per ea duo *Euersio.* constituuntur, adeo vt neutrum sit principium adæquatum, sed ambo simul. Contra statim, quod de forma materiata dicimus non esse aptam, esse in alio, & competere aliis, indicamus esse indiuiduam, & quia hęc habet à materia, ea sine Quantitate poterit esse principium indiuiduationis. Præterea, ratio D. Thom. videtur leuis, cum dicit huiusmodi formas per materiam non posse esse in alio, quia materia non est in alio, nam instantia est de loco, qui non est in alio loco, & tamen corpus quod in eo est, valet in alio reperiri. Præterea, quod addit de Quantitate, quod ex se habet indiuiduationem, videtur pugnare cum eius sententia, quia si seclusa materia seruatur conditio indiuidui materia non erit principium necessarium eius. Insuper, quia iuniorum nonnulli aiunt, eam fuisse opinionem Auerrois, conspicuè elicitur eos decipi, ex secundo de Anima, 63. *Auerroë non fuisse eius opinionem.* quo loci inquit Auerroes, per Hominis Phantasiam quam ipse vim cogitandi appellat, apprehendi indiuidua decem Prædicamentorum, & expoliari intentionem particularem à sensibilibus communibus & propriis eamque collocari in facultate memoriæ, &c. conspicue Auerroes his verbis indicat seruari

condi-

conditionem indiuidui seorsum ab omnibus accidentibus, quod non contingeret, si per accidentia constitueretur: hinc Auer. in primo de Anima, 63. & 90. in secundo de Anima 60. & alibi, ait, distinctionem & constitutionem indiuiduorum ex forma pendere. Præterea illud censeri debet principium indiuiduationis, quod cum ex se sit tale, cætera per illud indiuidua redduntur, at materia Quanta non est huiusmodi, vt conspicuum est. Et confirmatur; quia ex sententia D. Thom. Quantitas non præcurrit, sed sequitur formam, cum itaque forma indiuidua sit ante Quantitatem, non valet per sequentem Quantitatem indiuidua reddi. Præterea, materia cum sit communis, non valet esse principium iudiuiduationis, nec quantitas interminata, tum quia est communis, tum insuper, quia non conceditur à D. Tho. neque terminata: quia formam indiuiduatam sequitur, quare nec materia quãta statui potest huiusmodi Principium. Et confirmatur: quia si id esset, indiuiduum substantiæ non ad solum Prædicamentum substantiæ pertineret, quia includeret Accidentia pertinentia ad alia Prædicamenta, quod est absurdum, vt enim substantia non pendet ex aliis Prædicamentis, ita indiuiduum Substantiæ, quod est Substantia prima, ex aliis pendere non debet: non itaque materia, nec materia Quanta, vel materia aliis accidentibus coarctata, valet esse principale principium indiuidui. *Ratio alia.* *Cõfirmatio.* *Alia ratio.* *Confirmatio.*

Cap. XVI.

De Principio ind uiduationis opinio Quinta.

SCOTVS ingenio perspicacissimo præditus, in 2. Sent. Dist. 3. q. 6. loquens de principio indiuiduationis, inquit, non propriè sumptam materiam, sed modum materiæ, quem & materiam totius, & hecceitatem appellat, statuendum esse commune & adæquatum principium indiuiduationis. Pro cuius explicatione considerandum est, ex opinione eius primo origine dari naturam speciei, quæ sit specie vna, non formaliter, sed pro fundamento, quæ reddatur vna formaliter per differentiam constituentem speciem, quæ natura ab eo dicitur vnitas major vnitate generis, minor vnitate formali speciei, quale est Animal in Homine, & color in albedine. Insuper imaginatur dari vltimam realitatem formæ, materiæ, & compositi, primo diuersam à quauis essentia eorum, quæ sit tanquam actus contrahens naturam eorum ad postremam realitatem indiuidui: quam postremam realitatem ait nuncupari materiam, quia est extra essentiam speciei, & rem constituit aptam subijci, vt differentia specifica, constituit rem aptam formaliter prædicari. Et quamuis hæc vltima realitas comparata cum forma speciei, sit quidam actus, eam contrahens, tamen non dicitur forma, sed materia, quia est præter essentiam rei, nec reddit eam aptam prædicari, sed solum subijci, adeo vt ei repugnet diuisio in plures partes aptas subijci, quæ cum sint propria materiæ, ideo nomine materiæ denotatur, non quidem partis, sed totius, quæ contradistinguitur ab essentia cuiuslibet rei sub Deo existentis, siue sit forma, siue materia partis, siue compositum. Vtitur pro comprobanda hac opinione duplici ratione: prima est, quia vt Vnitas vniuersè sumpta, sequitur Ens vniuersè sumptum, & cum eo reciprocatur, ita aliqua Vnitas aliquod Ens, quare maxima Vnitas, qualis est ea indiuidui, sequi debet naturam speciei, contrahendo illam, hæc autem est illa vltima realitas, quæ hecceitas dicta est. Secundo, omnis differentia redigi debet ad aliqua primo diuersa, quare differentia indiuiduorum ad primo diuersa redigi debet, ea non sunt natura spe- *Opinio 5.* *Sentẽtia Scoti.* *Ratio 1. Scoti.* *Ratio 2.*

ciei, quæ in variis reperitur, non natura Materiæ partis, communis multis non accidentia, nec negationes, vt conspicuum est, quare erunt entitates positiuæ contrahentes naturam Materiæ, formæ, & compositi, quæ hecceitates & materia totius nuncupantur, distinctæ formaliter ab eis quæ contrahuntur; & hac ait Scotus denotasse Aristotelem in 5. Metaphysicæ, cont. 12. inquiente, vnum numero id esse, cuius materia est vna, & in 12. Metaphysicæ 49. asserentem actum primũ nempe Deum immunem esse a materia: nam Deum solum huius materiæ expertem existimauit. Ego consentio cum Scoto, dari materiã, & partis & totius, vt suo loco patefeci, dissentio tamen primo, quia eam Vnitatem mediam inter Vnitatem speciei, & generis commentũ iudico. Secundo, quia materiam totius nõ puto esse hecceitatem, sed omne quod est præter essentiam cõpositi. Tertio, eam materiam totius, non puto competere cunctis sub Deo positis, sed solum compositis. Quartò, quia non puto eam esse principale principiũ indiuiduationis. Demum, non existimo Aristotelẽ in 5. & 12. Metaphysicæ, per materiam denotasse illam hecceitatem. Vt pertinet ad primum, ea distincta Vnitas superuacanea videtur, quoniam ante aduentũ differentiæ specificæ, semper ea Vnitas pertinet ad genus, & generica est, quia Vnitas formã sequitur, inter gradum formæ genericæ, & specificæ, non datur medium: solum dicere valemus, quod vt materia cõsiderari potest pro suo esse absoluto, & est vna & pro esse relato ad quatuor primas formas Elementorum, & est quadruplex, vt asseritur tertio Cœli 37. ita gradus genericus considerari potest pro suo esse absoluto, pro quo est vnus, & pro esse relato ad specificas differentias, & est totuplex, quot sunt differentiæ, & modo quodam medius: at hæc est distinctio, & ordo non absolutus, sed rationis, qua sola consideratione ea Scoti sentẽtia approbari potest. Vt pertinet ad secundum, nempe quod Materia totius non sit relata hecceitas, ostenditur primo: quia materia totius refertur ad formam totius, & ab ea contradistinguitur forma totius, quæ ab Aristotele in 2. Phys. dicitur totum, & compositio, est vniuersa essentia compositi, quare materia totius est id omne quod competit composito, & est præter essentiam eius: huiusmodi autem non sunt illæ postremæ realitates competentes nedum composito, verum etiam materiæ & formæ, sed singula accidentia, & conditiones indiuiduantes. Confirmatur: quia forma totius denotat totum quoddam, & perfectum, præsupponens partes varias, hoc competit soli composito, non autẽ materiæ, & formæ. Insuper, alienum a vero puto, quod prima rerum materia cõstet ex materia partis, & forma totius. Similiter, simplices rerum formæ, ita enim in composito triplex esset forma totius, triplexque materia, & præter eas forma quarta partis, & materia quarta partis. Insuper, materia non esset Subiectũ primum, vt dicitur in primo Physic. 82. sed aliud includeret, nempe hecceitatem, per quam redderetur apta subiici, dicendo, hæc materia, est materia, cum tamen numquam dicatur hæc materia, nisi vt includit proprias dispositiones. Similiter forma partis non valet includere aliquid, quod ipsius formæ materia sit, ita enim forma esset materia suimet & materia rectius diceretur forma, quam materia, quia propriè materia, est eius essentia, quæ essentia dicitur forma totius: hæc autem absurda videntur. Insuper cõspicuè Aristoteles in 8. Metaph. cont. 8. inquit, idẽ esse Animã & esse Animę, quod minime verum esset, si Anima includeret materiã totius. Loquendo de tertio, satis lucide patet ex sententia Aristotelis, materiam totius non competere cunctis sub Deo positis, & Deum solum ab ea esse immunem: uam frequenter ait in omnibus a materia seiunctis, in idẽ

Consensio cum Scoto & dissensio.

Prima dissensio.

Secunda dissensio.

Confirmatio.

Tertia dissensio.

luti

venire naturam speciei & indiuidui, adeo, vt in eisidem sit caro & esse carni, veluti etiam de Anima id protulit in 8. Metaphysicæ, cont. 8. Insuper, in 1. de Cœlo 92. inquit: In solis cõflatis ex materia & forma, carnem & esse carni distingui. Similiter, Cœlũ, & esse Cœli, siue Mundum, & esse Mundi, & explicans quæ sit hæc materia, per quam distinguuntur, nõ ait esse hecceitatem, sed corpora sensibilia, suo ordine mundum constituentia. Insuper cum Philosophus in 12. Metaphysicæ ostendat motorem cœli esse abiunctum, & à materia immunẽ, quærit deinde in cont. 43. an huiusmodi motor sit vnus, vel plures, & ait esse plures, omnesq; esse abiunctos, & à materia solutos ob eandem rationem, hoc est, quia semper mouentur, adeo vt non primum solum, sed motores omnes consimiliter statuat expertes materiæ, & de omnibus asserit, quod idem est essentia, & id cuius est essentia, similiter in 8. Phys. ostendens Philosophus motores Cœli esse materia solutos, de proprie sumpta materia loquitur, nõ autem de illa hecceitate, & propterea cum in 12. Metaphysicæ 49. tanquam conspicue absurdum derelinquat, primum motorem esse materiatum, non denotauit hecceitatem (vt censuit Scotus) sed eam materiam, à qua in 8. Phys. & in eodem 12. Metaphysicę demonstrauerat esse seiunctum. Ex quo etiam patet, quod cum in 5. Metaphysicæ cont. 12. inquit Philosophus vnum numero esse id, cuius materia est vna, nomine materiæ nõ denotauit hecceitatem competentem etiam simplicibus formis sub Deo positis, sed eam per quam sæpe dixit in compositis ex ea distingui conditionem indiuidui, ab ea specierum, huiusmodi autem est materia proprie sumpta, quæ est altera pars compositi, vt ex relatis, & ex his elucescit etiam veritas, & ratio quartæ & quintæ dissensionis. *Elicitur aliud.*

CAP. XVII.

De Principio indiuiduationis opinio propria.

CVM relatæ opiniones satis dubiæ apparuerint, pro resolutione, duas profecto assertiones. Prima est, quot sunt principia existentiæ indiuiduorũ, tot esse principia indiuiduationis. Altera est, cum forma principale principium existentiæ rerum, etiam est principale principium indiuiduationis. Pro explicatione primæ, accipio ea, quæ propriè existunt indiuidua esse, & propterea quæ sunt Principia existentiæ, etiam esse principia indiuiduationis. Confirmatur, quia, vt Esse & Vnum reciprocantur, ita existere, & vnum numero principium existentiæ & vnius numero. Principia existentiæ sunt duplicia quædam secundum accidens, alia secundum se. Principia secundũ accidens sunt proximiora, & notiora nobis, & sunt accidentia propria indiuiduorum, sine quibus indiuidua nõ existunt, & ad materiam pertinent, cum sint præter essentiam, & sint dispositiones materiæ: hoc principium vt nobis notius, explicauit Arist. in 5. Metaphys. cont. 12. inquiẽs, vnũ numero esse id, cuius materia est vna, materia autem dicitur vna numero per dispositiones eius. Id clarius expressit Porphyrius in lib. Vniuersaliũ inquiens, indiuiduum esse id, quod ex accidentib. constat, quorum collectio in alio eadem non reperitur, de qua differentia indiuiduorum per accidentia mentionem fecit Arist. in 2. Post. Principia existentiæ secundum se, etiã sunt duplicia, vel externa, vel interna, externa sunt efficiens, & finis, vna cum tẽpore conspirante ad indiuiduorum productionem, vnius enim numero vnũ numero est efficiens, in eodem numero tẽpore, pro eodem numero tempore pro eodem fine. Hinc Arist. in 5. & 8. Phys. pro motu numero vno, dixit requiri vnũ numero efficiens, vnum numero tempus, & vnũ numero finem, siue terminũ, qui acq[ui-]

1. Conclu. *2. Conclu.* *Explicatio primæ.* *Principia existentiæ 2.* *Arist.* *Porphyrius.* *Principia existentia secundũ se.*

ritur. Principia essentiæ & existentiæ interna sunt materia, & forma, per quę cum res sint, etiam sunt vnum, idem enim est Homo, Ens Homo, & Vnus Homo, vt asseritur sub initio quarti Metaphys. Hinc vnius numero compositi, vna dicitur numero materia, & vna numero forma. Ex his patet, principia indiuiduationis esse, & accidentia, & tempus & quatuor genera causarum. Dicebatur secūdo. Formam esse principium principalissimū, pro cuius notitia animaduertendum, quod quamuis causæ externæ, sint causæ principaliores dominātur internis, & ob id absolute nuncupant causæ, tamen pro rei constitutione internæ principatum obtinent, cum composita in eis constituantur, & ideo id statni debet principale principiū indiuidui, quod principalius & intimius illud constituit, huiusmodi sunt, primo forma, secūdario materia, quare forma statui debet principalissimum principium indiuiduationis. Quod confirmatur, quia cum vnum numero sit mox vnum, ex quinto Metaphysicæ, id statui debet principale principium eius, cui maximè competit ratio, & conditio vnius, huiusmodi autem est forma, nam vt asseritur in 2. de Anima, cont. 7. cum Ens & vnum dicātur multipliciter, id quod maximè est tale, actus & forma est. Confirmatur, quia vt se habet vnitas generis, & speciei ad suum principium, ita vnitas numeri ad suum, at vnitas generis, & speciei formam sequitur, quare & ea numeri Insuper, conspicuè Aristoteles in 2. de Anima, cont. 2. inquit, per formam cōstitui hoc aliquid: at hoc aliquid est indiuiduum Substantiæ, vt asseritur in Prædicamēto Substantiæ. Hinc Simplicius illum cont. exponens, ait: omne compositum per formam est, & hoc aliquid, Quod etiam lucidius protulit in 1. Physic. com 82. inquiens, Materiam esse indiuiduam, non ex se, sed per indiuiduas formas, quemadmodū etiam formatur ab eis. Nam indiuidua numero differentia, diuisione multiplicantur, & differentiis accidentium: at nec diuisio, nec numerus, nec differentia sunt propria materiæ, sed formarum, &c. His verbis indicat Simplicius formam Substantiæ primo & præsertim constituere indiuiduum, Accidentia verò extrinsecus. Confirmatur, quoniam id est principale proprium indiuidui, quod est terminus generationis eius, termino enim constituitur id, cuius est terminus, huiusmodi autem est forma. Insuper, indiuiduum per id præsertim est indiuiduum, per quod nec diuidi, nec multiplicari aptum est, per materiam & molem, est aptum diuidi, & multiplicari, sola forma ea est, quę ex se diuisionis est expers, & alteri competere non potest, non enim Anima Socratis vllo pacto est apta alteri indiuiduo competere. Prætetea, id statui debet principale principium, quod in omnibus seruatur, & locum habet, huiusmodi est sola forma, cuncta enim indiuidua vel sunt forma, vel eam includunt, non autem includunt materiam, vt patet de formis à materia seiunctis, de quibus Aristoteles in 8. Metaphysicæ cont. vlt. ait, quod statim sunt id, quod sunt, & in eis seruatur natura indiuidui sine materia. Id ipsum comprobatur authoritate plurimorum illustrium Peripateticorum, nam Auerroes 10. Metaphys. com. 1. & 1. de Anima, 90. inquit, formam esse causam, quod indiuiduum sit vnum, & continuū. Et in 2. de Anima, 60. ait melius esse putare varietatem formæ, esse causam varietatis materiæ, quam vice versa. Et in 1. de Anima. 53. inquit, mēbra Cerui non differre à membris Leonis, nisi quia Anima vnius, differt ab Anima alterius, quare similiter membra Platonis non differunt principaliter à membris Socratis, nisi quia Anima vnius differt ab Anima alterius. Prætetea in Paraph. de partib. Animal. l. 3. cap de Corde, ait, ostenditur Animam esse vnam, quia quod est vnum, est tale per suam vnicam formam, est enim vnum per id, quod est, habet autem esse per formam

Colligitur principium.
Formam esse principiū principalissimum.
Ratio 1.
Ratio 2.
Ratio 3.
Ratio 4.
Simplicius.
Ratio 5.
Ratio 6.
Ratio 7.
Auerroes.

formam suam, & nisi daretur hæc vna forma, non reperiretur in animali vno aliquid, per quod tale animal possit vnum appellari, nisi per aliquid posterius suo esse, quod est ipsa materia. Nam si partes Animæ essent tres, & quælibet earum esset distincta Subiecto, vt opinati sunt Plato, Hippocrates, & Galenus, principia membrorum essent tria, & indiuiduum non esset vnũ, nisi per corpus, vt quę sunt vnum per ligamenta, quod maximè est absurdum, cõspicuè asserit & ostendit Auerr. principale principiũ indiuidui esse formam, quod patefecit Arist. in 1. de Cœlo, 92. inquiens, hanc carnem, hoc Cœlum, & similia particularia, denotare formam in materia, hoc est, denotare primo formam, secũdario materiam: id autem statui debet principale principium indiuidui, quod primo per eius nomen denotatur, materia autem est causa secundaria, & causa, sine qua non, vt etiam ipsius esse rerum. Nam forma secundum se considerata, per varios gradus abstractionis constituit varios gradus Vniuersalium, considerata autem cum materia, constituit Indiuiduum, & hoc est id, quod denotauit Alexander in 1. Nat. q. cap. 3. & in 1. de Anima cap. 25. *Arist.* *Alexan.*

Cap. XVIII.

Diluuntur rationes aduersæ.

VT aduersæ rationes conspicuè diluantur, præaccipienda sunt nonnulla, & primo animaduertendum est, in indiuiduis duo considerari, primo est vnitas & esse eorum, alterum est multitudo sub specie, primũ est principale, & necessarium, alterum minus principale, & non necessariũ, nam etiam sine multitudine seruatur indiuiduum, primum pendet ex forma, alterũ ex materia, vna cum quantitate, ea enim origo est indefinitæ multitudinis, vt constat ex 3. Phys. Accipio secundo, Indiuiduum dici de duob. de cõposito per denominationem, & de principio cõpositi per originem & causam: compositum primo, & præsertim est vnum per formam. Sed videndum est, quomodo forma, & per quid sit vna numero. Ideo accipio tertio, in Vniuerso sola indiuidua subsistere, & reperiri, hinc dicebat Aristot. in Prædicamento Substantiæ, demptis primis Substantiis, cuncta aboleri, & Auerroes duodecimo Metaphysicæ vigesimoseptimo, vigesimooctauo, & in secundo, de Ortu & interitu vigesimonono, inquir, solũ indiuiduum re vera esse, adeo vt statim quod aliquid in vniuerso actu existit, statim sit singulare: vniuersale autem constituitur actu per intellectum abstrahentem ab existentia in vniuerso, & ob id Aristoteles in prooemio de Anima, contex. octauo, dixit, Vniuersale vel nil esse, vel posterius, nil est actu subsistens, posterius autem est, vt abiunctum per intellectum. Hoc præassumpto, dico, principia esse vnum numero per se, vt in vniuerso existant, & quia existere in vniuerso propriè & primo competit actui, qui forma est, ideo ei primo competit vnum vt asseritur in secundo de Anima cont. septimo, & per eam competit composito, at quia id non valet tribuere composito sine materia, ideo materia dicitur principium secundarium, & causa sine qua formæ nec existere, nec multæ numero esse possunt. Et ita non est ponenda noua realitas in forma, contrahens naturam speciei, ad eam indiuidui, vt sensit Scotus, sed est eadem realitas formæ considerata, vt in Vniuerso existens, nec per alteram realitatem ab ea formæ compositum est vnum numero. Sic itaque indiuiduatio est conditio, sequens existentiam rei in Vniuerso, & præsertim formæ, secundo materiæ, & per hæc competens composito. At instabatur per Aristotelem in quinto Metaphysicæ, *Primum quod accipitur.* *Alterũ.* *Tertium.* *Quid sit Indiuiduatio.* *Instãtia.*

12 dicentem, vnum numero id eſſe, cuius materia eſt vna. Reſpondeo, Ariſtotelem ſumpſiſſe materiam in Definitione indiuidui. Primo, quia per materiam denotauit etiam accidentia indiuiduantia, ad materiam pertinentia, quæ ſunt principium nobis notius. Secundo, quia conſiderauit indiuiduum vt particeps multitudinis, quæ ex materia oritur. Tertio, quia conſiderauit indiuiduum vt contradiſtinctum a ſpecie, quæ diſtinctio ſolum competit materiatis, nam in abiunctis in idem veniunt. Quarto, quia Ariſtoteles explicare voluit propriam formalitatem, per quam forma indiuiduum cōſtituit, nam forma vt in materia, conſtituit indiuiduum, quæ ſic actu exiſtit. His accedit (vt conſiderauit Simplicius,) quod materia proxima non eſt vna, niſi per formam Accidentalem extrinſecus, intrinſecus vero per formam Subſtantialem. At inſtabatur, quia ſcientiæ abſtrahūt a principio indiuiduationis, cū tamen non abſtrahunt a forma, quare forma non videtur principium indiuiduationis. Reſpondeo, ſcientias abſtrahere a forma vt actu exiſtente in Vniuerſo, & ita abſtrahere ab indiuiduatione, quamuis non abſtrahat a forma pro ſuo eſſe abſoluto. Inſuper inſtabatur: quia forma eſt fundamentum Vniuerſalis, Reſponſio patet, nam forma vario modo ſumpta conſtituit vnum, & numero, & ſpecie, & genere, vnum numero non conſtituit ſine propria materia, vt Vniuerſale, & ob id dicitur fundamentum vniuerſalis, & præſertim, quia abſtractio ex forma fit. Addebatur, id eſſe principium indiuidui, quo poſito, indiuiduum diſtinguitur ab vniuerſali, & quo dempto non diſtinguitur, hoc autem materiæ competit. Reſpondeo, per materiam non conſtitui indiuiduum, id enim etiam ſine materia ſeruatur, ſed conſtitui diſtinctum a ſpecie, & multiplicatum. Inſuper id de materia verum eſt, vt de cauſa ſine qua non, & ſecundaria. Dicebatur, indiuidua inter ſe vel diſtingui forma, vel materia, non forma: quia conſtituit diſtinctionem ſpeciei, igitur materia, vt aſſeritur ab Ariſtotele decimo Metaphyſicæ, vigeſimoquinto. Reſpondeo, ea primo, & præſertim diſtingui forma, non quidem abſolute ſumpta, ſed vt exiſtente in Vniuerſo, & quia id ei non competit ſine propria materia, ideo id materiæ tribuitur, vt denotetur id per quod contradiſtinguitur a forma abſolute ſumpta, conſtituente ſpeciem. Afferebantur rationes pro parte aſſerentium accidentia eſſe principium indiuiduorum, quæ diluuntur, tum quia per ea extrinſecus conſtituuntur, & tamquam per notiora nobis circumſcribuntur, tum inſuper, quia attinent ad materiam, & ad exiſtentiam, nam cōſiderare formam, vt in Vniuerſo exiſtit, eſt eam conſiderare cum huiuſmodi accidentibus. Similiter ex dictis elicitur ſolutio rationum pro opinione D. Thomæ relatarum, nam materia eſt principium ſecundarium, cauſa ſine qua non, & origo non indiuidui, ſed multitudinis, & diſtinctionis naturæ ſpeciei ab ea indiuidui. Rationes pro parte Scoti relatæ, mihi non obſunt, nam concedo indiuidua differre, per aliquid primo, & ex ſe diſtinctum, id verò aſſero præſertim eſſe formam, vt actu exiſtentem Vniuerſo, ſecundario verò materiam, & hæc duo inuicem in proprio genere ſunt cauſæ: nam materia formaliter indiuiduatur per formam, forma verò non eſt indiuidua ſine materia ex qua eſt educta, forma itaque principale principium eſt.

Solutio inſtantiæ. *Alia inſtantia diluitur.* *Solutio alterius.* *Solutio alterius.* *Solutio alterius.* *Quomodo accidentia ſint & nō ſint Principium.* *Solutio rationū pro opin. D. Tho.*

CAP. XIX.

A quo, & cuius gratia ſit Materia.

HACTENVS apparuit an ſit, quid ſit, & qualis ſit materia, ſupereſt modo conſiderandum, a quo, & cuius gratia ſit: qua de re breuibus, & lucidè agens,

agens, assero consensisse veteres Philosophos, materiam esse ingenitam, & æternam, & ob id carere causa efficiente. Ratio huius consensionis est, quia solam nouerunt generationem per transmutationem, & materiam, creationem non cognouerunt, huiusmodi autem generatio non valet materiæ competere, vt conspicuum est: & ob id vnanimes, enunciarunt, ex nihilo nil fieri. Ita asseruerunt materiam gigni non posse, alioquin fieret ex materia, & esset antequam fieret. At cum de eius æternitate cõsenserint, dissenserunt tamen: quia nonnulli materiam principium absolutè primum existimarunt, ex nullo pendens, ex quo detrimenta & mala prodirent, ex quorum numero fuerunt Academicorũ nonnulli; vt Atticus, eius asseclæ, & Plutarchus, vt ei tribuit Ficinus in Plot. En. secundo; libro quarto, capitulo secundo. Insuper, Manichæi referente Philopono in dispu. 3. contra Proclum, & Simplicio in Epict. capitulo trigesimosecundo, nec non D Thom. tertio, contra Gentes, capitulo decimoquinto, & Auerroes contra Algaz. disput. tertia. in solut. duodecimæ dub. Hi Deum & materiam duo prima principia putarunt, quorum Deus esset ipsum bonum, & bonorum origo, materia ipsum malum, & principium malorum, & ob id inuicem pugnare, & ex imperio vnius, vel alterius, dixere in Vniuerso bona vel mala prodire. Similiter Democritus, Leucippus, & Epicurus, materiam, quam Atomos putarunt, dixerunt ex nullo pendere, à nulloque dirigi. Ex aduerso Plato, & Aristoteles materiam ex Deo pendere, ab eoque dirigi existimarunt: & quod ex Deo pendeat, in genere finis consentiunt, Deus enim est communis omnium finis cuius gratia sunt omnia, & cui cuncta inseruiunt, nam materiæ duplex est finis, vnus proximus, & est forma, alter remotus, & est Deus: materia enim parata est, vt perenni generatione formas recipiat, constituat composita, & inde prodeat Mundi absolutio, qui Dei gloriam enarrat. An autem materia ex Deo pendeat in genere causæ efficientis, lis est. Nam efficiens est duplex, vnum conseruans, alterum absolutè transferens ex non esse ad esse. Existimat Aristoteles, Deum esse causam materiæ conseruantem, nam per Cœli motum, & lumen seruat ordinem Vniuersi & ortum ac interitum, sine quibus materia non esset. Hinc legitur in nono Metaphysicæ, quod nisi darentur formæ à mole seiunctæ, nil esset: At inficiatur Deum esse causam transferentem materiam absolutè ex non esse ad esse, vt latius patefeci in libro de æterna Creatione. Plato autem id magis asserere videtur, nam quamuis materiam, & Animam statuat æternam, in ea tamen æternitate ordinem originis considerat, ex cuius sententia principaliores Academici aiunt, ex diuina Mente Ideis insignita, prodiisse Animas, & præsertim eam Mundi, rationibus decoratas, ex Anima autem prodiisse materiam, seminibus fœcundam, per quæ primo constituerentur quatuor simplicia corpora, quæ Elementa nuncupantur, & hanc emanationem æternam, nonnulli æternam creationem appellant, quam originis ordinem per ideas, rationes, & semina, Aristoteles non approbat. Adeo, vt constanter hoc colligere valeamus, materiam ex Deo pendere, nam dicere quod ex nullo pendeat, desipere est, ita enim principium absolutè primum non esset vnum, & materia non appeteret formam vt bonum, res enim ob id bonum optant, quia ex ipso bono pendent. Insuper non obtemperaret communi motori, nec in finem, quem expetit efficiens, sui natura conspiraret, ea enim cum efficiente non pugnant, quæ ex eo pendent, & præsertim non est principium primum, cum Deo pugnans, eique oppositum, quia Deo nil est contrarium, vt legitur in duodecimo Metaphysicæ. Absoluta autem veritas hæc est, materiam vna cum

Sententia veterum. *Manichæi.* *Democritus.* *Leucippus.* *Epicurus.* *Plato.* *Plato.* *Absoluta veritas.*

formam in Vniuersi productione à creatore Deo concreatam fuisse, cui Honor & Gloria in sæculorum sæcula.

Cap. XX.

De materia Mathematicorum.

Proponitur agendũ de materia Mathematicorum.

QVAMVIS principale institutum meum sit de Materia Sensibili loqui, cumulatioris tamen doctrinæ gratia, etiam de ea Mathematicorum, quæ intelligibilis nuncupatur, verba faciam. Frequenter affirmat Aristoteles Mathematica includere materiam, veluti in tertio de Anima context. vndecimo, inquiens, rectum esse vt simum, quia est cum continuo, & in cont. nono, eiusdem, affirmat aliud esse magnitudinem, & esse magnitudini. Hinc in septimo Metaphysicæ trigesimoquinto, & trigesimonono, insuper in octauo Metaphysicæ cont. decimosexto, Materiam secat in Sensibilem, & Intelligibilem, adeo vt omnes de hoc consentiant dari materiam Mathematicorum, quam intelligibilem appellant, verum quæ sit huiusmodi materia, summopere dissentiunt. Magnus Albertus in quinto Metaphysicę tractatu tertio, & cum eo D. Thom. in secundo Physicorum Ægidius Gandauensis Scotus, in sexto Metaphysicæ quæstio. prima, & alii multi Viri celebres, existimant materiam intelligibilem Mathematicorum esse Substantiam priorem mole, & qualitatibus sub sensum cadentibus: considerant enim hunc ordinem: primam statuunt materiam primam, quam origine sequi aiunt formam substantiæ, tertiam constituunt Molem, quartam Qualitatem sub sensum per se primo cadentem. Congregatum ex prima materia, & forma substantiæ asserunt esse materiam intelligibilem, quæ nullo sensu, sed sola Mente comprehenditur, siue illa forma substantiæ sit forma corporeitatis, vt censet Magnus Albertus: siue sit forma alia, per quam corpus constituitur, vt putat D. Thom. nil refert. Materiam verò sensibilem inquiunt esse corpoream substantiam Qualitatibus Sensibilibus præditam, & ab hac abstrahere aiunt Mathematicum.

Dari materiã Mathematicorũ consentiunt omnes.

Quid sit opinio Alberti.

Fundamenta.

Præcipua fundamenta huius opinionis hæc sunt, & primo: Sententia est Aristotelis in quinto Metaphysicæ, prius posse abstrahi à posterioribus, at non vice versa, moles considerata à Geometra est posterior congregato ex materia prima, & forma substantiali, quare non valet Mathematicus ab ea abstrahere.

1. Fund.

2. Fund. Insuper Substantia, est prior cognitione Accidentibus, ex septimo Metaphysicæ contextu quarto, quare Accidentia seorsum à Substantia nequeunt sciri, res enim, vt se habent ad esse, ita ad cognitionem.

3. Fund. Præterea, si Mathematicus abstraheret à Substantia tunc versaretur in eo quod non est, quia Accidentis esse est Substantiæ hærere, & abstractio eius esset Mendacium, quia Molem Mente apprehenderet secus ac sit.

Cõfirmatio. Confirmatur per Aristotelem in 4. Metaphysicæ, contextu quarto, dicentem, tot esse Philosophiæ partes, quot Substantiæ, indicans omnem Philosophiæ partem in Substantia versari.

Alia ratio. Præterea, Metaphysicus magis valet abstrahere, quàm Mathematicus, cum sit scientia suprema, & tamen non valet abstrahere Accidens à Substantia, sed docet Accidentia esse definienda per Substantiam, & quod eorum esse sit Substantiæ hærere. His itaque ac consimilibus rationibus suasi viri docti, asserunt Mathematicum nequaquam abstrahere à Substãtia, sed eam in suis Definitionibus aliquo trium modorum includere, vel confusè, vel distinctè illam explicando, vel sumendo definitiones à Metaphysico, qui per Substantiam definit.

Euer-

Cap. XXI.

Euersio relatæ opinionis.

Asserere Mathematicum non abstrahere à Materia quæ substantia sit, est conspicuè pugnare cum ratione, & conditione Mathematicarum scientiarum. Conspicue Philosophus in 12. Metaphysicæ 44. inquit, nullam Mathematicarum scientiarum considerare Substantiam, præter Astronomiam, quæ considerans Molem, & motum Cœlorum, solum confuse in eius cõsideratione Substantiã includit. Insuper, in vndecimo Metaphysicæ cap. 3. legitur Mathematicum. Cæteris derelictis solam considerare Molem & continuum. Insuper Philosophus in secundo de Anima cont. tertio, inquit, corpus Physicũ esse principium cæterorum corporum, at si corpus Mathematicum esset Substantia, id iudicandum esset principium corporis Physici, quia esset prius, non autem corpus Physicum esset principium Mathematici, non enim posterius est principium sui prioris. Præterea, Arithmetica est prima inter Mathematicas, in qua numeri, qui sunt Accidentia, seorsum ab omni Substantia considerantur. Idipsum lucidissime elicitur ex Mathematicis contemplationibus, nam si consideramus prima principia Geometriæ, ea sunt puncta, ex quorum fluxu imaginantur prodire lineas, & ex fluxu linearum superficies, superficierum deniq; corpora, nulla excogitata Substantia. Similiter Arithmeticus vnitates principia constituit simpliciores punctis. Præterea, considerando Definitiones Mathematicas, solam formam eas explicare inspicimus, vt patet ex secundo Physicorum 68. Hinc per solam formam dicuntur demonstrare & definire. Insuper, lucidius adhuc id patet, considerando affectiones Mathematicorum, quæ nedum excludunt materiam, verum insuper cum ea pugnant. Inquiunt Mathematici corpus in infinitum augeri, & imaginatione mathematica dicimus corpora rarefieri & densari in infinitum, hæc autem pugnant cum materia, quæ substantia sit, cum dentur termini omnium coniunctorum cum ea. Insuper, Mathematica dicitur abstrahere à motu, dicitur scientia ex abstractione, & certissima, quæ ei non competerent, nisi abstraheret à materia, quæ est Substantia, nam dicitur abstrahere à motu, non quia non valeat considerare motum, vt quantum, sed quia abstrahit à materia, & Substantia, quæ est origo transmutationis & motus. Dicitur certa, quia non considerat Substantiam, & principia interna & latentia, sed solum Quantum, quod non ita certum est Physico indaganti Substantiam & latentiora principia. Similiter, si solum abstraheret à posterioribus, non diceretur scientia ex abstractione, id enim commune est omni scientię, vt prius à posteriore valeat abstrahere, nam etiam Physicus definiens Quantum, id non definit per posteriora. Hinc Aristoteles in secundo Physicorum decimooctauo, absolutè inquit Mathematicum abstrahere quantum à Subiecto, Subiectum autem est id, quod prius est, vt dicitur in primo Physicorum quinquagesimosecundo. Demum, nisi Mathematica abstraheret à prima materia, & suo priore, hæc sequerentur absurda: primo, ei non competeret id exquisitum & exactum, quod communi consensione ei tribuitur, id enim ei solum competit, quia abstr[a]hit à materia, quæ inco[n]stantię est origo; Hinc planum dicitur tangere sphęram puncto, quod verum est, dum seorsum à materia consideratur, non autem dum est iunctum materiæ. Secundo, tunc Mathematicus consideraret omne genus causæ, sententia enim fuit Alexandri, approbata ab Auerr. in secundo Physic. quod co[...]s materiam considerat omne genus causæ. Tertio, tunc non ab[stra]-

Euersio prioris opinionis. *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Ratio 6.* *Ratio 7.* *Ratio 8.* *Ratio 9.* *Primum absurdũ.* *Tertium absur[dum].*

heret a materia sensibili, nam Geometra considerans superficies terminatas & figura prædıtas, id considerat quod præsupponit materiam sensibilem nempe compositum ex materia & forma, quare nititur considerare materiam sensibilem, nam quamuis id compositum non includat Qualitates sub sensum cadentes, tamē dicitur includere materiam sensibilem, quia est apta eas recipere; Hinc quamuis Physicus definiat corpora Physica per solam materiam, & formam, tamen non dicitur abstrahere a materia sensibili, vt patet ex secundo Physic. 19.

Quartū absurdū. Quarto, redderetur falsa sententia prolata sub initio sexti Metaphysicæ, quod dempta Metaphysica, Physica esset prima Philosophia, nam ea est prior Philosophia, quæ Substantiam considerat, priore & magis abstracta consideratione, id autem competeret Mathematicæ. Ex his elicio, Mathematicum in solis accidentibus versari, & in sua cōsideratione nec distinctè, nec confusè Substantiam includere, quod etiam Academici in Mathematicis maxime versati, affirmant, vt elicitur ex sexto, ac septimo Dialogo de Rep. Platonis; Hinc Simplicius Platoni magis, quam Aristoteli addictus, in primo de Anima, exponens primum cont. ait, Mathematicas disciplinas ab his quæ propriè & præcipuè appellantur scientiæ, superantur, eo quod nullam speculantur Substantiam, nec principia propria ex veris caussis eliciunt. Latius hac de re loquitur in 3. de Anima 35. inquiens, Mathematicas dici ex abstractione, quia accidentia seorsum a substantiis considerant. Idipsum affirmat Themistius in primo de Anima, explicans cont. 16. Alexander in proœmio Priorum, ait Geometram separatim de linea, tanquam de natura quadam, quæ per se sit, separatim de plano & solido differere, quorum tamen nihil absque Physico corpore valere existere. Eustratius in sexto Nicomachiorum idipsum nedum affirmat, sed etiam ostendit, inquiens Mathematicum imaginatione secernere Quantitatem a Subiecto, & propterea dici scientiam Mathematicam, hoc est disciplinatiam, quia ea quæ nequeūt esse sine Subiecto, disciplina tamen & cogitatione nostra ita abstrahuntur, vt fine Subiecti alicuius intellectione etiam definiantur, vt patet ex definitione Lineæ & Circuli, & clarius ex definitione numerorum, in qua nil numeratum suscipitur. Colligamus itaque, consensione Platonis, Arist. & principalium interpretum, Mathematicum considerare Quantitatem seorsum ab omni Substantia.

Quid elicitur. Academici. Simplicius. Themistius. Alex. Eustratius. Conclusio.

Cap. XXII.

Qua sit Materia Mathematicorum.

CVM Materia Intelligibilis non sit Substantia, considerandum superest, quidnam ea sit; Zimara Theor. 7. inquit, esse Quantitatem seiūctam a Qualitatibus Sensibilibus. Quæ sententia vera non est: quoniam Quantitas est res cōsiderata, vt testatur Arist. 11. Metaphysicæ cui debet materia competere. Propterea, cum Aristot. dicamus, huiusmodi materiam esse continuum, & partes; De continuo id asseritur in tertio de Anima 11 t. nam explicans Philosophus quomodo rectum sit vt simum, hoc est includat materiam Mathematicam, inquit, cum continuo enim est; Hoc approbauit etiam Alexand. in 7. Methaphysicæ, comm. 30. inquiens, interuallum Circuli, quem intellectus a materia secernit, est materia intelligibilis huiusmodi Circuli. De partibus quod sint materia Mathematicorum, asseritur ab Aristotele septimo Metaphysicæ, 39. necnon in secundo Posteriorum, quo loci explicans exemplo Mathematico quomodo

Zimara Euersio. Sententia Vera. Alexan.

materia

materia sit principium demonstrationis, pro principio vtitur hoc, quod dimidium duorum rectorum sit angulus rectus, dimidium autem, pars est, hæ dicuntur materia per quandam Metaphoram & similitudinem. Continuum dicitur materia, quatenus includit potentiam, vt terminetur figura aliqua, insuper vt diuidatur & origo sit multitudinis & infiniti, quæ omnes sunt conditiones materiæ. Partes etiam seruant conditionem materiæ, tum quia sunt potestate totum, & ex eis totum consurgit, quod formam denotat, vt asseritur in secundo Phys. & quinto Metaphysicæ, tum insuper, quia in partibus fulget diuisio, multitudo, & quædam indefinita conditio. Hæ duæ materiæ ita se habent, vt prima includat secundam, non vice versa. Insuper Geometriæ vtraque competit, Arithmeticæ vna tantum, nempe partes; Hinc Arithmetica dicitur prior, simplicior, & certior. Insuper, quia materiam sequitur infinitum, ideo asserit Geometra continuum esse aptum crescere & diuidi in infinitum. Arithmeticus vero ait, numerum in infinitum crescere. Præterea, quia continuum est discretum, & infinitum, sequitur materiam, ideo asseritur ab Aristotele in procemio tertii Phys. infinitum primo apparere in continuo, nam quia continuum est aptum diuidi in infinitum, ideo numerus ex eo prodiens, est aptus in infinitum crescere. Ex quo refulget conspicua solutio cuiusdam difficultatis, quæ varios turbauit: cum enim affectio prius priori competat & infinitum sit affectio Quanti, consentaneum rationi videtur, vt prius competat discreto, quod prius est. Soluitur quia discretum dupliciter considerátur. Primo, ex parte suæ simplicitatis; Secundo, vt materiæ est particeps, prima consideratione discretum est prius, cum sit simplicius: secunda vero est posterius, nam continuum magis est materiatum, & quia infinitum sequitur materiam, ideo primo apparet in continuo. Ex his quæ de materia Mathematicorum dicta sunt varia elicere valemus, scitu digna, nam primo refulget causa, quomodo sine controuersia Mathematicæ dici possint scientiæ certissimæ & incertissimæ, sunt certissimæ ex parte nostri, quia sunt de solis Accidentibus & communibus Sensibilibus sub sensum cadentibus: insuper, includunt exactum & exquisitum notitiæ genus, quatenus à materia abstrahunt, quæ inconstantiæ & varietatis est origo; Ex aduerso, sunt incertissimæ, secundum naturam absolutè, quatenus Accidentia considerant ex Substantia pendentia, ignorata Substantia. Insuper, patet ratio, cur dicatur ex abstractione, & dicantur nos parare ad diuinorum contemplationem, sunt enim non de abstractis sed ex abstractione, quia accidentia materiata considerant non considerato Subiecto, in quibus cum exerceamur, reddimur aptiores ad contemplanda abiuncta & Diuina, & ob id sacerdotes Ægyptiorum eis nauabant operam; Præterea ob eandem rationem Mathematicæ modo dicuntur Philosophiæ partes, vt ab Aristotele sub initio sexti Metaphysicæ, modo reiiciuntur extra limites Philosophiæ: sunt pars Philosophiæ inspectricis late sumptæ, pro quauis rerum contemplatione: excluduntur autem à Simplicio in tertio de Anima, 35. & ab Alexandro in procemio Priorum, quatenus Philosophia Theorica proprie sumpta, est de substantia, & rebus Diuinis in quibus non versantur Mathematicæ.

Quomodo Arithmetica prior.

Solutio cuiusdam difficultatis.

Qua dicatur ex abstr.

Cap. XXIII.

Diluuntur rationes aduersæ.

Ostenso Mathematicas ab ea materia abstrahere, quæ Substantia est: superest, vt aduersas rationes diluamus; Quarum præcipua hæc erat; quia posterius non potest abstrahi à suo priore. Zimara Theor. 7. inquit, id solum esse verum, dum prius includitur in Essentia & Quidditate posterioris, Substantia autem non ita se habet ad Quantitatem, cum sit distincti generis. Hæc solutio non satisfacit, tum quia Aristot. in septimo Metaphysicæ cont. quarto absolute inquit, Substantiam esse priorem Accidentibus cognitione, tum insuper, quia cum necessario ingrediatur distinctam Definitionem Accidentium, obtinet conditionem eorum quæ pertinent ad rei essentiam. Hinc in eodem Theoremate considerans forte leuitatem ejus solutionis, addit, id debere intelligi de cognitione distincta & exacta. Quæ solutio vera est: Nam quamuis Mathematicę in suo genere sint perfectione præditæ, absolutè tamen sunt scientiæ apprime imperfectæ. Addebatur, quod tunc Mathematicus versaretur in eo quod non est, & eius abstractio esset mendacium. Respondeo, aliud est, non considerare aliquid vt Ens, & versari in non Ente: de Mathematico verum est primum, at non alterum, versatur enim in quanto quod est, id tamen non considerat, vt est, sed vt Quantum. Insuper inhærere alteri, est in ratione accidentis cum hac reduplicatione, vt est accidens, at non vt est aliquid absolute, & præsertim, quia substantia est eius causa non in genere formæ, sed Materiæ & Subiecti, à quo Mathematicus abstrahere valet; Nec ob id ea consideratio est mendacium, tum quia ea est abstractio cum præcisione, cõsiderando vnum, derelicto altero, non cum compositione, dicendo id posse reperiri seorsum ab altero: tum insuper, quia nil Quanto tribuitur, quod ei non competat. Addebatur, quod euerteretur sententia Arist. dicentis Substantiam esse priorem cognitione Accidentibus: Soluitur, quia id verum est de cognitione distincta & absolute perfecta. Dicebatur Metaphysicam magis posse abstrahere, cum tamen non definiat Accidens sine Substantia; Respondeo magis posse abstrahere abstractione prodeunte ex perfectione; hinc considerat abstracta, & ex Accidentibus, & Substantia elicit notiones communiores, veluti Entis, boni & similes, non autem magis abstrahit abstractione prodeūte ex imperfectione cognitionis, qualis est ea Mathematicorum quæ imbecillitatem denotat, non facultatem & vires. Instabatur insuper, quia tot dicuntur esse Philosophiæ partes, quot Substantiæ. Soluitur primo, quia Arist. tunc loquitur de partibus primæ Philosophiæ, ea enim versatur cum in Substantia sensibili, tum in abiuncta, & supra sensum posita. Insuper, ea sententia vera est de principali & magis proprie dicta Philosophia, qualis non est Mathematica. Verum adhuc instare aliquis posset, quia Aristot. 13. Metaphysicę, cap. 2. inquit, Mathematica esse priora rationę sensibilibus, quod verum non esset, si Mathematicus abstraheret à Substantia, non enim Accidens est prius ratione Substantia. Solutio colligitur ex eodem cap. nam inquit Philosophus, Mathematica esse priora ratione, vt albedo est prior Homine albo, nam pars dicitur prior toto, & ob id Quantitas est prior Quanto sensibili, vt albedo, Homine albo. Insuper, est prior, quatenus Quantum antecedit Sensibile proprium, non autem, quia Substantiam priorem consideret. Cur autem Quantitati competat, vt considerari modo aliquo possit non considerato Subiecto, ratio at-

Solutio primæ rationis.

Euersio.

Solutio secundæ rationis.

Solutio alterius rationis.

Dilutio extremæ rationis.

Dubitatio.

Solutio.


tio affertur ab Aristotele in septimo Metaphysicæ, 34. & in secundo Physicorum dicente, Mathematica esse vt rectum, formas Physicas vt simum, quod certam & definitam materiam in sui ratione includit, & ob id sine ea Definiri nequit; At de his hactenus. Deo Laus.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De quatuor primis Qualitatibus,

LIBER VNVS.

PROOEMIVM.



VNDAMENTVM *admirabilis Fabricæ huius mortalis orbis, omnium consensione id est, quod Subiectum primum, primaque nuncupatur Materia, quæ eatenus est constans & firma quatenus eius essentia nec fit, nec interit, absolute tamen omni mutationum generi sedem præbet, adeo, vt de ea enunciare valeamus, quod sit fundamentum constans & firmum perennis inconstantiæ & permutationis mortalium. Hoc primum Subiectum, vt sit fundamentum congruens, præditum esse debet effusione aliqua, & extensione ob quam in partes diuidi, variis subiici formis, & terminis vnicuique consentaneis claudi valeat. Cui fundamento Quanto, & extenso, accedunt ac hærent Qualitates illæ, quæ ad tactum pertinent, & primæ dicuntur, nempe Calor, frigus, humor, & siccitas, quæ parant pro Substantia forma, eiusque mox sunt instrumenta. Harum beneficio primo constituuntur Elementa, mox per easdem ea inuicem permutantur, modoque vario miscentur, demum sunt instrumenta communia omnium effectionum & perpessionum quibus mortalia corpora per naturam sunt obnoxia: & quoniam vt pro rerum productione, ita pro cognitione sunt apprimè necessariæ, ideo accuratè sunt considerandæ; De quibus ego verba facturus perpendam primo, quæ, & quot numero sint, mox quomodo circumscribantur, diuidantur, ac inter se distinguantur, & demum, quæ pro earum distincta cognitione iudicabo requiri, vna cum Aristotele explicare conabor.*

Fundamentum fabricæ.

Officia primarũ Qualitatum.

Declaranda de Qualitatibus.

Cap. I.

Conditiones Qualitatum primarum, & enumeratio Qualitatum ad tactum attinentium.

QVÆRITVR quot, & quæ sint Qualitates primæ, & communes corporum natura constantium, pro quarum inuentione vt pateat quid quæramus, earum conditiones sunt referendæ. Quæruntur primæ Qualitates, non absolutè, sed mortalium, non primæ dignitate, sed origine; Hæ cum sint Qualitates primæ, exposcunt primo vt sint communes cunctis mortalibus, alioquin non absolute, & in omnibus primæ essent. Insuper, exposcunt vt constituant in suo genere prima sensibilia corpora, adeo, vt sint eorum differentiæ quatenus sensibilia sunt, & qnoniam ad sensum pertinent, ideo exposcunt tertio, vt respondent Sensui origine primo, qualis est Sensus tactus; Præterea debent esse aptæ efficere & pati, alioquin officia permutationũ non exquererentur; Demum cum sint primæ & communes, debent illis tribus conditionibus esse prædita, quibus ex sententia Aristotelis in primo Phys. 42. prima generationis principia constituuntur, nempe, vt in materia Qualitates alias priores non habeant, ex quibus fiant, non fiant ex se vicissim, adeo vt vna contrarietas ex alia pendeat, & ex eis reliquæ omnes mortalium Qualitates prodeant. Et quoniam (vt dixi) huiusmodi Qualitates ad tactum attinere debeant, ideo pro earum inuentione differentiæ Qualitatum principales ad tactum pertinẽtes sunt numerandæ; Arist. in secundo de Ortu & interitu, cont. 8. septem numerat earum oppositiones, nempe calidum, frigidum, humidum, siccum, graue, leue, asperum, lene, durum molle, lubricum, aridum, crassum & tenue. At dubitatio est, quia prætermisit rarum & densum, quarum oppositionem numerauit in secundo de partibus Animalium, cap. 1. necnon sub initio octaui Metaphysicæ, & præsertim hac de re dubitare debemus, quia in 8. Phys. cont. 55. inquit, rarum & densum esse principia omnium affectionum, nam graue leue, molle durum, calidum & frigidum, raritates videntur esse & densitates quædam, &c. Cum autem sint principia maximè numerari debent. Idipsum asseruit Plato in 10. de Legibus, inquiens: Magnum patunm, rarum & densum, se qui mox calorem, & cæteras affectiones. Præterea, enumeratio videtur diminuta, quia prætermittitur acutum & obtusum, quæ ab Ocello Pythagoreo inter Qualitates ad tactum pertinentes numerantur. Pro solutione accipio non fuisse curæ Aristoteli in secundo de Ortu & interitu absolute differentias omnes ad tactum attinentes numerare, sed principaliores. Et quatenus pertinet ad difficultatem primam de raro, & denso, Arist. secum pugnare videtur, quia in 8. Phys. 55. inquit, rarum & densum esse principia cæterarum affectionum, in secundo autem de partibus Animalium, cap. primo ait, rarum & densum non esse Qualitates primas, sed sequi primas. Zimara soluens, ait Aristotelem in octauo Physicorum non ex propria, sed ex veterum opinione fuisse loquutum, veteres enim præsertim materię condensatione & rarefactione res fieri asserebant. Ea tamen solutio mihi dubia est, quoniam absolute inquit Arist. ea esse principia, non autem dici ab aliis. Similiter Plato vt dixi eandem sententiam protulit, qui tamen non censuit res fieri condensatione & rarefactione, & facile profecto esset ea via soluere cõtrouersias omnes, asserendo Philosophum non ex sententia loquutum. Propterea secus soluens, dico, rarum & densum dupliciter vsurpari, vel pro secundis Qualitatibus sequẽtibus alias, in qua significatione Aristoteles in secundo de partibus Anim...

Conditiones primarum Qualitatum.

Qualitates ad tactum pertinentes, quot numero sint.

Dubitatio de raro & denso.

Dubitatio de acuto & obtuso.

De raro & denso.

Zimara.

Euersio.

Opinio propria.

Animalium dixit, sequi Qualitates primas, vel vt denotant situm partium, & sequuntur motum partium in loco, & quoniam motus secundum locum in 8. Physicorum ostenditur primus omnium motuum, ideo iure densum & rarum dicuntur principia aliarum affectionum; Hanc solutionem elicio ex Aristotele qui in septimo Physicorum contex.19.ait, omnis motus secundum locum, congregatio quædam est & segregatio. Et in octauo Physicorum 76.ait, congregatio & disgregatio motus secundum locum sunt. Et pro lucidiore solutione dicendum est, vel consideramus ordinem quo Qualitates pendent ex Cœlo, vel quo ex primis prodeunt secundæ: si ordinem primum consideramus, rarum & densum sunt primæ affectiones, quia cœlum operatur Lumine & motu, quibus rarefacit corpora sublimiora, & densa reddit remotiora, quod cum efficiat calefacit, cæterasque Qualitates producit. Et hanc solutionem ego profecto verissimam puto: Aristoteles in 8. Physicorum considerabat cætera, vt sequuntur motum secundum locum, quem ostendit primum, in secundo autem de partibus Animal. considerat non causas communes, sed proprias; Altera dubitatio, de acuto & obtuso, soluitur, quia non sunt sensibilia propria tactus, sed communia, ad figuram pertinentia, modo autem considerantur sensibilia propria sensus tactus. Præterea non inuicem agunt, non sunt principia aliorum affectionum, & conspicue pendent ex aliis, ideo iure ab Aristotele prætermittuntur. *Dubitatio de acuto & obtuso.*

CAP. II.

Ex Qualitatibus enumeratis ad tactum pertinentibus Quatuor primæ eliciuntur.

EX Qualitatum genere, septem enumeratæ oppositiones, cum ad tactum pertineant, cæteris origine antecedunt, ideo ex eis illæ elici debent, quæ absolutè sint origine primæ; Graue & lene non debent statui primæ, tum quia non inuicem agunt, tum insuper, quia pendent ex calido, frigido, & aliis, tum demum, quia non sunt principia cæterarum; Tenue & crassum etiam reiici debent, nedum quia vt ait Galenus in primo de Elem. capit.9. nec agunt, nec patiuntur, verum insuper, quia vt ait Aristot. tenue redigitur ad humidum, crassum verò ad siccum. Lubricum insuper & aridum, derelinqui debent, quoniam inuicem non agunt, ac etiam quia Lubricum ad humidum redigitur, cum sit humidum aliquid passum, vt oleum; Aridum vero, siue friabile sit exacte siccum, adeo vt in puluerem dissoluatur; Insuper, competũt huiusmodi affectiones non simplicibus corporibus, sed mixtis: hinc ossa & ligna dicuntur arida, pix & oleum lubrica. Idipsum dicendum est de duro & molli, non enim inuicem agunt, & durum ad siccum, molle vero ad humidum redigitur, vt vna cum Arist. affirmat Galenus in primo de Elementis, cap. 9. Asperum quoque & lene prætermitti debent primo, quia re vera non sunt Qualitates, sed denotant positionem partium, ex eaque prodeunt, vt dicitur in Prædicamento Qualitatis. Secundo, quia non inuicem agunt, vt dixit Galenus: Tertio, quia vt considerauit Alex. lene per naturam pendet ex humido, asperum vero ex sicco, & ob id primæ Qualitates dici non merentur; cæteris itaque oppositionib. reiectis, supersunt calor, & frigus, Humor & siccitas, quæ solæ primarum conditiones includere videntur, & ob id iure optimo statuẽdæ sunt primæ. Hæc namq; ad tactum pertinent, maxime omnium illum mouet, sunt communes mortaliũ omnium, primo in materia recipiuntur non supposita alia Qualitate, nec earũ vna in materia

Reiicitur graue & leue. *Tenue & crassum.* *Lubricũ & aridũ.* *Durum & molle.* *Asperum & lene.* *Approbantur quatuor primæ Qualitates.*

ſupponit alteram, ſed æquè primo aptæ ſunt in ea recipi. Ex his prodeunt Elementorum conſtitutiones, mixtiones, temperamenta, ortus, interitus, accretiones, coctiones, & huiuſmodi aliæ mutationes ſecundū naturam, nec vna earum ad alteram redigitur. Cum itaque non prodeant ex aliis Qualitatib. non mutuo ſe conſtituant; & ex eis pendeant cæteræ omnes mortalium Qualitates, & huiuſmodi conditiones non competant aliis, colligendum eſt, has ſolas illas eſſe, quæ mereantur dici primæ. Hinc iure Pythagoras, quem ſequutus eſt Ocellus Lucanus eius diſcipulus, has quatuor eſſe dixit Qualitates primas: mox Hippocrates, idipſum approbauit, ideo Galenus in primo de Naturalibus capitulo ſecundo inquit: Hippocrates primus omnium, quorum fama ad nos peruenit, demonſtrauit quatuor eſſe omnes Qualitates, quæ mutuo in ſe agerent, & miſceri eas mutuo totas, per totas primus nouit, & principia demōſtrationum quas Ariſtoteles poſtea pertractauit ſcripta apud eum priorem inuenias: Inſuper idem Galenus primo Methodi, capitulo ſecundo, inquit Ariſtotelem rationum Hippocratis de natura interpretem eſſe, primumque Hippocratem calidum, frigidum, humidum, ſiccum, adinueniſſe, Ariſtotelem tamen oſtenſionibus eius inuenta comprobaſſe; Quę Galeni ſententia reſpondet verbis Ariſtotelis in ſecundo de Ortu, & interitu, dicentis, alii enim ſupponentes vtuntur quatuor primis Qualitatibus, & non dicunt quare tales, & tot ſint. Plato quoque in Timeo eaſdem, innuens Qualitates, dixit, Generationis nutricem, nempe primam materiam, ignitam & humefactam, Terræ inſuper & aeris formam ſuſcipientem, paſſionesque harum pediſſequas perpetientem, omniformem videri. Hos ſequutus eſt Ariſt. in ſecundo de Ortu & interitu rationem ſuperaddens; Galenus in præfatione libro de Natura Humana, has quatuor eſſe Qualitates primas, oſtendit, tum quia morborum differentiæ has ſequuntur, tum quia modi curandi ſumuntur ex eis, tum tertio, quia temperamenta, ætates, & regiones eis reſpondent, aliæ enim ſunt calidæ, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, aliæ ſiccæ; Idipſum prius aſſeruit Ariſt. in ſecundo de partibus Animalium, cap. 2. inquiens, has eſſe cauſas mortis, vitæ, ſomni, vigiliæ, iuuentutis, ſenectutis, ſanitatis & morbi; Similiter eadem veritas confirmatur: quia hæ ſunt Qualitates illæ, quæ pro eſſe rerum mortalium ſunt neceſſariæ, à quib. Cœlum eſt immune, & quas primo Lumine & motu producit. Inſuper hęc ſunt illa principia, quæ à Phyſico comprobantur, & tribuuntur medico, de quibus præſertim verum eſt, Concluſiones Phyſicas eſſe principia Artis Medendi, & iure ſunt quatuor, nam pro mixti conſtitutione vna oppoſitio materiam parat, altera permutat & format: præterea humor maxime conducit ad facile recipiendum, ſiccum ad retinendum, calor ad formandum, frigus magna ex parte ad contemperandum, adeo, vt ſimul pateat neceſſitas harum Qualitatum & eximia Naturæ Ars, Deique Prouidentia.

Pythagoras. *Hippocrates.* *Galenus.* *Plato.* *Galenus.* *Arist.*

Cap. III.

Dubia aduerſus approbationem Quatuor primarum Qualitatum.

NON adeo eſt conſpicua approbata veritas de numero quatuor primarum Qualitatum, quin variæ difficultates eam obumbrent tenebriſiſque reddant: nam octo præſertim ſunt quæ patiunt difficultatem; primo enim grauitas & leuitas duplici ratione videntur his antecedere: prima eſt, quia niſi priores eſſent, erraſſet, & ordinem peruertiſſet Ariſtot. qui in libris de Cœlo prius egit

egit de graui & leui, mox in libris de Ortu & interitu, de quatuor approbatis Qualitatibus, ordo namq; respondet Naturæ rerum, & priora, primo sunt consideranda. Altera ratio est, quia vt motus se habet ad motum, ita principium eius ad principium. Latio est prior alteratione, ex 8. Phys. quare principia lationis sunt priora principiis alterationis, grauitas & leuitas sunt principia lationis, quatuor approbatæ Qualitates alterationis, quare grauitas & leuitas absolutè priores sunt. Altera dubitatio est: quia si primæ Qualitates essent quatuor, duæ essent primæ oppositiones, quod reijcit Arist. in primo Phys. 56. inquiens, contrarietatem primam vnicam esse, & in omni genere vnicam esse contrarietatem primam, & si plures essent contrarietates primæ, etiam plures essent primæ materiæ, quod est absurdum. Tertia dubitatio est, quoniam ea quæ fiunt ex aliis, non sunt prima: quatuor relatæ Qualitates fiunt ex aliis, quod ostendo per Aristotelem in primo Phys. 50. asserentem, solam priuationem & formam esse oppositionem primam, & non fieri ex aliis, cæteras verò ex aliis fieri. Confirmatur: quia calor sequitur motum, Lumen, & raritatem, frigus opposita, siccitas à Lumine, & à calore producitur, humiditas ab oppositis. Quarto, quæ fiunt ex se inuicem, non debent prima iudicari, ex primo Phys. 42. huiusmodi sunt Qualitates enumeratæ, humor enim & siccitas sequūtur calorem & frigus, inquit enim Arist. in principio quarti Meteor. calorem & frigus humectare, desiccare, dura reddere & emollire, & in quinto de Gen. Animalium c. 3. inquit, calorem per se reddere corpora dura, per calorem enim humor in vapores transit. Confirmatur, quia earum quatuor Qualitatū duæ dicuntur efficientes, duæ patientes, at efficiens est prius patiente, ex 3. de Anima, 19. & actus absolutè est prior potētia, ex 9. Metaphys. quare non omnes sunt æquè primæ. Quinta dubitatio est, quoniam dantur Qualitates his priores, veluti Lux & Lumen, perspicuum, & opacū, densum & rarum. Hæ sunt Qualitates cōmunes Cœlo, & mortalibus, non pendētes ex quatuor enumeratis, sed potius vice versa, & nō sunt Qualitates secundæ, cùm nō pendeant ex aliis, quare illæ potius sunt iudicādæ primæ. Dubitatur sextò, cum dētur Qualitates primæ & secundæ, quæ earū debent iudicari præstantiores, & dignitate priores. Septima dubitatio est, cum dentur Qualitates secundæ, num valeant cōpetere simplicib. corporibus, vel tantū mixtis. Postrema dubitatio est, cum dentur Qualitates primæ corporū mortalium, num etiā dentur Qualitates primæ cœlestiū corporum, & si dantur, quænam statui debeant.

Prima dubitatio de graui & leui. *Secunda dubitatio.* *Tertia dubitatio.* *Quarta dubitatio.* *Quinta dubitatio.* *Sexta dubitatio.* *Septima dubitatio.* *Octaua dubitatio.*

CAP. IIII.

Diluuntur quinque Difficultates primo relatæ.

DIFFICVLTATES propositæ dignæ profectò omnes sunt cōsideratione, nonnullæ tamen earū per dicta in præcedentib solutæ sunt, Nam quæruntur modo principia transmutationis mortaliū, non prima absolutè, vt in 1. Phys. sed propinquiora, nec quæritur oppositio prima absolutè, qualis est priuatio, & forma, sed prima inter qualitates, ad tactum pertinentes; Insuper non quæruntur principia prima principalia, sed organica, quæ ita se habeant, vt inuicem agant, & vnum ad alterum non redigatur, quo præassumpto, conuertar ad solutiones; Instabatur primo: quia vel grauitas & leuitas sunt priores, vel Arist. ordinem peruertit. Respondeo grauitatē & leuitatem dupliciter considerari posse, vel secundum originem, & ita sequuntur quatuor primas Qualitates, vt dicitur in secundo de partib. Animalium c. 1. vel considerantur, vt circumscribunt naturam Elementorum, & sunt principia lationis eorum, & ordinis Vniuersi, &

Quæ principia quærantur. *Soluitur prima dubitatio de grauitate & leuitate.*

quoniam Elementa per grauitatem & leuitatem, primo Mundum suo ordine constituunt, mox per primas Qualitates inuicē permutantur, ideo iure Arist. ordinē seruans, prius in libris de cœlo disseruit de Grauitate & leuitate, mox in lib. de Ortu & interitu, de quatuor primis Qualitatibus, & quāuis latio in Vniuerso absolutè sit prior, in his tamen quæ fiunt, est postrema origine, vt in 8. Phys. asseritur, primo enim Elementa per quatuor Qualitates gignuntur, mox per grauitatem & leuitatē mouentur secundum locum, & demū prætereunda fuit huiusmodi oppositio ob rationes in præcedentib. relatas. Instabatur secundo: quia
Solutio 2. contrarietas prima vnica est, &c. Respondeo, id esse verum de contrarietate prima absolutè, quæ cōstituit cōmunes terminos ortus & interitus, quæ in 1. Phys. quærebatur, nunc verò quæruntur contrarietates primæ inter Qualitates tangibiles, illa erat contrarietas primæ materiæ, hæ verò sunt contrarietates simplicium corporum, & consideratur hic ordo: prima oppositio absolutè est formæ & priuationis; sub hac Qualitates constituuntur, quæ diuiduntur in agentes & patientes, agentium primæ sunt calor & frigus, patentium autē humor & siccitas. Dicebatur tertio, has quatuor Qualitates fieri ex aliis. Respōdeo eas permutari quidem & resolui in formam & priuationem, vt dixi, at nego eas fieri ex aliis antecedentibus Qualitatibus ad tactum pertinentibus. Cōfirmabatur: quia calor sequitur Lumen, motum, & raritatem. Respondeo per duo fundamēta, primum est, quia illæ non sunt Qualitates mortalium, ad tactum pertinentes, inuicem agentes, de quibus est sermo. Alterum est, quod sequuntur ea nō tanquam causas proprias, & per se primo, sed tanquam causas cōmunes, & sequuntur vel per se, non primo, vel ex accidenti. Erat quarta dubitatio, quia fiunt ex se inuicem. Respondeo, Actionem primarum Qualitatum esse triplicem, vel enim est per se, & prima, vt calor calefacit, vel per se non prima, sed primam sequens. Huiusmodi actio præsertim refulget in mixtorum constitutione, & tendit in finem vlteriorem, & præstantiorem, in quem per cōmunem naturam primæ Qualitates diriguntur. Vel tertio est ex accidenti, sic explicatur sententia Arist. in 5. de Gener. Animalium capitulo tertio, dicentis. Indurat igitur, tum calor, tum frigus, nam euenit, vt ab vtrisque humor euaporetur, scilicet à calore per se, à frigore ex accidēti, vna enim cum calore humor secernitur, &c. in hac caloris actione consideratur primo excalefactio, quæ est actio per se, & proptia, hanc sequitur humoris in vaporem conuersio, quæ est per se, at nō proxima & propria, sed sequens eam hanc conuersionem in vaporem sequitur secretio dissimilium, quę fit ex accidenti, vt dicitur in secundo de Ortu & interitu, cont. 8. Sequitur insuper connexio inter se, vt partium humidarum adinuicem, similiter aridarum remanentium adinuicem, quod etiam ex calore pendet per se quidem, at secundario, desiccatio partis remanentis est ex accidenti, adeo, vt in toto actionis caloris progressu, nonnulla per se & primo fiant, alia per se secundario, nonnulla penitus ex accidenti, qua consideratione varia Arist. dicta explicantur, & apparentes controuersiæ componantur. Confirmabatur dubitatio, quia agentes sunt priores patientibus, respondeo esse priores dignitate, at non origine, nec adeo, vt vna in materia alterā præsupponat, & ex ea pendeat. Oriebatur quinta dubitatio
Quinta dubitatio. ex Lumine, perspicuo, & raro. Respondeo, instantiam esse inanem, quia nō sunt Qualitates agentes, ad tactum pertinentes, & cum sint communes cœlo, minus ad rem faciunt, quia quæruntur Qualitates primæ, propriæ mortalium. Lux cœli est Qualitas eminenter includens Qualitates mortalium, & præsertim calorem, Lux mortalium non est prima Qualitas, nec simplicibus cōpetit, & sequitur mix-

rat mixtionem,& combustionem,vt asseruit Auer.4.Cœli 32.& in lib.de Sensu & sensili.Similiter opacum & perspicuum in mortalibus sequuntur Qualitates primas,nec inuicem agunt.De raro & denso in præcedentibus verba feci.

Cap. V.

Diluuntur tres postremæ difficultates.

DIGNA est consideratione, nec explicatu facilis dubitatio sexto loco proposita, quæ versabatur inter Qualitates primas & secundas, & quærebatur, quæ earum dignitate præstent. Aiunt nonnulli, qualitates primas vt origine, ita dignitate secundis præstare, id ostendunt primo, quia causa æquiuoca dicitur præstantior re effecta,vt Lux calore, Qualitates primæ sunt causa æquiuoca secundarum,quare sunt etiam dignitate priores. Confirmant idipsum, quia nil agit vltra gradum suæ dignitatis,quare cum secundæ prodeant ex primis, non valent eius dignitate præstare. Ego tamen partem aduersam veriorem puto,idque ostendo primo authoritate Arist.qui in secundo de Ortu & interitu, cont.7.inquir, Obiectum visus esse natura prius quatuor Qualitatibus, & per naturam prius, non denotauit prius origine, id enim conspicuè est falsum, sed dignitate, dignius enim ab Arist.frequenter dicitur natura prius. Cōfirmatur, quia vt sensus se habet ad sensum, ita obiectum ad obiectū, sed tactus dignitate est postremus;igitur Qualitates primę ad tactū pertinentes sunt ignobiliores Qualitatib. secundis,quæ attinent ad cæteros Sensus præstantiores. Præterea, inquit Arist. in 8.Phys.in secundo de partib.Animal.origine priora in eodē,esse dignitate posteriora Qualitates quatuor in mortalib.sunt origine primæ,igitur sunt dignitate postremæ, magisq; materiæ proximæ:Prætetea, vt se habent propriæ mixtorum formæ,ad formas Elementorū,ita Qualitates secundæ propriæ mixtorum, ad primas proprias Elementorū, sed formæ mixtorum, omniū consensione dignitate præstant formis Elementorū, quare similiter Qualitates eorū, præstant Qualitatib. primis Elementorum. Demū, cum Materia ordine aliquo recipiat formas, semper in eodē formarum genere formæ antecedentes sunt imperfectiores,& cōparatæ cum sequentib. sunt tanquā materiæ proximæ earum. Ratio aduersa per duo fundamenta diluitur,primum est,quia non vna prima Qualitas,sed conspiratio omniū quatuor est causa secundarum Qualitatum, vt multi homines ducunt nauim,& operantur vltra vires vnius. Alterū est,quoniā pro constitutione secundarum Qualitatum conspirant etiam causæ cōmunes,nempe Cœlum Lumine & motu, ac insuper causæ proximæ principales & dirigentes, nempe formæ Substantiales, hinc primæ Qualitates non sunt causæ adæquatæ præstantiæ secundarum:& hæc ratio elicitur ex Alexandro 2.nat.qq.c.3. Erat septima dubitatio, an Qualitates secundæ solis mixtis cōpetant? Soluitur, quia Qualitas secunda dupliciter vsurpatur, vel propriè,& est ea, quæ cōsurgit ex temperamento,idq; insequitur,& hæc solis mixtis cōpetit;Secundo, vsurpatur latius pro quauis Qualitate sequente primas,in qua significatione leuitas,raritas,& perspicuitas Elementorum dici possunt Qualitates secūdę,quatenus insequuntur non temperamentū,sed connexionē duarum primarū Qualitatum, quod genus secundarum Qualitatum cōpetere potest simplicibus corporib. De his quoq; secundis Qualitatib.quæri potest,an sint pręstantiores primis?& probabiliter vtraque pars defendi potest, præsertim tamen hoc approbandum videtur, quod sint præstantiores: nam grauitas & leuitas proximius inseruiunt

Depræstātia Qualitatum. *Opinio quorundam.* *Opinio propria.* *Diluitur ratio aduersa.* *Alexan.* *De septima difficultate.*

naturæ Elementorum, pro motu secundum locum & ordinem Vniuersi; latio autem est præstantior alteratione, & ordo Vniuersi est præstantior generatione & interitu. Similiter, perspicuum inseruit pro Lumine, & est cōmune etiam cœlo, à quo absunt Qualitates primæ, & demū sunt generatione posteriores, quare dignitate sunt priores. Demum quærebatur, quænam sint Qualitates cœlestis corporis, de quibus loquens breuissimè dico, septem Cœlo cōpetere Qualitates, quarum princeps & dux est Lumen, eminenter & vnitissimè includens quatuor Qualitates primas Elementorum: sequuntur mox raritas, respōdens calori, densitas frigori, perspicuitas humori, opacitas siccitati, sextò sequitur color nō distinctus à lumine, sed est ipsum lumen vario modo receptum, & per varia nobis oblatum, qui colores proportione respōdent Qualitatib. mixtorū inanimorum, septima Qualitas est figura propria, competens Cœlo, quia viuens est, sola enim viuentia sunt prædita figura propria, adeo vt Cœlo cōpetant Qualitates supra primas mortaliū positæ. Insuper Qualitates respondentes primis, respondentes secundis inanimorum, & respondentes Qualitatibus viuentium, quæ Qualitates in Cœlo non ita se habent, vt vna pendeat ex altera, ideo omnes seruant modo aliquo conditionem primarum, soli colores præseferunt imaginem secundarum, cum prodeant ex Luce, & lumine, nam sunt vel Lux corporis vario modo Lucidi, vel Lumen receptum in corpore magis vel minus denso & perspicuo, vt de his latius in libro de Cœlo. Ad principale itaque institutum rediens, & prolixè dicta paucis perstringens, assero primo comparando Qualitates Cœli cum illis mortalium, illas primas, has omnes modo aliquo secundas dici posse. Dico Secundo, quod dū quæritur prima oppositio constituens communes terminos generationis & interitus mortalium, ea est vna nempe forma, & priuatio. Addo tertio, quod dum quærimus contrarietatem primarum Qualitatum simplicium corporum ad tactum pertinentium, ea versatur inter Qualitates agentes & patientes, mox agens diuiditur in calorem, & frigus, patiens verò, in humorem & siccitatem, & hæ statuendæ sunt Qualitates primæ, quæ si inuicem comparantur, nulla est origine prior altera, dignitate autem calor cæteris antecellit.

De Qualitatibus Cœli.

Conclusio Dictorū.

CAP. VI.

Circumscriptiones & nomina primarum quatuor Qualitatum.

QVATVOR primæ simplicium corporum Qualitates, prima sui diuisione in agentes & patientes diuiduntur, calor enim & frigus magis formate & agere, humor vero & siccitas potius recipere & pati videntur; Elicitur hæc diuisio ex fine ex definitione earum, & ex experientia, cum enim his Qualitatibus confici debeant mixta, pro quorum constitutione necessaria est actio & passio, ideo iure earum duæ debuerunt esse efficientes & formantes, duæ verò recipientes & patientes. Quod secundo patet experientia, inductione enim constar, (vt dicitur in principio quarti Meteororū) calorem, & frigus, & quæ consimilis, & quæ distincti sunt generis, terminare, connectere, permutare, humectare, arefacere, dura vel mollia reddere; arida verò, & humida tum ipsa secundum se, tum communia corpora quæcunque constant ex vtrisque terminari, & cæteras quas diximus affectiones pati, Tertio id ipsum elicitur ex earū definitione, nam vt ait Aristot. in secundo de Ortu & interitu, cont. 8. & repetit sub initio quarti Meteororum. Calidum est, quod congregat ea, quæ sunt eiusdem generis, si autem ea secernit, quæ sunt distincti generis, id efficit ex accidenti, dum enim ea conne-

Prima diuisio primarum qualitatum.

Calidum & frigidum.

connectit quæ sunt eiusdem generis, accidit vt ea secernãtur, quæ sunt distincti generis; Frigidum vero est, quod consimiliter nectit, & eisdem & quæ distincti generis sunt, nectere autem est agere. Ex aduerso humidum caret termino proprio, facile terminatur alieno, siccum suo termino terminatũ, difficile terminatur alieno, facile autem. & difficile terminari passionem denotant. Hæ primæ Qualitates in agentes & patientes distributæ, variis nominibus denotantur. Nam primo nuncupantur communi nomine Qualitates ad tactũ pertinentes; At insuper in secundo de Ortu & interitu, cont. 8. dicuntur primæ contrarietates, primæque differentiæ tangibiles. Præterea, in secundo de partibus Animalium cap. 1. nuncupantur materiæ: in quit enim Philosophus, humiditas, siccitas, caliditas, & frigiditas, materia corporum sunt compositorum: materia autem dicuntur, quatenus ex eis consurgit temperamentum, seruantur in mixto & Elementi conditionem in parte seruant, quod compositum mox est materia formæ mixti, adeo, vt omnes dum considerantur vt partes temperamenti, & referuntur ad mixti formam, seruent conditionem materiæ: dum vero inuicẽ duę illæ oppositiones cõparantur, quod fit ab Aristotel. in principio quarti Meteor. duæ dicuntur materiæ, & pati, reliquæ autẽ formæ, & agere. Quarto, ab Arist. in secundo de partib. Animalium, cap. 2. nuncupantur principia Elementorum; Ratio: quia ex earum connexione Elementa consurgunt, circumscribũt eorum formas, eaq; reddunt corpora sub Sensum tactus cadentia. Quinto, dicuntur Elementa, vt patet ex secundo de Ortu & interitu. cont. 16. Ratio est: quia sunt principia in suo genere prima, & interna. Sexto, nuncupantur sub initio quarti Meteorum causæ Elementorum. Ratio est: quia modo aliquo cõstituunt simplicia corpora, eaque tanquam instrumenta reddunt apta vt misceantur. Septimo dicuntur affectiones Elementorum, in secundo de Ortu & interitu, 22. Ratio est, quia sunt accidentia Elementorum propria, attinentia ad tertiã speciem Qualitatis; Ideo in 5. Metaphysicæ, cap. 14. legitur: caliditas, frigiditas, & reliquæ huiusmodi, sunt passiones, siue affectiones, per quas corpora alterãtur. Octauo, nuncupantur instrumenta: cum enim sint affectiones Elementorum, sunt instrumenta eorum, per quæ inuicem permutantur, & mixtũ constituunt. Demum, quatenus materiam proxime parant pro forma elementi, dici possunt dispositiones eius. Sic itaque ob varia earum officia, nominibus variis denotantur.

Humidũ & siccũ.

Nomina primarũ Qualitatum.

CAP. VII.

Dubia varia attinentia ad Diuisionem & Definitiones primarum Qualitatum.

DIVISÆ fuerunt Qualitates primæ in agẽtes & patientes, suisq; Definitionibus circumscriptæ: At cum ex diuisione, tũ ex circumscriptionibus, variæ, & arduæ emergunt difficultates. Ex diuisione primo, quoniam Qualitates illæ omnes sunt formæ ex materia pendentes, quæ vt formæ agunt, vt autem pendent ex materia, ex accidenti patiuntur; Omnes itaq; & agentes & patientes sunt. Confirmatur: quoniam omnes generant simile, omnes agendo repatiuntur, omnes in mixti constitutione agunt, patiuntur, remittuntur, & ad mediocritatem rediguntur. Augetur Dubitatio, quoniã male assertum videtur, vnam oppositionem agere, alteram pati, quia vna oppositio non contrariatur alteri, cum tamen per se omne agens agat in contrarium, & patiens patiatur à contra-

Dubitatio de diuisione in agentes & patientes.

rio,à non contrario autem non paritur nisi ex accidenti, vt asseritur in 1. Phys. 43. Et quæ sunt ex accidenti in scientiis prætereunda sunt. Præterea, si calor ab Aristotele dicitur agere,quia humectat,longe magis humor aget cum per se, & magis humectet. Præterea, Arist. non videtur sibi constare,sed pugnantia dicere:nonnunquam enim ait, primarum Qualitatum duas agere, duas pati, nonnunquam omnes agere, vt in mutua Elementorum permutatione, nonnunquam omnes agere & pati,inquiens,omne agens agẽdo repati, & vice versa,vt accidit in constitutione temperamenti,nonnunquam omnes ait esse materiam,cuius proprium est pati,nonnunquam omnes nuncupat differentias, & formam,cuius proprium est agere. Est itaque diuisio Qualitatum in agentes & patientes apprimè dubia. Nec leuiores difficultates prodeunt ex earum Descriptionibus. Nam primo dubium est,quales sint Definitiones illæ, nũ solum explicent nomen, vel etiam essentiam, & si essentiam explicant, per quod genus causæ sint traditæ, & præsertim dubitare cogimur, quoniam Philosophus eas tradens,accipit quæ sunt ex accidenti, prætermittit quæ sunt per se, calidi enim per se est calefacere, frigidi refrigerare, cætera ex accidenti efficiunt. Præterea, ex contrariis contraria prodeunt: Aristotelis autem tum calori,tum frigori tribuit congregare,& præsertim hoc est dubium, quia caloris proprium est rarefacere,& secernere,non congregare. Præterea, Aristoteles nedum prætermittit quæ sunt per se,& accipit quæ sunt ex accidenti, verum insuper, accipit falsa, calor enim nedum similia nectit, verum etiam dissimilia, nam à calore in ventriculo varij cibi in vnam Chyli essentiam conuertuntur. Similiter Pharmacopolæ instrumento caloris varia & dissimilia in vnum redigunt, veluti etiam pix & cera per calorem liquefacta connectuntur, & Animal ex variis conflatum, præsertim per calorem formatur, & vnum redditur. Similiter etiam dubium id est,quod de frigido dicebatur, quod omnia nectat cum similia, tum dissimilia: nam frigidi aliquando est secernere, vt hiberno tempore à frigore comprimente exprimuntur lachrymæ. Similiter à frigore extinguente calorem incrassantem genituram, fit secretio partis aqueæ ab aërea, vt dicitur in secundo de Gener. Animal. capit. secundo, Præterea, instat Auerroes in quarto Meteor. aduersus Definitionem sicci, instantia sumpta ex igne, qui cum sit apprime siccus, est tamen partium tenuissimarum, & à continente, vt à fornace, & à Cœlo facillime figuram recipit. Similem difficultatem proposuit Philoponus de cinere, qui siccus est, & partium tenuissimarum. Præterea adhuc Aristoteles videtur errare, quia quod competit vni, tribuit alteri, nam connectere, officium est humoris, vt dicitur in secundo de Ortu & interitu, 49. Aristot. autem id tribuit calori, & frigori. Præterea, cum Qualitatum duæ dicantur efficere, duæ pati, dubium est, an efficientes æquè sint efficientes, similiter patientes æquales sint. Demum, illa etiam quæ dicta sunt de nominibus huiusmodi Qualitatum, difficultate non carent: appellantur enim Principia, affectiones, differentiæ, Elementa, & materiæ, quæ voces pugnantia includunt: nam si sunt principia, antecedunt, si affectiones, sequuntur, & accidunt, si sunt differentiæ, & formæ, non sunt materiæ. His accedit, quod perperam ab Aristotele nuncupari videntur Elementa, nam Galenus in primo, de Elemen. capitulo sexto, aduersus Athenæum differens, ait primas Qualitates Sensibilium corporum posse quidem dici principia eorum, at non Elementa, quoniam conditio Elementi est, vt sit eiusdem generis cum eo, cuius est Elementum, adeo, vt corporum corporea debeant esse Elementa. Propterea Qualitates sunt quidem Elementa tempera-

In dubiũ vertuntur descriptiones.

Instantia Auerroes.

Dubia attinentia ad nomina.

temperamenti, at simplicium corporum non Elementa sed principia sunt. Hæc profectò satis conspicuè sententiam Aristotelis, vel euertere, vel saltem dubiam reddere videntur.

CAP. VIII.

Explicantur attinentia ad diuisionem primarum Qualitatum in agentes, & patientes.

QVALITATVM quæ in Vniuerso reperiuntur, nonnullæ solum agunt, non autem patiuntur, nisi per metaphoram, vt Lumen. Quædam solum patiuntur, recipiendo perfectionem, non interitum, vt perspicuum cœli. Quædam patiuntur etiam cum interitu, vt perspicuum mortalium. Quædam agunt, & patiuntur, nō quidem ad inuicem, sed ab alio, & in aliud, vt graue & leue: patiuntur, quia ab alio fiunt, & per aliud intereunt: insuper agunt, quatenus sunt principia motus secundum locum. Nonnullæ demum vicissim agūt, & patiuntur, & hæ sunt quatuor primæ Qualitates, quæ sunt principia alterationis mortalium, quæ in præcedentibus vna cum Aristotele in agentes, & patientes diuisæ fuerunt. Et pro solutione aduersarum rationum considerandum est, viros sapientes de proposito his difficultatibus varia dixisse. Galenus in primo, de naturalibus facultatibus c. 3. ait Aristotelem pugnantia protulisse, inquit enim: Cur igitur Aristoteles in lib. de Ortu & interitu quatuor Qualitatib. vtitur in Meteorologicis, Problematis, atq; alibi, solum duabus? Nam si quis in Animalibus & Stirpibus calidum & frigidum magis agere, siccum vero & humidum minus dixerit, fortasse etiam Hippocratem habebit qui sibi subscribet, si pari modo in omnibus, non arbitror id concedet, non modo Hippocrates, sed nec Aristoteles, si eorum quæ in lib. de Ortu & interitu non simpliciter ac nudè, sed cum demonstratione nos docuit, meminisse velit, &c. His verbis tria indicat Galenus: primo Aristotelem secum pugnare, secundo diuisionem illam Qualitatū veram esse in solis viuentibus ob calorem vitalem: tertio de illis esse veram non absolute, sed facta comparatione. Sententiam Galeni approbandam non puto: primo enim controuersiam proponere debuisset non interdicta in variis libris, sed inter ea, quæ in eodem lib. enunciantur, nam in eodē secundo lib. de Gen. & interitu, Aristoteles vtrumq; tribuit Qualitatibus his primis, nimirum quod duæ agant, duæ patiātur, & quod omnes agant & patiantur, vt patefeci in præcedenti capit. Insuper dico, Aristotelem non secum pugnare, & cum Galenus asserat sententiam eius esse veram solum de viuentibus, errat, absolute enim etiam in simplicium productione calor & frigus magis agunt, vt sensu conspicuum est. Præterea de omni mixto verum est quod calor & frigus sunt principia permutantia, coquentia, formantia, connectentia, & secernentia, econtrario autem humor & siccitas materiam parant pro recipiendis permutationibus ex calore & frigore prodeuntibus. An autē sententia Aristotelis debeat intelligi absolute vel facta comparatione, ex dicendis patebit. Propterea Marsilius in secundo de Ortu & interitu, quem multi Latinorum sequuntur, inquit, sententiam Aristotelis veram esse, non per solam relationem ad viuētia, vt ait Galenus, vel admixta, sed absolutè: nam ordo in actione & passione Qualitatum primarum est, vt calor maxime agat, frigus minus, adhuc minus humor, minime omnium siccitas: de passione & resistentia cōtra se habet, omnes itaq; agūt, & patiuntur; at duæ magis agunt, duæ magis patiuntur. Auerroes in 3. suarum Collectionum

Qualitatum varietates. *Opinio Galeni.* *Tria Galeni dicta.* *Euersio.* *Marsilius.* *Auerroes.*

tatur quin Aristoteles dixerit eas affectiones per huiusmodi Qualitates etiam competere simplicibus: & quamuis non competant omnes, id parum refert, sat est, id esse verum ob affectiones quæ illis competunt. Præterea, Philoponus, Auerroes, & Ludouicus, nituntur instantiam soluere de igne, qui cum sit siccus, est partium tenuissimarum, & facile recipit alienos terminos, at si Aristoteles definiret Qualitates cum relatione ad mixti constitutionem, ea dubitatio nō faceret ad rem, quoniam ignis est, corpus simplex, & tamen illa alia ratione, & via nitūtur soluere, quare vel male soluunt, vel secum pugnant. Præterea, Definitio humidi manifeste competit humori aeris, & aquę, quare si solum Definirentur Qualitates per relationem ad mixti constitutionem, Definitio non reciprocaretur cum modo considerandi Definitum, sed latior esset. *Instantia de igne*

Cap. IX.

Opinio propria cur Qualitatum duæ dicantur agere, duæ pati.

Quatuor conclusiones.

VT de re ardua proferā quod sentio, pro lucidiore solutione quatuor enuncio: primum est, dum Qualitatum duæ dicuntur efficere, & duæ pati, non comparatur vna Qualitas cum sibi opposita, sed vna qualitatum oppositio, cum altera, ideo vna earum dicitur alteram permutare. Alterum est, dum Qualitatum duæ dicuntur agere, duæ verò pati, non consideratur actio Vniuoca, qua calor calefacit, humor humectat, sed æquiuoca: hoc patet ex Aristotele, qui de æquiuoca id explicauit, qua calor consimilia nectit, frigus & consimilia & dissimilia. Tertio dico sententiam Aristotelis veram esse cum de simplicibus, tum de mixtis, præsertim tamen apparere, & veram esse de mixtis, quia sunt capacia omnium earum affectionum, & in mixtis magis refulgent actiones primarum Qualitatum æquiuocæ. Quarto addo hæc debere intelligi, & esse vera per se, & inspiciendo id, in quod per principale naturæ institutum illæ Qualitates sunt ordinatæ, nam regulæ, & Definitiones intelligi debent per se, ex accidenti enim potest secus euenire, vt dum humor extinguit calorem, & Qualitates patientes resistendo superant efficientes. Ex his elicio sine controuersia dici Qualitates omnes agere, Qualitates omnes pati, & Qualitatum duas agere, duas pati, comparando vnam contrarietatem cum altera, considerando actionem æquiuocam, & id quod est per se. Elicio insuper, Aristotelem non secum pugnare, cum varia proferat, ob varias comparationes. Demum colligo, rationes aduersas facile dilui. Dicebatur primo qualitates has omnes esse formas, & omnes agere, quod concedo factā comparatione inter Qualitates contrarias adinuicem. Addebatur, formam solum ex accidenti pati, & formam per se solum agere in contrarium, & ea quæ sunt ex accidenti, esse prætereunda in scientiis, & Definitionibus. Respondeo, formam non pati per se absolute vt forma est, sed vt materiata, adeo, vt pati ei competat per se ratione superadditi. Addebatur contrarium per se solum agere in contrarium, vna autem oppositio non contrariatur alteri. Respondeo, id esse verum de actione prima, non de sequente eam, de qua loquitur Aristoteles: nam pro hac sat est ea oppositio quæ versatur inter actum & potentiam, inter formam, & aptum formari, quæ oppositio locum habet in eis duabus oppositionibus inuicem comparatis. At de Qualitatum primarum diuisione hactenus, descendamus ad earum Definitiones.

1. Conclusio. *2. Concl.* *3. Concl.* *4. Concl.* *Quid elicitur.* *1.* *2.* *3.* *Diluuntur rationes aduersæ.*

Cap. X.

Conſiderantur Definitiones primarum Qualitatum.

Communis circumſcriptio. Circumſcriptiones propria.

QVATVOR primæ Qualitates communi Definitione circumſcribi poſſunt, quod ſint Qualitates ad tactum pertinentes, efficientes & patientes, aliis in materia non ſupponentes, nec aptæ in pauciores redigi, conſtituentes prima córpora tactu ſenſibilia, ex quibus cæteræ Qualitates prodeunt, quæ ſecundæ nuncupantur. Hæ ſeorſum Definitionibus propriis etiam circumſcribuntur, dicendo, Calor eſt Qualitas prima efficiens, primo cōpetens igni, apta ea nectere, quæ ſunt ſimilium partium. Frigus eſt Qualitas prima efficiens primo competens aquæ apta connectere, tum quæ ſimilium, tum quæ diſſimilium ſunt partium. Humor eſt Qualitas prima, patiens, primo competens aeri, carens terminis propriis, facile apta terminari alienis. Siccitas eſt Qualitas prima patiens, primo competens Terrę, facile ſuis terminis circumſcripta, ægrè recipiens alienos.

Ariſtot.

Ariſtoteles circumſcribens has Qualitates, id quod ſingulis eſt cōmune, vt notum prætermiſit. Similiter non aſſumſit cui Elemento primo competant, quia hoc ei non inſeruiebat, & alibi erat manifeſtandum, ſolum id ſumpſit, quod ei conducebat, vt oſtenderet duas eſſe efficientes, duas patientes, aduerſus quas

Conſiderāda pro ſolutione.

Deſcriptiones varias attuli inſtantias; Pro quarum ſolutione conſiderandum primo occurrit, qualesnam iudicandæ ſint illæ deſcriptiones. Auer. in 2. de Ortu & interitu cont. 9. inquit, has non eſſe re vera deſcriptiones, ſed tanquam ſermones explicantes nomen, & addit nomina Græca earum Qualitatū magis denotare actionem & paſſionem. Errat profectò Auerroes, tum quia ſi Græca earum Qualitatum nomina conſideramus, non magis actionem, & paſſionem denotant, quam Latina, vel alia: tum inſuper, quia illæ Deſcriptiones mira arte ſunt traditæ, prætereundo communia & nota, accipiendo magis propria & latentia.

Actiones Qualitatum duplices.

Et quoniam Qualitates, cum ſint principia quædam, per earum opera debent circumſcribi; Ideo conſiderandum actionem earum eſſe duplicē, vnam propriam & vniuocam, alteram ſequentem propriam & æquiuocam, prima eſt finis proximus, & proprius, altera remotior, in quem per communem naturam actio propria dirigitur, actio prima nil occulti patefacit, actio ſecunda magis conditionem earum manifeſtat, magiſque inſtituto Ariſtotelis inſeruiebat, ideo iure per eam Qualitates circumſcripſit. Inſtabatur primo Ariſtotelem prætermittere ea quæ ſunt per ſe, apparuit prætermitti vt conſpicua, nil occulti pa-

Soluuntur inſtantia.

tefacientia. Addebatur ea accipere quæ ſunt ex accidenti, apparuit per relationem ad vlteriorem finem non eſſe accidentia. Nam calor per propriam ſui naturam per ſe primo appetit ſui conſeruationem, per naturam ſuæ ſpeciei primo appetit ſimile generare, at per naturam communem Vniuerſi, antecedentia ad ſequentia dirigentem, & vlteriorem finem expetēntem, appetit alia per quæ definit Ariſtoteles, Addebatur ex contrariis prodire contrarium. Reſpondeo id eſſe verum de actione prima, & propria: ſic ex calore calor, ex frigore pendet frigus, non de actione ſequente primam, de qua ſat eſt vt modo aliquo ſint varia, & fiat modo oppoſito, veluti calor calefaciendo & rarefaciendo ſimilia nectit. Frigus verò condenſando, & congelando nectit ſimilia & diſſimilia. Addebatur, Ariſtotelem falſa proferre, quia calor etiam diſſimilia nectit. Reſponderit Ludouicus Boccat. & Pomponatius, Ariſtotelem inſpexiſſe id quod fit vt

Lud. Boc. Pomponatius. Euerſio.

plurimum, ſed hi viri grauiſſimi, Definitiones ab Ariſtotele traditas nimium leues reddunt, expoſcunt propriè ſumptæ deſcriptiones, vt quæ in eis accipiuntur

competant

competant omni, soli, & semper, adeò, vt tota circumscriptio cum te circumscripta reciprocetur. Propterea, secus soluens, dico, sententiam Aristotelis per se esse semper veram, inspiciendo institutum communis naturæ, & finem vlteriorem, falsam tamen nonnunquam ex accidenti quod nil refert, quia considerãda sunt ea, quę sunt per se. Et pro notitia animaduertendum, calorem ita nectere consimilia, vt nitatur ea quæ sunt dissimilia in vnam naturam redigere, quæ talia reddere non valet tamquam excrementa secernere: hoc seruatur in coctione alimentorum, in confectione Theriacæ, Mitridati & similium. Euenit tamen nonnunquam, vt calore ex accidenti connectantur dissimilia, vt dum per decoctionem Mel redditur tenacius, adeo vt amygdalas detineat, pro qua retentione demum conducit etiam congelatio à frigore facta, Pix & cæra dum liquescunt connectuntur tum ex accidenti, quia partes magis tenues dissoluuntur & remanent tenaciores, tum insuper, quia ambo ea corpora lentore sunt prædita, & ob id sunt in parte similia. Similiter diluuntur instantiæ de frigore secernente, nam id nonnumquam fit ex accidenti, quia per se comprimendo, & congelando, ex accidenti partes magis tenues vitantes compressionem extrudit, veluti etiam ex accidenti secernit ea quæ per calorem fuerant coniuncta, & modo aliquo permixta, & consimilia reddita, vt accidit de genitura, lacte, pute, sanguine, & similibus, nam à frigore extinguitur calor geniture, & eorum quæ aerio quodam spiritu iuncta erant & consimilia reddita, quo calore extincto, spiritus, & humor tenuis vitantes compresionem à frigore prodeuntem dissoluuntur & remanet humor crassus, & aqueus. Hoc docuit Aristoteles in quinto de Generat. Animalium, cap. 5. inquiens: Indurat tum calor tum frigus, nam euenit vt ab vtrisque humor in vaporem vertatur scilicet à calore per se, à frigore ex accidenti, vna enim cum calore humor seiungitur, nullus enim humor sine calore est, sed frigus non modo indurat, sed densat etiam, calor vero laxat, rarioraque reddit, &c. quæ sententia de calore explicata est in præcedentibus, de frigore dico, ab eo per se extingui calorem, & corpora comprimi, reliqua fieri ex accidenti. Sed oritur dubitat. quia si calor & frigus per se agunt in humidum, & siccum, igitur calor ignis agit in siccum ei iunctum, & calor aeris in humidum, & sic de reliquis, nam quod est per se, est de omni, id autem falsum est. Respondeo, has actiones æquiuocas non esse per se & primas, sed fieri per primas. Cum autem calidum non in se agat seipsum calefaciendo, etiam non agit in suam vel humiditatem, vel siccitatem. Insuper calor, & frigus agunt in omne humidum, & siccum sibi non consentaneum.

Solutio propria. *De calore.* *Instantia de frigore.* *Aristot.* *Dubitatio.*

CAP. XI.

Diluuntur instantiæ relatæ aduersus Definitionem humidi, & sicci.

SOLVTIS difficultatibus ad calorem & frigus attinentibus, diluendæ superfuntinstantiæ relatæ aduersus Definitiones humidi & sicci. Erat instantia de igne, spiritu, puluere, & similibus, quæ cum sint sicca, carent termino proprio, & facile recipiunt alienos, Auerroes respondens, inquit Elementa media cũ sint humida, carere terminis densitatis & raritatis, hinc magis & densari & rarefieri possunt, extrema vero adepta esse vltimos terminos, nam ignis summè rarus, terra summe densa est. Hæc solutio approbanda nõ videtur, primo quia ea sum-

De humido & sicco. *Auerroes.* *Euersio.*

rem, quarto ficcitatem, vt sensu constat. At si consideramus actionem secundam & passionem inter duas agentes, & duas patientes, dico duas per se solum agere, duas solum pati, & attinentia ad earum Definitiones que illis cōpetere, vt enim calor nectit similia, ita frigus cum similia, tum dissimilia: & vt humor facile terminatur termino alieno, ita siccitas proprio, attinentia enim ad Definitiones æquè competunt Definitis, supposita eorum æqualitate. Supersunt modo diluendæ difficultates ad nomina Qualitatum attinentes: nam dicebantur materiæ, affectiones, principia, & differentiæ: ex quibus tres prodeunt controuersiæ. prima quia antecedent, erunt simul, & sequentur, secunda, erunt substantiæ & accidentia, tertia, erunt formæ & materiæ. Respondeo, has non esse controuersias, quia veræ sunt de Qualitatibus, distincta ratione, nam antecedunt vt dispo-nentes, sunt simul vt formantes, sequuntur vt affectiones. Insuper, sunt differentiæ, & formæ circumscribentes formam substantiæ, ac etiam constituentes Corpus sensibile sensu tactus, vt tale est: absolute autem sunt accidentia, sunt materiæ temperamentorum, & sequentium Qualitatum. Sed id superest considerandum, an rectè nuncupentur Elementa Simplicium corporum. Hac de re consentiunt Aristoteles, Plato, & Athenæus, qui omnia interna, & prima principia nuncuparunt Elementa. Ita Aristoteles frequenter in 1. Phys. prima interna principia nuncupat Elementa. Et in secundo de Ortu & interitu cont. 4. & 16. Qualitates primas quatuor nuncupat Elementa corporum. Similiter Plato in Timæo, figuras, quas statuebat interna principia Simplicium corporum, Elementa eorum appellat. Propterea refert Simplicius ex Eudemo in proœmio Phys. Platonem primum nuncupasse interna prima principia nomine Elementi, & Aristotelem sequutum fuisse illum, Elementa autem corpora non absolute sunt Elementa, quia non sunt absolute prima, sed solum prima inter corpora. Ex aduerso tamen Galenus in primo de Elementis cap. 4. & 6. disputans contra Athenæum negat materiam, & formam esse Elementa compositorum, sed ait debere dici principia: similiter negat, Qualitates esse Elementa Simplicium corporum, vel mixtorum, sed solum principia. Ratio eius est: quia cōditio Elementi est, vt sit eiusdem generis & ordinis, cum his quorum est Elementum, adeo, vt Qualitates Qualitatum, & Corpora Corporum sint Elementa, non autem Qualitates corporum, vel materia & forma compositorū, sed principia vt nuncupabantur à veteribus (referente Aristot. in primo Physic. 48.) At fundamentum Galeni nulla ratione comprobatum est. Propterea cum Platone, & Arist. dicamus, Elementa rectè dici, de omni principio intrinsecus constituente, & præsertim de materia, vt dicitur in 7. Metaphysicæ, cont. 60. est origine prior, nam & (vt inquit Aristot. in 5. Metaphys.) conditio Elementi est, vt sit primum, sic literæ dicuntur Elementa Grammaticæ, & orationis, quamuis non sint orationes. Ad id quod ait Galenus, Elementa debere esse eiusdem ordinis, & generis cum his quorum sunt Elementa, Respondeo, fat esse, vt ad idem Prædicamentum referantur, nam accidens non rectè diceretur Elementum Substantiæ, nisi vt circumscribit formam Substantiæ, nec substantia accidentis. Primæ itaque Qualitates primo dicuntur Elementa Temperamentorum. Secundo Elementorum corporeorum, vt circumscribunt formam Substantiæ eorum, ac vt sunt eorum differentiæ, reddentes ea tangibilia Sensu tactus, & magis ex opinione Galeni deberent dici Elementa, quia putat esse formas Elementorum, quam ex sententia Aristotelis secus sentientis.

De actione secunda.

Dubia de nominibus.

Solutio.

An sint Elementa.

Simplicius.

Galenus.

Cat. XIII.

De Diſtinctione calidi, frigidi, humidi, & ſicci.

QVatuor apparuere prima Qualitatum capita, at ſub ſingulis multæ varietates locum habent. Primo enim quælibet earũ vſurpatur vel pro ſola Qualitate, vel pro concreto, vt conſiderauit Galenus in primo de Temperamentis, c. 7. & 1. Aphoriſmorum, inquiens, vſurpari & pro Subſtantia, hoc eſt pro compoſito, & pro Qualitate. Similiter Auer. in 5. Metaphyſicæ, 14. ait nomina denominatiua primo formã, ſecundo compoſitum denotare, idipſum Ariſtoteles in 7. Metaphyſ. cont. 7. dixit de Animali, q primo Animam, ſecundo compoſitum denotat. Inſuper diuiduntur ſecundo per actum & patientiam, vt ea diuiſit Ariſt. in 2. de partib. Animalium, c. 3. & Galenus in 3. de Temperamentis, c. vlt. ſic ignis actu eſt calidus. Piper poteſtate; Et cõſiderandum, quod calidum poteſt dici dupliciter, vel efficiendi, vt Piper, & calx, vel patiendi, vt tęda, pix, & quæ citiſſime incenduntur. Tertio diuiduntur, quia vel abſolutè ſunt talia, & hoc competit ſolis Elementis dum conſiderantur vt ſincera, ita enim expoſcunt ambas Qualitates ſummas, vel ſunt talia per cõparationem, & hoc præſertim contingit tribus modis: vel enim comparatio fit in communi genere mixtorum, & ſic quod eſt ſupra æquale, denominatur in eo genere tale abſolute, vt calidũ inter mixta, vel humidũ. Vel fit comparatio in genere proximo, vt in genere Animalium, in quo genere quod excedit medium cõpetens animalibus dicitur abſolute tale, vt Leo abſolute calidus, formica frigida. Tertio fieri poteſt cõparatio in ſpecie, vt comparando Platonis Temperamentum, cũ eo Ariſt. vel abſolute, vel cum relatione ad medium congruens Homini, ita datur calidum abſolute, calidũ in communi genere mixtorum, calidum in genere proximo, & calidũ in poſtrema ſpecie, & quod dixi de calido, de cæteris etiam Qualitatibus intelligi debet. de his comparationibus multa dicuntur à Galeno in primo de temper. c. 6. & in 3 cap. vl. necnon ab Ariſt. in 2. de partib. Animalium, c. 2. At prætermiſſis cęteris varietatibus conſideremus eas quas in humido actu conſiderauit Ariſt. in 2. de Ortu & interitu, 14. quę ad cæteras etiam Qualitates extendi poſſunt. Quadruplex ſtatuit Ariſt. humidum, nam primo datur humidum vniuerſe ſumptum, quod ab Ariſt. fuit definitum. Secundo datur humidum proprie, & eſt id, quod humiditate ſibi per naturam propria, præditum eſt, ſecundum vniuerſam Subſtantiam, vt aqua. Tertio datur humidũ ſolum extrinſecus, & humore alieno, quod vdum dicitur, vt irroratæ frondes. Quarto datur humidũ intus humore alieno, & dicitur madidum, vt ſpongia, aquam includens imbibitam. Hæc ſunt capita principalia ab Ariſtotele indicata, quę Philoponus reſoluit in quinque. At ſi exactius capita diſtinctionum conſideramus, non recedentes ab Ariſtotele, in octo capita ea reſoluemus, ita dicentes. Humidum vſurpatur vel pro communi genere, vel pro ſpecie ab aliis ſpeciebus diſtincta: pro communi genere Definitum primo fuit comuni Definitione, & eſt primum caput; Si vſurpatur in ſpecie, Vel eſt humidum humore naturali, vel alieno, vel vtroque; ſi alieno, vel ſolum intrinſecus eo eſt præditum, vel ſolum extrinſecus, vel intus & extra, & ita habemus quatuor capita Si fuerit humidum humore naturali, vel eſt tale ſolum intus, vt Cochlea, vel ſolum extra, vt Dactyli fructus, vel intus & extra, vel limachia; & iam prodiere ſeptem capita, quibus pro octauo additur, humidum humore cum alieno, tum naturali, vt cerebrum puerorum; Hæ varietates in humore ſatis ſunt conſpicuè, ideo Ariſtoteles eas humori tribuit: conſiderari tamen poſſunt etiam in cæteris.

Diuiſio 1. *Diuiſio 2.* *Diuiſio 3.* *Humidũ quadruplex.* *Octuplex humidũ.*

cæteris Qualitatibus, quatenus omnis Qualitas & secundum naturam, & aliena esse potest, & valet intus & extra competere. In calore tamen præsertim ea varietas refulget per quam distinguitur in calorē Cœlestem, Vitalem, & Elementarem. Calor viuentium diuiditur in influentem siue infusum à Corde, & Calorem temperamenti. Calor Elementaris in igneum cum sicco iunctum, & aereum. Verum hæ distinctiones tribuuntur calori ob connexa cum eo ex accidenti, per se enim omnis calor, qui actu est calor, est eiusdē speciei specialissimæ.

CAP. XIIII.

Quomodo quatuor primæ Qualitates ex Cælo pendeant.

QVatuor relatæ, & explicatę Qualitates, quamuis in hoc mortalium orbe in genere Qualitatum sint origine primæ, relatæ tamen ad Cœlum, primæ non sunt, sed ex aliis facultate & origine prioribus pendent: est enim Cœlum inter corpora prima parens, primum alterans, fouens, & seruans contenta sub eo. Ideo Aristoteles in primo Meteor. dixit, necesse mortalem orbem superis lationibus esse continuum, vt omnis eius virtus inde gubernatur, & in capitulo tertio asseruit, hoc mortale corpus, potentia calidum, frigidum, humidum, & sic cum fieri, & esse actu, per motum & immobilitatem. Quare cum concedatur vt cætera ad corpus attinentia, ita primas quatuor Qualitates ex Cælo pendere, de modo est dubitatio, & opiniones sunt variæ. Vetustiorum Philosophorū nonnulli, è quorum numero fuit Parmenides, duo statuerunt principia prima, Calidum, & frigidum: Cœlum dixere ignē, & calidum, frigus putarunt esse priuationem caloris competentem collocatis sub Cœlo, ideo dum hæc à cœlo non calefiunt, inspicimus frigore sua conditione torpere. Academici asseruere cælum ex eminentiis Elementorum constare, ac ita Qualitates omnes includere, per quas seruarent Qualitates mortalium. Sed quoniam Peripateticorum firma & constans opinio est, cœlum esse immune à Qualitatibus mortalium, ideo cum eis careat, dubium est quomodo in mortalia eas effundere & seruare valeat, confugerunt plurimi ad proprios cœlorum & stellarum influxus, quorum Sententia in lib. de cœlo cumulate à me reiecta est. Propterea Io. Picus Vir omni ex parte Illustris, lib. 3. contra Astronomos, c. 4. inquit. Si quis quærat à me frigiditatém ne cœlum faciat per se, an ex accidenti? Respondebo, siquidem quæras quid seipso faciat cœlum, nulla media causa, fieri ab illo per se tantū calorem, cæteras Qualitates ex accidenti; veluti calor ipse ex accidenti refrigerat, si vero quid tamquam vniuersalis causa cum secundariis causis agat, agere illum per se, tam caliditatem, quam frigiditatem, tam siccitatem, quam humiditatem, adeo, vt non minus cum aqua generet aquam, quam cum igne ignem, nec magis posset sine illo, aqua aquam, quam ignis ignem generare. Id ipsum ferè per varia verba dicitur à Reuerendissimo Episcopo Casertæ, libro decimoquarto Euersionis, Sectione vndecima. Hæc opinio mihi dubia est, primo, quoniam causa communis ad omnia vniuerse tantum conspirare debet, non autem ad vnum per se, ad reliqua ex accidenti. Præterea, efficiens tunc aliquid efficit per se, dum id efficit cum sui reduplicatione, at Cœlum Lucidum, & motum, vt Lucidum, solum illustrat, vt motum, solum contenta sub eo nectit, vel seiungit, non autem per se primo calefacit. Syrenius vir doctus libr. 3. de Fato, capitul. 49. inquit, ex Cœlo per se nullam quatuor Qualitatum prodire, immo nec illuminationem, quia Lucidum non illuminat nisi eius radij repercu-

Aristot.

Quomodo primæ Qualitates ex Cælo pendeant.

Opinio prima Parmenidis & aliorum Veterum Academ.

Opinio aliorum & præsertim Peripateticorum.

Ioan. Picus Mirandulanus.

Episcopus Caserta. Euersio.

Syrenius.

tiantur. Addita à Cælo, Lumine, & motu, contenta sub eo seruari, & in Lumine & motu esse Qualitates omnes per se, vt in instrumento, nullam tamen earum Qualitatum per se Cœlum generare posse, quia generationes sunt causarũ particularium, Cœlum autem est causa communis, quæ nisi per particulares determinetur producere quicquam non valet. Hæc opinio præter id quod dicebatur de productione caloris, eadem fere est cum opinione Ill.Io. Pici, & considerando eam quatenus differt, primo minus rectè dici puto, Lucidum per se illuminare: nam dum aliquid prodit ex propria alicuius forma, & cum eius reduplicatione, dicitur per se ex eo prodire, at illuminare prodit ex forma lucidi, & cum eius reduplicatione, nam Lucidum illuminat, quia Lucidum, quare per se: quod si requiritur repercussio, id parũ refert, quia repercussio non tradit formã per quam medium illuminetur, etiam color vt videatur exposcit Lumen, tamẽ dicitur per se visibile, nec repercussio illa est, quæ illuminat, sed radius repercussus. Præterea dicere æquè ex Lumine & Motu prodire Qualitates, experientiæ & authoritati aduersatur, inquit Aristoteles in primo Meteororum, & in 2. de Cœlo Motum Cœli calefacere, non ita ait refrigerare. Insuper asserere eas Qualitates esse per se in Lumine & motu, vt in instrumentis, veluti formæ omnes sunt in forma Cœli & corpora in corpore Cœli, & Motus in Motu Cœli, & fructus in semine: Cœlum tamen nullam earum Qualitatum per se generare posse, hoc inquam varia includit summopere dubia. Nam esse aliquid in aliquo per se, vt in instrumento, verum est, quando in eo cuius est instrumentum per se est, vt in causa principali, & propterea negare Qualitates esse in Cœlo per se vt in causa principali, & asserere eas esse in motu & lumine Cœli per se, vt in instrumento, est pugnantia proferre. Propterea dicere esse per se in aliquo vt in instrumento, est loqui non proprie, quoniam esse per se, non ad instrumentũ, sed ad causam principalem pertinet, & præsertim quia si in eis per se essent vt in instrumento per se, etiam producerentur ab illis, veluti ignis calefacit, non vt ignis, sed vt calidus inquit Aristoteles in lib. de Sensu & Sesili, & calor per se calefacere dicitur, quamuis sit instrumentũ ignis. Demum asserere Qualitates ex accidenti pendere ex Cœlo, est asserere mundũ mortalem, & ordinem eius ex accidenti pendere ex eo, nam eatenus pendet quatenus Lumine & Motu calefit, humectatur, & reliquis Qualitatibus afficitur. Propterea pro lucida resolutione præsentis difficultatis, tres profero Conclusiones. Prima est. Nulla primarũ Qualitatum per se primo à Cœlo producitur. Altera est. Omnes quatuor Qualitates per se secundariò ex Cœlo pendent. Tertia est. Comparatis inuicem Qualitatibus primo & principaliter ex Cælo pendet calor. Prima Conclusio ostenditur, quoniam nulla primarum Qualitatum vel Lumine cœli, vel Motu fit, cũ eius reduplicatione. Confirmatur, quia huiusmodi Qualitates per se primo fiunt à simili, quare non à Cælo, quod est expers earum; insuper id ostenditur, quoniam causa communis non per se primo producit aliquid proprium, sed solum id quod est cõmune, cœlum est causa communis. Ostenditur secunda, nempe per se secundario ex cœlo pendere. Ratio est, quoniam causa cõmunis producit contenta sub cõmunibus, per se secundario, commune enim primo communia inspicit, mox contenta sub eis. Insuper, cœlum est ob mortalia non prima intentione, sed secundaria, & ideo secundario etiam producit, vel seruat Qualitates primas eorum. Præterea vt Qualitatum primarum duplex apparuit actio, vna prima, altera sequens primam, ita Motus & Luminis actio, est duplex, vna prima, & proxima, altera eam sequens, hæc tamen sequens non ita est præstantior, vt ex primarum Qualita-

tum.

Margin notes: Euersio. — Opinio propria. — 1. Conclusio. — 2. Conclusio.

rum, quoniam nō ita principaliter Cæli diriguntur in mortalia, vt Elementa per quatuor Qualitates diriguntur in mixta. Tertia conclusio erat. Ex cœlo, comparatis inuicem primis Qualitatibus, primo & præsertim pendere calorem. Ratio est: quoniam calor proximus ex Lumine, & motu pendet, est Qualitas dignitate prior, vitalior, purgans cætera, ea eleuans & cum Cœlo connectens, insuper secernit ea quæ distincti sunt generis, quod cōducit pro ordine Vniuersi, pendent ex eo etiam cæteræ Qualitates, sed minus principaliter, per varias distantias, & mensuras, adeo, vt Cœlum Lumine & Motu, nedum vna cum calore tanquam communis causa producat calorem, & cum frigore frigus, verum insuper ipsum quoq; etiam sine calore & frigore valeat has, & alias Qualitates seruare & producere, non tamen per se & primo, sed modo à me explicato. Hanc veritatem optime patefecit Alexander in 2. Nat. qq. cap. 3. inquiens. Materiam mortalium sui ratione Qualitatibus carens, sineque figura existens, à potentia, quæ à Diuinis corporibus manat; cum sit sine actu corpus, formatur, & figuratur, adeo, vt id eius quod proximius est Cœlesti corpori, plus diuina potentia participans formetur caliditate, & siccitate: hæ namque sunt primæ ab illis in corpora mortalia prodeuntes passiones, &c. Sic manifestat Qualitates ordine aliquo ex Cœlo pendere, ita seruatur distantiam à Cœlo dare frigus, grauitatem, & quieté, propinquitatem verò opposita. Similiter verum redditur id, quod dicitur locum seruare locata, & esse tanquam formam eorum. Nam locus secundum naturam in definita quadam à Cœlo distantia est constitutus. At de primis Qualitatibus hactenus. Cætera quæ explicanda supersunt, patebunt in Elementorum consideratione. Deo laus in sæculorum sæcula.

3. Conclusio.

Alexander.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De effectione & perpessione operantium per Naturam.

LIBER VNVS.

CAP. I

Quotuplex sit tactus.



VONIAM Natura, tanquam sedula Dei famula, nunquam ignauo ocio torpet, sed vigilanter pro facultate operatur, operando perficitur, eaque præclara efficit opera, quę natura constare dicuntur, propterea huiusmodi opera indagantibus, necessarium est exactè prænoscere quid sit efficere, & pati, & cętera cuncta, quę cum his iuncta, & complicata sunt; & quoniam effectioni antecedit tactus, ideo ego à tactu ordiar, mox attinentia ad effectionem, & perpessionem pro facultate perpendam. De tactu considerabo primo, quotuplex

Natura vigilans.

De tactu.

Tactus, per Metaphorā quadruplex. sit, deinde quid sit tactus Physicus, qui instituto nostro inseruit. Tactus vsurpatur dupliciter, vel per Metaphoram, vel proprie: tactus per Metaphoram dictus, extenditur etiam ad incorporea, & dicitur tactus virtutis, qui est quadruplex: vel enim incorporeum sua virtute tangit incorporeum, vt dicimus Deum tangere superas Mentes, vel incorporeū tangit corpus, vt intelligentia mouens Cœlum, dicitur tactu virtutis Cœlum tangere. Similiter conuitia dicuntur nos tangere. Vel econtratio corpus tangit incorporeum, vt accidit dormientibus, & delirantibus, vel demum corpus sua virtute tangit corpus, vt Sol Terram tangit. Hic itaque est tactus virtutis, qui ad rem non facit. Alter est tactus magnitudinum, qui triplex est, Mathematicus, Cælestis, & mortaliū Physicorum corporum. Tactus Mathematicus est duarum magnitudinum à sensilib. Qualitatibus, imaginatione secretarum, quarū vltima sint simul. Tactus cælestis est duplex, vel Cælorum inter se, vel Cęli, & mortalium, pro quo tactu requiritur, vt eorum vltima sint simul, ac insuper si cōtactus fuerit Cœlorum adinuicem, superius potest mouere inferius, at non vice versa, ita primum mobile secum ducit motu diurno cæteros orbes. Præterea mutuo sibi impartiuntur munera propria, & pręsertim Lumen, vt recte sensit Simplicius primo Cœli, vigesimoquarto, & secundo Cœli nono. Si verò cōsideramus tactum Cœli, & mortalium, Cælum mouet mortalem orbem, in eumque sua munera effundit, at non vice versa, non enim æterna egent muneribus mortalium. At demum si loquimur de contactu magnitudinis Physicorum mortalium, hic duplex est, vel cum iudicio, vel sine: tactus cum iudicio cōpetit solis Animalibus munere sensus tactus, de quo agitur in secundo de Anima, & ad rem non facit; tactus sine iudicio etiam inanimis competit. Pro quo constituendo, ex sententia Aristotelis in primo de Ortu, & interitu, quatuor requiruntur, primo vt magnitudines tangentium distinctæ sint, alioquin non se tangerent, sed continuæ essent. Secundo, vt partium positione sint prædita. Ratio est: quia eorum vltima debent esse simul, id simul ad locum refertur, ideo illis competit quibus & positio competit, & Locus. Tertio requiritur, vt vltima sint simul, & hæc tria sunt communia omni tactui magnitudinum. Requiritur quarto, vt inuicem agant & patiantur, & hoc est proprium tactus mortalium. Ratio huius quartæ conditionis est: quia dum inuicem agunt, nedum se tangunt contactu magnitudinum, verumetiam contactu virtutis. Insuper, tunc intimius se tangunt, cum virtus etiam per interna effundatur. Demum hoc additur, vt tactus mortalium, à tactu cæterorum secernatur, & id quod est eius proprium afferatur. Ex his elicitur Definitio tactus: nam si tactus magnitudinum late sumatur, tunc cum Aristotele in quinto Physicorum dicimus, tangere est distinctarum magnitudinū positione præditarum vltima esse simul. Et quamuis in quinto Physicorum Philosophus solum dicat vltima esse simul, tamen cętera quę addidi includuntur, & subintelliguntur, quæ in primo de Ortu, & interitu explicantur. At si definire volumus tactum mortaliū, quem Philosophus Physicum appellat, dicendum erit, tangere est distinctarum magnitudinum, positione pręditarum vltima esse simul, cum mutua actione, & passione.

Tactus magnitudinum triplex.

Pro vero tactu quatuor requiruntur.

Definitio tactus.

Cap. II.

Dubia nonnulla ad tactum pertinentia proponuntur, & diluuntur.

Dubit. 1. EX dictis in præcedente capite de tactu mortalium, nonnullæ emergunt difficultates. Nam dubitatur primo, quia Definitio tactus videtur redundans: dicitur in ea tactum esse distinctarum magnitudinum positione præditarū. Hoc videtur

videtur redundans, quia magnitudo omnis videtur constare ex partibus prędictis positione. Praeterea si vltima sunt simul, includitur quod magnitudines sint distinctae, alioquin essent vnum, non simul, ideo sat esset dicere, quod vltima sint simul. Secundo dubitatur, quia non videtur requiri pro tactu mutua actio, posterius enim non requiritur pro priore, actio autem sequitur tactum, quare non constituit illum. Tertio dubitatur, quia Aristoteles in quinto Physicorum cont. vigesimo octauo, ait, omnia continua se tangere, non contra: nam maior initio includit minorem: at in continuo vltima partium non sunt simul, sed vnum. Quarto dubitatur, an omne tangens, tangat tangens, adeo vt omne tangens tangatur, vel detur tangens quod non tangatur. Quinta dubitatio est cum tactus dicatur multipliciter, an dicatur aequiuoce, vel ab vno, & ad vnum. Demùm cum tactus dicatur multipliciter, de quo primo, & praesertim dicatur? De prima difficultate dico, potuisse Aristotelem breuius Definire, dicendo ea se tangere, quorum vltima sunt simul, ac inuicem agunt, & patiuntur: nam haec supponunt caetera, tamen dum seorsum singula explicantur, Definitio consurgit clarior, & distinctior, & propterea Definitio non debet iudicari redundans, & ad instantiam de particula, positionem habentium, dico non esse redundantem, duplici de causa: Primo, quia magnitudo etiam dicitur de motu, & tempore, quibus positio, & locus non competit; Secundo, quia quamuis in linea, superficie, & corpore, consideretur positio partium, tamen ea positio non est essentia eorum, sed est tanquam affectio, & propterea considerari potest essentia absoluta eorum non considerata positione, at dum considerantur, vt se tangentia, tunc necessario positionem, & locum sibi optant, & ideo in Definitione tactus accipi debuit, ex quo etiã elicitur solutio alterius difficultatis, quae proponi posset, & est; ad quod Praedicamentum pertineat tactus: nam dico attinere ad Praedicamentum positionis, quia ita poni vt vltima sint simul, positionem denotat, positio autem locum supponit, & seruat relationem quandam ad locum. Dubitabatur secundo, quia non videtur pro tactu requiri mutua actio. Respondeo, eam pro tactu absolute non requiri, & praesertim pro tactu Mathematico, abstrahente à Qualitatibus Sensibilibus, requiri tamen pro tactu Physico, vt contradistincto ab aliis, & tanquam considerato in ordine ad actionem, vt fit hoc in loco, vna cum Aristotele. Et dum instatur, quia est aliquid posterius, Respondeo primo, non esse aliquid posterius contactu virtutis, & interno, quia contactus virtutis, absoluitur per mutuam actionem. Addo secundo, dum tactus consideratur, vt relatus ad actionem, tunc actio est tanquam finis, & ideo iure sumitur in Definitione. Tertia Dubitatio erat, quia etiam continua se tangunt. Respondeo, continua se tangunt eminenter, at non per formam propriam tactus, contradistinctã à continuo, & vt se tangunt eminẽter, ita vltima sunt simul eminenter. Erat quarta dubitatio, an omne tangens, tangat tangens, Aristot. inquit ꝙ non, dum enim tangens agit, & non repatitur, dicitur tangere, & non tangi, ita Intelligentia mouens Coelum, tangit sua virtute illud, & non tangitur. Similiter Coelum tangit mortalem orbem, & non tangitur. Respondeo, si tactus consideretur pro eo solo, quòd vltima sint simul, ita dico tangens necessario tangi: nam cum vltima sint simul, vtriusque est eadem ratio, & propterea dicitur contactus, quia vna, & reciproce se tangunt, ita Coeli, & Mathematica, & Physica mutuo tanguntur, & tangunt: Intelligentia solum per Metaphoram dicitur tangere, non enim habet vltima, quae sint apta esse simul cum vltimis magnitudinum, nisi per Metaphoram. At si nos consideramus tactum Physi-

2. Dubit.
3. Dubit.
4. Dubit.
5. Dubit.
Solutio primae diffic.
Solutio secundae diffic.
Solutio tertiae diffic.
Solutio quartae diffic.

ficum cum actione, ita tangens poteſt tangere, & nō tangi, nec tangens refertur ad tangens, ſed ad tangibile. Pro ſolutione quintæ difficultatis, conſiderandum, quod omnis vox, vel eſt vniuoca, Græcè Synonyma, vel dicitur multipliciter, ſi dicitur multipliciter, nonnunquā communi ſignificatione dicitur æquiuoca, in qua lata ſignificatione Porphyrius in Vniuerſalibus dixit: Si quis decem genera rerum nuncupet etiam, æquiuoce nuncupabit, non vniuoce; Et in eadem ſignificatione Ariſtoteles in Anteprędicamentis Definiuit ęquiuoca; Nonnunquam vero æquiuocum vſurpatur preſſius, pro ſpecie vocis multipliciter dictæ. Vox enim dicta multipliciter, vel dicitur cū proportione, vel ſine: ſi cū proportione, ex ea conſurgit Vox Analoga, poſita in ſimilitudine rationum, ad quam etiam Metaphora redigitur, vel dicitur ſine proportione, & tunc vel ęque primo, forte fortuna ſignificat varia, & dicitur æquiuocum à caſu, vel varia ſignificat ordine quodam, & dicitur ab vno, vel ad vnum, vt Ens, ſanū, & ſimilia. Hanc duplicem æquiuoci aſſumptionem, explicauit etiam Alexander in quarto Metaphyſicæ commen. ſecundo, inquiens naturam entis Ariſtoteles alio in loco communius ſub æquiuocis ſtatuit, hic autem accuratius ab æquiuocis diſcrepare ait Philoponus etiam in primo de Generat. & interitu, ait Ariſtotelem in Anteprędicamentis late ſumpſiſſe æquiuoca, & locaſſe ſub eis ea etiam quæ ſunt ab vno, nunc autem exactius voces ſeiungere. Elicitur itaq; diſtinctio ex ipſomet Ariſtotele, qui aliquando vocem omnem multipliciter dictam nuncupat æquiuocam, vt dixi, aliquando vero æquiuocum aſſerit ſpeciem vocis multipliciter dictæ, vt patet ex primo Moralium Nicomachiorum, capitulo ſexto, & ex primo de Ortu, & interitu capitulo, de tactu. His præaſſumptis, dico, nomen tactus dici multipliciter, at non æquiuoce, ſed ab vno, & dum quæritur de quo primo, & præſertim dicatur; Reſpondeo aliud eſt tactum eſſe eminentiorem, & eſſe magis proprie dictum: tactus eminentiſſimus, eſt incorporeorum cui ſubiicitur tactus Cœlorum, at tactus Phyſicus mortaliū, cum mutua actione eſt magis proprie dictus, quia nomina imponuntur rebus nobis proximis, & notioribus, mox transferuntur ad alia.

Solutio quinta diffic. — *Alexan.* — *Philoponus.*

Cap. III.

An Mathematicis competat tactus distinctus à continuo.

Apparet Mathematicis non poſſe competere tactum, ratio eſt: quia tactus expoſcit poſitionē partium, poſitio non eſt ſine loco, Mathematicis locus non cōpetit, vt ait Ariſt. in quarto Phyſ. cont. quinto & 13. Metaphyſicæ. Quod etiam oſtendo ratione, quia eſſe in mente nō eſt eſſe in loco Mathematica imaginatione & mente ſecernuntur à ſubiecto, quare non ſunt in loco, & dum ſunt in loco, etiam iuncta ſunt cum corpore Phyſico, & Phyſica dicuntur. Confirmatur: quia quæ ſunt in loco, vel ſunt ſurſum, vel deorſum, & in eo vel ſunt ſecundum, vel præter naturam, at cū Mathematica non includant graue, & leue, nec ſecundum, nec præter naturam, poſſunt eſſe in loco, & cui nulla competit differentiarum, etiam genus competere non poteſt, cum nil ſit in genere, quod non ſit in aliqua ſpecie. Præterea conceſſo, Mathematicis tactū competere, dubium adhuc eſt, an tactus eorum diſtinguatur à continuo: videtur enim non diſtingui, quoniam ſtatim quod imaginamur, duo indiuiſibilia ſimul, etiam imaginamur vnum fieri, cum indiuiſibilia nec ſe tangant, nec conſequenter in cōtinuo ſe habeant. De prima difficultate dico, Mathematicis competere tactum, & propterea frequēter apud Mathematicos de tactu ſermo eſt, veluti dum inquiunt ſphęram

Mathematicis non competere tactum. — *An in eis tactus distinguatur à continuo.* — *Solutio prima diffic.*

tam tangere Planum puncto;& ad instantiam, quia eis non competit locus, respondeo, Mathematica posse quidem considerari non considerato loco, cum locus non sit eorum essentia, at dum considerantur vt se tangentia, tunc positionem,& locum includunt confuse, nō distincte, secundum imaginationem, non secundum existentiam. Hæc nos docet Arist. qui in quarto Physicorum, 76. inquit. Si cubum seiungatur à cæteris omnibus, & neque graue, neque leue sit, occupabit tamen æquale interuallum, & in eadem erit, & loci, & vacui parte æquali sibi, &c. Insuper in primo de Gen. loquens de tactu, cont. 44. inquit Mathematicis vt tactum, ita locum competere: nam hæc ei cōpetunt per imaginationem, statim enim quod imaginamur cubum in aere, imaginamur per distantiam sibi æqualem secernere partes aeris ab inuicē, ita imaginamur circulum vnum collocatum prope alterum, & ad instantiam, quia nec secundum nec præter naturam erit in loco. Respōdeo, prius posse ratione, & imaginatione secerni à posteriore, esse in loco est prius quam in eo esse secundum, vel præter naturam, id enim sequirur molem, hoc vero grauitatem, & leuitatem eius, & quia Mathematicus abstrahit à graui, & leui, & non abstrahit à mole, ideo potest imaginari magnitudinem esse in loco, non considerando an in eo sit secundū, vel præter naturam, ita etiam Cœlestes orbes se tangunt, cum tamen proprie, & per se non sint in loco. Dubitabatur insuper, an tactus Mathematicus distinguatur à continuo. Asserit Auer. in quinto Physicorū, 20.22.30.39. in Mathematicis contigua esse continua, non autem in Physicis, quoniam Mathematicus abstrahit à Substantia & Qualitatibus eius, & propterea dum imaginatur duo indiuisibilia simul, quia non ea imaginatur, tanquam vltima corporum distinctę naturæ, & conditionis, ideo statim imaginatur reddi vnum. Hęc Sententia nequaquam est vniuersè vera, frequenter enim vtitur Mathematicus contactu, distincto à continuo, veluti dum inquit, sphęram tangere Planum puncto, & circulos se tangentes, ac reuolutos vertere mutuo se in oppositum, vt ait Arist. in principio suarum Mechanicarū. Similiter Euclides, 3. Elem. def. 2. & 3. tactū ponit à continuo distinctum, cum dicat circulum tangere circulum, non enim circulus continuatur cum circulo, quia vt legitur in quinto Metaphysicæ, cōt. octauo, & in decimo Metaphysicæ, cont. primo, continua sunt quorum motus est vnus: at duorum circulorum se tangentium motus non vnus, sed oppositus est. Dico itaq; sententiam Auerrois esse veram vt plurimum, veluti, dum imaginamur lineam vnam, suo termino tangere alteram, imaginamur etiam ob similitudinem linearum eas continuari, similiter superficies, & solida. At dum imaginamur figuras absolutas, & solida eis prædita, ob proprios figurarum terminos, imaginamur etiam vltima eorum esse simul, & non fieri vnum: nam plura indiuisibilia simul posita, vt est ex se, vnum fiunt, at quatenus sunt vltima distinctorum solidorum, propria figura terminatorum conseruantur distincta.

Arist. *Solutio alterius diffic. Auerrois.* *Euersio.* *Euclides.*

Cap. IIII.

De tactu Physico.

Loquuti sumus de tactu Mathematico, superest vt de Physico loquamur, de quo primo occurrit considerandum, an sit: secundo, an duo solida valeant se sine medio vllo tangere. Quantum pertinet ad primum, apparet tactum Physicum nō dari, quia vt Physica se tangant, eorum vltima debent esse simul, at non videntur posse simul esse, quia si sunt simul, sunt in eodem loco, indiuisibilia non sunt in loco. Oritur hæc dubitatio, quia Aristot. in quinto Physicorum, 22.

An tactus sit.

f

inquit. Simul esse dicuntur secundum locum, quæcunq; in vno loco sunt primo, mox declarans tactum, ait, ea se tangere, quorum vltima sunt simul: quare per esse simul id denotat, quod dicitur simul loco, indiuisibilia autem non esse in loco patet, cum locus tantum sit corporum. Præterea regula est, inter duo indiuisibilia mediare continuum aliquod, cuius sint termini, at si duo indiuisibilia essent simul, euerteretur ea regula, & indiuisibilia consequenter se haberent, Quod confirmatur: quia imaginor Axem mundi transeuntē per intimam superficiem Orbis Lunę, & extimam ignis, & quæro, vel ea linea eodem puncto secat vtramque superficiem, vel distincto: si eodem puncto, ita vltima erunt vnum, & continuata: si distincto, tunc non se tangent, quia inter duo puncta eiusdem lineæ mediat portio lineæ. Respondeo, tactum Physicum à continuo distinctum dari, quia corpora vel sunt vnius, vel distinctæ naturæ: si sunt vnius naturæ, cōtinuantur, ita portio aquæ, alteri iuncta, ob naturam consimilem continuatur cum ea, similiter portio aeris, cum altera eius portione: at si fuerint naturæ distinctæ, etiam eorum vltima seruabuntur distincta, adeo, vt distinctio tactus continuo sequatur distinctionem conditionis rerum, & naturæ earum. Instabatur, quia indiuisibilia non sunt in loco. Respondeo, ea includere positionem, & esse in loco saltem ex accidenti; Insuper esse in loco, quia simul adæquantur, nec seorsum vnum ab altero ponitur. Addebatur inter duo indiuisibilia mediare continuum. Respondeo, id esse verum de indiuisibilibus in eodem continuo consideratis: at dum considerantur, vt termini distinctorum corporum, secus se habet: nam vt corpora, ita termini eorum possunt consequenter se habere. Afferebatur ratio ex Mundi Axe sumpta, cui respondens, dico: si punctum refertur ad Lineam transeuntem, id fit eodem puncto, si ad superficies perforatas, fit puncto distincto, adeo, vt punctum vnum lineæ transeuntis, nectatur cum duobus superficierum, veluti etiam vnum instans temporis, potest constituere duo instantia naturæ, vt elicitur ex octauo Physicorum, cont. 65. Altera dubitatio est obscurior, an inter duo solida, necessario mediet aliquid. Arist. in secundo de Anima cont. 113. inquit, inter ea semper aquam mediare, vel aerem, quod ostendit: quia si duo solida iuncta merguntur in aqua, & mox educantur, apparet inter ea humor, qui sine aqua esse non potest, quare similiter in aere putandum est, mediare aerem, Id confirmatur communi quadam ratione: quia si duo plana, & solida corpora sine medio se tangerent, eleuetur vnum eorum, & seiungatur ab altero, tunc vel dabitur vacuum, vel motus sine tempore; Quod deducitur, quia dum vnū æque eleuatur, & secernitur ab altero, aer ingrediens in locum medium, vel prius reperitur prope extrema, quam in medio, vel æquè simul: si conceditur primum, tunc dum est in locis extremis, medium erit vacuum, si conceditur alterum, dabitur motus sine tempore Huic difficultati respondens dico, vt plurimum inter solida, & plana mediare fluxile aliquod corpus: ratio est, primo, quia solida corpora magna ex parte non sunt exactè plana; Secundo, quia dum inuicem connectuntur, aliquid aeris inter ea comprimitur, & præsertim, quia sunt prædita poris quibusdam, in quibus aliquid aeris reperitur: at cum id accidat vt plurimum, non tamen iudico necessarium, quoniam duo corpora possunt esse adeo solida, vt careant externis poris veluti marmorea, & esse possunt magna ex parte plana, & vbi sint exactè plana, profecto vim habent extrudendi omnem aerem, & hoc patet experientia. Nam si duo sumantur solida corpora in aere iuncta, quæ mox merguntur in aqua & mersa secernantur, non semper apparet portionem aeris super aquam ex eorum secretione eleuari. Propterea dico, solida non plana,

Solutio. (margin, beside "mediat portio lineæ")

An inter duo solida mediet aliquid. (margin)

Solutio. (margin, beside "bitur motus sine tempore")

plana, sine medio frequenter se tangere, vt dum securis scindit ligna, plana vero, magna ex parte, medium includere, at non semper, & necessario. Authoritati Arist. respondeo, primo, illum in eo contextu cum quadam dubitatione loqui, vt conspicuum est legenti, ideo inquit dubitabit aliquis, &c. & deinde addit, si hoc verum est, impossibile est tangere in aqua vnum aliud, &c. Dico secundo, Aristotelem inspexisse id quod accidit vtplurimum. Rationi eius, quia in aqua inspicitur mediare humor, dico, inspicitur vtplurimum, dum non sunt exacte plana, at non semper: nam experientia constat corpora iuncta in aqua aliquando ita seruari, vt nil aquæ inter ea ingrediatur. Rationi additæ dico dum corpora fuerint solida, plana, & iuncta, non posse æque vnum ab alio secerni, sed solum id fit cum aliqua inæqualitate, adeo vt via pateat ingrediendi, ne aliquid eorum absurdorum sequatur, quod experientia constat in aqua, dum planum ponitur supra superficiem eius, inspicimus enim id non posse æquè eleuari, & secerni, & si id fiat, aqua sequitur illud, donec ingredienti aeri congruenter pateat locus. Dubium est, an inter cœlestes Orbes mediet tenue aliquod corpus: nam si mediat, quodnam si illud corpus, non apparet: si non mediat, non constat quomodo tam facile vnus circa alterum reuoluatur. Dicendum puto, nil mediare, & quoniam Orbes exactissimè sunt orbiculati, & essentia eorum terreæ ariditatis est expers, & extrinsecus summe lenis, iure vnus circa alterum facilimè, & sine læsione reuoluitur. *Inter cœlestes orbes nil mediare.*

Cap. V.

An omne agens agat per contactum.

QVoniam consideratur tactus in ordine ad actionem, propterea hoc considerandum occurrit, an ea sententia sit vera, quæ ab Aristotele profertur in primo de Ortu, & interitu 43. necnon 18. Omne agens agere per tactum. Ea quæ præsertim sententiam hanc reddunt obscuram, hæc sunt. Primo incorporea agunt, quæ non tangunt, cum tactus sit corporum. Secundo, multa agunt in ea, quæ maxime distant, vt Sol, & Stellæ in terram, Luna in Mare, dum illud mouet motu fluxus, & refluxus. Similiter Torpedo piscis stupore afficit manum piscatoris, quam non tangit, nec stupore afficit rete intermedium. Ita Lapis Herculeus distans, ferrum ad se trahit, & ambra paleas. Demum mixta valent alterare se, cum tamen non se tangant, quia ea se tangunt, quorum magnitudines distinctæ sunt. Vt paremur ad solutionem difficultatis, accipiendum primo actionem vsurpari dupliciter, vel pro actione morali, & humana, vel Physica. Insuper actionem Physicam adhuc esse duplicem, vel late sumptam pro omni motu, vel pressius, pro actione opposita passioni attinenti ad tertiam speciem Qualitatis, & constituente alterationem; Sermo nunc est de actione Physica, late sumpta. Insuper actio late sumpta adhuc est duplex, vel enim sumitur solũ pro actione corporum, & materiali, vel etiam vt ad incorpoream, & spiritalem extenditur. Loquar ego de actione, & passione non humana, sed Physica, siue sit spiritalis, siue materiata, ita enim de omnibus patebit quid sit dicendum. Aristotelis tamen in primo de Ortu, & interitu de ea loquitur, quæ ad tertiam speciem Qualitatis pertinet. Accipiendũ est secundo loco actionem esse duplicem, vnam primam, alteram ex prima prodeuntem, veluti Sol prima actione illuminat, secunda vero calefacit, dum asserimus omne agens agere per contactum, de actione prima id debet intelligi. Addo tertio, contactum duplicem, vnum virtutis, quo intelligentiæ tangunt Orbes, alterum magnitudinis, si agens fuerit incorporeum, *Dubiũ.* *Pro solutione.* *Primum assumptum.* *De qua actione sermo est.* *Alterum assumptum.* *3. Assumptum.*

4. Assumptum. id erit verum de tactu virtutis, si corporeum, de tactu magnitudinis. Dico quarto, dum asserimus agens agere per contactum, id non ita intelligi debet, vt solum pars tangens agat: nam totum dicitur agens integrum, & virtute totius agit pars tangens, sed ita debet intelligi, vt totum quod est agens integrum, agat per mediam partem tangentem. Demum est accipiendum quod agens est duplex, vel sine medio, vel per mediũ, & tunc agens, vt est agens, ita est tangens: si est agens per medium, tangit per medium, si est agens sine medio, etiam sine medio tangit: hoc nos docet Arist. in primo de Ortu, & interitu, 78. His præassumptis, dico omne agens sub Deo positum, siue spiritale, siue corporeum, siue mediatum, siue immediatum, agere in aliud per tactum. Ratio est: quia per actionem debet aliquid permutari; nil autem permutatur, nisi adsit permutans, vel virtus eius, virtus autem adesse non potest, nisi saltem adsit deferens illam, & propterea est necesse, vt patiens vel tangatur à primo agente, vel saltem à deferente virtutem eius: Hoc esse verum de actione corporum patet, cum eorum virtus necessario egeat Subiecto. Similiter esse verũ de actione spiritali, patefecit Arist. in secundo de Anima 74. damnans Democritum existimantem si inter nos, & Cœlum mediaret vacuum, exquisitissimè videri cuncta, quamuis minima quæ in Cœlo essent: nam ex aduerso inquit Arist. per vacuum nil videri posse, quia non adesset deferẽs, vel actiones, vel radios visus, adeo quod si inter nos, & Solem mediaret vacuum, Sol nequaquã in nos ageret, nec in nos effunderet radios suos; Quamuis Plotinus secus sentiat. Ex his elicio primo, veritatem eius sententiæ quod omne agens agit per tactũ. Elicio secundo, quomodo vera sit ea sententia, de qua Alexander, Simplicius & Auerroes multa dicunt, nil agit in extremum, nisi agat in medium: nam ea sententia vera est de actione prima, quæ potest seruari sine secunda, non de secunda prodeunte ex prima, quoniã actio secunda semper primam supponit: at præter eam exposcit subiectum aptum, vt in eo producatur, ita radij solis nõ reperiuntur in aere, nisi & in igne, & omnibus intermediis corporibus reperiantur: at calor ex lumine prodiens, in Cœlo non producitur, sed solum apud nos, quia Cœlum non est capax eius. Similiter Torpedo piscis producit primam actionem, & est agitatio, quæ non attingeret manum piscatoris, nisi deferretur per rete: at stupor qui est actio secunda, non in rete, sed in manu producitur, quia non id, sed manus est capax eius, ita Simplicius in secundo de Cœlo, cont. 2. respiciens actionem primam, recte dixit nil agere in extremum, nisi agat in medium. Nec errauit Alexander qui inspiciens actionem secundam, id inficiatus est, vt refert Simplicius in secundo de Cœlo, 29. Elicio tertio, solutiones aduersarum difficultatum: nam incorporea tangunt tactu virtutis, Sol, Stellæ, Lapis Herculeus, Ambra, non agunt in extremum, nisi actio prima deferatur per medium, quamuis deinde actio secunda in eo solo appareat, quod est capax eius. De mixtis in se agentibus dico, si fuerint penitus similium partium, nequaquam in se agere, si autem fuerint partium dissimiliũ, vt viuentia, & caro in parte putris, tunc non dicuntur continua, sed cõtigua, & colligata: ideo Aristoteles in primo de Ortu, & interitu, 78. inquit: consitum vnumquodque, & vnũ existens non patitur. Et Auer. in 4. Physicorum 44. ait continuum est vniforme, & com. 48. addit; cum res eiusdem generis fuerint continuatæ, non agunt, sed cũ fuerint contiguæ, & Arist. octauo Phys. 30. inquit, nullum continuum mouere se, & considerandum quod corpus potest esse continuum ex parte magnitudinis, non ex parte virtutis, vt caro in parte calida, in parte frigida, & cum ex parte virtutis non sit continua, potest pars calida in frigidam agere.

[Margin notes: 5. Assumptum. — Solutio. — Eliciturr ex dictis primo. Elicitur. 2. — Simplicius. Alexan. — Tertium quod deducitur.]

CAP. VI.

De modo quo Sol distans à nobis nos calefacit.

Dictum est Solem tangendo per intermedia, per quæ effundit radios suos nos calefacere, at quia de modo magna est dubitatio, ideo vtile iudico in eius explicatione aliquantulum immorari. Difficultatem pariunt verba Aristotelis in secundo de Cœlo, cont.42. quæ hæc sunt. Eorũ quæ sursum sunt, vnumquodque in sphæra fertur, adeo, vt ipsa non incendantur, aerem autem sub sphęra in orbem motu collocatum, necesse est cum illa fertur, incalescere, & hac maximè qua Sol existit infixus, propterea accedente Sole, & oriente, & super nos existente, gignitur calor, &c. & in primo Meteororum c.4. inquit. Vt itaque fiat æstus, & calor, satis est etiam sola latio Solis. velocem enim oportet illam esse, & non longe distare, latio astrorum velox quidem est, distat tamen: ea autem Lunæ deorsum est, & proxima nobis, verum est tarda, illa autem Solis ambo hæc satis habet; fieri autem magis cum Sole ipso caliditatem rationi est consentaneum sumente simile ex iis, quæ apud nos fiunt: etenim hic, cum feruntur corpora, proximus aer mitum in modum incalescit, & iure hoc accidit, vehementer enim latio solidi disgregat illum: ob hanc itaq; causam pertingit ad hunc locum caliditas; insuper quia ignis aerem ambiens spargitur motu frequenter, & fertur vi deorsum, &c. Hæc profert Philosophus, vt patefaciat à Cœlo, & præsertim à Sole mortalem orbem calefieri. At difficultate non carent: primo, dubium est, quomodo Sol ab aere distans, & motu suo intermedia non mouens, valeat illum calefacere: nam si aer motu calefit, ille non est motus Solis, sed primi Mobilis, & proximè nõ tribuitur mortali Orbi per Solem, sed per Lunam, quare vel primo mobili, vel Lunæ id tribuendum fuit. Præterea dubiũ est, cur Philosophus productionem caloris Soli motui tribuerit, non lumini, & radiis, cum tamen experientia constet, lumen maxime calefacere, quod considerantes, iure officiũ calefaciendi possemus tribuere Soli, cum maxime sit Lucidus; & id quod auget difficultatem est, quia in cont. 42. secundi de Cœlo, inquit: Calor autem ab ipsis, & lumen gignitur attrito aere ab illorum latione, natus enim est motus incendere ligna, lapides, & ferrum, quibus verbis, nedum calorem, verum etiam lumen ex motu prodire affirmat, quod apprime est dubium. Tertio dubium est, quia Arist. in primo Meteororum, c. 4. inquit De calore, qui à Sole fit, magis quidẽ secundum se, & diligentius in iis, quæ de Sensu conuenit dicere, calidum enim passio quædam Sensus est, ob quam autem causam fit, cũ ea non sint calida, dicendum & nunc, &c. at cum Philosophus polliceatur se id facturum, in lib. de Sensu, & sensili, in eo id minime securate videtur, dubitatio est obscura, & inuoluta, interpretes varia dicunt. Alexander referente Simplicio secundo Cœli 29. dicebat posse agens agere in extremum, & non in medium dum medium, eius actionis non est capax, vt patet exemplò Torpedinis. Themistius obiicit Alexandro, inquiens, exemplum non esse simile, quia rete patitur, & agitatur à pisce. Similiter Auerroes ei obiicit, quia mouens motu loci, non mouet extremum, nisi moueat medium, cum latio sit motus primus, & præsertim Alexander videtur dignus repræhensione, quoniam (vt refert Simplicius) dicebat; Cœlum conterere Elementa, at Sol suo motu non valere conterere aerem, cum motu sibi proprio non moueat intermedia corpora. Simplicius duas dat solutiones, vna est ex Sole corporeo prodire radios corporeos, qui per Cœlorum orbes vsq; ad terram extendantur, & transeundo per poros aeris, eo transitu interceptum aerem, terendo,

Radii quomodo calefaciunt.

Arist. in secundo de Cœlo.

Dubitatio.

Altera dubit.

Tertia dubitat.

Alexander.

Themistius.

Simplicius.

& conglobando, calorem, producere. Altera eius solutio est, confugiendo ad influxus Cœli, quibus sanitates, ægritudines, diuitias, paupertates, artes, frigora, calores, & similia ait produci. Vtraque Simplicij solutio conspicue pugnat cum principiis Peripateticorum, quod radij sint corpora, materiæ expertia, à multis Academicis dicitur. Lucillus secundo Cœli, 44. & Lucem, & radios, & Lumen esse corpora tenuissima affirmat, quæ meare valeant, perinde ac ventus per loca non admodum solida, & densa. At Simplicius hoc dicens, primo pugnat cum Aristotele, qui in secundo de anima, sexagesimonono, & septuagesimo, & latius in libro de Sensu & Sensili ex instituto affirmat, radios non esse corpora, nec moueri; deinde aduersatur sibimet, tum quia in secundo de anima cum Aristotele asserit radios non esse corpora, tum insuper, quia inquit radios meare per poros aeris, cum tamen in aere ex sententia Aristotelis non sint pori; ac insuper ipsemet in sexto Physicorum vigesimotertio, inquit Lumen esse corpus, & extendi vsque ad centrum, ne sphæræ sint imperfectæ, ac ita non per poros meare ait, sed per vniuersum corpus medium. Similiter in secundo de anima, exponens cont. 69. negat radios meare per poros, sed ait vniuersum aerē illuminare, vt etiam sentiunt Academici, qui Lumen esse corpus immateriatum affirmant, & ideo meare per alia corpora, præterquam per terrea, vt maxime distantia à natura, & conditione eius. Præterea, aduersatur Sensui, & Rationi, cum dicat illuminatum aerem reddi densiorem, lumen enim calefacit, & attenuat corpora. Altera solutio sumpta ex influxibus, etiam aduersatur Aristoteli, qui solo lumine & motu censet Cœlum in mortalia agere. Præterea, ad rem non faciunt, quia dubitatio est de motu Solis, quomodo valeat calefacere distantem aerem.

Euersio.

Opinio altera. Nonnulli recentiorum inquiunt, morem esse Aristotelis, ante explicationem suæ sententiæ loqui ex opinione aliorum. communis erat Mathematicorum sententia, radios esse tenuissima corpora, & sphęrica, quæ motu velocissimo interceptum aerem tenerent, ac ita calefacerent, & illustrarent. Confirmant hanc sententiam: quia Aristoteles in primo Meteororum, cap. quarto, inquit: De caliditate autem, quam præbet Sol, magis per se, & accuratius in iis, quæ de sensu, &c. At in iis quæ de sensu, de solo calore à lumine genito, sermo est. Insuper Aristot. loquitur de calore, qui prope nos fit, qui proculdubio à solo lumine efficitur: significauit itaque Philosophus calorem à radiis genitum, quem dixit fieri motu, quia de radiis loquitur, ac si corpora essent, vt aliorum erat opinio,

Euersio. & ideo etiam dixit fieri, nedum calorem, verum etiam lumen attrito aere. Hanc opinionem non puto veram, primo, quia non est rationi consentaneum, quod Aristot. eo loci per motum solis denotet motum radiorum solis, quos supponat corporeos, & de illis radiis nullam faciat mentionem, sed solum de magnitudine, & velocitate solis. Præterea consueuit Aristot. loqui, ex aliorum sententia in locis alienis, & dum nil refert pro causa assignanda quouis modo se habeat: at liber de Cœlo non est locus alienus considerationis radiorum Solis, & pro assignanda causa productionis caloris, adeo refert supponere eos esse corporeos, vel non corporeos, quod si non fuerint corporei, vt re verā non sunt, causam nequaquam assignasset, & dubitationem solum falsa solutione soluisset. Præterea aperte Philosophus existimat motu Cœli produci calorem; Si itaque vi, & efficacia Luminis, vt per vnam causam, & motu vniuersi Cœli, vt per alteram, calor producitur, minus recte Aristoteles eos duos modos in vnum redegisset, & quod est deterius, prætermisisset causam potiorem, per quam Sol calefacit, quæ est, quoniam lucidissimus est, & debuisset de multitudine Stella-

rum

rum Firmamenti, & vario aſpectu Planetarum mentionem facere. His accedit, quod in re difficili aſſerere contextum eſſe deprauatum, vel Philoſophum loqui ex ſententia aliorum, eſt difficultatem non diluere, ſed ſubterfugere. Fundamenta etiã huius opinionis leuia ſunt: nam dum inquiunt in libro de Senſu & Senſili Ariſtotelem de ſolo calore eſſe locutũ, qui ex lumine pendet, & ob id per motum denotaſſe vehementem actionem radiorum, perinde ac ſi corpora eſſent, & ſuo motu id efficerent. Reſpondeo, in eo libro, neque etiam de huiuſmodi calore Ariſtotelem verba feciſſe, ſed inquit id ſe declaraſſe in libro de Anima, inquit enim: Vt demum eſt de Lumine, in illis quod ſit color perſpicui ſecundum Accidens, quando enim ineſt aliquid ignẽum in perſpicuo, præſentia illius lumen eſt, priuatio vero tenebræ, & cætera. Dicamus itaque Ariſtotelem in primo Meteororum propoſuiſſe conſiderandum, quomodo cum Cœlum non ſit calidum, calefacit: in his autem, quæ de Senſu ait eſſe agendum de calore ſecundum ſe, vt de re Senſili, vel aſſeramus Ariſtotelem in primo Meteororum ſignificaſſe quod conſideratio generationis illius caloris magis pertineret ad librum de Senſu, ſed quoniam eius explicatio erat neceſſaria pro explicandis incenſionibus Meteorologicis, propterea fuit coactus præuenire, & eo in loco id declarare quod mox in libro de Senſu, & antea declaratum non repetit, ſed ſolum ait, ſe alibi de Lumine egiſſe. Ad aliam confirmationem dum inquiunt in primo Meteororum loqui de calore, qui prope nos fit, qui calor non à motu, ſed à lumine fit, quare per motum vim luminis corporei ſignificauit. Reſpondeo, hoc minime eſſe verum: quoniam Philoſophus tenebatur loqui de calore, quo incenduntur Meteorologica, quæ non prope terram, ſed in ſublimi incenduntur. Et quamuis Ariſtoteles dicat de calore, qui prope nos eſt, tamen ita loquitur quia comparat locum incenſionum cum Cœlo, & ſphęra ignis, ideo inquit etiam fieri calorem per detruſionem partium ignis: his accedit, quod ille calor genitus à motu etiam ad nos attingit.

Euertuntur fundamẽta.

Solutio.

Cap. VII.

De modo quo Sol ſuo motu nos calefaciat, opinio Auerrois, & propria.

AVerroes in ſecundo de Cœlo, 42. relata, & reiecta opinione Alexandri, referens ſuam, inquit: Cum cœlum agat in mortalem Orbem, & ſit præditum variis orbibus, id tamen conſiderari debet tanquam corpus vnum legatum variis ligamentis non corporeis, & quod agat in Elementa non per intimam ſuam faciem, ſed per vniuerſam ſuam altitudinem, & præſertim per partem eius denſiorem, veluti conſpicimus corpus maius operari potentius, quamuis exigua ſui parte tangat, quoniam partes omnes vna ad agendum conſpirant, & ea pars magis agit, cui competit vis maior, quamuis non tangat externa corpora in quæ agit, veluti dicimus, Cor Hominis maxime calefacere manum, ſupra thoracem poſitam. Cum itaque Cœlum ſit corpus vnum, Sol ſit Stellarum maxima & lucidiſſima, maxime dicitur agere, ac ob id iure Ariſtoteles, id tribuit Soli; Et ad difficultatem, dum dicitur, agens agere per tactum, concedit id Auerroes, & inquit; Cum Cœlum ſit corpus vnum, ſat eſt quod tangat per infimam partem eius. In hac ſolutione conſiderandum primo, quod etiam Alexander id dixit, quamuis carpatur ab Auerroe, ſed nouit id non eſſe ſatis: nam inquit Simplicius, & aſſerit Alexander rationi eſſe conſonum, per partes Cœli tanquam vnius

Auer.

Conſideratur ſententia Auerr.

corporis actionem fieri. At adhuc eadem remanet dubitatio, quoniam dum aliquod corpus per aliquam sui partem operatur, semper ea pars principalis in partes medias agit effundendo per eas vires suas. At Sol suum motum non effundit per inferiores Orbes, motus enim quo incenditur aer, est motus Firmamenti, qui defertur per intermedios Orbes, non autem Solis vt principalis partis, sed potius Lunæ, proximè mouentis mortalia, & rationes quas Auerroes attulit aduersus Alexandrum, etiam vim habent aduersus sententiam suam. Res itaque est satis obscura, & aliorum sententiæ apprime dubiæ. Qua de re (vt dicam quod sentio) tres profero Conclusiones. Prima est, Aristotelem per motum Cœli, quo mortalia calefiunt, denotasse motum diurnum, quem frequenter motum totius appellat, cum eo Vniuersum, excepta Terra moueatur. Addo secundo, iure optimo officium calefaciendi tribuisse Soli. Demum dico, iure id officium tribuisse potius motui, quam lumini; Prima conclusio est, nota cum solum motus totius sit velocissimus, & per cuncta media effundatur; Hinc in primo Meteororũ, capitulo tertio, ait: Lato primo Elemento, nempe Vniuerso Cœlo in orbem, & corporibus quæ in eo sunt, nempe Stellis, id quod inferioris Mundi illi proximum est, motu disgregatũ incenditur, & calorem efficit. Dicebam secundo loco, munus calefaciendi iure tribui Soli; Ratio est, quia radiis Solis eleuantur vapores, & habitus, qui per radios eleuati, ex eis pendentes sequuntur motum diurnum eorum, ideo dicuntur moueri motu Solis; Hoc elicio ex Aristotele, qui in septimo capitulo primi Meteororum loquens de Cometis, inquit; quando igitur per Stellam aliquam facta fuerit huiusmodi concretio, necesse est vt appareat eadem latione moueri Cometam, qua fertur Stella, cum autem constiterint per se, tunc remorari, & retardari videntur: huiusmodi autem est latio Mundi, qui circa Terram est, &c. Hic locus vere dignus est consideratione, ex eo enim elicitur motum, quo reuoluuntur habitus eleuati, esse diurnum; ac insuper eos sequi Stellam à qua eleuantur, cum autem magna ex parte eleuentur à Sole, ideo sequi dicuntur Solem, vt motum motu diurno. Addebam tertio, Aristotelem præsertim fuisse loquutum de calore ex motu prodeunte, non autem ex lumine, & ratio est, primo, quia loquebatur de incensione qua in sublimi fiunt Meteorologica, ea autem fit per motum, cum radij solum prope terram vim conspicuam habeant. Altera ratio est: quia motus antecedit, & defert corpus lucidum, lumen autem in secundo de Anima 69. dicitur præsentia corporis lucidi. Tertia est: quia etiam lumen operatur cum motu attenuando, & permutando partes habituum, adeo, vt cum primo, tum proxime calor ex motu pendeat, lumen autem cum sit præsentia, & repræsentatio lucidi, dicitur motum sequi: ideo in primo Meteororũ capitulo tertio dixit, fieri magis cum Sole ipso caliditatem, rationi est consentaneum. & in secundo, de Cœlo 42. ait æstum à Sole fieri ascendente, oriente, & supra nos existente, &c. includens, & denotans vna cum motu Solis, etiam lumen quod Solem sequitur. Ex his elicitur Solutio difficultatis, & notum redditur quomodo Sol non agit in extremum, nisi per medium, cum radij eius per Vniuersum extendantur, & sequantur motum diurnum eius, vapores autem sequuntur radios Solis, vt causam eorum. At instabit aliquis, quia per ea quæ dixi solum assignatur ratio cur Solem sequantur duplices habitus, non autem quomodo aer. Respondeo, motu præsertim excalefieri, & incendi habitus eleuatos. Addo secundo, Aristotelem considerasse sublimen aeris regionem, tanquam habitum siccum, & fomitem incensionis, infimam vero, vt habitum humidum,

Opinio propria. *Conclusio 1.* *Conclusio 2.* *Conclusio 3.* *Declaratio 2. Concl.* *Declaratio 3. concl.* *Instãtia.*

humidum, & aquam disgregatam ambientem Terram, vt patet ex primo Meteor.capit.tertio & quarto. At vna adhuc superest dubitatio, & est, quomodo attrito aere, gignatur nedum Calor, verum etiam Lumen, de Calore id patet, de Lumine adhuc dubium remanet. Alexander (referente Simplicio) dixit eam generationem solum ad calorem esse referendam, non ad Lumen, fecisse tamen mentionem de Lumine, quia multi putabant ex Lumine oriri calorem; at hoc non respondet verbis Aristot. non enim ait ex Lumine calorem oriri, sed vtrumque sequi attritionem aeris; Propterea dicamus Aristot. de lumine fecisse mentionem duplici de causa, prima est, quia in aere attrito, & attenuato exactius lumen recipitur. Altera est, vt denotet lumen sequi motum, esse præsentiam lucidi, & vna cum motu per Vniuersum effundi; Tertia addi potest, quia incendendo habitus, etiam lumen producit per mediam incensionem. *Postrema dubitatio.*

Cap. VIII.

An aliquid in se agere valeat.

EXPLICATIS illis, quæ ad notitiam tactus pertinebant, expedit modo, vt cominus ad declarandam effectionem, eique oppositam perpessionem accedamus, de qua hoc primo considerandum occurrit, An agens agat in simile, vel in contrarium. Qua de re breuibus vna cum Aristotele dico, agens per se, & proximum, partim esse simile, partim contrarium, nam in fine actionis simile est, cum institutum agentis sit reddere patiens sibi simile, in principio autem dico posse considerari dupliciter vel actu, siue secundum formam, vel potestate, siue secundum materiam, actu est contrarium, & ex contrarietate consurgit pugna, & actio, potentia verò simile, quia contrariorum eadem est materia. Ar cum hæc sit resolutio difficultatis, occurrit tamen hæc dubitatio, an idem in se agere valeat? Philosophus in octauo Physicorum à cont. 40. ostendit nil sine distinctione motoris, & mobilis posse mouere se, quod etiam affirmat in primo de Ortu & interitu, cont. 48. & 87. aduersus quam sententiam variæ occurrunt difficultates, quæ eam reddunt obscuram: vt autem paratiores ad difficultatis resolutionem accedamus, accipiendum primo est in hac consideratione, nomine actionis denotari vniuersè effectionem omnem pertinentem ad quatuor genera permutationum competentium Substantiæ, Qualitati, Quantitati, & Vbi. Accipiendum secundo, dum quærimus, an idem in se agere possit, per idem, non denotari idem specie, vel genere, vel analogia, de quibus dubium non est, quod in se agere possunt, sed idem numero. Accipiendum tertio, aliquid in se agere, posse dupliciter intelligi, vel primo, & per se, vel secundo & ex accidenti, non est dubium, an ex accidenti, constat enim Animam mouendo corpus ex accidenti mouere se: dubium est, an id contingat, per se, & primo. Quarto accipiendum, actionem, & motum posse accipi, & propriè, & per metaphoram, propriè competunt corporibus, per metaphoram transferuntur etiam ad incorporea, vt ad Intelligentias Cœli, quæstio est de propriè sumpta actione, & perpessione, quia tamen Plato dixit, Animam se mouere, cumulatioris explicationis gratia, etiam de motu Animæ aliquid dicam. Demum accipiendum est, dum asserimus, aliquid se mouere, vel in se agere, id posse dupliciter intelligi, vel quod se moueat sine distinctione partis mouentis, & motæ, vel cum earum distinctione: dubium est, an sine partium distinctione aliquid valeat in se agere. Quæritur itaque, an idem numero sine distinctione partis mouentis, & motæ, valeat se per se mouere, aliquo genere motus. In hac difficultate ita progredior: Expli-

An agens agat in simile. Solutio.

An idem agat in se.

Primum quod accipitur.

Alterū.

3.

4.

5.

Conclusio.

Ordo seruandus.

cabo primo sententiam Aristotelis, & fundamenta, secundo referam dubia, agam tertio de motu corporum, Quarto de motu animæ, demum dubia soluam.

CAP. IX.

Ostenditur nil in se agere posse, mox in dubium reuocatur.

PHILOSOPHVS in primo de Ortu, & interitu, quadragesimooctauo, inquit, Si simile ageret in simile, idem ageret in se, quod si esset, nil reperiretur in Vniuerso expers mutationis, quod apprimè est absurdum. Deducitur Consequentia, quia si similitudo esset ratio agendi maximè simile, maximè ageret, at idem sibimet est maximè simile, quare maximè in se ageret, & quoniã cui competit ratio agendi, competit & actio, omnia in se agerent, & cuncta mutationi essent obnoxia, quod idem sit maximè simile. Patet: quoniã similitudo est quædam connexio, & vnitio, quæ in vno numero, exactissimè includitur. Pro hac deductione considerandum, quod similem consequentiam format Aristot. in Rhetoricis, inquiens: Si simile esset iucundum simili, idem maximè sibimet esset iucundum, nam maior vnitio eminenter minorem includit, veluti etiam in quinto Phys. 18. legitur, omnia continua se tangere, & se tangentia consequenter se habere, non autem vice versa, veluti etiam habitus dicitur dispositio, non econtrario. Confirmatur eadem sententia, quod idem non agat in se, quia terminus à quo actionis, & occasio, est contrarietas, terminus verò ad quem, quo præsente definit aliquid moueri, est similitudo: at in eodem non reperitur terminus à quo, sed solum finis, igitur nõ potest seruari motus, & actio, alioquin esset inanis. Præterea argumentatur Arist. in 8. Phys. post cont. 40. si aliquid in se ageret, idem ad idem, esset actu, & potestate, quod est absurdum, cum actus, & potentia sint differentiæ oppositæ prodeuntes ex principiis distinctis. Præterea, id ipsum Philosophus ostendit progrediendo per species motus, & ducendo ad absurda, nam si idẽ se moueret, quia genus non seruatur sine aliqua specie, idem feret, & feretur, docebit, & docebitur, sanabit simul, & sanabitur, eadẽ sanatione. Insuper eandem sententiam confirmare valemus per definitiones potentiarum, traditas à Philosopho in quinto Metaphysicæ, 17. & 9. Metaph. 2. Definitur potentia agens, quod sit principium permutandi aliud, quatenus aliud, patiens vero, quod sit principiũ, per quod permutetur ab altero, vt alterum est. Ex his patet conditionem agentis & patientis esse, vt distinguantur, id autem quod est conditio alicuius, etiam est de omni, cõsiderandum tamen, quod dum in definitionibus dicitur alterum, vt alterum, id non habet vim reduplicationis, alioquin omne alterum pateretur, & ageret, in quoduis alterum, quod falsum est, vt dicitur ab Aristotele in primo de Ortu & interitu, 49. sed habet vim conditionis necessario requisitæ, & rationis, ob quam cum in parte sit simile, in parte varium, permutetur ab alio, vel dicamus, per alterum denotari, non quoduis alterum, sed potestate simile. Præterea materia, & efficiens non veniunt in idẽ numero, vt patet ex 2. Phys. 70. quare nec principium agendi, & patiendi. Colligit itaq; Philosophus in 8. Phys. hoc solo modo posse aliquid se mouere, vt id quod ex se mouetur, constet ex parte mouente, & parte mota; & in primo de Ortu, & Inter. colligit agentia, & patientia differre forma & actu, conuenire materia, & potestate. At varia ex aduerso occurrunt, quæ sententiam Aristot. reddunt obscuram. Primo Elementa sine distinctione agentis, & patientis videntur motu secundum locum mouere se, de quibus ait Auer. 4. Cœli, 22. forma Elementorum, vt

Ratio 1. *Idem sibi maxime simile.* *Confirmatio.* *Ratio 2.* 3. 4. 5. *Rationes aduersa.* 1.

um, vt forma, mouet, vt in materia, mouetur. Præterea, diuiditur operatio 9. Metaphys. 16. in immanentem, & transeuntem, immanens manet in agente, vt visio, intellectio, & similia, quare per eas agens aget in se. Tertio, hoc patet ex Antiperistasi, dum calor hyeme repulsus ab ambiente frigore, & frigus æstate repulsum ab ambiente calore, se perficiunt, quod non contingeret, nisi agerent in se: ita virtus cōiuncta reddit se potentiorem, & aqua ex calefacta se refrigerat. Quarto, idipsum ostenditur, considerando cum Democrito, & Epicuro motum Atomorum se mouentium, cum Theologis motum Angelorum, à se motorum, cum Platone animam se mouentem, cum Aristotele in secundo de Gen. Anim. cap. 3. Mentem extrinsecus accedentem, quæ ob id mox c. 4. aduena dicitur, & cum Pythagora considerando transitum animarum per varia corpora. Præterea sententia Aristotelis dubia est, ob facultates animi nostri cognoscentes, vis enim imaginandi imaginatur se, Mens se intelligit, in inuentione idem est addiscens, & docens, quod tamen Arist. in 8. Phys. absurdum iudicat, & cum anima sentiens sit essentia vna, sensus tamen extimus mouet communem, & hic Phantasiam. Demum confirmatur dubitatio, quoniam Arist. in 8. Phys. contex. 40. non absolutè colligit absurda sequi, si dixerimus, idem agere in se, sed solum ea sequi, dum motor fuerit vniuocus, quare de agente æquiuoco id non iudicauit absurdum.

2. 3. 4. 5. 6.

Cap. X.

De motu corporum an idem agat in se.

PATEFACTA difficultate eius considerationis, an idem in se agat, progrediendo ad eius solutionem, occurrit primo agendum de motu corporum; Qua de re loquens Scotus in secundo Sent. distinct. 2. q. 9. & 10. Gregorius Arim. 2. Sent. dist. 6. q. 1. art. 3. necnon Gandauensis, in 8. Physic. in quæst. de motu grauium, & leuium aiunt motorem esse duplicem, vnum vniuocum, vt calidum calefaciens, alterū æquiuocum, vt vinū inebrians, si fuerit vniuocum, non valet in se agere, at si fuerit æquiuocum, valet. Hanc resolutionem eliciunt ex Aristotele in octauo Physicorum 40. contrahente sententiam suam ad motorem vniuocum, vt dixi, rationem varietatis assignans, quia absurdum est idem relatum ad idem, eodem modo esse actu & potentia, at modo vario, nequaquam est absurdum. potest enim aliquid esse actu per virtutem producendi formam, potentia verò ad recipiendam eam: id confirmat Scotus per animalia, quibus competit potentia efficiendi & recipiendi accretionem, actum sentiendi, imaginandi, & intelligendi. Similiter aqua feruens includit virtutem producendi frigus, & illud recipiendi, eandem sententiam explicat Scotus in primo Sent. distinct. 3. quæst. 7. Gandauensis pro ea confirmanda hac vtitur ratione: quia si ex accidenti potest aliquid se mouere, igitur idem potest includere facultatem producendi, & recipiendi, & non inuicem pugnant: nam quæcunq. inuicem pugnant, nec per se, nec ex accidenti iungi possunt, si autem non pugnant, poterit aliquid agere in se, & mouere se. Hanc sententiam approbandam non puto, quod colligo ex definitione potentiarum, vt patuit. At respondet Gregorius Arim. eas definitiones debere intelligi de alterante, non de mouente motu loci. Alii inquiunt, potentiam semper respicere aliud, si non re, saltem ratione distinctum, vt accidit, dum aliquid est actu virtutis, potentia ad formam. At vtraque solutio reiicienda videtur, & primo prima, quia si id contingeret ratione efficientis æquiuoci, huiusmodi efficiens nedum habet locum in latione, verum etiam in

De motu corporū. *Agens vniuocū & æquiuocum.* *Gandauens.* *Euersio.* *Solutio.* *Euersio.*

alteratione, vt Piper potentia est calidum, & actu virtutis aqua feruens facultate producendi frigida, & potentia, & sic de multis. Praeterea Aristoteles in Metaphysica vt debuit, & illi scientiae congruit, latissimè sumpsit voces, & pro sua latitudine eas explicauit, ideo nono Metaphysicae contex. primo ait, latius extendi actum, & potentiam ipso motu, & nono Metaphysicae, contex. secundo, absolutè colligit, nil posse à se pati, & in quinto Metaphysicae, contex. 17. principium illud transmutandi alterum, nuncupat absolutè principium motus, mutationis, & quietis. Altera quoque solutio non est approbanda, quoniam actus & potentia, quae sunt origines agendi, & patiendi, rediguntur ad materiam, & formam, vt inquit Philosophus in 12. Metaphysicae, materia autem, & forma, absolutè, non sola ratione distinguuntur, Praeterea sola distinctio rationis non est satis pro constituendis principiis oppositis transmutationis materiatae, qualia enim sunt principia, talis effecta, & econtrario. Praeterea Aristoteles in 8. Physicorum post context. quadragesimum, saepe colligit hoc solo modo contingere idem mouere se, ita vt constet ex parte mouente, & parte mota: quae conclusio ex horum sententia redditur falsa, quia etiam modo alio aliquid posset mouere se. Ideo Graeci putant formari ibi ab Aristotele, rationem à sufficienti modorum enumeratione, cum destructione caeterorum modorum, colligendo illum vnum solum modum: ex horum autem sentētia Aristoteles rationem formasset imperfectam, & nullius roboris. Insuper si eorum opinio vera esset, euerteretur vniuersus progressus Arist. in octauo Phys. quo nos deduxit ad motores immobiles: Nam ad eos nos deducit iacto hoc fundamēto, omne quod mouetur, moueri ab alio, re distincto; At si contingere posset, vt aliquid se moueret, euerteretur id fundamentum, & rueret omne quod niteretur eo: nam dicerem ego ex sententia Scoti, Gregorij, & Gandauensis, Coelum mouere se, nec egere externo motore, Elementa egent motore externo, vel vt genetētur, vel vt remoueatur impedimentum, at Coelum ob nullam ex his causis eo eget, quare valebit se mouere sine distinctione motoris, & mobilis, ac ita euertetur vniuersa ratio Aristotelis. Praeterea inquiunt, quod nil se moueat, non esse verum de motore aequiuoco, addo pro minore, sed Aristoteles loquitur de motu loci, cuius motor est aequiuocus, quare id principiū non inseruiet Aristoteli, nec faciet ad rem, nō enim verū de eo erit, de quo ibi est sermo. Praeterea extat locus pulcherrimus in primo de Ortu & interitu, cont. 73. vbi Philosophus disputans cōtra Democritū dicentem Atomos ex se descēdere, inquit, Amplius autem quid est, quod mouetur. Si enim aliud, Atomos patietur, si autem ipsa se, aut diuidua erit, & per vnum mouebit, per aliud mouebitur, aut secundū idem contraria ei inerunt, &c. loquitur de motu loci, cuius motor ex horum sententia est aequiuocus, & tamen absurdum iudicat ex se moueri, veluti etiam in 8. Phys. 32. & in primo de Ortu, & interitu 87. inquit, nullum continuum mouere se, hoc est, nil consimile, Demum hoc redditur conspicuum perpendendo singula exempla, & fundamenta, quibus illi vtuntur, cuncta enim potius eis aduersantur, quàm faueant. Inquiunt primo aliquid posse esse actu per virtutem, potestate autem ad formam, at quaecunq; his duobus praedita sunt, etiam constant ex principiis distinctis, ex quibus ea prodeant, & ratio est: quia continere virtute est eminentius, quam continere forma, propterea quae virtutē includunt, nequaquam per idem principiū sunt in potentia ad formā, potentia enim respicit perfectionem, non degenerationem eius, veluti Elementa à forma habent principium efficiendi, à materia patiendi, similiter Piper à forma habet virtutem calefaciendi, à materia vt calefiat,

Graeci.

ita

ita animalia per distincta principia includunt potentiam, vt sint maiora, & virtutem augendi de aqua se refrigerante, nec non de sensibus, & Mente, in postrema parte quid sit dicendum, patebit. Ad confirmationem Gandauensis, quia si ex accidenti potest aliquid se mouere, non omnino pugnant actus, & potentia, adeo, vt nequeant eidem competere. Respondeo, iure ex accidenti posse aliquid in se agere, non autem per se, & primo. Ratio varietatis est, quia dum ex accidenti aliquid se mouet, id pendet ex principiis distinctis, adeo vt vnum actionis, alterum passionis sit origo, quod conceditur ab Aristotele, at dum dicimus per se primo aliquid mouere se, non seruatur distinctio principiorum, ideo nō concedit, veluti si anima mouet se mouendo corpus ex quo pendet, id non est absurdum, nam seruatur distinctio principiorum actionis, & passionis, quæ non seruaretur, si diceremus animam per se primo mouere se. Demum confirmatur horum sententiam aduersari principiis Aristotelis, nam Aristoteles in octauo Physicorum eleuans nos ad primum quod se mouet, vult id primum esse compositum, & constare ex parte per se mouente, & parte per se mobili. At si aliquid, vt hi putant, posset se mouere sine principiorum distinctione non id compositum, sed hoc esset statuendum, primum se mouens, vt censuit Plato, quare Philosophus conclusionem collegisset penitus inanem. Colligamus itaque sententiam illam pugnare cum opinione Aristotelis, & loquendo de motu corporum, nequaquam contingere posse, vt idem moueat se, sine distinctione principii efficientis, & patientis.

Confirmatio Gandauensis reiicitur.

Confirmatio Verreriis sent. 4.

Conclusio.

Cap. XI.

De motu Animæ, & incorporeorum, ex sententia Aristotelis.

DE incorporeorum motu, multa à Theologis Scolasticis dicuntur, quæ ego omissa faciam, & pauca quædam ex variis, quæ mihi occurrunt dicenda, eaque breuissime referam. Sententia est Aristotelis, expertia corporis per se moueri non posse. Ratio eius sententiæ est, quia passio, & potentia ex materia prodit, vt dicitur 9. Metaphysicæ, cont. 2. in primo de Ortu, & interitu 55.77. in primo de Cœlo 103.136. & alibi. Cum itaque passio prodeat ex materia, & prædita materia sint corpora, iure sola corpora patiuntur, & mouentur. Altera ratio est: quoniam omne mobile habet partes, vt ostenditur in 6. Physicorum cont. 7.32.87. nam omne quod mouetur, vt moueatur, partim debet esse in termino à quo, partim in termino ad quem, dum enim solum est in termino à quo, non cœpit moueri, dum solum in termino ad quem, dicitur motum, vt itaque moueatur, partim in vno, partim in altero esse debet, quare habet partes, quas habere non potest, nisi includat materiam quantam: incorporea non habent partes, ideo non mouentur, & hæc ratio præsertim habet vim de motu secūdum locum. Tertia ratio elicitur ex cont. 88. sexti Physicorum, quæ huiusmodi est. Si indiuisibile moueretur, tempus in quo moueretur, constaret ex indiuisibilibus, nam semper in ipso nunc, mutatum esset, moueretur autem numquam, adeo quod & tempus, & motus, quæ mobili respondent, ex indiuiduis constarent, eiusdem enim est rationis in ipso nunc moueri, & indiuisibile moueri, vt dicitur in cont. 90. at consequens est absurdum, quare similiter absurdum est indiuisibile moueri per se, nam si mouetur, solum mouetur ex accidenti, vt colligit Aristoteles. Præterea, Aristoteles in primo de Anima, post cont. 38. idipsum latissimè ostendit, inquit enim: omne quod mouetur est in loco, Anima non est

Sententia Aristotelis tur sola corpora moueantur.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Ratio 4.

in loco. Similiter, incorporeum nullum in loco est, quare non mouetur. Præterea, omne quod per se mouetur, vel mouetur secundum, vel præter naturam, & si vno motu mouetur secundum, opposito mouebitur præter naturam, & si in vno loco quiescit per naturam, in alio requiescet præter naturam, quorum oppositorum nullum congruit Animæ, & incorporeis, quare nec motus. Præterea, Si Anima ex se mouetur, poterit ad libitum è corporibus egredi, in eaque ingredi, ac ita poterunt per naturam mortui reuiuiscere, & animæ se vt amicus amicum visitare, quæ tamen principiis Aristotelis sunt aduersa. Demum, quia Plato dixit Animam numerum se mouentem, Aristoteles ita argumentatur: omnis motus, vt motus, remouet mobile è sua natura, & constitutione, quare si Anima est sui essentia motus, remouebit se ipsam è sua essentia, & constitutione, quod absurdum est dicere, quare, &c. Cum hæc sit sententia Aristotelis perpendamus, quid de ea dixerint Scotus, & D. Th. Inquit Scotus, in 2. Sent. Dist. 2. quæst. 9. nil prohibere indiuisibilia moueri, quod ostendit per motum sphæræ super Planum: nam sphæra puncto tangit planum, & quamuis forte apud nos exacte sphæricum, exacteque planum non detur, id tamen nil refert, sat enim est, quod si daretur, tangeret planum puncto, & supra id moueri posset. Quod confirmat, quia si Cubum, vel linea per aerem moueretur, primum punctum Lineæ, & anterior superficies Cubi, per interuallum continuatum transibit, quare nil prohibet indiuisibilia continuate moueri. Authoritati Aristotelis respondet Scotus, inquiens, illum non absolute negare indiuidua moueri, sed solum asseruisse non ita moueri, vt continuatio motus pendeat ex eo indiuisibili, nam tunc penderet solum ex interuallo, non ex mobili, D. Thom. videns motum illum ab Aristotele declaratum non posse Angelis competere, in primo Sent. Dist. 37. in prima parte Summæ, q. 53. & Quol. 9. & 11. imaginatus est aliud genus motus per Metaphoram dictum, ex indiuiduis conflatum, & aliud tempus similiter, ex indiuiduis constitutum, motum angelorum mensurans, optime enim nouit ex sententia Aristotelis, mobile, motum, & tempus sibi mutuo respondere. Quicquid sit de absoluta veritate nota Deo, proculdubio horum sententiæ aduersantur principiis Aristotelis à quibus se non recedere profitentur. Quod ostendo; quoniam Aristoteles in primo de Anima, absolute iudicat absurdum, Animam posse moueri, alioquin posset ad libitum ingredi in corpora, egredi, & meare per varia corpora, non considerat Aristoteles à quo motus habeat vt sit continuus, sed absolute an incorporea moueri possint. Cum itaque id quod sequitur ex sententia Aristotelis sit absurdum, & id similiter sequatur posita opinione Scoti, & D. Thom. inferendum est, eorum opinionem pugnare cum opinione Aristotelis. Præterea Aristoteles in sexto Physicorum, 86. ait, indiuisibilia solum ex accidenti moueri posse, at ex horum sententia ea per se, & non ex accidenti tantum mouentur. Insuper, in cont. 89. ostenditur indiuisibile non posse moueri, quia mobile prius transit locum se minorem, quam æqualem, indiuisibile non valet transire locum se minorem, quare primo transibit æqualem, quod si conceditur, tunc interuallum per quod mouetur, ex indiuisibilibus constabit, cuius oppositum inquit Philosophus se demonstrasse. Hæc ratio absolute ostendit indiuisibile moueri non posse. Præterea, euerteretur progressus, & sententia Aristotelis in 8. Physicorum absolute ostendentis, nil se mouere posse, & primum se mouens constare necessario ex duobus: at ex horum sententia primum se mouens poterit esse simplex, ac etiam primum mouens non necessario erit immobile. Præterea aduersus

Aduersus Platonem. *Scotus.* *D. Thom.* *Ratio 2.* *Ratio 3.*

Scotum ita argumentor. Si Aristoteles id solum ostenderet, quod motus indiuisibilium non est continuus ratione mobilis, igitur malè absolutè colligeret, indiuisibilia solum moueri posse ex accidenti. Præterea, ratio formata in cont. 89. & supra relata, absolutè ostendit indiuisibile non moueri, alioquin interuallum ex indiuisibilibus constaret. Præterea, non quærit Philosophus in sexto Physicorum per quid motus sit continuus, sed absolutè an indiuisibile moueatur, quare si Aristoteles id solum ostenderet, quod illum ostendere putat Scotus, Conclusio, nec instituto, nec ostensioni Aristotelis responderet. Insuper, erraret Philosophus à secundum quid, ad simpliciter, esset enim idem, ac si diceret, motus indiuisibilium non est continuus ob mobile, igitur indiuisibilia non mouentur. Præterea, alia quoque ratione aduersatur Aristoteli, nam Aristoteles in quinto Metaphysicæ, 18. in secundo, de Gener. & inter. 62. motum ait continuum ratione mobilis: at si vera esset sententia Scoti, Aristoteles nec integram, nec necessariam causam continuationis motus assignasset. Similiter sententia D. Thom. videtur cum ea Aristotelis pugnare: nam primo multiplicat res sine necessitate, imo multiplicat tempora, cum tamen Aristoteles in quarto Physicorum asserat, tempus non posse esse plus vno. Præterea si motus, & tempus ex indiuisibilibus constarent, nec tempus illud esset tempus, nec motus ille esset motus: deduco consequentiam, quoniam vel sunt continua, vel nę, si sunt continua, igitur falsum est quod constent ex indiuisibilibus, non enim ex eis consurgit continuum: si non sunt continua, ille motus non erit motus, quoniam motus est actus imperfectus, actus autem imperfectus tendens ad perfectionem, non est sine continuo. Similiter tempus est mensura moræ, & conseruationis rerum, mora est continuum aliquod, quare etiam tempus debet esse continuum. Præterea semper tempus est mensura alicuius primi motus, qui sit consimilis, & æternus, at huiusmodi motus, cuius hoc excogitatum tempus sit mensura, cuius sit, nec constat, nec assignari potest, vt consideranti redditur notum. Præterea, Aristoteles in cont. 88. argumentatur à destructione consequentis, hunc in modum: Si indiuisibile moueretur, daretur tempus & motus constituta ex indiuisibilibus, consequens est absurdũ, quare & antecedens. Econtrario D. Thom. arguitur à positione antecedentis, dicendo, sed indiuisibile mouetur, igitur & tempus, & motus eius ex indiuisibilibus constant. Ex quo patet apertè, illum pugnare cum Aristotele. Ad instantiam Scoti de sphæra reuoluta, vel ducta supra Planum, & de anteriore superficie Cubi, dico, ea moueri (vt dixit Aristoteles) solum ex accidenti ad motum corporis, ac vt pertinet ad ea, continenter dicuntur mutata, non autem mouentur, at si per se mouerentur, darentur mutata sine antecedente mutatione.

Ratio 4.

Aduersus Scotum.

Aduersus D. Thom.

CAP. XII.

De motu Animæ, ex sententia Aristotelis.

PRo motu incorporeorum consideranda occurrit opinio Platonis, & perpendendum an cum ea Aristotelis conciliari possit: qua de re, tres sunt interpretum Scopi. Nonnulli nituntur eos conciliare, vt Simplicius, Cardinalis Bessarion, & alii. Nonnulli negligunt concordiam, & tuentur Platonem, negligendo Aristotelem, vt multi Academicorum, & cum eis Macrobius. Ego existimo illos non idem sentire, & Aristotelem magis Physicè magisque propriè loqui. Plato Deum cõsiderauit tanquam Centrum, ex quo cuncta ducerentur,

Tres interpretũ Scopi.

Sentẽtia Platonis.

Mentem siue non participatam, siue participatam, dixit esse immobilem Circulum: dixit Circulum, quia pendet ex Centro, ac in id conuertitur; dixit immobilem, quia indiuidue per Ideas operatur, & intelligit absque vlla eius varietate: solum dicitur moueri, quatenus ex se excitantur ab esse ad agere. Ei succedit Anima rationalis, quæ dicitur circulus ex se mobilis, cui quartò succedunt corpora mota ab alio, Anima per rationes diuiduæ operatur, ex vna alteram inferendo, & ex vna in alteram progrediendo, easque connectendo & secernendo, & ob id rationalis dicitur. Ex Platonis Sententia (vt rectè etiam considerauit Simplicius in tertio Physicorum cont. octauo,) quatuor considerantur gradus motus, nam primo consideratur motus inordinatus materiæ, quæ per potentiam excitatur ad generationem, de quo Plato in Timeo Mentionem facit. Alter est motus Mentis, quæ ex se excitatur ab esse ad agere. Tertius est motus actionum Animæ per rationes. Postremus est motus corporum ab Anima. Primi duo non sunt vere motus, ideo prætermittuntur. Verus autem motus dicitur duplex, vnus primus, & est motus Animæ, cui respondet primum tempus, quod est terminus æternitatis, in quod desinit æternitas. Alter est motus secundus, cui etiam secundum tempus respondet, nempe corporum, Motus Animæ est multiplex, de quo loquens Plato decimo de Legibus, inquit: Vniuersa ergo quæ in Cœlo sunt, quæ in Terra, & quæ in Mari, suis motibus anima ducit, quorum nomina sunt velle considerare, curare, consultare, rectè & non rectè opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere, & cætera. Simplicius hos motus considerans, dixit Platonem solis verbis ab Aristotele dissentire. Plato enim latius sumpsit motum, & eos nuncupauit motus quos Aristoteles non motus, sed principia motus nuncuparet, ideo in sexto Physicorum contex. 32. inquit, moueri animam, cum sit indiuidua, quia non corporeo mouetur motu, sed vult, intelligit, iudicat, contemplatur, quod confirmat authoritate Theophrasti qui in primo naturalium, dixit, appetitum, ardoremque Animi, & cupidinem, corporeos esse motus, & ex corpore ducere ortum: iudicia autem, & speculationes, non transeunt in alterum, sed in ipsa Anima sunt, actus, & perfectiones. Idipsum confirmat authoritate Stratonis Lampsaceni, discipuli Theophrasti, qui dixit Animæ actiones esse motus. Plato itaque latius, Aristoteles pressius vsus est nomine motus: immo Aristoteles quoque nonnunquam actiones Animæ nuncupauit motus, & Phantasiam definiens, dixit esse motum à Sensu factum; & dum quæritur an motui animæ competat Definitio motus tradita ab Aristotele in tertio Physicorum. Respondet Simplicius in 8. Physic. 44. conuenire motui Animæ Definitionem motus ab Aristotele primo traditam, quod sit actus eius, quod est potestate, non alteram, quod sit actus mobilis. In sexto autē Physicorum 32. ait, poterit etiam assignata descriptio motus competere motib. Animæ, aut cunctis, aut pluribus includentibus aliquid potentię. Rationi Aristotelis quod si aliquid se moueret, idem esset actu, & potentia, respondet Simplicius in octauo Physicorum, 44. inquiens, re vera simplex non erit se ipso mobile, at anima prædita est variis rationibus, quarum nonnullæ cum sint actu, mouent alias, quæ sunt potestate, sic idem homo in inuentione, discens, & docens esse dicitur. Hæc Simplicius. Alii non soliciti de concordia, & adhærentes Platoni, nituntur opinionem eius à calumniis Peripateticorū vendicare. Ideo inquit Macrobius in secundo de Somnio Scipionis; Censet Aristoteles se probare nil se mouere, at non probat. Insuper, asserit Aristoteles dari vltimum in motu, quod mouetur, & aliud non mouet, quod non est verū, nullum enim

Quatuor gradus motuum. *Verus motus duplex.* *Plato.* *Simplicius.* *Theophrastus.* *Strato.* *Arist.* *Macrobius damnans. Arist.*

enim corpus moueri potest secundum locum, quod non è loco repellat aliud. Addit tertio, dum Anima se mouet, ea est actio sine passione, vt Sol Lucet, calet ignis. Cui simile profert Marsilius in Conuiuio Plat. inquiens, Anima se mouet non trásitiue, sed absolute, vt dum dicimus Deus stat, Sol per se lucet, nam temporalis discursio ex se ipsa competit Animæ, &c. Proculdubio de nonnullis ad motum Animæ attinentibus, Plato, & Aristoteles non dissentiunt: at dicere, quod absoluté consentiant, vt censet Simplicius, est conspicuus error. Consentiunt profectò de his Sex primo, quia ambo asserunt in mouentibus, & mobilibus non dari progressum in infinitum, sed veniendum esse ad primum, vt dicitur a Plat. in decimo de Legibus, & ostenditur ab Aristotele in octauo Physicorum. Secundo ambo consentiunt, primo non mouente, cæteros motores mouere non posse, ordinatorum enim, secundum essentiam, posterius non operatur sine priore. Tertio ambo inquiunt mouere se, esse proprium viuentium, quod dicitur a Platone in Phedro, ab Aristotele autem in secundo de Cœlo. Quarto ambo aiunt primum ex mobilibus mouere se, & se mouens esse principium inter ea, quæ mouentur. Quinto consentiunt, quia ambo inquiunt Animam non ita moueri, vt mouentur corpora. Demum ambo dicunt non moueri Animam ex loco ad locum, nisi iuncta alicui corpori, ex Aristotele hoc patet, ex Platone similiter: quia semper constituit Animam alicui vehiculo iunctam. At cum de hjs consentiant, dissentiunt deinde. Primo, quia Aristot. inquit: primum se mouens esse Corpus viuens, Plato ait, primum se mouens esse Animam. Secundo dissentiunt, quia considerando motus Animæ per Metaphoram dictos, non eodem modo illis se mouet Anima ex sententia Arist. vt ex sententia Platonis; ratio varietatis est: quia Plato Animæ tribuit rationes Ideis respondentes, ob quas cum nobiscum iuncta per externa Obiecta fuerit excitata, magis ex se valet sentire, & intelligere, quam ex sententia Aristot. qui rationes eis non esse insitas existimauit. Hinc in primo de Anima 65. inquit, non Animam sentire, vel intelligere, sed hominem per Animam, ob eandem rationem, ex sententia Platonis Anima iuncta vehiculo aereo, vel æthereo, valet sentire quod efficere non valet, ex sententia Aristot. putantis pro obeundis huiusmodi muneribus necessaria esse instrumenta propria. Tertio differunt in explicando modo quo Anima sit principium veri motus Animalium, nam ex sententia Platonis Anima ob rationum distinctionem valet magis ex se ad motum excitari, & mox sine corporeis instrumentis mouere corpora, quam ex sententia Aristot. Hinc Plato Animas vehiculis iunctas, ad libitum moueri existimat, quamuis ei non competant instrumenta corporea, quod tamen non valet efficere ex sententia Aristot. qui pro motu animantium necessaria indicat instrumenta, vt patet ex tertio de Anima, necnon ex lib. de motu Animalium. Quarto dissentiunt: quia Arist. putat Deum proxime mouere Cœlum, & esse proximum principium motus eius, vt declaraui in libro, de Cœlorum motoribus, Plato nec Deum, nec Mentem proxime mouere censuit, sed Animam in tertio gradu positam, ob distinctionem rationum. Quinto dissentiunt, quia Plato putat Animas ex se excitari ad motum in orbem, & ex se in orbem mouere, & ideo iunctas stellis, eas mouere in orbem, vt etiam Elementa corporea, quæ iudicavit prædita Anima: mouere autem mortalia, motu progressiuo, & recto ob oppositas propensiones corporum; At ex sententia Aristotel. Animæ nullus respondet motus proprius, & ideo valet quouis motu mouere corpus; Ex his elicio primo, errare Simplicium, & eos qui Aristot. cum Platone de omnibus con-

Marsilius Ficinus. Sententia propria. Sex de quibus Plato, & Aristot. consentiunt.

Quinque de quib. dissentiunt.

Primum.

Secundũ.

Tertium.

Quartũ.

Quintũ.

Ex dictis elicitur 1.

ſentire affirmant, nam ex diſtinctis Principiis, & mediis, varia effecta prodeunt.
2. Inſuper minus rectè ait Simplicius. Definitionem vnam motus competere motui Animæ, non alteram, cum illæ duæ Definitiones reciprocentur, & ſolum diſtinguantur, quatenus vna eſt per terminos magis Metaphyſicos, altera per magis Phyſicos.
3. Tertio aperte Simplicius aduerſatur Ariſt. dicenti motum ab eo definitum ſolum competere quatuor Prædicamentis, quæ ſunt compoſita ex actu, & potentia, cum ipſe definitionem transferat ad Animam, & eius motum,
4. nam ſentire, & intelligere ad ea quatuor Prædicamenta non pertinent. Quarto ab Ariſt. recedit, dum oſtēdens quomodo Anima ex ſe moueatur, ait, id ei competere ob varias rationes animæ inſitas, cum Ariſt. eas non tribuat animæ, ſed aſſerat eam eſſe penitus poteſtate. Inſuper ſi ea diſtinctio rationum tribuat animæ, ſed aſſerat eam eſſe penitus poteſtate. Inſuper ſi ea diſtinctio rationum eſſet ſatis, male Ariſt. in 8. Phyſ. collegiſſet pro conſtituendo motu eſſe neceſſarium, vt primum ſe mouens ex duobus eſſentia diſtinctis conſtet, nam dicerem eſſe vnum duplici ratione præditum, ac ita vniuerſa doctrina Ariſt. in octauo Phyſ. euerteretur. Præterea, cum Plato dicat Animam ſe mouere, & ex eo in 10. de Legibus colligat eſſe immortalem, quæro, vel ſe mouere competit ſoli Animę Hominis, vel etiam illis iumentorum, & ferarum: ſi ſoli animæ Hominis, tunc cætera Animalia non ſe mouerent, nec eorum Anima eſſet principium motus, nam inquit Plato in Phedro: Animam propterea mouere aliud, quia primo ſe mouet, ſecundus enim motus pendet ex primo: ſi autem etiam cæteræ Animæ ſe mouent, etiam Animæ murium, & ranarum erunt immortales. Hæc inſtantia maximi eſt roboris, & plurimum turbauit varios Academicos; adeo vt in varias iuerint ſententias, quas vt alibi a me relatas, & reiectas, nunc miſſas facio. Ea etiam, quæ a Macrobio obiiciuntur Ariſt. leuiſſimæ ſunt: nam quod Ariſt. oſtenderit nil ſe mouere, patet ex 8. Phyſ. quo in loco etiam patefeci, quomodo detur vltimum mouens in corporibus, nam datur vltimum in ordine eſſentiali: inſuper, datur vltimum ob condenſationem & reciprocationem corporum mutantium locum, & ſibi mutuo locum concedentium. Demum, id quod addunt, aſſerere Animam ex ſe moueri, eſſe idem ac dicere ſolum ex ſe lucere, ex ſe calere ignem, & Deum ſtare, minime verum puto: Nam dum dicimus Solem ex ſe lucere, indicamus affectionem Soli competentem, non includentem actionem, & paſſionem: at dicere Animam mouere ſe, indicamus actionem cum paſſione iunctam, & eſt idem, ac dicere, Solem illuſtrare ſe, ignem ſe calefacere, quod nemo diceret; nam ſi daretur motor mouēs ſine mobili, daretur vnum relatorum ſine altero. Similiter, dum dicimus Deum ex ſe ſtare, indicamus Deum non eſſe aptum moueri, non autem ei tribuimus actionem ſine patiente vel contra. Colligamus itaque ex ſententia Ariſt. nil ſiue corporeum, ſiue incorporeum, in ſe agere, & ſe mouere actione diſtincta ab eſſentia.

Ratio maximi momēti. *Diluuntur instātia Macrobii.* *Cōclusio.*

Cap. XIII.

Diluuntur rationes, quibus oſtendebatur poſſe aliquid in ſe agere, & ſe mouere.

Diluitur Ratio 1.

DECVRSIS cæteris, ſupereſt modo vt rationes aduerſas diluamus. Inſtabatur primo, quia Elementa ſine diſtinctione motoris, & mobilis dicuntur mouere ſe. Hac de re verba feci in quæſt. de motu grauium, & leuium: nunc breuibus dico, inſtantiam eſſe leuem, quia in Elementis reperiuntur duo diſtincta prin-

principia, quæ sunt origines agendi, & patiendi, & hoc indicauit Auer. inquiēs: formam vt formam mouere, & esse principium agendi, vt vero est in materia, moueri, quia materia est origo passionis. At instabit aliquis, quia Elementum mouetur vt est mobile, est mobile vt subiectum motum, est subiectum vt est actu, est actu per formam, quare forma per se patitur, & subiicitur motui. Respondeo, mobile eatenus primo, & per se moueri, quatenus est potestate, quæ oritur ex materia: & quamuis Subiectum motus debeat esse actu, non tamen actus est origo passionis, sed aliquid ex accidenti motum, & necessario requisitum, vt subiectum sit actu. Erat instantia secunda de actionibus immanentibus. Respondeo, actionem immanentem vsurpari dupliciter: vel pro eadem cum essentia, vt separata se intelligere dicuntur, de qua non est dubitatio, cum sit sine distinctione, & passione, vel pro distincta ab essentia agentis, de qua loquens, dico, non ob id dici immanentem, quia non exposcat principia agendi, & patiendi distincta, sed solum quia in alienum subiectum non transit, nec opus remanet effectum, sed ipsimet actio finis est pendens ex agente, pro esse, & conseruatione, & hoc patet progrediendo per omnia opera, quæ actionis nomine denotantur, veluti saltare, canere, sunt actiones immanentes, cum tamen earum principia efficientia, & patientia sint distincta: similiter, vita dicitur immanens quatenus in viuente seruatur, Animamque insequitur, cum tamen Anima principium vitæ, & corpus recipiens eam, sint distincta. At erat instantia de actu videndi, intelligendi, imaginādi, similiter ratiocinandi, quo aliquis in se scientiam parit: de his multa dicuntur à D. Thom. & asseclis eius, qui inquiunt, Animam vt formatam specie Obiecti producere iudicium, ex se autem illud recipere. Scotus in primo Sent. Dist. tertia, quæst. 7. soluit per distinctionem actus formalis, & virtutis, reiectam in præcedentibus. Lud. Boccaf. putat actionem pendere ex Obiecto, passionem pertinere ad potentiam, vel actionem ab intellectu agente produci, passionem recipi in possibili. De his non est hic disputandi locus, propterea breuibus dico, duplicem posse fieri comparationem, vnam inter Obiectum, & facultatem cognoscentem, secundum quam Obiectum mouet, facultas vero mouetur: Alteram inter facultatem & actum iudicandi Obiectum, & tunc facultas agit iudicando, Obiectum verò iudicatur: quod si huiusmodi iudicium manet in iudicante, id accidit, quia actus Obiecti, & facultatis est vnus & idem, vt dicitur in 2. de Anima: & quia iudicium respicit Obiectum, quod tendit in facultatem Animæ, ideo ex accidenti solum facultas in se agit, quatenus iudicat Obiectum mouens Animam, absolute tamen iudicium ex parte iudicantis solum exposcit fundamentum actionis. His accedit, quod Anima nil recipit vt Subiectum, nisi concurrat Materia, ideo Memoria exposcit congruens temperamentum, adeo vt facultas sit origo iudicandi, seruans verò vt Subiectum sit compositum: si autem facultas aliqua, & præsertim Mens se iudicat, id facit ex accidenti, per eius opera, & iudicando alia, vt elicitur ex tertio de Anima. Ad id de inuentione, per quam ratio parit scientiam in se, Respondeo, semper seruari distinctionem Obiecti, & facultatis vt duorum principiorū actionis, & passionis. Insuper, dum ratiocinamur ex vno, inferimus aliud, & Mens est actu ratione principii, potētia verò ratione Conclusionis. Erat tertia dubitatio de Antiperistasi, de qua inquit Hipp. in libro de Natura fœtus; hyeme per pluuias condensari partes externas Terræ, & ob prohibitā transpirationem, internas calefieri, vt patet de fimo. At ea ratio videtur leuis: quoniam etiam vbi externę partes pluuiis nō densantur, vt sub domib. & locis coopertis id

Instātia. *Solutio.* *Diluitur Ratio 2.* *De actu videndi.* *D. Thom.* *Scotus.* *Lud. Boccaf.* *Solutio propria.* *De antiperistasi.* *Hippocrates.*

ipsum accidit. Prætereà de visceribus Terræ, & fimo non videtur par ratio, quia in fimo inest putredo, quæ non reperitur in antris & cauitatibus Terræ. Dicebat Epicurus, ex relatione Lucretii.

Epicurus.

Frigore cum premitur porro omnis Terra, coitque.
Et quasi concrescit, fit scilicet in coeundo.
Exprimat in puteos si quem gerat ipsa calorem, &c.

At si id esset, tunc reliquæ partes terræ remanerent frigidiores, cuius oppositum Sensu constat. Insuper addebat.

Frigidior porro in puteis æstate fit humor,
Arescit, quia Terra calore, & semina si qua
Forte vaporis habet, propere dimittit in auras, &c.

Hoc etiam non satisfacit: quia nulla facta mutatione densi, & rari partium Terræ continentium aquam, similiter aqua redditur frigidior. Præterea, æstiuo tempore plus aquæ gignitur in visceribus Terræ, quam hyberno, quod non accideret, si tunc vapores in aerem prodirent. Galenus in tertio de Simplic. Medicamentorum facultatibus, capitulo octauo, videtur dicere, aquam puteorum hyberno tempore nobis potius videri, quam re vera esse tepidam, ob aerem, & nostri corporis constitutionem, at non propterea inficiatur, hyberno tempore aliquantulum esse calidiorem, quam æstiuo, vt perperam nonnulli ei tribuunt, sed solum putat tunc videri calidiorem, quam sit, alioquin aduersaretur rationi, experientiæ, Hippocrati, & Aristoteli, cuius sententiæ se subscribit in primo Aph. in expos. Aph. 15. Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, &c. quo etiam loci inquit id accidere, quoniam vt ait Aristot. calor internus per frigus ambiens tendit ad centrum, & vnitur, æstate vero ad simile exit. Dicamus itaque, in antiperistasi pro caloris, vel frigoris accretione, multa conspirare; primo simile internum nectitur cum externo simili, derelinquendo intrinsecus contrarium. Secundo, id contrarium à contrario secretum remanet sincerius, magis iunctum, ac ita potentius operatur, & intensius apparet; Hæc sunt potiora, & principaliora, conducunt mox & alia, nam æstate externi meatus calore ambientis aperiuntur, & internus calor ob id facile euaporat, veluti contra hyberno tempore obstruuntur meatus, & calor ob prohibitam transpirationem crescit. Præterea, & quarto, accidit nonnunquam ab externo calore consumi, & extrahi humorem internum, cuius eductionem, & consumptionem sequitur interni caloris consumptio, interitum autem caloris sequitur frigus. Quinto, his accedit quod ambiente contrario repercutiuntur actiones contrarii inclusi, ac ita quodam modo geminantur, & potentiores redduntur pro destructione contrarii secum permixti, adeo vt semper primo, & per se contrarium agat in contrarium, quam actionem sequitur quædam perfectio agentis ex accidenti, vt patet per ea, quæ conspirare dixi. At dicet aliquis, adhuc non videtur soluta dubitatio, quia nil agit vltra proprium gradum, quomodo itaque per antiperistasim contrarium inclusum redditur gradu intensius? Respondeo, frequenter non reddi intensius, sed videri, quatenus primo erat cum contrario iunctum, non quidem per veram mixtionem, sed per iuxta positionem, & compositionem, mox remanet ab eo seiunctum. Quod si accidat, etiam reddi intensius secundum gradum, id fit ex accidenti, quatenus destructionem vnius, sequitur constitutio alterius. Instabatur quarto loco per motum Animæ, Angelorum, & Atomorum, de Atomis Aristoteles absolutè negat, & dari, & posse moueri, vt patet ex primo de Gener. & interitu; De aliis multa dicunt

Galenus. *Solutio.* *Instantia.* *Solutio.* *De motu Animæ.*

Theo-

Theologi Scholastici: At ex opinione Aristotelis dico, vt nata esse in loco, non mutant locum, nisi per lationem, ita non nata esse in loco, & nata solum ex accidenti alicubi esse, sine vllo motu & transmutatione alicubi esse, vel non esse. Sic Arist. in secundo de Anima, septuagesimo, de lumine loquens, ait esse, & non esse in medio perspicuo, sine eius latione, & solum per præsentiam, & absentiam corporis lucidi: Hoc modo Mens dicitur extrinsecus accedere, vt etiam aperta fenestra dicimus lumen extrinsecus ingredi. Simili modo & ratione inquit Aristoteles in primo de Cœlo, 111. & 112. multa esse, & non esse sine ortu, & interitu. Tetigit in parte hanc solutionem Simplicius, in sexto Physicorum, trigesimo secundo, inquiens, haud tamen Anima dicitur esse in corpore, veluti in loco, & vase, sed habitudine quadam, quare vt separetur, non eget alio corpore, quod secundum locum moueatur, sat enim est ineptitudo corporis ad non recipiendum splendorem animæ, & hoc est Animam separari, &c. Erat quinta dubitatio de Phantasia, & Mente se cognoscentibus, & de facultatibus Animæ, quatum vna mouet alteram. Hæc dubitatio per dicta in præcedentibus est soluta, nam cognitio est duplex, vna per essentiam, qualis est ea Dei, quæ expers est dissimilitudinis, & passionis; Altera est cum quadam passione, & ob id semper adest distinctio per se cognoscibilis, & cognita, Mens, & Phantasia ex accidenti se cognoscunt noscendo alia, vna facultas mouet aliam, ob varietatem instrumentorum, & quatenus vna est formata specie obiecti, altera includit potentiam ad illam. Addebatur sexto, Aristotelem contrahere suam sententiam ad motorem vniuocum, hac de re multa dixi in 8. Physic. exponens cont. 44. ideo nunc breuibus dico, si sequimur Auerroem, per motorem vniuocum, debemus intelligere motorem propriè dictum cōtra distinctum à motore dicto per Metaphoram; si sequimur Simplicium, intelligere debemus motorem per se contra distinctum à motore ex accidenti; si sequimur expositionem meam, debemus ex eis verbis elicere, sequi ea absurda, de quocunque dixerimus quod moueat se, & agat in se: nam si idem est ferens, & latum, ferens feretur; si idem calefaciens, & calefactum, calefaciens calefiet, si idem est docens, & addiscēs, docens docebitur, & ideo inquit Aristoteles, vniuersè sequi ea absurda, de quibuscunque dixerimus, quod moueant se, & ita per motorem vniuocum denotat motorem motum eodem motu, indicando sententiam suam esse vniuersalem. Remanet diluenda dubitatio de aqua feruente, refrigerante seipsam, de qua multa dicuntur ab aliis, quæ non refero, sed breuibus dico, ad refrigerandam aquam multa conspirare: primo, aqua feruens non est simplex, sed composita ex partibus igneis, & aqueis inuicem agentibus ex pugnantibus, secundo pro eo conducit ambiens, non ita calidum. Tertio conducit humor aqueus, callus, igneum calorem extinguens, vel saltem siccum terreum, desunt, vt in ferro feruente, hoc denotauit Aristoteles in prima parte Probl. 42. inquiens, potum extinguere calorem febris, vt enim ignem hunc visui manifestum, ita & delitescentem illum naturæ humor extinguit. Quarto etiam conducit, quia calor in aliena materia eget conseruante, & nisi seruetur, marcescit, eget enim continuo restaurante, eius autem interitum sequitur frigus. Demum ad id conspirat propensio aqueæ naturæ ad frigus sibi proprium. Hæ causę ita in ordinem rediguntur. Aqua feruens refrigeratur, vel per causam priuantem, & hæc est ignei vaporis exhalatio, vel per causam producentem, quæ vel est externa, vel interna, si externa, est ambiens, si interna, vel id facit ex accidenti, & est humor aqueus, conspirante conditione caloris egente in aliena materia conseruante, cuius in-

De aqua feruente.

teritum necessario sequitur frigus; vel id facit per se, & est varietas, & dissimilitudo partium aquæ feruentis, cum propensione aquæ per suam naturam ad frigus, quod est accidens proprium eius: ex horum conspiratione consurgit causa tota & perfecta.

Cap. XIIII.

An simile agat in simile.

CVM apparuerit idem in se sine distinctione agentis, & patientis agere non posse, perpendendum est, an saltem possit agere in aliud sibi simile. Philosophus in primo de Ortu, & interitu id negauit, inquiens, si simile ageret in simile, etiam ageret in se: tamen quia ex aduerso nonnulla se offerunt, quæ sententiam hanc reddunt obscuram, ideo consideranda, & explicanda proponitur. Pro notitia autem difficultatis considerandum primo est, aliquid posse dici simile, vel ex parte materiæ, vel formæ: si formæ, vel genere, vel speciee si specie, vel cum distinctione graduum, vel sine; non est dubitatio de consimilibus materia, nec genere, ita enim etiam contraria consimilia sunt, quæ per se inuicem agunt; neque etiam de consimilibus specie, cum distinctione graduum; vt tepidum, & calidum, nam remissum obtinet locum alterius contrarij, ideo patitur ab intenso, dubitatio itaque est de consimilibus specie, & gradu, num inuicem agere possint. Accipiendum secundo, difficultatem debere intelligi de agentibus, & patientibus per se, non ex accidenti, regulæ enim dantur de his, quæ per se sunt. Addo tertio, res propriè dici similes per Qualitates, vt enim per essentiam res dicuntur eædem, vel diuersæ, per Quantitatem æquales, vel inæquales, ita per Qualitatem similes vel dissimiles, latè tamen similitudo ad alia quoque extenditur: dubitatio præsertim erit de simili per Qualitates, cumulatioris tamen doctrinæ gratia etiam de cæteris aliquid dicam. Ea quę præsertim considerationem hanc reddunt obscuram hæc sunt. Primo Aristot. in 8. Phys. 78. supponit corpus, quo fuerit maius, eo diutius operari, & in primo de Cœlo, eo operari vehementius, vt etiam in primo Meteororum ex quo elicitur, partes consimiles se mutuo perficere, & propterea inuicem agere. Velut etiam tres candelæ splendidius medium illustrant, quamuis sint consimiles, quam vna sola, & secunda magis illustrat medium, à prima illustratum, similiter & tertia.

Simile multiplex.

De quo sit dubitatio, an simile agat in simile.

Dubia diluenda. Primū.

2. Præterea inquit Aristoteles in prima parte Probl. 56. & 57. maiorem flammam
3. ad se rapere minorem, quare flamma agit in flammam. Tertio formatur hæc ratio: efficiens potest agere vltra proprium gradum, igitur potest agere in simile, consequutio patet: quia cum produxerit sibi simile in gradu, agens pro vlteriore gradu aget in simile. Assumptum ostenditur, tum quia hyberno tempore à frigore aeris non summo congelatur aqua, & fit glacies; quæ est excessus frigoris, & æstiuo tempore ab ambiente aere mediæ regionis non summè frigido, fit grando, tum insuper, quia sæpe inspicimus flammam exiguam, & debilē, ingentem & potentissimū ignem parere.
4. Quarto, afferuntur exempla varia, id ipsum patefacientia, nam lapis consimilem lapidem percutiēdo frangit, Gladius hebetat gladium cōsimilem, oculus agit in oculum, dum mutuo se vident, simile seruat simile, & corpus densius eodem gradu calidū, quia vehementius operatur, agit in rarum: simile itaq; agit in simile. Ex aduerso dixit Philosophus; si simile ageret in simile, idem ageret in se, cuius oppositum est ostensum. Insuper in primo Phys. 43. ait, omne agens agere in contrarium, omne patiens pati à contrario, & in primo de Ortu inquit, de similibus nulla est ratio, cur vnū potius quàm aliud

Pro parte aduersa.

aliud debeat esse agens; Confirmatur: quia præsente fine desinit mobile moueri, præsente similitudine præsens est finis, quare tunc desinit moueri, nam finis agentis est reddere patiens sibi simile. Præterea, omne agens agit vt est actu, patitur vt potentia, at similia quatenus similia, consimiliter sunt actu, non autem vnum actu, alterum potentia est. Demum, omne agens in id agit quod ei repugnat, simile non repugnat, sed consentaneum est simili, quare in id non agit.

CAP. XV.

Resolutio difficultatis, An simile agat in simile.

PRo resolutione propositæ difficultatis, considero primo actionem esse duplicem, vnam spiritalem, qua visibilia agunt in Sensum, alteram materiatam, & corpoream. De vtraque loquar: & quia actio materiata etiam vsurpatur dupliciter, vel pro sola alteratione, vel pro quauis motione, ego de singulis verba faciens, tres profero Conclusiones. Prima est. Simile non agere in simile, est vera de actione spiritali. Altera est, eadem regula verior adhuc est de omni actione materiata. Tertia, verissima est de alteratione, de qua etiam loquitur Aristoteles in capitulo, de Actione, & perpessione. Quod pertinet ad primam, multi inficiantur regulam veram de actione spiritali, vt pater de oculo similem, & se vidente. At conspicuè decipiuntur: nam Aristoteles in 2. de Anima, 71. de Visu, & aliis Sensibus eam profert, inquiens susceptiuum colorum debere esse sine colore, sonorum sine sono, & ita de cæteris. Insuper in 3. de Anima, context. 4. eandem profert de Mente potestate, receptura intelligibilia. Ideo recte Auerr. inquit, regulam esse veram de omni receptione, & perpessione cũ spiritali, tum materiata. Secunda Conclusio erat, regulam esse veriorem de actione materiata. Ratio est: quia in ea reperitur verior contrarietas, verior actio, & passio, & verior oppositio actus, & potentiæ, cum vera contrarietas non seruetur sine materia. Dicebatur tertio, verissimam esse de alteratione, de qua etiam præsertim Philosophus regulam profert. & ratio est: quia verissima contrarietas in primis Qualitatibus consideratur attinentibus ad Sensum tactus, & illæ etiam sunt origines propriarum alterationum, & permutationum, vt patet ex secundo lib. de Ortu, & interitu. At pro dubitationum resolutione duo occurrunt consideranda: vnum est, an agens expetat reddere patiens sibi simile in gradu, vel potius in actione, vel in vtrisque. Altera est, cur densius, & maius vehementius operetur, quamuis non sit intensius secundum gradum? De prima difficultate Marsilius, & multi Latinorum, iudicant institutum agentis esse reddere patiens sibi simile in actione. Ratio est, quia agens ita expetit reddere patiens simile, vt agit, sed agit actione, quare in ea expetit id reddere simile, Confirmant; quia vnumquodque agens valet reddere patiens sibi simile in gradu, quare cum agens maius, & densius operetur vehementius, valebit producere simile, etiam in actione, & propterea, dum reddiderit simile in gradu, adhuc in illud aget, si fuerit rarius vt reddat illud sibi simile in actione, ac ita simile in gradu, in simile operabitur. Hanc sententiam a vero alienam puto, pro quo ostendendo, suppono duo corpora in gradu summè calida, quorum vnum sit densius & maius, alterum rarius, & minus, densius operabitur vehementius, neque ob id aget in rarius, quia nullum caloris gradum in eo producere valet. Præterea agens id per naturam efficere expetit, quod in eius facultate positum est, ex eoque pendere valet, hoc autem id solum est, quod pertinet ad

Prima conclusio. *Secunda.* *Tertia.* *Explicatio primæ.* *Explicatio secundæ.* *Explicatio tertiæ.* *Duo consideráda.* *Primum.* *Secundũ.* *Opinio quorundam.* *Euersio.*

gradum, non quod pertinet ad actionem auctam per densitatem, vel extensionem quæ pendet ex alio. Præterea, generatio ducit ad actum primum, qui est forma, non ad actũ secundum, qui est actio prodiens mox ex forma. Præterea, vis maioris actionis valet producere simile in gradu, quod sit vehementioris actionis. vt palea incensa comburens ligna, & generans carbones maioris actionis, quòd non faceret si expeteret producere simile in actione, immo dum erit simile in actione, adhuc aget in illud, producendo vlteriorem gradum formæ. Quod demum confirmatur, quia vis agentis est ipsamet forma, quæ ita agit, vt est, esse autem eius in gradu est positum, quare id expetit producere. Quærebatur secundo, cur corpus densius, & maius, supposita paritate graduum, vehementius operetur? Respondeo, id ex eo euenire, quia vbi plus materiæ adest, plus etiam reperitur formæ, nam se habent vt plura indiuidua iuncta, quæ potentius operantur, quam vnum. Insuper, id quod est densius, operatur vehementius, quia virtus cõsimilis, & coniunctior, & ab opposito magis seiuncta potentius operatur. Sed quæritur, cum omnis forma valeat producere simile in gradu in quo erit posita, & collocata, eritne ea maior actio, quæ densiori, & maiori competit. Respondeo, eam in quatuor esse positam; Primo quatenus citius consimile in gradu producit. Secundo, quia diutius operatur, quatenus magis aduersis corrumpentibus repugnat. Tertio, quia operatur in distantius. Quarto, quia semper valet simile in gradu producere, quod non ita semper valet efficere corpus rarius, & minus. Colligamus itaque, efficiens nõ operari vltra suum gradum, & solum expetere reddere patiens sibi simile in gradu.

Cur corpus densius, & maius operetur vehementius. *Dubitatio.* *Solutio.* *Conclusio.*

CAP. XVI.

Diluuntur rationes, quibus ostendebatur simile agere in simile.

Explicata veritate, supersunt diluendæ aduersæ rationes, quarum prima erat quia partes consimiles iunctæ reddunt totum potentius. Respondeo, non ob id eas inuicem agere, sed iunctas magis vna conspirare ad agendum in aliud, & seruandũ se, veluti plures homines ad aliquid efficiendum conspirãtes, quamuis inuicem non agant; tamen id valent efficere quod singuli seorsim non valent. Afferebatur instantia de candelis consimilibus accensis de quibus similiter dico, quod non inuicem agunt, sed vnà conspirant ad illustrandum medium, quod non propterea reddunt secundum gradum illustrius, quam sit lux singularum seorsum, & pro distinctiore solutione dico primo, lumen in medio habere esse spiritale, vt in lib. de Visu patefeci, adeo, vt in medio nil aliud sit nisi repræsentatio corporis lucidi. Addo secundo, lumina variarum candelarum in medio non secus seruari distincta, ac etiam seruentur actiones variorum visibilium, nec lumen vnius agere in lumen alterius, & ideo in medio tunc reperiuntur plura lumina, & minus tenebrarum, non autem lumen vnum agere in aliud: ea autem lumina seruari in medio distincta, indicant & vmbræ variæ, & directio radiorum in loca varia, & repræsentatio variorum lucidorum, & similia. Propterea cum D. Thom. non sentio, putante lumen in medio habere esse materiatum & reddi vnum. Hinc Aristoteles in secundo de Anima dixit, lumen esse præsentiam lucidi, quia est actus perspicui, repræsentans corpus lucidũ, non secus ac actio visibilium. Et si quis instet, quia plura accidentia solo numero differentia in eodem subiecto esse nequeunt. Respondeo, id esse verũ de accidentibus materiatis, non de spiritalibus. Ratio differentiæ est: quia spiritalia non vere

Solutio primæ rationis. *De lumine candelarum.* *Instãtia.* *Solutio.*

verè sunt accidentia in subiecto, sed repræsentationes alterius per medium, & ideo distinctionem habent ab illis, quorum sunt repræsentatio, & actio. Instabatur insuper, quia simile trahit ad se simile, vt flamma flammam, imo multi medicorum aiunt medicamenta trahere humores, rationes similitudinis, similiter inspicimus Plantam dictam Valeriana, trahere alteram similem, sibi loco proximam. De flamma dico, maiorem flammam trahere ad se humorem minoris, in illumque agere, non autem in flammam, nisi ex accidenti ex similitudine solum id habent, vt inuicem facillime connectantur, vt aqua cum aqua, flamma cum flamma, at non ob id inuicem agunt, ob eandem quoque rationem aqua, per humida loca facilius fluit, quàm per arida, simile cum simili facile nectitur, quia cuncta per naturam expetunt sui conseruationem, simile autem consetuatur simili, quia plura similia iuncta, potentius corrumpenti resistunt. De Valeriana, Palma dactylo, & similibus plantis, quarum vna adhæret alteri, vel ab altera permutatur, siue perficitur. Respondeo, id oriri ex varietate maris, & fœminæ, & virtutis earum, vna enim veluti mas habet facultatem, & temperamentum distinctum ab eo alterius, & vna est apta perficere, altera perfici: ea quæ est apta perficere, emittit spiritus quosdam, à quibus cum altera perficiatur, per naturam conuertitur ad eam, vt inspicimus de Helitropio, cuius flores, & folia conuertuntur ad Solem, adeo, quod si vna agit in alteram, id ortum ducit ex dissimilitudine actus, & similitudine potentiæ; nonnunquam autem id accidit (vt dixi) quia simile simili seruatur, ideo cum eo nectitur, & contrarium pro facultate vitat. Quomodo medicamenta trahant humores, à medicis explicatur, qua de re loquitur Arist. in prima particula Probl. 40. & 41. nec ait fieri ratione similitudinis, solum inquit calida purgate per supera, aquea per vrinam, terrea per infera, & id fieri actione, & contrarietate primarum Qualitatum, vel liquefacientium, vel feruore excrementa turbantium, vel flatus excitantium, & ita secum ducentium ea, quæ permutarunt, conducente facultate expultrice viuentis per naturam aduersa expellentis, adeo, vt mutua actio semper prodeat ex dissimilitudine. Afferebatur alia instantia, quia agens valet vltra gradum operari. Respondeo, id esse falsum, ostendebatur, quia ab aere glacies, & grando frigidiora gignuntur, cum glacies sit excessus frigoris. Dico primo, nil prohibere, quin hyberno tempore aer ambiens sit summè frigidus, quamuis enim glacies sit excessus frigoris, non ob id vice versa omnis excessus frigoris est glacies, quia præter excessum frigoris alia requiruntur; Addo secundo, frigus aeris ambientis nõ esse causam congelationis integram, nam pro aqua congelanda præsertim duo conspirare debent, vnum agentis, alterum ex parte patiẽtis, ex parte patientis, nempe aquæ, requiritur, vt pura non sit, sed mixta cum halitibus quibusdam siccis, & terreis, quod nobis patefacit aqua, in quam glacies dissoluitur, quæ crassa, & terrea quodammodo est, ex parte agẽtis requiritur frigus ambiẽtis, & halituum cum aqua permixtorum, per quod frigus, calor fluentis aquæ partim extinguitur, partim extruditur, humor verò tenuis, partim vna cum calore extruditur, partim etiam à frigore condensatur, ac ita consurgit glacies. Hoc nos docuit Aristot. in secundo de partibus Animalium, cap. 4. inquiens: Sanguis fibris detractis non valet congelari, fibrarum enim natura terrea est, quæ si non eximantur, cogitur, vt terra humida frigore: cum enim calor exprimitur, humor vna trahitur, atque euaporat. Insuper in quinto de Gener. Animalium, cap. 3. inquit: Indurat igitur tum calor, tum frigus, nam euenit, vt ab vtrisque humor euaporet, scilicet à calore per se, à frigore ex accidenti, vnà enim cum calore humor edu-

Solutio alterius instantiæ.

De Plantis.

Agens nõ operari vltra gradum.

Arist.

Philoponus. citur, nullus enim humor sine calore est, &c. Philoponus tamen cont. 3. primi de Genet. inquit, aut quod verius est frigus cōdensans partes aquę reddit aquam duram; addo ego (vt dixi) tenuiorem humorem educi, remanentem cogi. Ex his colligo, non agere vltra gradum, sed contraria inuicem pugnare. Afferebantur demum instantiæ de lapide consimilem frangente, de gladio consimilem hebetante, de oculo vidente consimilem; *Instantia postrema diluuntur.* Respondeo lapides, & gladios inuicem agere, non ratione similitudinis, sed oppositionis, nam primo mouentur oppositis motibus, vel saltem vnus mouetur, quiescit alter, Secundo considerantur vt actu dura, potentia frāgibilia, ac ita ambo sunt actu, & potentia, per actum agunt, per potentiam patiuntur. *Dubitatio.* Sed est dubitatio cum sint paria, & actio prodeat ex proportione maioris inæqualitatis, quomodo se mutuo superant, & franguntur? *Solutio Lud. Boccaf.* Respondet clarissimus Boccaf. id accidere, quia pars percutiens agit virtute totius. *Euersio.* At hoc non satisfacit, tum quia similiter patiens resistit virtute totius, hinc maius seruatur diutius: tum insuper, quia si fuerint duo plana, æqua, extensa, & inuicem se percutientia, se frangunt, vt de duobus speculis accidit, etiam si secundum vniuersam extensionem se tangant. *Solutio propria.* Ideo dicamus, duritiem frangentem superare non duritiem alterius, sed facultatem resistēdi, ideo frangit id vt potentia frangibile agit; vtrumque vt actu durum, sic inuicem agunt, quia ambo includunt actum, & potentiam, vt sæpe ait Aristot. Ad instantiam de oculo, dico, oculum agere vt coloratum, pati, & recipere vt perspicuum: addo insuper cum Alexandro, recipere non totum oculum, sed partem mediam, quæ cum sit perspicua, non habet proprium colorem, color enim est actus terminati, non interminati perspicui, sed potius includit inchoationem quandam omnium colorum, adeo, vt ob id omnes recipere valeat tanquam perfectiones eius inchoationis. At de his latius in proprio loco.

CAP. XVII.

De Resistentia quid sit, opiniones variæ.

QVONIAM pro notitia attinentium ad reactionem, necessarium est prænoscere resistentium, quæ profecto cognitu est difficilis, ideo de ea mihi breuibus disserendum propono. *Quid sit resistentia.* Quæritur quid sit Resistentia? qua de re operationes quatuor sunt: vna est Petri Pomponatij: *Pomponatius.* in tractatu de Reactione, parte secunda, cap. 5. dicentis, Resistentiam non esse actionem, neque passionem, sed impedimentum quoddam, ideo inquit resistere esse impedire, vel penitus, vel in parte actionem agentis. *Victor Trincauella.* Hunc sequitur Victor Trincauella in quæstione de Reactione; Inquiunt hi, Resistentiam, & resistere, congruenter declarari per impedire, quia minus actionem denotat, quàm resistere. Hoc confirmāt per Aristotelem, qui in octauo Phys. 32. inquit, Pilam non moueri à pariete impediente, & ei resistente; similiter hoc patet, quia paries sine vlla actione impedit transitum venti, eique resistit. Insuper confirmatur: quia corpus non mouet aliud corpus, nisi moueatur, paries resistens vento, & Pilæ non mouentur, quare non agit, & mouet. *Euersio.* Hanc opinionem apprimè dubiam puto, cum enim dicant resistere esse impedire, adhuc remanet dubitatio, quidnam sit impedire, num actio, vel passio? nam verba vel actionem, vel passionem denotant, nec verbum datur, quod alterum horum non significet. Præterea, impedire, vel originem ducit ex materia, vel ex forma, siue quod idem est, vel ortum ducit ex actu, vel ex potentia, si ex forma, & actu, erit actio, si ex potentia & materia, passio erit,

Confir-

Confirmatur: quia impedire vel est actus primus, vel secundus, non primus, non enim est forma aliqua & finis alicuius generationis, sed est actus secundus, qui secundus actus, vel passio, vel actio quædam esse debet, præsertim tamen actio. At dicet aliquis, impedire actionem, non est agere, sed actioni obsistere, & eam euertere. Hoc nullius est roboris; quia agendo repellimus actionem aduersam, eique obsistimus, vt vno contrario repellitur alterum. Confirmatur: quia omnis facultas, vel est agens, vel patiens, ea resistentis, est facultas quædam, ac potentia; ideo vel est agens, vel patiens, alia facultas tertia, quæ neutrum sit, non reperitur. At confirmabatur aduersa opinio per Aristotelem, in 8. Phys. 31. dicentem, pilam non moueri à pariete resistente. Respondeo, Aristotelem non negare parietem nullo pacto mouere, sed solum primo, & per se, inquit enim: Qui remouet impedimentum, est vt moueat, est autem vt non, vt qui columnam euulsit, aut qui lapidem remouet ab vtre detinentem illum, secundum accidens enim mouet, vt repercussa Pila non à pariete, sed à proijciente mota est, &c. Constat Aristotelem concedere, quod moueat ex accidenti, nam proijciẽs pilam, eam mouet, dum repercutitur per intermedium parietem. Addebatur, parietem sine actione prohibere transitum venti, & non posse mouere, nisi moueatur. Respondeo, id esse verum de mouente primo, & per se, non de mouente ex accidenti, nam quod paries agat in pilam, & ventum, ex eo patet, quia si pila fuerit vitrea, frangitur, insuper agit, quia est principium quietis, remouẽs transitum, & actionem alterius. Altera opinio est, quod resistere sit pati: nam quod opponitur agenti, ab eo patitur resistens, opponitur agenti, quare patitur. Hæc opinio deterior est priore, quoniam omnis passio ortum ducit ex materia, resistentia oritur ex aliquo actu opposito. Præterea repellere à se passionem, & pati, opponuntur, resistere est repellere à se passionem, non itaque resistere est pati, nam vnumquodque quatenus resistit, eatenus non patitur. Demum si resistere esset pati, id quod maximè esset aptum pati, maxime resisteret, quod falsum est, materia enim cum maxime sit apta, pati nihil resistit. At dicebatur, quod opponitur agenti patitur, dico, quod opponitur agenti recipiendo eius actionem, patitur, at non quod repellit eam. Tertia opinio est quorundam, dicentium resistentiam esse Qualitatem de secunda specie, nam pro secunda specie, Qualitatis numeratur potentia, & impotentia resistentia est impotentia ad patiendum, & potentia ad obsistendum. Quæ opinio etiam non est vera, quia aliud est loqui de actu secundo, aliud de primo, potentia & impotentia sunt formæ, & primi actus, dubitatio est de actu secundo, prodeunte ex primo, aliud est loqui de principio, ex quo prodit resistentia, & loqui de actu resistẽtiæ. Ideo inquiunt alij, Resistere dupliciter vsurpari, vel pro resistentia Animalium, vel pro ea inanimorum. Resistentia Animalium denotat nixum, conatum, & intentionem neruorum, ac musculorum, quæ actio est. Resistentia vero inanimorum nil aliud est, nisi potentia vel impotentia ad patiendum, pertinens ad secundam speciem Qualitatis. Hæc opinio leuissima est, primo, quia vterque ille resistendi modus, cum animalibus, tum inanimis competit. Veluti dum ignis suo calore actionem frigoris repellit, tunc non secus ac Animal intentis neruis, suo contrario resistit. Similiter in viuentibus repellitur potentia, & impotentia ad patiendum, veluti Animalium ea, quæ sunt densioris cutis magis lædentibus, & aeri ambienti resistunt. Insuper, vt dixi, dubitatio est de actu secundo, non de facultate, & actu primo.

Instãtia. *Solutio.* *Diluuntur rationes aduersæ.* *Opinio 2.* *Euersio.* *3.* *Euersio.* *4.* *Euersio.*

CAP. XVIII.

Quid sit resistentia, Opinio propria.

Diuisio resistentiæ. VT pateat, quid sit resistentia, accipiendum primo, Resistentiam vel attinere ad Animam, vel ad Corpora; Resistentia ad Animam pertinens, vel attinet ad cognitionem, vel ad actionem, si ad cognitionem, ita aduersis rationibus disputando resistimus opinioni alterius, si ad actionem, per hanc dicimur & tentationibus, constantia resistere, & duro corde inspirationibus; si Resistentia attinet ad Corpora, ea vel est spiritalis, vel materiata, si spiritalis, ita dicimus opacum resistere radiis lucidi, & actionibus visibilium; si materiata, ea est triplex, prima est resistentia sumpta pro repugnantia ex natura, & conditione rei, ob quam resistentiam dicimus lapidem in vacuo non moueri momento, quia repugnat, vt idem corpus simul sit in locis distinctis, & in eodem loco, simul sit principium, medium, & finis eius: hoc resistentiæ genus à nonnullis conceditur, ab aliis reijcitur, qua de re disserui in cõsideratione motus grauium, & leuium: at quia hæc non propriè est resistentia, nec ad rem facit, ideo dimittitur. Altera resistentia competens Corporibus natura constantibus, ea est, quæ consurgit ex Qualitatibus rectè subiectum disponentibus pro repellenda actione agentis, veluti durum dicitur resistere secanti. Tertium genus resistentiæ consurgit ex actione Qualitatis repellentis, vel minuentis contrarium suum, secunda dici potest resistentia priuatiua, hoc est, minuens actionem agentis, vel penitus illam repellens, altera positiua, hoc est minuens vires agentis. Secunda potest seruari sine eo, quod agens repatiatur, tertia nequaquam, ideo secunda locum habet in motu Cœli, non tertia.; Secunda magis propriè, tertia minus dicitur resistentia. *Exemplũ duplicis resistentiæ.* Exemplum vtriusque est Miles, lorica, & clypeo inimico resistit, resistentia secundi generis, ense verò ei resistit, minuendo vires illius, resistentia tertij generis. Et cum multiplex sit resistentia, hi soli duo postremi modi sunt præsentis considerationis, nam cæteræ sunt resistentiæ per Metaphoram dictæ. *Rebus per naturam duo competunt.* Insuper, secundo considerandum est, rebus per naturam duo competere, primum, vt se pro facultate tueantur; alterum, vt simile procreent. Ob primum resistunt aduersis, ob alterum agunt in ea, & quamuis agendo aliquando resistant, & resistendo etiam agant, tamen semper distinguuntur ratione, & instituto. *Quid primo expetatur.* At quæritur, quid primo, & præsertim forma expetat, num resistere, & se conseruare, vel agere, & procreare simile? Cui difficultati breuibus respondens, dico, institutum esse duplex, vel vniuersæ naturæ, vel naturæ propriæ, si inspicimus naturam vniuersam per hanc formam vt directa ab vniuersa natura, & pars eius, primo expetit finem communem, vlteriorem, & præstantiorem, nempe procreare simile, & conseruare speciem, ac per appetitum, & institutum proprium, expetit finem, & bonum proprium, nempe salutem, & conseruationem sui. *Resistentia oritur ex actu.* Accipio tertio, resistentiam, vel secundo, vel tertio modo sumptam, semper ortum ducere ex aliquo actu, id enim quod penitus est potestate, & quatenus est potestate, non resistit, vt patet de prima materia, & iure profecto, resistere enim est pugnare, opponi, aduersari, repellere, quod non ex potestate, sed ex aliquo actu ortum ducit. *Resolutio principalis difficultatis.* His præassumptis, dum quæritur, quid sit resistentia? Dico Resistentiã omnem, vel secundo, vel tertio modo sumptam, pro absoluto esse actionem, differre tamen ab ea ratione, & instituto. Quod sit actio, patet, quoniã id, quod prodit ex forma, actio est, resistẽtia ex actu, & forma prodit, quare, &c. Insuper resistere, opponi, & pugnare, ad actionẽ pertinet.

Quod sit distincta ratione, constat ex dictis, dicitur enim resistentia, vt refertur ad suæ dispositionis conseruationem, vt verò refertur ad productionem similis, dicitur actio. Resistentia ab aliis vario modo definitur: ego ita definiendam puto. Resistentia est pugna patientis cum agente, ex oppositione prodiens, vt agentis actionem pro facultate repellat, pro suæ constitutionis conseruatione. Et considerandum quod quamuis omnis resistentia sit actio, non tamen contra, omnis actio est resistentia, nam resistentia præsupponit semper quandam antecedentem actionem, quæ antecedens actio, resistentia non est, adeo vt resistentia sub ratione resistentiæ dicatur posterior origine, non tempore, actione principali, cuius est resistentia. *Definitio.*

CAP. XIX.

Dubia aduersus ea, quæ de Resistentia dicta sunt.

VT ea, quę de resistentia dicta sunt, clariora reddantur, difficultates nonnul-
læ è medio tollendæ sunt. Quæritur primo, cum resistentia sit actio, num *Proponū-*
Qualitates quantum agunt, tantum resistant. Dubitatur secundo, quia si resi- *tur dubia*
stentia esset actio, tunc vel daretur agens sine patiente, vel Intelligentiæ mo-
uentes Cœlum, paterentur: cōsequentia deducitur, quia Cœlum cum moueatur
certa quadam, & definita velocitate, etiam dicitur resistere, quæ resistentia
si est actio, vel caret patiente, vel Intelligentia patietur, cum aliud pro patiente
assignari non possit. Præterea, omnis actio prodit ex potentia agente, potentia
agens est principium transmutandi aliud, at resistens non permutat aliud, sed
impedit ne permutetur ab alio. Pro solutione harum, & consimilium difficulta-
tum, considerandum primo est, actiones, & resistentias per nouem præsertim *Actiones*
variari posse, primo per varietatem naturæ Qualitatis, veluti calor maxime agit, *& resistē-*
humor minus, pro sui similis productione. Secundo, variari possunt per varie- *tias per*
tatem extensionis, nam maius vehementius agit, & resistit. Tertio, per varie- *nouem*
tatem rari, & densi. Quarto per varietatem moti, & quiescentis, vt aqua calida *variare*
agitata digito magis calefacit. Quinto per varietatem temporis, nam longiori *contin-* *git, & 1.*
tempore maior fit actio. Sexto per coniunctionem vel secretionem partium a- 2.
gentis, partes enim iunctæ potentius operantur. Septimo per varietatem di- 3.
stantiæ agentis, & patientis. Octauo per varietatem medij. Nono per varieta- 4. 5.
tem Qualitatum connexarum. Considerandum secundo, Qualitates quo sunt 6.
præstantiores, magisque præseferentes formam, eo magis agere pro sui similis 7.
productione, hoc enim principalissimum est, & naturæ maxime cōsentaneum, 8.
minus autem disponunt Subiectum pro sui conseruatione, & hoc patet primo 9.
de calido, secundo de frigido. Ex aduerso, Qualitates quo magis sunt materia- *Qualita-*
tæ, vt humiditas, & siccitas, quæ relatæ ad reliquas, gerunt materiæ vices, eo *tes præstā-*
magis agunt, & disponunt Subiectum pro sui conseruatione. His præassumtis, *tiores ma-* *gis agunt*
me conferens ad difficultatum solutionem, quærebatur primo, num Qualitas *pro sui pro-*
quantum agit, tantum resistat? Respondeo, Qualitas quantum agit pro sui con- *pagatio-* *ne.*
seruatione, tantum resistit, non autem quantum agit pro similis productione, *Nū Qua-*
vel quod idem est, Qualitas quantum agit priuatione, tantū resistit, non quan- *litas quā-*
tum agit positiue, tantum resistit priuatiue, ita seruatur Qualitatum quasdam *tum agit,*
magis agere quam resistere, alias minus. Instabatur secundo, quia si resistentia *tantum*
esset actio, vel daretur agens sine patiente, vel intelligentiæ mouentes Cœlum *resistat.*
paterentur. Respondeo, ea quæ dixi, præsertim, & proprie debere intelligi de *Solutio 2.*
actione primarum Qualitatum, de qua est sermo. Addo secundo, Cœlum esse

Corpus actu, & resistere per actum suum, quæ tamen cum non sit per contrarietatem, non est propria resistentia, sed solum late sumpta, non enim Cœlum mobile formam includit motori oppositam. Dico tertio, eam late sumptam resistentiam, esse actionem quandam priuatiuam, quatenus per eam minuitur velocitas motus, & conseruatur resistens in sua constitutione. Instabatur tertio, *Solutio 3.* quia agens est principium transmutandi aliud. Respondeo, agens definitur per esse principium motus, vel quietis, ita natura terræ est principium efficiens quietis eius. Resistentia Cœli, est actio; primo vt minuens actionem; secundo vt seruans in parte suam dispositionem. Definitio tamen principii efficientis primo, & propriè de principali intelligi debet, de resistentia Cœli non propriè, cum etiam non sit propriè actio.

Cap. XX.

An omne agens agendo repatiatur.

SÆPE asseritur ab Arist. motores Physicos quorum communis est materia, mouendo moueri, agendo repati, veluti in secundo Phys. 71. & 73. in tertio Phys. 8. in primo de Ortu, & inter. 53. & 54. in quarto de Gener. Anim. cap. 3. & alibi. Quæ sententia quoniam per varias instantias redditur obscura, ideo pro eius elucidatione proponitur consideranda. Qua de re disputaturus, expli- *Ordo seruandus.* cabo primo attinentia ad notitiā difficultatis. Referam secundo opiniones nonnullas. Tertio opinionem meam patefaciam. Demum dubia soluam. Pro notitia propositæ difficultatis, accipio primo Actionis nomen quatrupliciter vsurpari, primo, vt actio contradistinguitur ab affectione, ex Sexto Moralium Ni- *Actionis nomen quadrupliciter vsurpatur.* comachiorum; secundo, vt dicitur de actione Qualitatum ad tertiam speciem attinentium, constituente alterationem; tertio, vt extenditur ad omnem materiatum motum, & mutationum; quarto, vt etiam extenditur ad actiones spirituales, quas Philosophus in secundo de Anima, 57. perfectiones nuncupat. Nomen actionis in hac difficultate non in prima, nec in quarta significatione vsurpatur, non enim ad rem faciunt, sed in secunda & tertia, in qua significatione à Philosopho ea sententia profertur: agens agendo repati. Accipio secundo, a- *Aliud moueri & cōtramouere.* liud esse motorem moueri, & contramoueri, nam motor corporeus non mouet nisi moueatur, non tamen semper contramouetur ab eo quod mouet, vt patet de Cœlo mouente mortalia. Addo tertio, motorem esse duplicem, vnum pro- *Motor duplex.* ximum, alterum remotum. Dubitatio est de proximo qui etiam est duplex, vel secundum se, vel ex accidenti; Dubitatio est de motore secūdum se, nam ea sunt consideranda, quæ sunt secundum se. Dico quarto, motorem proximū & secundum se, vel habere cum mobili communem materiam, vel non: quod non habet *Conclusio.* communem materiam non repatitur. Dubitatio itaq; est, an omne mouēs proximum & secundum se, habens materiam communem, dum mouet motu ma- *Dubia.* teriato & corporeo, necessario contramoueatur. Ea quæ præcipuè sententiam hanc reddunt dubiam, hæc sunt: primo cœlestes orbes communem inter se habent materiam, & tamen superior mouens inferiorem non contramouetur. Præterea, si mouens contramoueretur, hæc sequerentur absurda, primo actio prodiret ex proportione minoris inæqualitatis, quod aduersatur Arist. in septimo Phys. & idem relatum ad idem, superaret, & superaretur. Insuper, idem moueretur motibus contrariis, nempe medium, & extremæ partes mouentis. Præterea, agens nunquam posset reddere sibi simile patiens, quia si repateretur, re-

mittere-

mitteretur,& redderetur debilius; Tertio experimenta varia videntur oppositum patefacere: primo augens non augetur, ferens non fertur, proiiciens non proiicitur. Lapis Herculeus trahens ferrum, nō trahitur, interficiens, non interficitur, generans, non gignitur, gutta vini, & scintilla Ignis patiuntur à magna aquæ portione, & non agunt. Insuper, agens valens operari per distantiam quatuor pedum, non repatitur ab eo quod solum per distantiam duorum pedum operari valet, dum magis quam per duos pedes distant. Demum dubitatur, quia dictum est, sententiam non esse veram de agente spiritali, & de eo quod non habet communem materiam; At de actione spiritali inquit Pomponatius, oculus vnus videt alterum, & econtrario, videtur ab eo, manus vna frigida iudicat alteram calidam, & iudicatur ab ea, duo amici mutuo occursu inuicem se lætitia afficiunt, Lupus videns agnum lætatur, & vice versa, tristatur agnus. Addit Ludou. Boccaf. Per speculum oculus dexter videt sinistrum, & vice versa, ab eo videtur; Addo ego, radios spiritales, nec non spiritales actiones visibilium ab opaco repati, & repercuti. Demum quod sit verum esse de his, quæ non habent communem materiam, ita ostendo: omnis Resistentia est Reactio, omnis motus est cum Resistentia, quare omnis motus est cum Reactione. Maior patet ex declaratis in præcedentibus.

Cap. XXI.

An agens repatiatur, Opiniones aliorum.

DE proposita difficultate variæ sunt opiniones, ego principaliores referam. Calculator, cui veteres accuratam nauabant operam, variis Conclusionibus difficultati respondebat, quarum duæ potiores hæ sunt; Datur Reactio in Qualitatibus alterantibus, non per eandem contrarietatem, sed per distinctam, vt ignis agens in aquam per calorem, repatitur per humorem. Insuper, si Reactio appareat per eandem contrarietatem, id vel est ex accidenti, vel non per easdem partes agentis & patientis: ex accidenti quatenus Ignis agens in Aquam per calorem, repatitur per humorem, quem sequitur remissio caloris. Hæc opinio aduersatur experientiæ, rationi, & authoritati. Primo experientiæ, inspicimus enim dum aqua feruens cum frigida miscetur, quæ solo calore, & frigore opponuntur, vtrasque partes remitti, contemperari, & ad mediocritatem redigi, quare datur Reactio per eandem contrarietatem, easdem partes, & secūdum se. Similiter, dum manus duæ vna frigida, altera calidā inuicem agunt, & se contemperant. Aduersatur rationi: quia contrarium per naturam & secundum se in suum cōtrarium dum fuerit præsens, operatur, omne enim agens agit in contrarium, & à contrario patitur. Præterea, quotiescunque duo inuicem agunt, non per eandem contrarietatem, vel partem, non dicuntur agendo repati, dum enim dicimus agens repati, indicamus idipsum repati, quod agit, & per eandem formam, & præsertim, quia dum passio non est à contrario, dicitur ex accidenti; vt patet ex primo Phys. 74. Similiter dum est per partem, id autem quod est ex accidente, non includitur in regulis; Et confirmatur: quia quamuis Cœli (vt ait Simplicius) mutuo sibi munera impartiantur, non ob id repati dicuntur. Demum, aduersatur authoritati: nam inquit Arist. in quarto de Gener. Anim. ca. 3. Causa vt motus soluatur est, quia omne agens patitur à patiente, vt quod secat, hebetatur ab eo quod secatur, quod calefacit, refrigeratur à calescente, denique

Opinio Calculatoris.

Euersio.

omne mouens, excepto primo, mutuo mouetur aliquo motu, vt quod pellit, pellitur quodammodo, quod premit, premitur; interdum etiam fit, vt quod agit, magis patiatur, quam agat, & refrigeretur quod calefacit, calefcat quod refrigerat, &c. Conspicue Philosophus per eandem contrarietatem, & partes concedit Reactionem, quod patet in agentibus, & patientibus vna sola contrarietate oppositis, vt aere, & igne, quæ secũdum omnem partem se mutuo remittunt.

2. Opinio. Altera opinio celebris est Marsilii, Pauli Veneti, Alberti de Saxonia, Caietani, Iacobi Foroliuiensis, & multorum aliorum, qui inquiunt, quatuor primas Qualitates non ęque agere, & resistere, sed ordinem actionis opponi ordini resistentiæ, calor enim maxime agit. Secundo, frigus, tertio, humor, quarto, siccitas.

Dissensio. De resistentia contra se habet: nam siccitas maxime resistit, secundo, humor, tertio, frigus, quarto, calor. Hi de hoc primo fundamento consentiunt, dissentiunt autem, quatenus quidam aiunt, Qualitatem omnem magis agere, quam resistere, alii id negant, & inquiunt, duas magis resistere, quam agere, nempe siccitatem, & humiditatem, reliquas magis agere, quam resistere, & latitudinem resistentiæ æquari latitudini actionis: addunt id natura factum fuisse ob recompensationem, vt si quid cito ageret, & reficeretur, cito etiam ob exiguã resistentiam periret. Hinc aiunt Medici, deterius esse, labi in siccitatem, quam humiditatem, quia siccitas ob resistentiam, cum difficultate vincitur & contemperatur. His iactis fundamentis, respondentes difficultati, inquiunt, actionem semper prodire ex proportione maioris inæqualitatis virtutis agentis, ad resistentiam: ita ignis quamuis maxime agat, tamen repatitur, quia parum resistit, at si efficiens aliquando ita superat patiens resistendo, vt agendo, tunc agendo non repatitur.

Euersio. Hæc etiam opinio approbanda non videtur, primo, quia non seruat regulam Arist. vniuersalem, quod omne agens proximum habens materiam cõmunem, repatiatur, veluti dum superat actione, & resistẽtia. Arist. autem eam profert vniuersalem, & quod ita intelligi debeat ostenditur, quia inquit in quarto de Gen. Animalium, cap. 3. motum ob id solui, quia agens repatitur, at hoc est commune omnibus. Præterea per eam opinionem passio cum resistentia confunditur, & quod pertinet ad materiam, tribuitur formæ, omnis actio prodit ex forma, passio vero ex materia, ideo si patiens patitur, id non habet ex vna vel altera Qualitate, sed ex materia. Hinc Arist. in cont. 55. primi de Ortu, & interitu, dixit: Si Qualitates essent à materia solutæ, non paterentur. Et in cont. 43. asseruit, nisi essent ex vno omnia, hoc est, nisi haberent communem materiam, non inuicem agerent, & paterentur. Præterea experientia constat, sæpe agens non superare resistentiam, & tamen agere pro facultate, vt si niterer euellere columnam, vel prosternere pinum, agerem profecto, at non superarem. Præterea, asserere omnium quatuor primarum Qualitatum resistẽtiam esse minorem actione, aduersatur sensibus, multa enim sicca inueniuntur obscure agentia, & vehementer resistẽtia, vt Ferrum, Adamas, & similia, si dicimus cum aliis, latitudinem resistentiæ æquari latitudini actionis, præter id quod (vt dixi) experientiæ aduersamur, etiam in maiora labimur absurda. Primo sequetur, quod cum siccitas sit summæ resistens, humiditas non summe agens, siccitas per nullam humiditatẽ vincetur, neq; etiam si esset summe agens, quoniam nunquam superaret resistentiã summam, æqualem summæ actionis. Similiter contra, cum humor ex horum sententia magis resistat, quam agat, & magis agat, quam siccitas, sequitur, vt magis resistat quam siccitas, & propterea à sicco nunquam poterit permutari, & pati, quod experientiæ aduersatur; Neque absolute dicendum, Qualitatũ duas magis agere,

agere, duas magis resistere, sed considerando actionem pro sui conseruatione, dicendum est, omnes æque agere, & resistere. Insuper addẽdum, resistentia priuatiua siccum, & humidum, positiua vero, calidum, & frigidum magis resistere.

Cap. XXII.

De Reactione, opinio propria.

CVm relatæ opiniones apparuerint minus veræ, prætermissa aliarum opinionum relatione, dico cum Arist. in 3. Phys. 8. nec non in primo de Ortu, & interitu, 77. Composita agentia, & patientia, ex duobus constare, ex forma nimirum & materia, siue ex actu, & potentia, eaque per formam, & actum agere, per materiam, & potentiam pati, nec aliam præter hanc esse assignandam rationem, cur agantur, & patiantur. Addo secundo, quod aliud est agere, aliud vincere, & superare. Similiter, aliud est pati, aliud vinci, & superari, vnumquodque per formam aptum est agere, si fuerit forma agens, & per materiam aptum est pati, non tamen vnumquodque est aptum aliud vincere, & superare, nisi adsit ratio maioris inæqualitatis; sic etiam formica agit in columnam, quamuis eam non superet, nunquam forma remouet passionem à materia, sed solam valet remouere victoriam. Pro huius confirmatione locus est pulcherrimus in vndecima parte Prob. 28. quærit Philosophus cur quædam obstrepunt, mouenturque subito, vt Archæ, quæ nullo mouente, quod sensu percipiatur, crepant: sic Aere insensibili omnia corrumpuntur, quæ tempore pereunt. An simile est hoc guttis, & lapidibus, quas Plantæ emergentes attollunt: nam ab insensibili actio sensibilis prodit, adeo vt fateatur Aristot. quoduis forma præditum posse agere in quoduis præditum materia, non tamen semper vincere: ac ita explicatur eius sententia, dum inquit, mouens debere vincere, vt legitur in secundo Phys. & in quarto Metheororũ, cont. 10. Confirmatur idipsum per Aristotelem in calce primi de Ortu, & interitu, 89. dicentem: Quando miscibilia potestatib. æquantur quodammodo, tunc transmutatur vtrumque in dominans sui ipsius natura, nec fit alterum, sed intermedium, & cõmune, adeo vt quamuis alterum vincat, tamen ipsum quoque patitur ratione suæ materiæ; Accipio tertio, actionem agentis esse duplicem, vnam primam, alteram secundam, sequentem primam, vt Sol illuminat, & calefacit, Cœlum mouet, & calefacit: Torpedo agitat Rete, & stupore afficit manum piscatoris; Dum dicimus agens non agere in extremum, nisi agat in medium, ac insuper agendo repati, id verum est, & intelligi debet de actione prima, non de sequente primam, quia secunda actio non sequitur primam, nisi in Subiecto apto ad eam recipiendam. Addo insuper, actionem primam semper esse, vel lationem, vel alterationem, nam cæteræ semper has præsupponunt. Ideo Plato in Parmenide, & post Platonem Galenus, duos dixere esse motus, lationem, & alterationem, nam considerarunt simplices, & ideo in his consideratur Reactio, non in aliis. Considero demum, quod cum dicatur siccum maxime resistere resistentia priuatiua, id non omni ex parte verum esse: nam priuatio minus resistit formæ, quam forma priuationi, siccitas comparata cum humore obtinet locum priuationis, quare minus resistit. Confirmatur experiẽtia, nam linum siccum cito, & facile mersum in aqua humectatur, non autem ita facile cum fuerit humectatum desiccatur; quod si multa sicca diu seruantur illæsa, id accidit, quia densa, & dura sunt, & maxime resistunt secanti, non autem humectãti, dum humor meare potest per partes eorum. Instantia

Primum assumptum. *Alterum assumptum.* *Sententia Aristot.* *Assumentum tertium.* *Quomodo duo simul motus.*

de Hectico ad rem non facit, quia non est difficile Hecticum vt siccum humectare, sed difficile est reficere, ac restaurare humorem radicalem, & viuenti consentaneum. Colligo itaque, omne agens proximum, per se habens materiam communem agendo actione corporea, ita repati, vt vel contra moueatur, vel disponatur pro opposita Qualitate, & passione.

Conclusio.

Cap. XXIII.

Diluuntur rationes aduersæ.

De Cælorum actione.

SVPERSVNT diluendæ rationes aduersæ, prima instantia sumebatur ex orbibus Cœli communem inter se materiam habentibus, & non repatientibus, diluitur per tria fundamenta, primum est in Cœlo non reperiri veram materiam, quæ origo est passionis, per quam res possunt esse & non esse. Alterum est, quod etiam considerando materiam competentem orbib. Cœli, illa non penitus & vniuoce est eadem, sed solum ordine quodam, & ab vno. Tertium est, quod veram nō puto communem sententiam, orbes inferiores duci, & rapi à superioribus, vt loquens de Cœlo patefeci, sed intelligentia propria Orbis, vt cupiens assimilari superiori motori, mouet motu consimili ei, quo mouet superior. Instabatur secundo, ducendo ad varia absurda. & primo, quia prodiret actio ex proportione minoris inæqualitatis. Respondeo, actio cum victoria exposcit maiorem inæqualitatem, at sine victoria eam non exposcit. Sat enim est conditio patientis, ex materia, & potentia prodiens. At instatur: quia etiam potentius aliquando à debiliore superatur, vt lapis à gutta. Respondeo, dum id accidit, non esse comparandam guttam vna cum lapide, sed guttas omnes singulatim cadentes cum eo, ita enim ex multis modicis, fit vnum satis. Hoc in loco considerandum est, quod Galenus in quinto de Simplicium medicamentorum facultat. cap. 5. inquit; quæ à frigore pariter, & siccitate induruere, ea excalefacere pariter, & madefacere expedit, nam sicut pus mouentia, calore, & humiditate secundum naturam contemperatis, sed tanto expedit medicamen esse calidius quanto exuperauit frigiditas, tantoque humidius quanto & vicit siccitas: Ita Galenus inquit, medelam debere fieri per contrarium æquale secundum gradum; Nonnulli damnant Galenum, dicentes deberi fieri per contrarium potentius, quia ab æquali non prodit actio, sed errant; quia ab æquali prodit actio cum temperamento, vt dixit Aristoteles in primo de Ortu, & interitu, 89. imo nedum ab æquali, sed etiam à minori actio prodit, vt patuit; Sententia est Auerrois, in quarto Metheororum, cont. decimo. Si Elementa haberent Qualitates summas, non temperarentur, & admiscerentur, nam si potentiæ essent æquales, non ageret vna in alteram sibi parem; Laborarunt asseclæ Auerrois pro eo defendendo. Dixit Zimara eam sententiam debere intelligi de æqualitate, non in gradu, sed in actione, & resistentia. Quæ explicatio vera non est; Primo, quia etiam dum resistentia est maior, agens repatitur. Secundo, quia Auerroes eo loci non de resistentia, sed de gradu Qualitatum loquitur, nam inquit non inueniri in Elementis duas Qualitates in fine, Qualitas dicitur in fine, dum est in gradu supremo. Confirmatur: quia Auerr. caliditatem aeris negat esse in fine, sed eam ignis, id ipsum de humore aeris, & aquæ affirmat: similiter, siccitatem ignis negat esse in fine, cum tamen asseclæ eius asserant summe resistere. Quare dicendum, absolute puto, sententiam Auerrois veram non esse; addo, errorem prodiisse ex deprauatione sui contextus, cum enim Aristoteles dicat

Solutio 2.

Galenus.

Euersio quorundam.

Sententia Auerr. non vera.

dicat: Nec putrescit id quod congelatum est, nam magis frigidum est, quam aer calidus, ideo non vincitur, id autem quod mouet, vincit, &c. Verba contextus Auerrois hæc sunt: Et frigiditas aquæ est maior quam calor aeris, & intensior, ideo admiscetur aer cum aqua, & temperatur: at si essent pares, & æque potentes, ac æquarentur, non admiscerentur, nec temperarentur, &c. ob hæc deprauata verba fuit coactus Auerroes errare, & id non fecit sine suspitione erroris, ideo in principio sui Com. dixit, & vult dicere vt mihi videtur, &c. indicans se dubium. Deducebatur ad aliud absurdum, quia idem moueretur motibus contrariis, inquiunt nonnulli ea contraria recipi in medio, non intrinsecus, sed satis extrinsecus, ideo vt ea quæ spiritaliter deferuntur per medium possunt esse in eadem parte medii, ita & hæc. Quæ solutio est falsa: quia accidentia necessario sunt in Subiecto, in eodem autem Subiecto, nullo modo possunt inesse contraria; Quare dicamus, in Reactione Qualitates contrarias, vel recipi in distincta parte medii, vel si in eadem parte recipiuntur, in ea recipiuntur cum remissione, & de his se habet, vt de aere agitato à contrariis ventis. Addebatur insuper, quod agens nunquam redderet patiens sibi simile. Respondeo, id non sequi, tum quia agens non semper superatur, & remittitur in gradu, sed frequenter solum disponitur: tum insuper, quia quamuis partes proximæ patienti remittantur, tamen à distantioribus, & connexis reficiuntur. Instabatur tertio, quia augens non augetur, ferens non fertur, generans non generatur: patet responsio, per id quod dixi veram esse sententiam de motu primo, non de cõsequente, ferens deferendo & eleuando onus, deprimitur ab onere, generans per Qualitates alterantes, repatitur per eas; Afferebatur instantia de scintilla ignis, & gutta vini in mare proiecta, Philoponus com. 35. primi de Ortu, & interitu, & cum eo Ludouicus Boccaf. aiunt, non agere ob paruitatem, at contra ita non seruant regulam vniuersalem; Insuper aduersantur Aristoteli dicenti, etiam ab insensilibus inferri passionem. Quare dicamus, ea exigua patum, & insensibiliter agere, & nisi remittant, saltem in parte disponunt partes proximas, quas tangunt. Afferebatur instantia de agente per distantiam quatuor pedum in patiens, valens agere solum per distantiam duorum; Respondeo, actionem, & repassionem seruari, & considerari in ea parte medii per quam fit contactus, omne enim agens agit per contactum. Insuper instabatur, quia Lapis Herculeus trahit ferrum, & non repatitur, Ambra similiter trahit paleas. Respondet Lud. Boccaf. eos lapides spiritaliter operari, ideo non repati; Idipsum videtur dicere Alexander secundo nat. qq. c. 24. inquit enim, Herculeum lapidẽ ad se trahere ferrum, vt Obiectum optabile. Hæc solutio non est approbanda, tum quia actio spiritalis non efficit per se motum corporeum, qualis enim est actio, talis est motus ex ea prodiens; tum insuper, quia nil in eis assignari potest, quod spiritaliter agat, nec apparet, quæ nam sit ea spiritalis actio. Dicamus itaque, lapidem operari per formam suæ substantiæ, vt per principium effectionis, per temperamentum, & Qualitates alterantes, vt per instrumentum, quæ cum alterent medium, & ferrum, etiam repatiuntur, & sensim minuuntur: hinc ferrum magnum, vel nimium distans, non valet trahere, & si alleo lapis illiniatur, quia permutatur temperamentum, non trahit ferrum. Instabatur deinde, quia etiam de actione spiritali regula videtur vera. Pro solutione animaduertendum in actione spiritali tria considerari posse, primo motionem factam ab Obiecto, secundo iudicium Obiecti, tertio affectionem ex iudicio prodeuntem. Si consideramus motionem factã ab Obiecto per actionem spiritalem, in ea reperitur non propria repassio à contrario,

Vitatur aliud absurdum.

Aliud absurdum vitatur.

Diluitur 3. instantia.

Philoponus.

Lud. Boc.

Instantia de Lapide Herculeo.

De actione spiritali.

sed sola repercussio; ita radii solis, & actiones rerum visibilium à speculo repercutiuntur, hæc solum seruat imaginem repassionis, quatenus percutiendo repercutiuntur, vt pila à pariete, non tamen ita repatiuntur, vt lucidum obscuretur, album denigretur. Secundo, si consideramus iudicium, in eo non est repassio, quia est sola perfectio, non transmutatio cum materia: si consideramus affectiones sequentes iudicium, ita iudicia varia, rerum variarum, vel congruentium, vel aduersarum, variæ in variis sequuntur affectiones sine vlla connexione, & repassione, non enim Lætitia vnius agens in aliud, repatitur, & minuitur, & sic de cæteris. Dubitabatur demum, quia omnis Resistentia est Reactio, omnis motus est cum Resistentia, igitur omnis est cum Reactione; Respondeo, omnem motum esse cum Reactione vel positiua, qua patitur mouens, vel priuatiua, qua minuitur actio eius & in tempore efficitur: regula est de repassione agentis, non de diminutione actionis. Sed pulchra est dubitatio de Elemẽtis, quæ cum moueantur & agant in medium, nedum agendo non repatiuntur, & minuuntur, verum potentia perficiuntur, & crescit eorum vis, ob quam quo diutius mouentur, eo feruntur velocius. Respondeo, in motu grauium considerari Reactionem quatenus grauia, & leuia agẽdo in medium, ita repatiuntur, vt minuatur velocitas motus, & quo mediũ fuerit densius, eo magis minuatur, & id quod mouet diuidendo medium, etiam repatitur, quod si eueniat, vt motus reddatur velocior, id est ex accidenti, vel quia quo magis mouentur grauia, & leuia, eo vehementius à tergo repellantur, vel quia per accessum ad suum locum extrinsecus, modo aliquo perficiuntur.

Diluitur postrema instantia

Dubitatio de Elementis.

Solutio.

CAP. XXIIII.

Quomodo per actionem efficientis gignatur compositum, & educatur forma, opiniones aliorum.

QVONIAM agens propterea agit, vt formam educat, quæ est finis motus, & compositum constituit, ideo vt considerationi actionis congruentem imponamus finem, de hoc eius fine tenemur verba facere, de quo non leuis est dubitatio. Pro cuius notitia considerandum primo, quinque præsertim esse modos generationis rerum. Primus est per communicationem, quo dicimus Deum patrem, generare filium, & ambos simul spirare spiritum sanctum. Alter est per creationem quo ex nihilo nouum aliquid fit. Tertius per spiritalem propagationem, & imitationem, quo ait Philosophus in 3. de Anima, Hominem per Animam fieri omnia. Quartus per Physicam generationem. Quintus per generationem artificiosam, & violentam. De primis tribus non est sermo, non enim sunt præsentis considerationis, sed de reliquis, & præsertim de generatione Physica agendum est; De qua opiniones veterum variæ fuerunt, nõ enim apparet quomodo forma, quæ non præfuit, ex non esse, transferatur ad esse, ideo dixere nonnulli, vt Democritus, Leucippus, & Epicurus, generationem, & interitum nil esse aliud, nisi connexionem atomorum & seiunctionem. Vel vt Empedocles existimauit, connexionem & secretionem quatuor Elementorum. Alii asseruerunt, vt Anaxagoras, latere formas rerum in Chao, & materia, & per causam efficientem in apertum deduci, ac latentes manifestari. Tertio putarunt alii, vt Thales, Milesius, Diogenes, Heraclitus, & similes, generationem, & interitum nil esse aliud, nisi condensationem, & rarefactionem eius Elementi quod commune principium constituerunt. Quæ tres opiniones vt à Pla-

Quinque modi generationis.

1. 2. 3. 4. 5.

De generatione Physica.

vt à Platone primo, mox ab Aristotele reiectæ, prætermittantur. Quarta opinio fuit Platonis, qui admirabili quadam serie cuncta ex Deo prodire existimauit, insolubilique catena inuicem ligari, & in Deum redire, constituit enim pro rerum gradibus sub Deo Mentem, sub Mente Animam, sub Anima Naturam, sub Natura Materiam. Menti tribuit Ideas, Animæ Rationes, Naturæ, Semina, Materiæ, Imitationes, Vmbras, & participationes Idearum, adeo vt agens permutãdo materiam, munere seminum, imitatione quadam, & quasi vmbra, propriè Ideæ materia formetur, ac perficiatur: ita in libro de Ortu & interitu inquit Philoponus, formas induci ab Vniuersi opificio, hoc est, à serie communium causarum per causas proprias ad opus proprium contractarum. Hæc non est creatio, quia fit per semina, & cum permutatione materiæ. Cui opinioni in parte similis est opinio Auicennæ, & eorum, qui ab Intelligentia infima, quam largitricem formarum appellant, formas infundi asseruerunt, non tamen sine permutatione materiæ, & propriis seminibus, siue dispositionibus. Quæ sententiæ dubiæ sunt: nam ordo ille Idearum, & rationum reijcitur ab Aristotele ea Intelligentia, quæ formas infundat, nullibi ab eo ponitur, quæ si darentur, adhuc sententia esset dubia, quia forma, quæ producitur, est distinctæ essentiæ ab Idea, & ab intelligentia, cum vna sit æterna, & abiuncta, altera materiata, & materialis, adeo, vt adhuc remaneat eadem dubitatio, quomodo ea forma ex nihilo sui fiat. Præterea, per huiusmodi opiniones euertitur conditio propriorum efficientium, quæ est, vt simile producant, ita enim nil mortalium generaret, sed solum pro sui similis productione disponeret, ideo rectè in septimo Metaphysicæ, inquit Auerroes idem esse agens, disponens, & inducens formam, vt enim agens per accidentia valet disponere, ita per formam propriam valet simile generare. Propterea dixere alii, reperiri in materia inchoationes, & tanquam rudimenta quædam omnium formarum ne fiant ex nihilo, quæ mox ab agente postrema perfectione donarentur. Quæ etiam opinio est dubia: nam in secundo libro de Materia, inchoationes reieci, & iure profecto, quia inchoatio est quidam gradus formæ, at non omnis forma habet gradus, & recipit magis, & minus. Præterea esto, quod habeat gradus, illi non possunt esse gradus essentię, omnis enim essentia in indiuisibili est posita, & est vt numerus, quemadmodum in octauo Metaphysicæ, contex. 10. docet Aristoteles, quare erunt gradus existentię, & indiuiduales: in omni autem gradu existentiæ, vniuersa essentia includitur, ac ita non gignetur noua species, & in eadem materiæ parte species oppositæ seruabuntur, & seruabitur species sine indiuiduis eius, quæ omnia apertè cum vero pugnant. Nec defuerunt, qui eas inchoationes nil aliud esse dixerunt, nisi essentiam materiæ, adeo, vt natura, & conditio materiæ ea sit, vt sit rudimentum, & quædam inchoatio omnium formarum, quæ mox ab agente perficiatur, & ob id agens ab Auerroe in 12. Metaphysicæ 18. dicitur largiri non multitudinem, sed perfectionem. Quæ sententia etiam est dubia: quia forma, & materia sunt principia adeo distincta, & distantia, necnon conditionis adeo variæ, vt vnum non possit censeri inchoatio alterius, inchoatio enim eiusdem est conditionis, cum re cuius est inchoatio. Præterea, inchoatio non recipit aliud vt Subiectum, nec ex ea cum perfectione adueniente fit compositum, sed simplex consurgit forma, at materia recipit formam, & ex eis compositum consurgit.

Opinio Platonis. *Opinio Auicennæ.* *Euersio.* *Opinio alia.* *Euersio.* *Alia aliorum opinio.* *Euersio.*

Cap. XXIIII.

Opinio propria.

Pro Physica generatione tria requiri.

VT itaque sententiam, quam & veriorem, & principiis Peripateticorum magis consentaneam iudico, patefaciam, dico, pro Physica rerum generatione tria requiri: Commune efficiens, Commune subiectum, & efficiens proprium, quod per formam propriam, commune efficiens, communeque Subiectum ad opus proprium contrahit; agens itaq; proprium conspirante communi per primas Qualitates, vt per instrumenta permutat Subiectum, quod penitus est potestate, & facultate, ac virtute suæ formæ generat sibi simile, ad quam generationem conspirat materia, quæ subijcitur, permutatur, & sua potentia inclinat ad formam, conspirat forma agentis sua virtute, & conditione, cum enim sit actus, & quædam participatio boni, conditio boni est fœcunditas, & suimet propagatio, ideo generatio dicitur opus naturalissimum, cum prodeat ex conditione naturæ, vt est participatio boni. In hac productione non calor agentis transit in patiens, non enim forma ex materia pendens, ex vna materia transit in aliam, sed calor agentis per contactum patientis, conspirante patiente, similem generat; Hinc dicitur educi ex potestate materiæ, non quia in ea præfuerit, sed quia ab agente per Subiecti permutationem efficitur. Quod dixi de calore, intelligatur de cæteris Qualitatibus, quæ disponentes subiectum virtute agentis, sunt tanquam semen futuræ formæ substantialis, quæ gignitur. Ita patet, quomodo generatio distinguatur à creatione, quæ non exposcit permutationē Subiecti, nec facultatem agentis proprij, & dispositionem per accidentia, tanquam per semen, adeo, vt virtute proximi agentis consimilis, educatur forma cum interitu alterius, sed absolute ab agente primo induuntur: Forma autem per generationem dicitur fieri ex nihilo sui, at non ex nihilo absolute, quoniam vt contradistinguitur eius generatio à creatione, pro ea requiritur materia, ex cuius potentia modo declarato educatur. Ita soluitur dubitatio, quæ Veteres turbauit, quæ erat, si Ens fit, vel fit ex Ente, vel ex nō Ente, vt patet ex primo Phys. & primo de Ortu, & interitu. Ita in parte vera est sententia Philoponi in disputatione contra Proclum, dicentis: Omne quod fit, ex nihilo fieri, quatenus forma nil sui præsupponit. Similiter in verum sensum redigi potest sententia asserentium dari inchoationes formarum, non ponendo in materia formam corporis, ei coæternam, quæ sit inchoatio formarum, vt nonnulli existimarunt, neque in ea materia cōstituendo gradus formarum, sed solum considerando potentiam materiæ, quatenus mediat, vt dixit Auer. in primo Phys. inter non esse penitus, & esse actu: ac ita, quatenus magis ad actum accedit, quam non Ens penitus, dici potest quædam inchoatio. Demum in parte seruatur, induci formas ab Vniuersi opificio, & à largitore formarum, quatenus forma non educitur, non conspirantibus communibus causis, essentialiter ordinatis, & non educitur, nisi virtute formæ operantis, vt est quædam participatio summi boni, & capitis eorum omnium, quæ sunt, cui soli Honor & Gloria.

Distinctio generationis à creatione.

Quomodo Ens fiat.

FRAN-


FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Elementis,

LIBRI DVO:

CAP. I.

De Nomine, & conditionibus Elementi.



ELEMENTA vt ſuo ordine Mundum cōſtituunt, ſui conſeruatione illum ſeruant, ſuaque ordinata partium viciſſitudine, varietatum innumerarū ſunt origo, ita ſui cognitione & ſplendore cætera cuncta ex eis prodeuntia patefaciunt, & illuſtrant: & quoniam multa includunt, quæ difficultatem patiunt, ideo in eorum conſideratione accuratè verſari tenemur. Horum declaraturus ego Conditiones, Naturam, numerum, & affectiones, à nominis explicatione ordiar. *De nomine Elementi.* Elementi nomen ex potentia Ariſtotelis in decimo Metaphyſicæ, cont. 2. abſolutum non eſt, ſed relatū, veluti Ignis prius eſt Ignis, mox dum refertur ad mixtum, dicitur mixti Elementum. Quod etiam aſſeruit Auerroes tertio Cœli, 31. & approbauit Galenus in primo de Elementis, cap. 6. Inſuper, cum dicatur alterius Elementum, etiam dicitur prius eo, cuius eſt Elementum, vt aſſeritur ab Ariſtotele 12. Metaphyſicæ, contex. 19. Pro Elementi conſtitutione *Cōditiones pro Elementi conſtitutione.* variæ conditiones requiruntur, & quoniam Elementum tripliciter poteſt conſiderari, primo ī genere, ſecundo vt Elementum Mundi, tertio, vt Elementum mixti, ideo triplici conſideratione conditiones eius aſſignari poſſunt. Dum Elementum vniuersè, & in genere conſideratur, tres puto eſſe eius Conditiones: Prima, vt ex eo intrinſecus aliquid conſtituatur, quæ elicitur ex eius Definitione *1. Conditio.* tradita ab Ariſtotele in quinto Metaphyſicæ, contex. 4. & 3. Cœli 31. quæ eſt, ex quo componitur, ſiue quod ineſt, &c. Eſt dubitatio, quia Ariſtoteles in primo Phyſicorum inter Elementa etiam priuationem numerat, nam in context. *Dubitatio.* 48. Contraria conſtituentia terminos generationis, appellat Elementa, & ait etiam Elementa eſſe tria includendo priuationem, cum tamen priuatio non ſit pars rei. Reſpondeo, Ariſtotelem tunc inſpexiſſe principia per ſe, & nomine eis competente denotaſſe omnia tria. *Solutio.* Inſuper priuatio dicitur Elementum, vt partim ad materiam, partim ad formam redigitur: nam dicitur in primo Phyſicorum 66. eadem numero cum materia; & in ſecundo Phyſicor. 14. dicitur modò vti quo forma: per ſe tamen priuatio Elementum non eſt. Altera *2. Conditio.* Elementi conditio eſt, vt ſit primum. Hanc refert Ariſtoteles in quarto cont. quinti Metaphyſicæ, inquiens: id cuiuſque eſt Elementum, quod primum cuique ineſt. Hanc conditionem approbauit Galenus primo de Elementis, cap. 4. inquiens, non ob id aliquid eſſe Elementum, quia ex eo fiant alia, ſed quia primum, & ſimpliciſſimum. Tertia conditio eſt, vt ſit eiuſdem generis cum eo, cu- *3.* ius eſt Elementum. Ratio eſt: quia Elementum eſt internum principium, rem

constituens, principia autem intrinsecus constituentia ad idem genus cum eo, cuius sunt principia, referũtur. Hanc tertiam conditionem authoritate Alexandri 12. Metaphysicæ, cont. 20. approbauit Auerroes, inquiens: Elementum, & id, cuius est Elementum, sunt eiusdem naturæ, sed Elementum in ea natura est simplex, id cuius est Elementum est compositum. Clarius ab Aristotele, & Auerroe idipsum approbatur in eodem 12. Metaphysicæ, particul. 19. dicentibus, Elementa Substantiæ esse Substantias, Relationis Relationes. Hæc tertia conditio non in ea significatione debet intelligi, in qua sumebatur à Galeno in primo de Elementis, cap. 6. & 8. & in primo, de Natura Humana cap. vltimo, quib. in locis ait, ita debere esse eiusdem generis, vt solum corpora sint Elementa corporum, & Qualitates Qualitatum, non autem incorporea corporum, adeo, vt ex sententia eius materia & forma solum debeant dici principia Physicorũ corporum, non autem Elementa, & sequutus est Galenus sententiam Hippocratis, & vetustiorum Philosophorum: Ex sententia tamen Aristotelis & Platonis, secus est dicendum, vt patefeci in lib. de Qualitatibus primis. Hinc Simplicius ex sententia Eudæmi in proœmio Physicorum, ait Platonem fuisse primum, qui interna prima principia, nuncupauit Elementa. Et Arist. sequutus est eum. Hæc itaque tertia conditio ita intelligi debet, vt explicatur ab Aristotele in 12. Metaphysicæ 19. dicente, Elementa Substantiæ esse Substantias, & Relationis Relationes, adeo, vt ad idem Prędicamentum referantur, non autem quod cum non sint corpora, non valeant dici Elementa corporum. Plutarchus in lib. de Placitis Philosophorum, cap. secundo, ponens discrimen inter Principium, & Elementum, ait Principium esse primum & simplex. Elementum verò compositum: quæ sententia solum est vera de Elementis corporeis, contradistinctis ab eorum principiis, non autem absolutè; Sed cum Elementum debeat esse eiusdem generis, dubium est, quomodo quatuor Qualitates ab Aristotele in secundo, de Ortu & interitu, cont. 3. & 16. nuncupentur Elementa simplicium corporum, hoc explicaui in libro de Qualitatibus, ideo non repeto. Tres Elementi conditiones profectò veræ sunt, cum de materia prima, tum de forma, & propterea ambo nomine Elementi denotantur, præsertim tamen materia, vt existimauit Eudæmus, & cum eo Alexander, referente Simplitio in primo Physicorum, quæ etiam fuit sententia Aristotelis in 7. Metaphysicæ, 60. dicentis, Elementum esse, in quod resoluitur aliquid, vt in materiam. Ratio est, quia materia est prior origine, dicitur tamen etiam de forma, vt intrinsecus rem constituit, & prima est, & Aristoteles omnia principia prima, rem intrinsecus constituentia, Elementa nuncupauit. Et quia forma est duplex, vna formans, altera assistens, nomen Elementi rectè dicitur de forma formante: de assistente autem vel non dicitur, vel minus propriè, solum ad eam extendi potest Elementi nomen, dum consideratur vt pars compositi, veluti Aristoteles in secundo de Gener. Animalium, cap. 3. vim seminariam ait proportione respondere Elemento Stellarum. Et Auerroes per Elementum stellarum respõdens virtuti seminariæ censuit denotari Intelligentias, quæ sunt Elementa, hoc est formæ quædam Cœlorum. Ex dictis elicitur solut. huius difficultatis, quæ rectius sint Elementa rerum natura constantiũ, non simplicia corpora, vel potius principia prima, cõstat enim, quod quamuis Galenus loquens secundum veteres neget Principia prima debere dici Elementa corporum, tamen verè ea sunt Elementa, & rectius eo nomine denotantur, quàm simplicia corpora, cum sint prima absolutè, nam ea vt absolutè sunt prima, ita sunt absolutè elementa, simplicia verò corpora, non absolutè sunt

Sententia Galeni.

Plutarchus.

Dubitatio.

Quæ rectius dicantur Elementa.

sunt Elementa, tum quia non sunt prima, tum quia non sunt pura, sed vocantur Elementa ex sententia putantium ea esse prima absolute, vt Empedoclis, vel cum additione corporei, dicendo esse Elementa corporea, quatenus inter corpora prima sunt. Cælum dicitur Elementum Mundi, & sub initio 3. de Cælo dicitur Elementū primū, nam Mūdus ex eo principalissime cōflatur, & est purissimū & simplicissimum: & primum omnium corporum, ideo maxime omnium corporum Elementi nomine meretur honestari; Relatis conditionibus Elemēti sumpti pro genere loquēs de cōditionibus Elementi corporei, dico corpus simplex duplici ratione posse dici Elementum, vel per relationem ad mundum, vel per relationem ad mixtum: Elementum corporeum relatum ad Mundū, quinque conditiones exposcit. Prima est, vt sit primum, & simplex inter corpora, adeo, vt ex alio corpore non sit conflatum. Secunda, vt definitum locum in ordine Vniuersi sibi exposcat. Ratio est: quia Mundus ex horum Elementorum ordine consurgit. Tertia, vt inter huiusmodi corpora sit congruens ratio virtutis, & molis, vt seipsa valent seruare, & vnum non adeo superet alterum, vt illud valeat destruere. Quarta, vt prædita sint supremo & vltimo. Ratio est: quia ordo & primum & vltimum exposcit, Elementa autem debent esse ordine prædita, vt Vniuersum constituant Quinta, vt inter ea detur primum ex quo facultas prodeat, ordinans dirigens, & seruans alia, hoc enim requiritur pro constitutione veriotis principii cuiuslibet ordinis. Hæ conditiones congruenter simplicibus corporibus competunt, & præsertim Cælo, adeo, vt iure Elementum primum ab Aristot. dictum sit. Tertio, si considerantur conditiones Elementorum, vt referuntur ad mixtum, dicimus conditiones huiusmodi Elementorum esse, vt sint prima inter corpora mortalia, vt sint apta seorsum subsistere, vt sint prædita duplici prima Qualitate, per quam inuicem agant, patiantur, & misceantur. Demum vt non penitus aboleantur, vel seruentur in mixto, sed in quandam mediocritatem redigantur. At de his conditionibus distinctius loquar in libr. de Mixtione.

Cælum Elementum primum.

Conditiones Elementi corporei relati ad Mundū.

Vt referuntur ad mixtum.

CAP. II.

De Diuisionibus & Definitionibus Elementorum.

DIVIDITVR Elementum primo in Elementum actu & potestate, tunc Elementum actu est, dum est in eo cuius est Elementum, nam ante constitutionem eius solum dicitur Elementum potestate; Insuper, Elementum potest dici Elementum vel absolute, & est primum absolute in compositione alicuius, vel per comparationem, vt syllabæ dicuntur Elementa dictionum, & carnes, ossa, & nerui, Elementa membrorum. Tertio Elementum diuiditur, quia vel est compositionis tantum, vt materia, & forma, vel compositionis & mixtionis, vt quatuor Elementa mixti, vel compositionis & ordinis, vt simplicia corpora suo ordine Mundum constituentia. Pulchra hoc in loco se offert diluenda dubitatio, & est, quæ melior sit Elementorum constitutio, & dispositio, an seorsum a mixto, vel potius in mixto? Nonnulli aiunt melius disponi seorsum, quia sic sunt sincera, in mixto vero inueniuntur potestate, & castigata: Academici aiunt oppositum, nam Elementum in mixto actu est Elementum, & est propinquius vlteriori fini, in quem per Vniuersi naturam dirigitur. Soluitur Dubitatio: quia Elementum consideratur dupliciter, vel pro suo esse absoluto, vel cum reduplicatione, vt Elementum est; pro suo esse absoluto melius se habet dum est

2. Diuisio.

3. Diuisio.

Qua melior sit dispositio Elementi.

Solutio.

Definitiones Elementi. sincerius, at consideratum vt Elementum quia in mixto actu est Elementum, & proximius est fini vlteriori, in eo habet esse perfectius. His praeassumptis, Definitiones Elementi considerandae occurrunt; Duas tradit Arist. Elementi Definitiones, vnam tertio Caeli, 31. inquiens, Elementum est id corporum in quod alia corpora diuiduntur, inexistens potentia vel actu, quod diuidi nequit in partes distinctae speciei. Haec definitio competit Elementis corporeis, de quib. in eo libro loquitur Philos. non materiae & formae, nam pro genere sumitur corpus; & considerandum, quod Arist. definiuit Elementum vt actu est Elementum, nam tunc verius est Elementum & vt tale, est praeditum potiore dispositione. *Prima.* *Dubitatio.* Sed dubium est, an ea definitio competat simplicibus corporibus solum per relationem ad mixtum, vel etiam ad Mundi constitutionem, adeo, vt etiam competat Coelo. *Solutio.* Breuibus dico, Arist. eo loci considerare Elementa corporea mortalia, easque definire per relationem ad mixtum, nam diuidi in Elementa non Mundo proprie competit, sed mixtis mortalibus, & praesertim quia addit, quod inexistunt in mixto potestate vel actu, quod ait adhuc a se non esse explicatum, id enim fit primo & secundo de Ortu & interitu. *2. Definitio* Alteram Elementi definitionem tradit Aristot. in quinto Metaphysicae cont. 4. inquiens: Elementum est, ex quo cōponitur, primo inexistente, indiuisibile specie in aliam speciem. *Dubitatio.* Dubium est, cui Elemento haec definitio competat, putauit *Scotus.* Scotus eam definitionem non Elementis corporeis, sed soli primae materiae competere, nam ea est, ex qua res primo componūtur; *Euersio.* Et opinionem non puto approbādam, primo, quia officium Metaphysici est, voces considerare vniuerse, & secundum commune genus, non cum cōtractione, quod praesertim in eo quinto lib. seruauit Arist. Praeterea, conspicue Arist. se exemplis explicans inquit, vt vocis Elemento ex quibus componitur vox, & in quae vltima diuiditur, illa vero non amplius in varias voces ab ipsis specie distinctas, sed & si diuidantur, particulę earum eiusdem speciei sunt, vt aquae particula aqua, similiter etiam corporūm Elementa dicunt, ea dicentes vltima, in quae corpora diuiduntur, illa vero non amplius in alia, specie differentia corpora, &c. Conspicue Philosophus indicat definitionem illam esse communem, & non materiae propriam. Propterea ex aduerso nonnulli viri sapientes, inter quos est Illustrissimus Card. Contarenus, in suo praeclaro lib. de Elementis, inquiunt, definitionem illam non primae materiae competere, sed solis simplicibus corporibus relatis ad mixtum. *Cardinalis Contarenus.* Ratio eorum est, quia prima materia non recte dicitur indiuisibilis specie, & forma, cum forma careat, sed recte dicitur de simplicibus corporibus. *Euersio.* Quae opinio etiam approbanda non videtur, quia Philosophus variis exemplis patefacit se vniuerse & late Definiuisse Elementum, vt vniuerse considerari debet a Metaphysico. *Verior opinio.* Quare dicamus cum Auer. Arist. definiuisse Elementū vt Elemētum est, hoc est vniuersè & in genere: quae Definitio vera est, cum de materia & forma, tum de Elementis corporeis, & de his vera est, siue referantur ad mixtum, siue ad Mundi constitutionem. Fundamenta aduersarum opinionum leuia sunt, dicebatur pro opinione Scoti, solam materiam esse eam, ex qua res primo componuntur, dico eam esse primam absolute, simplicia autem corpora esse prima inter corpora. Dicebatur pro secunda opinione, materiam non diuidi in partes eiusdem speciei. Respondeo, per duo fundamenta: primum est, eam particulam definitionis indiuisibile specie, in aliā speciem debere intelligi per negationem, adeo, vt in partes distinctę speciei non possit diuidi, vel quia absolute diuidi non possit, vel si diuidatur, partes non

sint

sint distinctæ speciei, & ita per negationem sumpta, nullo pacto repugnat Materiæ. Alterum est, quod etiam partes materiæ dum per molem ei coæuam diuiditur, possunt dici eiusdem speciei, sumendo speciem pro ratione, natura & essentia, veluti Aristo. in 1 Phys. t. 60. & 66. in hac significatione dixit materiam distingui specie à priuatione, hoc est essentia & ratione; Sed dubitatio est, quomodo ea definitio cōpetat Cœlo, cum in Cœlo reperiantur partes distinctæ naturæ, & conditionis, nam Luna specie distinguitur ab aliis stellis, & stella ab orbe. *Dubitatio.* Respondeo, dum Cœlum numeratur inter Elementa Mundi. Sumitur pro elemento vno, vt contradistinctus à quatuor elementis, re vera tamen tot sunt elementa quot orbes, qui quāuis non distinguantur specie vniuoce, sub genere posita, distinguuntur tamen specie ab vno, collocata sub genere ab vno, dū autem fit comparatio inter stellam & orbem, quamuis adsit aliqua varietas, essentia tamen est eadem, nam longè maior varietas reperitur in partibus mortalium Elementorū quàm Cœlistis itaque rectius orbes, quàm Cœlum nomine Elementi denotantur, & Cœlum est diuisibile saltem per designationem, vt ab Astronomis in signa & gradus diuiditur, Philon Iudæus in libro de Vita contemplatiua, Elementa definiens, dixit, Elementum est inanimis materia à seipsa immobilis, subiecta opifici suo, à quo transformatur in omnia Qualitatum genera. In cuius definitionis consideratione morari nolo, Galenus in primo de Elementis cap. 1. dixit Elementum esse rei particulam, sui natura primam, & simplicissimam, quæ in alias diuidi non possit. eius definitio est similis definitioni traditæ ab Aristotele in quinto Metaphysicæ, in qua Galeni definitione id subintelligi debet, vt sit eiusdem generis cum eo, cuius est Elementum, modo ab eo explicato, alioquin ea definitio competeret materiæ componenti corpora, quod inficiatur Galenus. *Solutio.* *Philon Iudæus.* *Galenus.*

Cap. III.

De numero Elementorum.

EXPLICATO Nomine, Conditione, & Definitione Elementi, sequitur vt de Numero agamus, & cum Elemētí nomen de variis dicatur, sermo est de numero corporeorum Elementorum, quæ sub Cœlo collocantur. Qua de re duo se offerunt consideranda: Primum est, an hæc quæ communi voce dicuntur Elementa, pro suo esse absoluto nota sint vel ne. Alterum, an constet ea esse Elementa, & de quibus constet, vel non constet. A primo ordiens, dum hæc simplicia corpora pro suo esse absoluto considerantur, conspicua & manifestissima sunt, & iure; nam ea primo sunt prædita Qualitatibus primis, maximè sensum primum mouentibus, ideo primo nobis sub sensum cadunt: hoc indicauit Aristoteles in secundo de Ortu & interitu, con. 16. inquiens, quatuor connexiones primarum Qualitatum respondere simplicibus manifestis corporibus, manifesta ea dixit Philosophus; hinc nemo veterum inficiatus est, dari Terram, Aquam, Aerem, Ignem. Hoc optime nouit Galenus, ideo in primo de Elementis, cap. 6. differens aduersus Athenæum, inquit, cōstare dari huiusmodi corpora, vt Substantiæ sunt, non autem constare ea esse Elementa. Idipsum affirmauit Philoponus in Exp. con. 43. primi de Ortu & interitu, in quo Arist. proponit considerandum de vocatis Elementis siue sint, siue non, hoc est, an sint Elementa, vel ne. Sed oritur dubitatio, quia Auerroes in 4. de Cœlo, 32. ait Aristot. osten- *Duo consideráda.* *Galenus.* *Philoponus.* *Dubitatio.*

dere speciem sui subiecti, nempe Ignem esse, at si ex se constaret, non ostenderetur. Respondeo Aristotelem non ostendere dari Ignem, id enim nemo inficiatur, & Aristoteles id supponit vt notum, solum ostendit esse corpus leuissimum, eminere omnibus sursum latis, ac ita locum proprium in ordine Vniuersi sibi optare, & includere conditionem Elementi, & hoc denotare etiam voluit Auerroes, ideo dixit: Cætera Elementa aperte inspici in suis locis, Ignem autem solum inspici per partes extra suum locum positas, & hac ratione ex eius opinione Aristot. demonstrauit speciem Subiecti, quia in lib. de Cœlo considerantur simplicia corpora vt elementa Mundi, quæ in primo de Cœlo cont. 5. dicuntur partes secundum speciem, hoc est partes Mundi, specie distinctæ, & suo ordine Mundi formam constituentes, ac insuper sunt species non Subiecti proximi librorum de Cœlo, sed remoti nempe corporis Physici, cum autem ex se constet, hæc simplicia corpora pro suo esse absoluto, apud nos reperiri perpendamus alterū caput, an cōstet ea esse Elementa, hoc enim est aliquid posterius, & ignorari potest cognito primo. De quo loquens, dico, non patere, sed latere ea esse Elementa, non enim patet ea esse prima inter corpora, & ex eis cætera fieri. Hinc Democritus, Leucippus, Epicurus, negarunt ea esse Elementa, & dixerūt, ea fieri ex prioribus corporibus, nempe ex Atomis. Anaximander similiter non censuit ea esse Elementa, sed fieri ex priore alio corpore. Anaxagoras non hæc, sed cuncta corpora similium partium dixit Elementa. Empedocles putauit ea esse Elementa, at errauit: quia censuit esse prima, & Elementa absolute, non cōstituta ex prioribus principiis & Elementis. Alij Philosophi concesserunt quædam eorum esse Elementa, id negātes de aliis, vt Thales, Aquam solam dixit Elementa, Diogenes, Aerem, Heraclitus Ignem. Patet itaque ea esse, at an sint Elementa, & quot, & quæ eorum sint Elementa, apprime latet. ideo Elementa esse quatuor eget ostensione, & Aristoteles in comprobando eo numero, laborauit, non in ostensione, quod ea corpora pro suo esse absoluto reperiantur.

Solutio. (margin)

CAP. IIII.

Rationes quod Elementa sint quatuor.

Rationes quinque ex Arist.

Ratio 1.

CORPOREA Elementa sub Cœli orbe posita esse quatuor, quinque rationibus inuenio Arist. probasse. Prima elicitur ex 2. de Cœlo, conte. 18. & 19. quæ ita formatur. Reperitur in Vniuerso Cœlum, quod sui natura æterno motu in orbem vertitur, quare necessaria est Terra, quæ in medio requiescat, circa quam reuoluatur. Reperitur in ordine primorum corporum, Terra igitur debet reperiri ignis ei contrarius per Qualitates loco mouentes, ex quibus pendet ordo Elementorum Mundi. Nam si vnum contrariorum secundum naturam reperitur, debet reperiri & alterum, alioquin Vniuersum non esset Vniuersum; Datur Ignis & Terra, igitur dari debent Aer & Aqua, corpora intermedia; Deducitur Consequutio, quia Terræ Aer, Igni Aqua, per Qualitates alterantes opponuntur, & posito vno contrariorum, concedi debet & alterum. Hæc ratio ostendit Elementa esse quatuor, referendo ea ad Mundū, quem suo ordine constituunt, & est consentanea libris de Cœlo, in quibus Elementa ad Mundi cōstitutionem referuntur. Altera ratio elicitur ex 4. Cœli, 36. & 37. cont. cuius medium est grauitas & leuitas, quam oppositionem sequuntur motus recti varii, & loca subordinata varia, constituentia ordinem Vniuersi. Pro formanda ratione suppono, Mundum esse sphæricū, & sub Cœlo duos inueniri extremos terminos

2\.

motuum

motuum rectorum ex Cælo pendentes, constituentes locum sursum & deorsum. Accipio secundo, in hos terminos Elementa moueri per grauitatem & leuitatem. His præassumptis, ita argumentor. Datur sub Cælo Corpus vnum in loco sursum per naturam constitutum, & leuissimum datur aliud quod cunctis sua grauitate per naturam substernitur, & hæc duo sunt Ignis & Terra, ideo necesse est dari duo alia media, quæ per comparationem grauia, & leuia sunt: nam si dantur extrema, quibus non repugnat medium, etiam dari debent media, & præsertim quia in internis esse, & posse; non distinguūtur: At dicet aliquis, concedo dari medium, sed assero id esse vnum. Inquit Simplicius media debere esse duo, quia vt datur graue & leue absolutè, ita debet dari graue & leue per comparationem: At per hoc non remouetur dubitatio, quia dicam idem medium æquale, esse & graue & leue per comparationem. Respondeo, id dici non posse, primo, quia æque graue & leue non datur, cum sit aliquid indefinitum, forma autem semper ad vnum definita est; insuper medium vnum non replet Vniuersam distantiam extremorum, quia in ea latitudine consideratur inclinatio ad vnum, & inclinatio ad alterum extremum. Præterea, vt inter calidum & siccum, & frigidum, & siccum non vnicum est medium, sed duo, ita inter summè leue, sequens calidum & siccum, & summè graue sequens frigidum & siccum, duo debent esse media. Hæc quoque secunda ratio vt formatur in libris de Cælo, ita vim habet ostendendi Elementa esse quatuor per relationem ad ordinem Vniuersi. Tertia Ratio elicitur ex secundo de Ortu & interitu, cuius mediū est connexio, secundum naturam quatuor primarum Qualitatum, & vim habet pro ostendendo numero Elementorum cum relatione ad mixtum, Elementa enim per quatuor primas Qualitates redduntur inuicem miscibilia, & ita formatur. Tot sunt Elementa quot sunt complicationes secundum naturam quatuor primarum qualitatum, sed hæ sunt quatuor, quare & Elementa quatuor sunt. Hæc ratio vim habet ex Regula tradita in tertio Physicorum, trigesimosecundo, quę est; In æternis ea quæ possunt esse, etiam sunt, cuius Regulæ fundamentum est perfectio Mundi, & conditio Vniuersi. Quarta Ratio Elici potest ex secundo de Ortu & interitu, quadragesimonono, quæ sic formatur: tot sunt Elementa mixtorum, ex quot perfecta mixta constant, at ea constant ex quatuor, quare ea quatuor sunt. quod constent ex quatuor, ostenditur: nam mixta propè nos existentia plurimum terræ includunt, & quoniam mixta nectuntur terminosque recipiunt, quod eis non competit sine Aqua, ideo etiam ex Aqua constant, & quoniā hęc in mixto sunt cum remissione, & remissio pendet ex contrariis, ideo in mixto Elementa etiam reperiri debent quæ contraria eis sunt, huiusmodi autem sunt Aer contrarius Terræ, & Ignis Aquæ. Et confirmatur per dicta ab Aristotel. in lib. de Respiratione, quia tot in mixtis reperiuntur Elementa, quot sunt imperia Elementorum in mixtis perfectis, sed in Viuentibus quæ sunt mixta perfectissima imperia Elemētorum quatuor sunt, quædam enim sunt Terrea, vt Plantæ, quædam Aquea vt Pisces, quædam Aerea, vel Ignea, vt Volatilium & Campestrium viuentium genus. Quinta Ratio elicitur ex 2. cap. primi Metheororū, quæ est sumpta ex illa Elementorum Mundi conditione, quæ erat vt includant congruentem rationem ad inuicem, adeo quod vnum, non ita superet aliud, vt valeat illud destruere. Cum itaque in ordine Vniuersi Terra & Aqua nobis proxima conspicua sint, reliquū interuallum vsq; ad Cœlum, si vel solo Aere, vel solo Igne repleretur, nimium id excederet & destrueret contenta Elementa; quare vt seruetur ratio, & æqualitas facultatis Elementorum, hoc in-

Instantia. *Simplicius.* *Solutio.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Confirmatio.* *Quinta Ratio.*

teruallum duob. Elementis repleri putandum est, nempe, igne, & aere: quæ ratio ostendit Elementa quatuor Mundi. Galenus ratione ex experientia sumpta Medicis familiari Elementa esse quatuor ostendit, vt patet ex 1. de Elementis, cap. 3. Nam tot sunt Elementa mixtorum, in quot per interitum mixta resoluuntur, at ea inspiciuntur resolui in quatuor Elementa, dum enim moritur Animal, primo efflatur Spiritus Igneus, mox Vapor Aereus dum incipit putrescere, Tertio fluit humor, Demum superest Terra, & Cinis. Similiter, qui ex nimia purgatione moritur, non ex vnius tantum, sed ex quatuor humorum, Elementis quatuor respondentium, nimia purgatione moritur, & in cap. 5. addit in Animali inueniri Frigida, & Sicca, patefacientia Terram, Humida & Fluentia, Aquam, Calorem Igneum & spiritum indicantes Ignem & Aerem. Præterea, mixta ex eis conficiuntur & constant, per quæ crescunt, nutriuntur, & seruantur: at hoc habent ex quatuor corporib, quę in vniuerso inueniri inspicimus, quare ex eis conficiuntur, & constant, & propterea ea iudicanda sunt Elementa mixtorum.

Galenus experientia vtitur

Pythagoras quoq; & Academici, eiusdem fuere opinionis, & quoniam Physica per Mathematica explicabant, ideo ratione partim Physica, partim Mathematica vtuntur: inquiunt enim: Cum mundus per ignem fit visibilis, per terram vero tangibilis, & ex his mundus soliditatem, & splendorem habeat, hæc duo manifestissimè in mundo reperiũtur, quæ cum sint solida, & extrema, & ligari debeant, solida duobus mediis Geometricis necessario ligantur, quare dari debent duo alia media Elementa, per quæ extrema nectantur. Ita colligunt Elementa esse quatuor. Notissimum est apud Geometras, Numeros, Cubos solidos, duobus mediis ligari, non solidos verò, sed planos, vnico, vt 8. & 27. qui sunt primi Cubi, per 12. & 18. ligantur, vt num. 27. ad 18. ad 12. & 12. ad 8. se habent, semper enim seruatur ratio sesquialtera, sic secundus Cubus cum tertio ligatur duobus mediis, ratione sesquitertia, tertius cum quarto ratione sesquiquarta, & similiter de cæteris.

Pythagorei & Academici.

Alia Academicorum ratio sumitur ex numero primarum regularium & circumscriptibilium figurarum, nam patefacit Euclides lib. 13. à Demonstratione 13. vsque ad 17. quinque esse figuras constituentes solida regularia, hoc est æquiangula & æquilatera à sphęra, ac ab inuicem apta circumscribi, vna est duodecim facierum, mundo vniuerso congruens. Altera, Pyramis, competens igni; Tertia, octo facierum; Quarta viginti, respondentes aeri, & aquæ. Quinta Cuba respondens Terræ. Vt itaque figuræ primæ circumscriptibiles sunt quinque, ita quinque sunt prima corpora, nempe quatuor Elementa, & Mundus totus ex eis conflatus, quæ Elementa in singulis singula inueniri existimabant, & Cœlum ex eorum eminentiis constare asserebant, & præsertim ex igne. Prior Ratio erat Arithmetica, hæc secunda magis Geometrica, de quibus Proclus in Timeum, & Marsilius multa dicunt, quæ prætereo. Nam Academici per huiusmodi Mathematica denotabant originales numeros, numerorumque rationes, de quibus dicimus cuncta numero & mensura fuisse producta, adeo vt Sensus, experientia, Ratio Physica, Geometrica, & Arithmetica, mira consensione Elementa esse quatuor nobis ostendantur.

Alia Academicorũ Ratio.

Propterea Pythagorei quaternarium numerum asserebant plenitudinem, tum corporis, tum animi mundi, & iureiurando testabatur esse quadruplicem fontem Naturæ, perpetuo fluentis, ex quo numerus quaternarius Elementorum flueret, & per quem seruaretur.

Pythagorei.

Quod etiam comprobatur, quia pro exacta Mixtorum constitutione, requiritur Humor Aereus & Aqueus perfectiones recipiens, Siccum Terreum eas seruans, Calor Igneus formans, Frigus Aqueum & Terreum contemperans

Confirmatio.

Calorem,

Calorem,& coercens. Demum, eandem veritatem patefaciunt quatuor primas Qualitates necessarias pro mixione, respondentes quattuor Elementis. Similiter quattuor principalia mixtorum Temperamenta, quatuor Animalium Humores, quattuor ætates, quattuor Anni Tempora, quattuor principalia Zodiaci puncta, constituentia Solstitia, & Æquinoctia, Quattuor principales Mundi partes, Oriens, Occidens, Auster, Boreas, quæ cuncta prima capita, ad primas Qualitates, ad simplicia corpora, ad Mixta, ad Mundum paruum, & magnum attinentia, tam mira consensione sibi mutuo respondent, vt cōstanter numerum quaternarium Elementorum nobis indicent & patefaciant. *Postrema Ratio.*

CAP. V.

Dubia de Numero Elementorum.

ADVERSVS approbatum numerum Elementorum variæ & Pulchræ emergunt difficultates. Primò, nullum videtur reperiri sub Cœlo Elementum, quoniam Elementum debet esse Corpus primum, simplex, expers figuræ, colorum, saporum, & odorum, quod nulli ex enumeratis Elementis competit, vt conspicuum est. Hinc Plato de eis loquens, dicebat, nedum non esse Elementa, verum neque etiam esse syllabas, hoc est, non esse composita prima, ob eorum impuritates. Præterea Conditio Elementi ex quinto Metaphysicæ, conte. quarto, est, vt sit primum, & in ratione primi, vt sit vnum, quare conditio Elementi est, vt vnum sit, & inter corpora huiusmodi est solum Cœlum, cū ipsum solum sit inter corpora primum. Tertio Elementa videntur tantum duo, Terra & Ignis, quia Elementum cum sit simplex, debet esse extremum, non medium: nam Aqua, & Aer, quæ mediant, partim grauia sunt, partim leuia, partim densa, partim rara, partim tendunt sursum, partim deorsum. Ideo Aristoteles in secundo de Ortu, & interitu, cont. vigesimo secundo, dixit, extrema & sincerissima duo sunt, Ignis & Terra, media & mixta magis, Aer, & Aqua. Præterea, Elementa solum videntur tria, quia Ignis ex quorundam sententia Elementum non est, cum sit combustio, & tamquam Forma in aliena Materia. His difficultatibus non est difficile respondere. Soluitur prima: quia aliud est quęrere an Elementa sint quatuor, & quęrere an seorsum sincera & pura in Vniuerso tepeniantur: qua de re, in progressu erit sermo; Nunc itaq; dico: Si Elementa apparent impura & permixta, id non euertere conditionem Elementi, sed magis constituere, quia sic sunt Elementa, vel penitus actu, vt in mixto perfecto, vel disposita ad huiusmodi actum, vt in mixto imperfecto: veluti, quamuis materia non reperiatur seorsum a forma, sed solum in composito, non ob id desinit esse Elementum, & hoc suis verbis indicare voluit Plato. Addebatur secundo, conditionem Elementi esse, vt sit primum, & propterea vnum. Respondeo, id esse verum de Elemento absolutè, non in genere corporum, nam Elementum primum absolutè materia est, quæ etiam est vna. Insuper Elementa proxima possunt esse plura, vt multa sunt Elementa Grammaticæ, nam sat est, vt ea plura constituant gradum vnum, adeo, vt vnum eorum non componatur ex altero, vt litera vna non componitur ex altera. Cœlum non potest dici Elementa mortalium, quia non ea constituit. Plato ita putabat Elementa esse quattuor, vt etiam Cœlum ex eis constitueretur. At ex sententia Aristot. Elementa quattuor solum sub Cœlo locum habent. Dicebat tertio, Elementa solum esse Duo, nempe extrema. Respondeo, medium esse multiplex, & solum

Non datur Elementum. *Quod sit vnum.* *Quod duo.* *Quod tria.* *Solutio primæ Rationis.* *Solutio secundæ Rationis.* *Solutio 3. Rationis.*

medium per mixtionem & compositionem ex extremis destruit conditionem Elementi, at Aer & Aqua non sunt media per compositionem, sed per comparationem, & relationem, Arist. autem per relata verba indicabat extrema in Vniuerso magis inueniri pura & sincera, quam media, at non ob id esse magis Elementa. Erat postrema dubitatio de Igne, qui non recte videbatur inter Elementa numerari. quæ cum egeat exactiore consideratione, seorsum distincto Capite explicabitur.

Postrema dubitatio.

Cap. VI.

An inter Elementa numerandus sit Ignis.

Heraclitus. HERACLITVS ex Corporibus solum Ignem censuit Elementum, Parmenides ei addidit Terram, inquiens, Ignem & Terram Elementa. Aristot. in primo Metaphysicæ, Ignem maxime omnium dixit esse Elementum, cum sit partium tenuissimatum. At ex aduerso nonnulli viri docti concessis reliquis tribus Elementis, Ignem sustulerunt, & rationibus variis ex ordine Elementorum illum explodere conati sunt, inquiunt enim: *Ratio 1.* Si Ignis esset Elementum, & proxime sub Cœlo locum haberet, sub purissimo, & salutari Corpore, id corpus positum esset, quod permutat, turbat, & incendit alia corpora. *Ratio 2.* Præterea, si Cometæ, Faces, cæteræque Metheorologicæ incensiones, quæ comparatæ cum Sphæra Ignis, sunt Corpora exigua, tam vehementer nos calefaciunt, quid accideret si totus superus locus, sub Luna positus, Igne esset plenus; nonne collocati essemus tanquam in medio fornacis? nonne Vniuersus noster Orbis combureretur? cum experientia constet, exiguo igne, vastissimas Siluas, latissimas Regiones, magnasque Vrbes incendi, Ignis enim si adsit combustibile, crescit in immensum, & continenter redditur potentior. *Ratio 3.* Tertio, Si supra Aerem esset Ignis, cur quanto altius supra montes eleuamur minus à calore turbamur? aerem inuenimus frigidiorem? & in Montibus altissimis, etiam sub Æquatore positis, niues apparent congelatæ & perennes? *Ratio 4.* Præterea, si Ignis inter Elementa esset numerandus, etiam esset necessarius pro mixtorum constitutione, quod tamen verum non est: quia Ignis vel dissipat mixta, vel extinguitur, & pro constitutione mixtorum sat est Calor Cœlestis vna cum trib. Elementis & præsertim quia Corpus leuissimum summe distans à loco mixtionis, ad illum per naturam non est aptum descendere pro mixto constituendo, quod etiam approbasse visus est Arist. qui in secundo de Ortu & interitu, 21. & in secundo de Gener. *Arist.* Animalium, cap. 3. inquit, ex igne & glacie nil fieri. *Ratio 5.* Præterea, si ignis esset Elementum, vel hoc competet Corpori sub Luna posito, vel flammæ prope nos existenti, non Corpori sub Luna posito. quod ostenditur per Aristotelem in primo Metheororum, capitulo quarto, dicentē, quod enim est sursum vsque ad Lunam corpus, alterum est ab igne & aere, & hoc eius purius, id minus sincerum, & addit, id incendi aliquando motu Cœli: At ignis non inceditur, cum sit summe calidus; & post pauca addit, circa aquam autem & attigua ei, sunt aer, & quod per consuetudinem vocamus ignem, non est autem ignis, excessus enim calidi, & tanquam feruor est ignis, &c. Conspicue Aristoteles negat collocatum sub Luna esse Ignem. Similiter Flammæ quibus vtimur, & prope nos sunt, Elementum ignis non constituunt, tum quia hic non est Locus Elementi ignis, tum quia alimento egent, alioquin extinguuntur: ideo per Plutonem claudum, semper alteri hærentem denotatur, vt ait Philon in libro de Mundo

non

non interituro: tum quia certam non habent Sedem, Ordinem, Locum, & congruentem Magnitudinem: & demum, sunt tanquam forma in aliena Materia, non autem corpus simplex. Præterea, id quod mixtorum est Elementum, in omni perfecto mixto debet reperiri, hoc igni non competit, natura dantur mixta summè frigida summeque grauia, in quibus Ignis qui facillimè extinguitur, & sine calore non seruatur, locum vllo pacto habere non potest. Theophrastus in suo libro de Igne, illum ex numero Elementorum videtur explodere, & sub initio libri De Proprietatibus Elementorum, legitur: Existimarunt nonnulli Veterum, quod ignis non sit Elementum, sed alteratio, & combustio Aeris. Non itaque iniuria Cardanus in secundo libro De Subtilitate, Ignem inficiatur esse Elementum, & idipsum alij quoque viri docti existimarunt. *Ratio 6.* *Theophrastus.* *Cardanus.*

Cap. VII.

Diluuntur Rationes quibus ostendebatur, Ignem non esse numerandum inter Elementa.

Tam eximia Sapientum consensione, adeoque firmis rationibus ostensum est, Elementa esse quattuor, vt per rationes aduersas minime turbari, sententiamque mutare debeamus, & præsertim, quia si vim aliquam habent, id solum ostendunt, quod Elementum Ignis non est purum, & quod qui prope nos reperitur, non est Elementum Ignis. Vt autem veritas clarior fulgeat, & aduersæ instantiæ exactius diluantur, explicandum primo est, quid nomine Elementi Ignis intelligere debeamus. Vsurpatur nomen Ignis nonnunquam pro Luce, vt apud Platonem in Timæo. Nonnunquam pro Spiritu calido & sicco, qui facilè incenditur, & dicitur fomes incensionis. Tertio pro Flamma. Quarto pro Carbonibus. Et profecto, nil horum iudicari debet Elementum Ignis. Plato Cœlum nuncupabat Ignem, in quo reliqua Elementa in igneam conditionem essent redacta, Cœloq; competere putabat illam Ignis conditionem, quæ Lux dicitur, & est Ignis non vrens, sed diem pariens. Similiter Plotinus Cœlum dixit Ignem, hinc Plato in Appendice Legum, Animalia Cœlestia dixit Ignea, & dicere ex sententia Platonis Cœlum esse Ignem, & constare ex eminentiis Elementorũ, non est pugnantia enunciare, quia cætera in Cœlo eleuata sunt ad cõditionem Ignis, qui cæteris præstat sub Cœlo, ex eius sententia est Æther; quem in Timæo ait esse partem aeris supremam, nitidissimam, purissimam, & agilissimam, & hanc Arist. nomine quarti Elementi appellat, sub qua ponitur aliud Aeris genus, crassius, & turbulentius, in quo plurimi vapores reperiuntur. Ea itaq; suprema aeris purgatissima portio, vt ab Arist. ita à Platone Elementum quartum iudicatur, veluti dum in Timæo ex quatuor Elementis tria inuicem permutari affirmat; nam Terram ait permutari non posse. Hoc itaque supremum corpus perinde se habet ac aer nitidissimus, purgatissimus, maxime attenuatus, & desiccatus, quod à Platone Æther, ab Arist. Elementum Ignis dicitur, & nonnunquam nuncupatur fomes incensionis, quia in eo plurimi reperiũtur halitus calidi & sicci, apti incendi, vt aer apud nos dicitur vapor humidus, & aqua disgregata: quo nomine præsertim denotatur in 1. Meteororum, quia tunc huiusmodi halitus considerantur, qui sunt materia Meteorologicorum. Ignis autem in hac significatione, vt est corpus tenuissimum, & purgatissimum, non est aptus comburi, cum nil humoris includat, non eget alimento, cum non sit incensio, non lucet, quia lux incensioni competit, nõ comburit, quia est tenuissimũ & purgatissimum, com- *Elementum Ignis quid sit.* *Plato.* *Plotinus.* *Fomes incensionis*

burere autem competit incensioni. Insuper, est Cœlo simillimum, est præditum loco supremo, & mole Elemento congruente, ad hoc via est ille halitus, qui calidus est & siccus, & per combustionem magis attenuatur, purgatur, & in Elementū Ignis transit. Ex hac Elementi ignis explicatione facilè est rationes soluere quibus ex serie Elementorum ignis excludebatur, omnes enim prodeunt ex praua assumptione nominis Ignis, inter Elementa numerandi. Hoc Elementum apud nos reperitur commixtum cū cæteris corporibus, & frequenter à Lumine, motu, & incensionibus gignitur, ideo non est necesse, vt dum mixta apud nos fiunt, descendat ignis ex supero ad inferum hunc locum, & cum Ignis prope nos sit impurus, aptior est vt misceatur, est enim fini proximior. Immo cum cōspicuè apud nos Ignis impurus inspiciatur, elicere valemus dari Elementum Ignis: nam Corpus quod reperitur commixtum cum alio, etiam debet reperiri seorsum, vt aptum est reperiri. Quod si ascendentes in Montes, Aerem inuenimus frigidiorem, id nil obest, tum, quia ea eleuatio relata ad distantiam à Cœlo, exigua est, & paucorum stadiorum, tum, quia id est ex Accidenti, ob distantiam radiorum Solis à loco repercussionis, tum tertio, quia id euenit ob maiorem Vaporū copiam à Ventis agitatam, quæ in ea Aeris regione reperitur, tum demum, quia (vt dixi) Elementum Ignis non valde calefacit, nec comburit, Cometæ & incensiones cum reuera sint incensiones, sint Ignis in materia densiore, & re vera incendantur, iure optimo maxime nos calefaciunt. Quod si etiam inueniuntur mixta grauissima & frigidissima, adeo, vt nil Ignis in eis inueniri appareat, non propterea putandum est, omnino Ignis esse expertia, cū mixta omnia perfecta per coctionem fiant, coctio autem ex ignea facultate pendet. Cicero in secundo de Natura Deorum comparans Ignem prope nos existentem cum Elementari, dixit. Hic noster Ignis quem vsus vitæ requirit confector est, & consumptor, idemq; quocumque inuasit, cuncta disturbat & dissipat: Ignis vero Elementaris corporeus, vitalis, & salutaris, omnia conseruat, alit, auget sustinet, sensuque afficit. Alexander in secundo Nat. quæstionum, capitulo decimoseptimo. Ignem pro Elemento sumptum nuncupauit fomitem incensionis. Quæ sententia absolutè vera non est: nam incensio humorem exposcit, & præsertim quia ὑπέκκαυμα est Vapor quidam siue spiritus medius inter Elementa, non Elementum; nisi dicamus, ab eo nuncupari fomitem incensionis, quia in eo quod Elementum Ignis est, magna copia huiusmodi halituum reperitur, ex qua denominationem recipit.

Diluuntur rationes aduersæ.

Cicero.

Alexander.

CAP. VIII.

Distributio Quattuor primarum Qualitatum in quattuor Elementa.

VT quattuor apparuere Qualitates primæ, quattuorque earum secundum naturam connexiones, ita quattuor apud nos refulsere simplicia corpora, Elementi nomine denotata; quibus singulis singulæ Qualitatum connexiones competerent, vna tamen primo, altera secundario: nam Ignis primo dicitur calidus, secundo siccus, Aer primo humidus, secundo calidus, Aqua primo frigida, secundo humida, Terra primo sicca, secundo frigida, ita ab Aristot. in secundo de Ortu & interitu, Qualitates in Elementa distributæ fuerunt. Qua de re duo consideranda occurrunt: primum est, cur singulis Elementis duæ Qualitates primæ competant, non vna tantum. Alterum est, cur primo vna, & quæ sit

Cur Ele-

 talis.

cilis. Quod pertinet ad primum, dico ob sex potissimũ causas debere Elementa duplici Qualitate esse prædita. Prima elicitur ex conditione oppositionũ earum Qualitatum, quę cum sint primę & communes, per vniuersam materiam effundi debent, adeo, vt nulla materiæ portio altera oppositarum Qualitatum denudari valeat. Secunda ratio elicitur ex conditione materiæ, quę cum sit commune principium mortalium, nec Substantiæ cõpositum constituere valeat sine præcurrente aliqua dispositione per huiusmodi Qualitates, est necesse vt in omni eius parte alteram earum includat. Tertia sumitur ex conditione corporatorum Elementorum, quæ vt suo ordine Mundum constituant, & secundum naturam sint distributa, est necesse vt continentis & contenti Qualitas vna sit communis, vt mutuo seruentur & seruent, non penitus sint contraria, & per congruentia media ex extremo in extremum sit transitus; ita inspicimus Ignem cum aere cõmunem habere Calorem, aerem cum aqua humorem, Aquam cum Terra Frigus, Terram cum Igne Siccitatem, adeo, vt cum in parte pugnent, simul etiam fœlicissimè connectatur. Quarta ratio elicitur ex conditione mixtionis, & mixtorum quorum hæc sunt Elementa; vt enim ex eis congruenter prodeat mixtum, necesse est singula prædita esse Qualitate vna agente, altera patiente: ita enim omnia agunt, omnia patiuntur, omnia terminant & terminantur, omnia obeunt munera formantis, & formabilis, perficientis & perfectibilis. His quinta additur Ratio sumpta ex reliquis Qualitatibus similibus secundis, quæ quattuor Elementis competere debent, & sunt leuitas, grauitas, raritas, densitas, perspicuitas, & opacitas, quæ non Qualitatem vnam primam solam sequuntur, sed connexionem duarum. Sexta Ratio Elicitur ex perfectione vniuersi: nam in eo inueniri debent omnia non pugnantia, & perfectionem aliquam indicantia, & quoniam complicatio quadruplex, duarum primarum Qualitatum pugnam non includit, & perfectionem aliquam donabat, ideo putandum est in Vniuerso reperiri, non autem inueniretur, nisi quattuor primis corporeis Elementis competeret. Et cum duæ Qualitates singulis Elementis competant, quoniam vni non æquè primo plura competere valent, & constituta in Vniuerso, sunt prædita ordine, ideo putandum est, vnam competere primo, alteram secundario. Igni omnium consensione primo competit Calor, & iure profectò, vt enim Calor est suprema Qualitatum mortalium, maxime formam præ se ferens, ita Ignis supremus est, & maxime formalis omnium Elementorum. Insuper, Calor maxime purgat, ordinem seruat, nectendo similia, vt proximius ex motu & lumine prodit, Corpus attenuat, ideo primo competere debet, Elemento supremo quod Cœlo sit proximius; Constituto hoc fundamento, Igni scilicet primo Calorem competere, conspicua, & necessaria refulget distributio cæterarum Qualitatum: nam sub Igne est aer, qui cum sit calidus & humidus, nec calor valeat ei primo competere, quia primo competit Igni, cogimur dicere, ei primo competere humorem; sub Aere est Aqua, frigida & humida, cui non potest primo tribui humiditas, quia concessa est Aeri, ideo necessario iudicari debet primo frigida; sub Aqua est Terra, frigida & sicca, & quia frigiditas tributa est Aquæ, cogimur ei primo siccitatem tribuere. Sic itaque singulis Elementis duæ competunt Qualitates primæ, singulis vna earum primo competit, & quæ primo competit vni, non primo competit alteri.

mentis duæ Qualitates competant. 5. 6. *Cur Qualitatum vna primo competat.*

CAP. IX.

An Aer sui Natura sit Calidus & Humidus.

Distribuentes quattuor primas Qualitates Elementis, Aeri vna cum Aristotele Calorem & humorem tribuimus, quod ostendit Aristoteles in secundo de Ortu & interitu, ex eo, quod Vapor est Calidus & humidus, Aer autem est tanquam Vapor, & iure Calidus iudicari per naturam debet, quoniam à Calore producitur, eleuatur, & seruatur, à frigore autem densatur, & in Aquam vertitur, vnumquodq; autem per Naturam tale iudicari debet, quale est id, per quod gignitur & seruatur. Idipsum confirmatur à Philopono ratione sumpta ex leuitate: cum enim sui natura sit leuis, etiam sui natura iudicari debet calidus; deducitur consecutio: quoniam ignis est leuis, vel quia siccus, vel quia calidus: non quia siccus, nam terra sicca est & grauissima: quare est leuis, quia calidus, & propterea cum Aer sui natura sit leuis, etiam sui natura iudicari debet calidus. eadem ratio formari potest, sumendo pro medio raritatem: nam quod sui natura est rarum, sui natura iudicari debet calidum, quia calidi est rarefacere, vt ait Philosophus in secundo de Ortu & interitu, decimoseptimo, frigidi autem condensare, & Ignis quia calidus, rarus est, non quia siccus, cum Terra sit sicca & densa. Tertio idipsum elicitur ex loco: nam distantia à Cœlo dat frigus & grauitatem, propinquitas opposita. Præterea locantis & locati commune aliquid per naturam esse debet, Ignis est locus Aeris quibus communis non est siccitas, quare est caliditas, & cum in ceteris Elementis contentis, & continentibus id seruetur, etiam putandum est seruari in Aere & Igne. Præterea, nisi id esset, tunc aer & aqua prædita essent eisdem Qualitatibus ambo enim essent frigida, & humida, & propterea, vel vnicum constituerent Elementum, vel alterum eorum esset superuacaneum; Et confirmatur: quia si ambo per naturam essent frigida & humida, ambo esse deberent consimiliter rara & leuia. Præterea, si id esset, tunc complicatio calidi cum humido nulli Elemento competeret, quod maxime est absurdum, cum enim reliquæ connexiones primarum Qualitatum alicui Elemento competant, non est putandum mortalem orbem hac perfectione carere, vt in eo Elementum non reperiatur, cui hæc connexio per naturam conueniat. Præterea, cum Elementa per Qualitates sint mensuræ Temperamentorum, vt recte asseruit Galenus, nisi Elementum daretur calidum & humidum, carerent mixta ex ea parte propria mensura, & daretur mensuratum sine congruente mensura, & natura ex ea parte diminuta penitus appareret. Præterea, cum aer secundum maiorem eius partem, libere à Cœlo reuoluatur in orbem, quo motu corpora calefiunt, putandũ est, aerem quoque secundum naturam calefieri & calidum à Cœlo seruari; Insuper, æstiuo tempore & in Regionibus calidis, inspicimus Aerem seruari serenum, nitidũ, purum, frigore vero turbari, verti in nubes & pluuiam, quod indicat sui natura esse calidũ, & propterea Veri, Pueritiæ, & Sanguini respondet, sua natura calidis & humidis. Alexander in secundo de Anima, ad ostendendum idipsum, variis vtitur rationibus, & hac præsertim: quia quæcunq; facile inuicem permutantur, Qualitatem aliquam habent communem, Ignis & Aer facillime inuicem permutantur, quare cõmuni Qualitate sunt prædita: hæc non est humor, igitur calor eis communis est. Iure itaque Pythagoras, Plato, & Arist. aerem asseruerunt calidum, & humidum. At non defuere, qui variis rationibus hanc veritatem conati sint in dubium reuocare, è quorum numero fuerunt Stoici, qui illum sui natura frigidum affirmarunt. Idipsum putandum est existimasse.

Cur Aer calidus. *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Ratio 6.* *Ratio 7.* *Ratio 8.* *Ratio 9.* *Rationes aduersa.*

existimasse Empedoclem, de quo Arist. in cont. 19. secundi de Ortu & interitu inquit, quod Elementa in duo diuisit, igni cætera opponens, ignem enim putauit calidum, cætera frigida. Cicero, sequens Stoicos, similiter asserit esse frigidum. Galenus, in libro, quod Animi mores sequantur corporis temperaturam, c. 4. ait, Aerem ex se esse frigidum, calefieri autem ab igne. Cardanus in secundo de Elementis, singula Elementa asserit frigida, reddi autem calida à Cœlo, & Stellis: nam ignem ex numero Elementorum eiecit; Potiora fundamenta huius opinionis hæc sunt: nisi enim aer sui natura maxime frigeret, quomodo sub Septentrione continuas niues, grandines, & glacies produceret? nil enim agit vltra suum gradum, glacies autem est excessus frigoris, vt in secundo de Ortu & interitu, inquit Arist. Insuper, vnumquodque Elementum tale est iudicandum, quale est in media sua Regione: nam in ea maxime seruat conditionē propriam, at Aer in media eius Regione omnium consensione friget, cum in ea gignantur pluuiæ & grandines. Præterea, de frigore aeris frequenter conquerimur, de calore nequaquam, præterquam de eo qui à Sole producitur tempore æstiuo. Præterea, si Aer sui natura esset calidus, quomodo sine sui interitu per totam hiemem seruaretur frigidus? quomodo à Borea vento frigidissimo purgaretur? quomodo hyberno tempore dum est serenior magis frigeret? Insuper, cætera Elementa cum difficultate propriam Qualitatem exuunt, nec sine eorum aliquo interitu: at Aer remoto calefaciente, statim euadit frigidus, & nedum non interit, sed potius purior apparet. Demum, experientia constat, quod humorem per naturam sequitur frigus, & propterea cum Aer sui natura sit humidus, etiam videtur iudicandus frigidus. Colligunt itaque nonnulli, Aerem sui natura frigidum esse, & Aristot. in primo de Ortu & interitu, 24. de Aere & Aqua ait, ambo esse perspicua & frigida.

Empedocles. *Cicero.* *Galenus.* *Cardanus.* *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Ratio 6.*

CAP. X.

Diluuntur Rationes quibus ostendebatur Aerem sui natura frigidum.

QVoniam firmissimis Rationibus patefeci, Aerem sui natura calidum esse, propterea vt aduersæ Rationes diluantur, nonnulla præaccipienda sunt. Primum est, Elementa in Vniuerso omnia reperiri impura, permixta, & alterata, vt in progressu ostendam, & præsertim Aerem, qui cum sit medius, tenuis, & facile alterabilis, facile alienas Qualitates recipit: hinc Aristoteles in primo Meteororum dicebat, Aerem nobis proximum esse tanquam Vaporem, & Aquam disgregatam; si quis Aerem inuenire vellet puriorem, deberet illam inquirere in parte superiore, vel media, per æquam distantiam à suis extremis: nam ea quæ dicitur media eius Regio, in qua Pluuiæ, Niues, & Grandines gignuntur, Ventisque agitatur, est nobis satis proxima, & absolute pertinet ad infimam Aeris portionem: & propterea mirum non est, si ex accidenti, ob Vapores Aqueos, sui natura frigidos, à repercussis radiis derelictos, frigidus apparet, & ea quoque nonnunquam vires sui caloris patefacit, veluti dum æstiuo tempore per antiperistasim ex ambiente eius calore prodeunte Grando producitur. Aliud fundamentum est, quod calor apud nos maxime eget communi aliquo conseruante, ideo nisi à Cœlo seruetur, facile euanescit: nam formæ quo sunt præstantiores, eo maiorem cum Cœlo habent connexionem, & magis supero conseruante egent, alioquin in deterius, ob materiæ conditionem, labuntur. Vltimo addendum est, quod dum Aer fuerit frigidus, minimæ est purus, sed al-

Primum quod accipitur. *Alterum quod accipitur.* *Tertium quod accipitur.*

teratus, solum videtur purus: quia non adeo est crassus & densus, vt dum per Austrum, Nubes & densi Vapores in eo recipiuntur. His præassumptis, facile est Rationes aduersas diluere. Dicebatur primo, frigore Aeris sub Aquilone gigni glaciem, & Niuem, dico id non fieri per frigus proprium Aeris, sed per alienum productum in Aere nobis propinquiore à spiritibus frigidis, ex Terra, & Aqua eleuatis, qui cum sint tenues, facile per aliena corpora meant, cum eis miscentur, illaque alterant, & præsertim in Aqua suas vires ostendunt, cum sit sui natura frigida, & alienum calorem facile exuat. Hanc veritatem patefecit Aristot. in quinto de Gener. Animalium, capit. tertio, inquiens, in congelatione à frigore secerni humorem tenuem: nam per huiusmodi spiritus frigidos & siccos, extinguitur calor alienus Aquæ, & vna cum eo dissoluitur humor quidam tenuis: hinc Aqua prodiens ex Niue & Glacie, est crassior, & terreum aliquid includit, quod accidit, quia per congelationem humor tenuis vna cum calore secretus est, & id Terreum quod inerat in spiritu, remanet cum Aqua permixtum: hinc etiam dicimus, glaciem esse viam ad Terram, & gigni præsertim vigentibus Ventis Septentrionalibus frigidis & siccis, qualis est Terra, & hoc etiam in congelatione seruandum est, quod vt calor iunctus sicco, ita frigus sicco iunctum, acutius agit & intimius operatur. Addebatur, aerem in media sui Regione esse frigidum, iam dixi, non esse verum de Regione eius media per æqualem distantiam ab extremis, sed solum de illa, quæ nobis est valde proxima. Et conquerimur de frigore non quidem puri, sed impuri aeris, & de frigore Ventorum & disgregatæ aquæ. Addebatur, seruari tota hyeme aerem cum summo frigore: dico, non seruari aerem purum, sed mixtum cum halitibus qui dum fuerint frigidi, sunt magis tenues, quam calidi & humidi humore Aqueo, & seruatur frigidus in Regione infima, non in vere media, & suprema. Dicitur purgari à Borea, quia ab huiusmodi Vento repelluntur vapores Aquei, & afferuntur halitus sicci, frigidi, & magis tenues, facilius autem ab aere aufertur calor quam humor, ob conditionem propriam caloris, quæ vt dixi maxime eget apud nos conseruante, & maxime ob eius præstantiam ex Cœlo pendet. Addebatur etiam, quod humorem sequitur frigus. Respondeo, frigus sequi humorem crassum & Aqueum, non Aereum & tenuem; At dicet adhuc aliquis, motus purgat corpora, & si quam in ea inducit Qualitatem, profecto calorem inducit, quare cum motu aer purgetur, & per motum reddatur frigidior, vt patet, dum agitatur à Ventis, aer itaque purior frigidus est. Respondeo, aerem superum, per motum diurnum seruari calidum, & incendi in eo halitus, proximum autem nobis videri reddi frigidum: primo, quia tarde mouetur: secundo, quia per Ventum afferuntur halitus frigidi: tertio, quia per motum & euentationem repellitur à nobis Aer ille, qui nos ambiebat & à nobismet fuerat præcalefactus.

Diluuntur Rationes aduersa. *Ratio 1.* *Solutio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Ratio 6.* *Instantia.* *Solutio.*

Cap. XL

An recte dictum sit, Aerem esse primo humidum, & Aquam primo frigidam.

NON iniuria ambigunt viri docti de eo quod ab Aristot. in secundo de Ortu & interitu dictum est, Aerem primo esse humidum, & aquam primo frigidam: nam quod ad primum pertinet, humor manifestissime magis competit aquæ quam aeri, aqua enim est quæ nos humectat, non aer, immo aer sincerus potius humorem desiccat. Augetur dubitatio: quia hac de re Aristot. sibi constare

An aer primo sit humidus. *Quod aq.*

constare non videtur, nam in quarto Mereororum, context. 29. inquit siccum maxime proprium esse Terræ, humidum vero Aquæ. *Ratio 1.* Nec alterum minus dubium est, *Ratio 2.* nempe aquam primo esse frigidam, id enim potius terræ competere videtur ob distantiam eius à Cœlo, & quietem: nam ex distantia pendet frigus. *An aqua primo frigida sit: quod nō.* E confirmatur: quia frigidi est condensare, Terra autem maxime densa & grauis est. Confirmantur adhuc hæ ambiguitates, quia frigus ab Aqua facile remouetur, humor vero summa cum difficultate, quod nobis indicat, non frigus primo competere Aquæ, sed potius humorem. *Confirmatio.* Hæ difficultates profectò leues non sunt: pro quarum Solutione accipio primo, dum dicimus vnam vel alteram Qualitatem primo vni Elemento competere, non denotari intensionem, vel remissionem: nam, vt in progressu patebit, Elementa exposcunt ambas Qualitates sinceras, sed denotari ordine, quo Qualitates Elementis per naturam competunt. *Pro solutione accipiuntur 3.* Accipio secundo, quod dum singulis Elementis vnam Qualitatem primo competere patefacere volumus, supposito quod Igni competat Calor, quod concedunt omnes, & Sensus patefacit, non secus possumus id facere, ac factum sit ab Aristot. nam tunc Aeri non amplius Calorem sed humorem cogimur primo tribuere, & similiter cogimur aquæ tribuere non humorem iam tributum aeri, sed frigus, Terræ siccitatem. *Accipitur 2.* Accipio tertio, humorem esse duplicem, vnum sumptum absolute pro facile terminabili termino alieno, vt Definitus fuit in secundo de Ortu & interitu, & hic primo competit aeri. *Accipitur 3.* Alterum, pro humore crasso magis conducente pro constituendis mixtis humidis & connectendis eorum partibus, quo humore maxime humida est aqua; Distinctio hæc elicitur ex ipsomet Aristot. sub initio libri de Sensu & Sensili, dicente: Sed tamen inter aerem & aquam illud interest, quod humor Aqueus constantius quam aer impressa vestigia retinet, & facilius loco clauditur & in secundo de Ortu & interitu 49. pro connexione partium mixti asseruit conducere humorem Aqueum. Hinc rectè dixit Olympiodorus, humorem crassum conducentem pro mixtis, magis competere aquæ, humorem vero tenuem, facile terminabilem alieno termino, primo competere aeri. *Olympiodorus.* Ex his facile modo est elicere Solutiones difficultatum: nam instantiæ aduersus humorem primo aeri tributum, qui primo aquæ videtur competere, solutæ sunt, per ea, quæ dixi de duplici humido, & similiter ostensum est, Arist. non secū pugnare. *Diluuntur rationes aduersa.* Quod autem pertinet ad frigus, quod potius terræ videtur primo cōpetere, iam dixi, quod si gradum inspicimus, in vtrisque frigus est summum. Insuper, quamuis distantia à Cœlo sit causa frigoris, non tam est causa integra, quoniam frigus non est priuatio sed forma, ideo pro causa non solam habet distantiam, quæ priuatio est, sed cum sit affectio, sequitur formam, & naturam propriam Elementi. At dicebatur, terram maxime grauem & densam esse: Respondeo, grauitatem & densitatem non sequi solum frigus, sed frigus cum sicco iunctum, hinc durum & densum ad siccum redigitur, & aqua dum per glaciem ad Terram inclinat & vergit, sicca redditur & condensatur. Addebatur postremo, ex aqua facile extrudi frigus, non ita humorem; Hanc difficultatem nititur soluere Alexander in primo Nat. qq. capit. 7. at eo dimisso, dico primo, id accidere ex propria conditione huiusmodi Qualitatum: nam calor & frigus quæ sunt Qualitates magis formam præ se ferentes, & efficientes, facilius ex Subiecto repelluntur quā humor & siccitas, quæ magis naturales sunt & patientes. *Alexander.* Addo secundo ex aqua non abiici frigus superstite ea pura, sed mixta cum vaporibus Igneis. Dico tertio, non adeo frigus ab aqua repelli, quia virtute & facultate seruetur, aqua

enim quousque remanserit humida, facultatem seruat refrigerandi Corpora, & frigus sibi consentaneum facile recuperat.

CAP. XII.

An Elementa ambas Qualitates exposcant summas, Rationes pro vtraque parte.

VNicuique Elemento consensione omnium duæ primæ Qualitates competunt, hoc tamen apprime dubium est, de quo Ratio cum Sensu pugnat, & opiniones sunt variæ, an singula Elementa sincera & pura, Qualitates ambas sibi summas & sinceras exposcant. Nam vna ex parte Aristot. in secundo de Ortu & interitu, 23. vnicam singulis videtur tribuere sinceram, inquiens: Sed tamen *Quod nō ambæ sinceræ.* simpliciter cum quattuor sint, vnius vnumquodque est. Nam Terra sicci magis quam frigidi, Aqua frigidi magis quam humidi, Aer humidi magis quam calidi, Ignis calidi magis quam sicci. Id ipsum patet Sensu, nunquam enim Aer apparet ita calidus vt ignis, & si magis excalefiat, in Ignem vertitur. Confirmatur: quia summum calorem sequitur siccitas, aer autem est primo humidus. Præterea remotio à Cœlo dat frigus, propinquitas calorem, quare Ignis maxime debet esse calidus cum sit propinquior, Terra maxime frigida. Insuper, excellentia, & summum in omni genere, vni soli competit, quare eadem Qualitas summa non potest per naturam duobus competere. Præterea, vt se habet de Definitionibus, ita putandum est se habere de rebus Definitis, at Definitiones primarum Qualitatum, traditæ ab Arist. & à me relatæ in lib. de Qualitatibus, non æque competunt Qualitatibus Elementorum, veluti secernere aliena, & nectere similia, magis cōpetit caloti Ignis, quam Aeris. terminari termino proprio, magis competit sicco Terreo, quam Igneo, & sic de cæteris Definitionibus. Quare colligendum est, Qualitates quoque Definitas, non æque summas eis competere. Demum vror ratione Auerrois in quarto Meteororum, contex. 10. Si Elementa prædita essent Qualitatibus summis, nō essent per naturam apta misceri, & propterea non essent Elementa; consecutio deducitur, quoniam Qualitates summæ sunt æque potentes, quę se mutuo superare non valent, & ideo, vel medium per mutuam actionem non constituerent, vel id semper esset æquale, cū Qualitates sint æque potentes. Ex aduerso tamen videtur putandū, ambas debere esse *Pro parte aduersa.* summas: Primo quia Qualitates simplices sunt summæ, Qualitates simplicium corporum debent esse simplices, igitur & summæ; Maior patet, quoniam remissio est imparitas & connexio cum contrario. Minor etiā est conspicua, quoniam quale est Subiectum, tales debent esse eius affectiones. Præterea, quod est primum, est summum: nam remissio est recessus à primo, Qualitates primorum corporum debent esse primæ, & affectiones eis recta ratione respondent: igitur debent esse summæ; Similiter debent esse sinceræ, cum Elementa sint corpora prima, simplicia, & sincera. Præterea, id quod penitus est secundū naturam propriam, debet esse summum & sincerum: nam remissio est recessus à propria natura, Qualitates primæ secundum propriam naturam, & primo, competūt simplicibus corporibus, ideo summæ & sinceræ esse debent. Præterea, omne quod primo & non per participationem alterius vni competit, summum esse debet: nam participatio est ea quę fit per gradus, at Qualitates primę primo competunt singulis Elementis, & nō vni per participationem alterius prioris, igitur summæ esse debent. Insuper, mensuræ Temperamentorum debent esse summæ & simplices,

tes primæ Elementorum sunt mensuræ Temperamentorum, Temperamen- enim mensurantur per recessum ab illis. Præterea remissum nō est aliquid sui atura & conditione certum & definitum, potest enim esse & magis & minus, cum Elementa sint corpora prima, simplicia, & definita, definitas, & certas xposcunt primas Qualitates, & in indiuiduo positas, huiusmodi autem id so- m est, quod est summum, & sincerum. Præterea, si Aqua esset minus humida uam Aer, non posset aerem in se conuertere; nam minor humor non superat minuit maiorem. Præterea, in Elementis quorum vna Qualitas est commu- is, pro mutua eorum permutatione non vna sola Qualitas mutanda esset, sed na penitus delenda, altera minuenda, vel perficienda. Arist. autem in secundo le Ortu & interitu, vnicam āit esse mutandam. Insuper, cum Terra concedatur umme sicca, quia maxime à Cœlo distat, ideo etiam summe frigida concedi de- bet. Similiter, cum Aqua concedatur summe frigida, & appareat summe humi- da, ideo summe frigida & humida concedi debet. Pręterea, cum Ignis sit summe calidus, & calorem Igneum sequatur consumptio humoris, etiam cōcedi debet summe siccus: quod confirmatur per Arist. in secundo dę Cœlo, 37. dicentem, remissionem esse impotentiam, quæ à puris & simplicibus Elementis abesse de- bet. Res itaque pro omni parte satis dubia & obscura est.

CAP. XIII.

Referuntur Opiniones variæ, & resoluitur Dubitatio quomodo Elementis Qualitates summa conueniant.

QVemadmodum de omni re difficili, ita de hac opiniones variæ sunt, quæ in quattuor principales rediguntur; Vna earum est Auicennæ in postremo cap. iui libri de Cœlo, dicentis, nonnulla Elementa exposcere ambas Qualitates summas, alia vero non omnes: nam Ignem inquit esse summe calidum, summeque siccum, Terram solum summe frigidam, Aerem nullam Qualitatem habere summam, Aquam non summe frigidam, magis tamen humidam aere. Auicennam sequitur Albertus Magnus in secundo de Gener. & interitu, 23. & Albertum D. Th. exponens eundem cont. Hoc videntur elicere ex Arist. in cont. 22. dicente. Extrema quidem & sincera Ignis & Terra, media autem & mixta magis, aqua & aer, &c. Idipsum potest ratione comprobari: Nam Ignis cum fit Cœlo iunctus, summe est calidus, cuius calorem summum sequitur summa siccitas; Terra maxime distans, est summe frigida, summum autem frigus non sequitur euersio cuiuslibet humoris. Media Elementa vt loco, ita conditionibus debent censeri non summa, sed remissa, vt etiā sunt remisse grauia & rara. Hanc opinionem approbandam non puto; Primo: quia cuncta Elementa cū sint Elementa & prima, consimiliter debent esse simplicia & summa, & non vnum magis quam alterum. Præterea, omnis remissio est imbecillitas & recessus à primo, recedere autem à primo, est recedere à conditione Elementi. Demum, conspicue aduersantur Aristoteli, qui aerem primo humidum & aquā primo frigidam affirmauit. Ideo est alia opinio quorundam, asserentium Elementa omnia exposcere Qualitatem vnam summam, alteram vero per suum contrarium castigatam & remissam; hoc aiunt asseruisse Aristotelem dum Elementis singulis singulas Qualitates primo competere asseruit, non autem ambas. Quæ opinio etiam non est approbanda, & pręsertim euertitur per rationes quibus ostendi, Elementis Qualitates ambas debere competere summas. Præterea si id esset, tunc

Opiniones quattuor. *Opinio prima Auic.* *Euersio.* *2. Opinio.* *Euersio.*

Elementis singulis non duæ solæ, sed tres competerent Qualitates, numerata remittente, nec vere essent simplicia, sed cum contrario iuncta, & per contrarium remissa: nam quales sunt affectiones, & differentiæ, tale iudicari debet id cui competunt. Propterea est opinio tertia Alexandri, in secundo Nat. qq. c. 17. & in primo Meteororum, com. 15. necnon in libro de Sensu & Sensili, com. 30. asserentis Elementa vnicam habere Qualitatem summam, & de hoc consentit cum illis, qui sunt opinionis secundæ, dissentit vero, quia Qualitatem alteram inquit remissam, non per contrariam, sed per naturam propriam & cōditionem; Eiusdem opinionis etiam fuit Ammonius, ideo in prædicamento substantiæ ait, Qualitatem alteram elementorum esse remissam, non per contrarium, sed vt vita Animæ est diminutior vita Mentis, non per contrarium, & puritas Lunæ est diminutior puritate cæterorum cœlestium orbium, non per contrariū, ita Qualitas altera elementorum, & hæc est remissio formæ sine contrario. Hæc opinio etiam non videtur approbanda, quoniam in his quæ sunt ab vno, potest considerari remissio & recessus à primo per gradus formarum sine cōtrario, vt in cœlo, mente, & anima: at in vniuocis, non reperitur ordo prioris, & posterioris secundum formam, ideo in eis non seruatur remissio sine contrario, vel gerente vices contrarij, vt sæpe ait Aristoteles, Qualitates autem vniuocæ sunt, & omnis calor est eiusdem speciei vltimæ, similiter frigus. Præterea, in his oppositis, quorum altero materia nudari non potest, non fit remissio nisi per contrarium, huiusmodi sunt quattuor primæ Qualitates, quare nunquam materia exuit vnum gradum vnius, quin induat gradum oppositæ: nam vt totum ad totum, ita pars se habet ad partem, & vice versa: ideo si vno gradu nudaretur subiectum, nō recipiendo oppositum, similiter posset nudari omnibus, & præsertim quia omnes sunt consimilis rationis. Exempla sumpta à vita, & cœlo, ad rem nō faciunt, quia illæ non sunt remissiones, sed conditiones ab vno subordinatæ, & non vniuocæ.

Opinio 3. *Aduersio.*

Opinio quarta verior. Propterea est opinio quarta cæteris præferenda, elemēta sincera & pura exposcere ambas Qualitates summas. Huius opinionis fuit Galenus in primo de elementis, cap. 6. & in lib. de Natura humana. Similiter Philosophus in secundo de ortu & interitu, vigesimotertio. Hinc Auerroes in tertio de cœlo, 77. dixit. Ignis non est ignis actu, nisi cum calore, & siccitate quæ sint summæ. Vt autem

Resolutio. Resolutio pateat clarior, & aduersæ rationes conspicue diluantur, quattuor

Conclusio 1. *Conclusio 2.* profero tanquam Theses. Primum est, dum mente elementa, vt sincera & pura concipimus, exposcunt ambas Qualitates summas. Alterum est, si considerantur Elementa vt inueniuntur in vniuerso, in quo impura & permixta inspiciuntur, non ambas habent Qualitates summas, sed vel nullam, vel alteram

Conclusio 3. *Conclusio 4.* tantum. Tertio dico, comparatis inuicem Elementis extrema, vt inueniuntur in Vniuerso sinceriora, quam media, ita Qualitatibus prædita sunt sincerioribus, & hoc asseritur ab Aristot. in 2. de ortu & interitu, vigesimosecundo. Demum addo, remissionem primarum Qualitatum in gradu, non fieri sine permixtione cum contrario, vt patefeci: at si remissio fuerit in sola actione, ea potest fieri sine contrario: nam actio potest remitti per variam connexionem cum distincta qualitate, & subiecto magis vel minus raro, & si Alexander & Ammonius hanc remissionem denotassent, recte sensissent, at ipsi suis exemplis remissionem in gradu visi sunt denotasse. Hæ conclusiones ex prius dictis cōspicuæ sunt,

Diluuntur vniuersa Rationes. & comprobabuntur per dicenda de imparitate Elementorum. Ex quibus elicitur Solutio aduersarum rationum. Nam Aristot. dum dixit, singulis elementis qualitatem vnam magis competere, denotauit non remissionem in gradu, sed ordinem,

ordinem, quo suo subiecto competunt. Sensus patefacit Qualitates competentes elementis nobis occurrentibus non esse summas, tum quia sunt impura, tum quia iudicat actiones potius quam gradus. At dicebatur, summum calorem sequi summam siccitatem; Respondeo, id minimè verum esse, quoniam calor & cum siccitate & cum humore seruari potest, nos autem decipimur, quia inspicimus calorem Igneum cum sicco iunctum desiccare, at id facit calor non vt calor, sed vt Igneus, hoc est cum sicco iunctus: nam in Igne puro summum calorem ita sequitur summa siccitas, vt in puro aere summa humiditas. Addebatur, terram ob distantiam à cœlo, debere esse frigidiorē aqua, & ignem Cœlo propinquiorem, calidiorem aere. Hæc instantia iam in præcedentibus est soluta, cui solutioni addo rationem illam si quam habet vim, solum ostendere elementa ita esse affecta quatenus actu in vniuerso inueniuntur, non autem quatenus absolute considerantur vt sinceta, prima, simplicia & pura. Addebatur, excellentiam vni soli competere. Respondeo id esse verum de his quę sunt ab vno, adeo vt per primum competat aliis, non de vniuocis. Addo excellentiam vno modo sumptam vni soli competere, vt calor siccus, vni competit, calor humidus alteri. Dico tertio eam sententiam esse veram de gradu formæ, non de subiecto, vt summa albedo definitum exposcit gradum supremum, potest tamen subiectis variis competere. Addo demum, excellentiam primo vni soli competere, at secūdario posse competere aliis. Instabatur postremo, quia definitiones earum qualitatum ab Aristotele traditæ non æquę competunt omnibus. Respondeo, primò eas competere omnibus æqualiter in suo genere, vt patefeci. Addo, Aristotelem in tradendis definitionibus præsertim id considerasse, quod eis competit constitutione mixti.

Cap. XIIII.

An in vniuerso inueniantur elementa sincera & pura.

ASSERVI elementa in vniuerso impura & permixta inueniri, quod an sit verum satis est dubium, & dignum ex se, vt accuratè consideretur. Et quoniam sinceritas considerari potest, cum in vniuerso elemento, tum in partibus insuper, cum in substantia, tum in Qualitatibus ideo de singulis hoc seruato ordine verba faciam. Nam primo, vt excitemur, rationes afferam pro vtraque parte. Secundo, eligam & approbabo partem quam puto veriorem. Tertio, diluam rationes aduersas. Dum mentis aciem in cœlum vertimus, intuemur illud omni ex parte sincerum & purum, at dum in orbem mortalem conuertimus, contrarietati & varietati obnoxium, nullum Elementum secundum totum inspicimus sincerum, in omnibus enim conspicue refulgent impuritates, ideo de hoc consentiunt omnes, nullum apud nos reperiri Elementum quod secundum totum ab impuritate sit immune. Præterea de hoc solo est dubitatio, an in eis saltem partes aliquæ inueniantur sinceræ. Quod inueniantur, primo ostenditur, quoniam in Vniuerso nil repetitur, quod toto suo genere sit præter naturam affectum, at impuritas, & remissio est dispositio præter naturam, vt dicitur in secundo de Cœlo, trigesimoseptimo, est enim impotentia, & imbecillitas quædam, quare non est tribuenda vniuerso generi Elementorum. Et confirmatur, quia dispositio præter naturam est violenta, nil autem violentum est æternum, nec vniuersæ speciei competit, alioquin daretur posterius sine suo priori, dispositio enim præter naturam est posterior, & est recessus à dispositione secundum naturam, & potest competere nonnullis parti-

Ordo seruandus.

Inueniri partes sinceras in Elementis.

Ratio 1a

cularibus,at non vniuersæ speciei. Præterea,in eo quod perfectum est,nil inuenitur quod sua perfectione sit destitutum: Mundus est corpus absolute perfectum,quare nil in eo inuenitur quod postrema perfectione careat,& quia Elementa suo ordine modum cōstituunt,& sunt primæ partes Mundi,minimè putandum est,saltē in partibus nonnullis,ea non esse prædita sua puritate,& sinceritate. Et confirmatur: quia vt dicitur in tertio Physicorum, 32. In æternis esse & posse,non distinguuntur,& præsertim dum cōducunt pro vniuersi perfectione. Præterea,idipsum Inductione redditur notum, nam progrediendo per species singulas,quæ Vniuersum complent, nulla earum inuenitur, quæ aliqua in parte sua postrema perfectione non fruatur, quare id quod in cæteris inspicitur, de Elementis negare non debemus. Insuper experientia nos docet,quod cum Elementa præter naturam fuerint affecta, per naturam propriam constitutionem naturalem recuperant,veluti Aqua præcalefacta ex se redditur frigida,cōstituta extra suum locū,ex se in eum reuertitur, quare consimiliter putandū est, quod dum fuerint in suo loco,& abfuerint contraria,omnem dispositionē præter naturam longe a se repellant,conducente communium causarum fauore & recta cōstitutione. Præterea,omne quod reperitur complicatum cum alio,& el non repugnat reperiri seorsum à suo contrario,etiam seorsum reperitur. At datur mixtum in quo Elementa impura inueniuntur, & nil repugnat ea inueniri seorsum à cōtrario, igitur etiam inueniuntur. Elicitur hæc ratio ex Auerroe,in primo de Cœlo,cont.8.& confirmatur,quia conditio miscibilium est vt sint apta seorsum reperiri,vt dicitur in primo de Ortu & interitu, c. de mixtione. Præterea nisi darentur Elementa pura,non daretur motus rectus simplex,nam motus simplex simplicium est,consequens ab Aristotele in primo de Cœlo iudicatur absurdum, quia tunc daretur motus simplex secundum naturam, qui nulli competeret. Insuper comprobatur eadem sententia authoritate Aristotelis in 3. de Gen. Anim. cap.11. dicentis: Ignis apud nos est forma in aliena materia: sed Genus hoc apud Lunam quærendum est,indicans apud Lunam inueniri purum. Et in secundo de Ortu & interitu, 22. ait extrema & sincera, Ignis & Terra, indicans extrema inueniri sincera,media verò esse nō absolutè mixta,sed impuriora extremis,cum sint in medio contrariorum posita. Demùm opera sunt quæ nobis patefaciunt conditionem rerum, sententia est Aristotelis in quarto Meteororum,tunc vnumquodque esse perfectum, dum valet simile procreare: at partes variæ Elementorum generant alias sibi similes, quare sunt præditæ postrema perfectione. Hæ sunt potiores Rationes quæ nobis suadere videntur inueniri in Vniuerso Elementa secundum aliquas partes sincera & pura. Ex aduerso tamen variæ se nobis offerūt rationes,& authoritates,quæ magis vrgent,& efficacius ostendunt,in Vniuerso nullam Elementorum partem inueniri quæ pura & sincera omnino sint. Hoc conspicue affirmat Arist. in 2. de Ortu & interitu, 20. inquiens: non est autē Ignis & Aer,& vnumquodque dictorum simplex, sed mixtum, simplicia verò huiusmodi quidem sunt, non tamen eadē, vt quod Igni simile Igneum, non Ignis,& quod Aeri, Aerum, non Aer. Similiter de cæteris Ignis autem est excessus caloris, vt glacies frigoris, ideo nec ex Glacie, nec ex Igne aliquid fit,&c. Nec dicendum cum D.Th. quod Aristoteles non ex propria, sed ex Empedoclis sentētia loquatur, conspicuè Philosophus ex propria opinione loquitur, nec id ex sententia Empedoclis proferre valuit, cū ei tribuat, quod existimauerit Elementa inuicē permutari non posse, nec vllo pacto remitti. Similiter minus rectè ait Philoponus, Arist. per mixta denotasse composita ex ma-

Rationes pro parte aduersa.

Aduersus D. Thom.

Aduersus Philoponū.

tetia & forma, nam aliud est mixtum, aliud compositum, Arist. ait ea esse mixta: insuper, ait esse Ignea, non Ignem, Aeria, nō Aerem: at sola compositio ex materia & forma non destruit, sed constituit naturas Ignis, & Aeris. Simplicius ostendit Elementa non esse sincera, quoniam corpus præditum Qualitatibus secundis sequentibus Temperamētum, minime purum est, at singulę partes Elementorum a nobis videntur, vt colore vel perfecto vel imperfecto prędita, singulæ degustantur vt præditæ aliquo sapore, nulla itaq; earū est sincera, & pura. Prǽterea, ex Galeno satis pulchræ eliciūtur rationes. Nam ordiendo ab Aqua si daretur pura, vel esset congelata, vel fluens, nō congelata, quia Glacies est via ad Terram, & proprio termino circumscribitur, quod humido aduersatur, & est aliquid Meteorologicū; Hinc Alexander in 1. Nat. qq. cap. 6. recte inficiatur Glaciem esse aquam, puram non fluentem, quia non est summe frigida, Glacies enim frigidior est, cum dicatur excessus frigoris. Et confirmatur: quia Aristoteles in 5. de Gener. Animalium, cap. 3. inquit. Dum congelatur Aqua, vnà cum calore humor secernitur, & nullus reperitur humor tenuis & fluens sine calore: Et hæc Ratio valde est efficax, & confirmatur: quia si daretur Aqua pura, præsertim ibi reperiretur, vbi maior est Aquæ copia, potentius valens se à contrario incolumem seruare: at in mari est salsa & permixta. Similiter loquendo de Igne, si daretur Ignis purus, vel esset cum incensione, vel ne: cum incensione non est purus, sed tanquam forma in aliena materia, egens alimento: insuper, incensio non est sine humore & luce, at lux in mortalibus est Qualitas secunda, non competens sinceris Elementis, vt recte dixit Auerroes; Si non fuerit incensio, non erit summè calidus; nam inquit Arist. incensionem, esse excessum caloris. Hinc Arist. in secundo de Ortu & interitu, 28. inquit: Maxime flamma Ignis est, hæc autem est fumus ardēs, fumus autem ex Aere & terra constat: si itaq; flamma ab Aristotele dicitur maxime Ignis, & ea non est Ignis purus, igitur sincerus Ignis nō datur. Descendamus ad Terram: Si daretur Terra pura, ea deberet esse densior Adamante, & grauior quouis alio corpore, cum reliqua ex Terra grauitatem & densitatem recipiāt, at portio terræ huius conditionis nusquā, & nunquam inspecta fuit. Nec prodest fuga asserentium huiusmodi Terram puram prope Centrum inueniri, nam fugere ad Centrum est fugere ad tenebras, & præsertim, quia per innumeras fossiones Terræ nunquam inspecta est: in attinentibus autem ad Sensum tenemur fidem adhibere Sensui. Et confirmatur: quoniam Aristot. in lib. De Longitudine & breuitate vitæ, affirmat, cuncta, sub Luna posita vbicunque reperiantur, semper iunctum habere contrarium corrumpens, & vbi materia reperitur, etiam adesse contrarietatem, quare etiam in Centro terræ contrarium & impuritas locum habent. Et Auerroes in quarto Meteororum, commen. decimo, inquit Elementa non inueniri in locis suis sincera & pura. Idipsum patet de Aere, nemo enim purum Aerem inspexit, sed vel non summe calidum, vel frigidum, vel cum Vaporibus permixtum. Quod autem suprema pars, quæ fomes incensionis dicitur, non sit Elementum purum, constat: quia est Vapor, & aliquid Meteorologicū, de quo loquens Aristoteles in primo Meteororum, dixit: Quem propter consuetudinem nuncupamus Ignem, non est autem Ignis, &c. Demum hoc confirmatur satis firma & efficaci Ratione. Nam Elementa ita putandum est in Vniuerso reperiri vt melius sunt affecta & disposita, at dum sunt impura, absolute sunt melius disposita: quod ostendo, quoniam ea quæ in Vniuerso reperiuntur subordinata sunt, vt dicitur in 12. Metaphysicæ, 51. subordinatorum autem vnumquodque eo est melius, di-

Simplicius.

Rationes ex Galeno de prompta.

De Aqua

De Aere.

ſpoſitum,quo proximius fuerit vlteriori fini,Elementum mixti eſt Elementum; ideo impuritas elementorum eſt via ad vlteriorem finem, & eſt ſecundum naturam totius vniuerſi,& ſecundum naturam elementi,vt Elementum eſt.Confirmatur, quia eſſe actu, eſt præſtantius quam eſſe poteſtate, Elementum ſincerum, ſolum eſt Elementum poteſtate, elementum impurum eſt elementum partim actu, partim poteſtate, ideo quamuis ignis, & vnumquodque aliorum, ratione propria, vt ſincerum,ſit magis tale,abſolute tamen præſtantius eſt,dum eſt impurum & permixtum; His accedit, quod eorum impuritas varias & inſignes vniuerſo præbet vtilitates. Ita enim elementa facilius iuuicem permutantur, aptius miſcentur, plura generant, ſunt locus aptior, & temperatior animalium, præbent animalibus alimentum, non adeo inter ſe pugnant, ſed aliqua amicitia ligantur, & omnia in vniuerſo ita ſunt conſtituta, vt magis conducunt pro perfectione vniuerſi, non itaque ſunt omni ex parte ſincera.

Cap. XV.

De ſinceritate Elementorum opiniones variæ & Reſolutio difficultatis.

Opiniones variæ de Elementorum ſinceritate. VT ardua eſt quæſtio de Elementorum ſinceritate, ita ſublimia ingenia non conſentiunt, ſed de ea varia ſentiunt, & enunciant. plurimi interpretum Ariſtot.exiſtimant reperiri in vniuerſo Elementa ſecundum partes abſolute ſincera, & pura. Alij inquiunt reperiri pura ſecundum ſubſtantiam, non recipientem magis & minus, impura vero ſecundum qualitates, alij nullo pacto. *Alexander.* Alex. vir ſummæ authoritatis, in 2.de Anima,c.30. concedit dari Elementa pura, & in ſecundo Nat.qq. cap.17. colligit ignem ſub orbe Lunæ alimento non egere, & *Plato.* eſſe ſincerum, & purum,cum contrario non mixtum. Ex aduerſo tamen Plato, & omnes qui eum ſequuntur,inficiantur dari Elementa ſincera,ideo in Philebo legitur, vnumquodque Elementorum apud nos eſſe exiguum, & vile, nec vllo modo ſincerum,& integrum, nec vim natura ſua dignam ſeruare. Et in Timæo ait Plato, hæc nedum non eſſe elementa, vt ſunt materia & forma, immo, nec ſyllabas,hoc eſt ex ſolis primis elementis compoſita,ſed inuicem permixta. *Simplicius.* Simplicius Platonem ſequens, frequenter negat Elementa inueniri pura, veluti in primo de cœlo, commen. 8. & 20. necnon in quarto Phyſicorum, in expoſitione contex. decimi ſententia Alexandri aſſerentis,dari elementa pura, cumulate reijcitur per rationes prius relatas; Plato eatenus minus recte ſenſiſſe viſus eſt, quatenus exiſtimauit elementa ob id non eſſe pura, quia ſunt prædita Anima, corpus autem viuens includere debet omnia Elementa, ideo dixit omnia elementa eſſe in omnibus, ſed in cœlo eſſe redacta ad cōditionem Igneam, & eminentiorem ſinceritatem, in terra ad conditionem terream, in aqua ad aqueā,& ſic de cæteris:nam elementa animæ ſunt expertia, nec ita ſunt permixta, vt per- *Aduerſus Simplicium.* mixta eſſe debent viuentia corpora. Similiter probandam non puto ſententiam Simplicij, in quarto Phyſicorum de relatam, quod ſi darentur elementa pura, non caderent ſub noſtros Senſus, quoniam cum eis non conuenirent, cum inſtrumenta ſenſuum mixta ſint: hoc inquam verum non puto, quia proculdubio ſenſu tactus perciperentur,qui eſt aptus percipere omnes Qualitates tangibiles, nec requiritur vt corpus ſenſum mouens ita ſit mixtum, vt inſtrumentum eius, *Philoponus.* quod patet: quia videmus cœlum. Philoponus in ſecundo de ortu & interitu, 22. opiniones pugnantes conciliare nititur: inquit enim, Si ignem per viſibile, & terram per tangibile vna cum Platone in Timæo definiuerimus, omnia elementa

menta erunt in singulis, cum omnia & visibilia, & tangibilia sint: at si cum Aristotele ea desi niuerimus per terminari, & nectere, similia vel dissimilia, ita poterunt esse sincera, & si poterunt, etiam erunt. Hoc concilium dubiū est, quia dum sinceritatem elementorum consideramus, essentiam & qualitates inspicere tenemur; De his est dubitatio, quæ si erunt impura, etiam definitiones ab Aristotele traditę eis competent per magis & minus, non autem consimiliter. Propterea absolute cum Aristotele dicendum puto, in vniuerso elementa sincera non inueniri, veluti etiam existimauit Galenus in lib. Hippocratis de natura humana, com. 38. necnon in libro de elementis, capitulo quinto, & sexto. Et pro resolutione difficultatis dico, Elementa posse dici sincera & pura duplici consideratione: primo, id referendo ad illud exactum & purum, mente conceptum, competens Elementis, dum absolute considerantur, vt prima & simplicissima, necnon tanquam mensuræ temperamentorum, & mixtorum, qua consideratione puto Elementa pura nec secundum substantiam, nec secundū qualitates in Vniuerso reperiri, & hoc patefecerunt rationes supra relatę. Secundo, referri potest ea puritas ad elemēta, vt includentia eam puriorem dispositionem, quæ eis seorsum in vniuerso est apta competere, qua consideratione concedo dari elementa pura, quæ est sinceritas nō absoluta, sed potior quæ eis competere valeat, & hoc ostendunt rationes aduersæ, quam resolutionem veram puto, cum de qualitatibus, tum de formis substantiæ elementorum: quia mutuo se consequuntur, & formæ elementorū intensionem & remissionē suscipiunt, vt suo loco patefeci. *Iuersio.* *Resolutio.*

CAP. XVI.

Diluuntur rationes quibus ostendebatur dari Elementa omnino sincera.

EX resolutione difficultatis facile modo est elicere solutiones aduersarum rationum, & variarum difficultatum. Nam quæri solet, an aqua pura & sincera debeat esse congelata, vel fluens? Respondeo, neutram esse absolute puram, vt patefeci, sed quatenus valet in vniuerso reperiri, aqua fluens est sincerior, cum non sit Meteorologicum aliquod, & tam conspicue impura vt glacies. Similiter quæritur, num Ignis purus sit incensio, vel potius id tenue corpus quod sub Luna reperitur? Respondeo, absolute nil eorum esse Ignem purum, vt iam patefeci: facta autem comparatione, & considerando ignem ita purum, vt aptus est reperiri, dico id corpus quod sub Lunæ orbe reperitur, esse Ignem purum; Ita diluitur cōtrouersia, quæ apparet in Aristotele: nam in primo Meteororum, inquit, illum non vere esse Ignem, sed per consuetudinem dici Ignem, indicans ibi ignem purum non reperiri; At in 3. de Generat. Animalium, cap. 11. ait, genus hoc, nempe veri ignis, apud Lunam debere quæri: nam est purus, & non purus, distincta consideratione, vt patefeci. Rationes aliæ aduersæ facilè diluuntur; Dicebatur primo, nil in vniuerso reperiri quod toto suo genere sit præter naturam: patet Solutio, nam patefeci: Elementa constituta in cursu & fine mixtionis, potiorem dispositionem includere, esse proximiora postremo fini, & esse secundum naturam Vniuersi, præferendam conditioni propriæ: sat est, vt inueniantur eo modo pura, quo inueniri valent, ac ita vniuersum erit omni ex parte perfectum. Addebatur, aquam præcalefactam ex se reddi frigidam: Respondeo, Elementa ex se recuperare eam potiorem dispositionem quam assequi apta sunt, pro qua etiam conducunt & conspirant causę communes & propriæ. Dicebatur, quod ea quæ reperiuntur coniuncta, etiam inueniuntur seiun- *Dubitatio de Aqua soluitur. De igne.* *Diluuntur aduersæ Rationes.*

cta,concedo,vt apta sunt inueniri. Ita etiã exponendus est Aristoteles,inquiens Elementa extrema esse sincera,dico esse sincera,facta comparatione, non absolute,& vt apta sunt subsistere. Addebatur, quod non darentur motus recti simplices:Respondeo,sat est ita esse simplices,vt inueniri possunt.Insuper,sunt simplices,quia nõ semper est remissio in Qualitatibus loco mouentibus. Demum, ea impuritas non est talis, vt motum reddat proprie mixtum, quia semper motus dicitur simplex, quousque ex remissione non consurgit forma mixti, quæ sit principium motus mixti. Dicebatur posttemo, Elementa esse perfecta, cum valeant simile generare: dico, ita esse perfecta, vt apta sunt esse, in qua dispositione valent simile generare:nam huiusmodi perfecto latitudine est prędita, vt patet de viuentibus. Sed pulchra ex dictis emergit Dubitatio. Cum considerentur Elementa pura, & non pura, num eorum nomen dicatur de illis Vniuoce, vel Æquiuoce, veluti, cum Ignis dicatur de Flamma, Carbone, Igne posito sub orbe Lunæ, & de sincero penitus: num dicatur Æquiuoce? Alexander in secundo Natur. qq. capit. 17. ait, dici æquiuoce. quod etiam affirmat Auerroes in secundo de Ortu & interitu, 21. in primo de Cœlo, 91. & in quarto de Cœlo, 32. Cui difficultati respondens, dico, Elementa posse considerari, vel secundum essentiam, vel secundum gradus existentiæ: si considerantur secundum essentiam, nomina dicuntur vniuoce: nam essentia in indiuisibili est posita: at si considerantur secundum gradus existentiæ & connexionis cum alio, sic dicuntur non quidem æquiuoce à casu, sed ab vno, quatenus ordine quodam includunt gradus existentiæ alicuius, & definiendo id compositum, ex oppositis vario modo definitur ac definiatur simplex & purum.

Dubitatio. *Alexander.* *Solutio.*

Cap. XVII.

An Qualitates consimiles distinctorum Elementorum sint eiusdem speciei.

COmpetit eadem Qualitas duobus Elementis veluti humor aeri, & aquæ, siccitas Igni & Terræ. Quæritur, an sint eiusdem speciei? Aristot. semper videtur supponere esse eiusdem speciei, ideo solus quattuor statuit Qualitates primas, & ait Elemento quibus Qualitas vna communis est, facilius inuicem permutari, quoniam vnica Qualitas est permutanda, & in Cont. 24. primi de Ortu & interitu, ait: in mutua Elementorum permutatione si qua maneat affectio eadem. Similiter quattuor solas tradit definitiones earum, quæ omnia indicant; humorem omnem esse eiusdem speciei, & ita de cæteris Qualitatibus primis, alioquin Temperamenta non ex quattuor, sed ex octo Qualitatibus cõficerentur. Ex aduerso, qualitates illæ videntur distinctæ: nam aqua excalefacta quamuis sit calida & humida, tamen non est aer, quia seruat humorem Aqueum non Aerium. Similiter aer refrigeratus non est aqua, quia eius humor non Aqueus, sed Aerius est: neque etiam Terra summe excalefacta Ignis est, quia seruat siccum Terreum, non Igneum. Insuper, calor Igneus comburit, destruit, quod non efficit calor Aerius. Proprerea Auerroes sæpe inter calores discrimen ponit, & præsertim inter cœlestem, & elementarem, veluti 12. Metaphysicæ, decimooctauo, secundo de Gener. Animal. cap. 3. quarto Cœli 32. & alibi. Simplicius in secundo, de Cœlo cont. 11. ait alteram Terræ, alteram Ignis esse siccitatem, idipsum asserit Philoponus in primo de ortu & interitu, 72. Comprobantur hæc omnia: quia calor cõsumens humorem, non est idem specie, cum

Quod sint eiusdem speciei. *Quod distinguantur specie.* *Auer.* *Simplicium.*

tie, cum calore humorem seruante, calor Ignis & Aeris ita inuicem se habent. Similiter calor febrilis conspicue differt è calore proprio, & naturali, ille necat, hic vitam seruat, ille actiones lædit, hic perficit, ille coctionem impedit, putredinemque affert, hic facit opposita. Hinc Auerroes in secundo cap. de Substantia orbis ait, forte non est à ratione alienum, vt calor de cœlesti & elementari dicatur æquiuocè, cum eorum actiones sint variæ, ita calor erit duplex, vnus numeratus inter Qualitates passibiles, alter, qui non est è numero huiusmodi Qualitatum, &c. Confirmatur: quia si duo Elementa eandem specie includerent qualitatem, in principiis rerum inueniretur aliquid redundans, sat enim est, vt vnum sit corpus calidum, & similiter de cæteris, pro rerum generatione & conditione. Pro resolutione loquar de calido, in quo plures quam in cæteris apparent varietates, & quod de eo dicam, de cæteris Qualitatibus intelligatur. Calidū vsurpatur dupliciter, & pro Substantia calida, & pro qualitate, pro Substantia non est dubium multiplex dari calidum specie, vt Spiritus, Flamma, & similia. Si sumitur pro qualitate, vel est calidum virtute, vt Lumen, Motus, Piper, quæ specie distinguūtur, vt patet. Vel actu, & hoc vel vsurpatur late pro quouis ad calidum, vel ad aliam Qualitatem reducibili, & hæc etiam specie distinguuntur, ob multas varietates eorum in secundo de ortu & interitu ab Aristotele declaratas. Vel demum, consideratur calor pro Qualitate & propriè sumpto calore, de quo est Dubitatio. Et vtendum est distinctione speciei, & dicendum, esse distinctæ vel eiusdem speciei, contingere dupliciter, vel absolute, & secundum propriam essentiam, vel ex accidenti ob coniunctam cum ea: si consideratur absolutè & secundum essentiam propriam, omnis calor est eiusdem speciei, specialissimæ ex accidenti vere, & ob id coniuncta distinguitur specie. Quod autem secundum propriam naturam omnis calor sit eiusdem speciei, ostendo: nam Qualitatum iudex est Sensus, qui omnem iudicat consimilem, & non decipitur circa proprium obiectum. Confirmatur ratione conspicua: quia calor ignis agens in Aquam, eam disponit ad formam aeris, & vertit in aerem, quod non efficeret, nisi calor ignis & aeris essent eiusdem speciei. Similiter inspicimus sæpe calorem aeris augeri per calorem ignis. Præterea, conspicue patet, omne frigus oppositum calori eiusdem esse speciei, quare idipsum de calore est dicendum. Insuper, quod calor à cœlo productus nō distinguatur specie à calore Elementari, ostenditur per Aristotelem in secundo de cœlo, 41. & in primo Meteororum, asserentem à cœlo per motum calefieri mortalia, incendi, & in ignem verti. Quod etiam calor vitalis ab Elementari non distinguatur specie, elicitur ex Aristotele in 2. de Anima, 41. & secundo de partibus Animalium, cap. 7. asserente, Ignem, nomine ignis denotando vitalem calorem, non esse causam, sed concausam, hoc est instrumentum nutritionis, indicando calorem vitalem à calore Igneo non distingui, & iure profecto, cum calor vitalis in spiritu sit positus, qui ex Elementis producuntur. Rationes aduersæ facile diluuntur. Dicebatur primo, quod aqua excalefacta non est aer. Respondeo, non solus calor & humor constituunt aerem, sed præsertim propria forma, aqua excalefacta est via ad aerem, & quoddam mixtum, cuius calor in vaporibus cum ea mixtis est collocatus, non autem ei est intimus, hinc facile euanescit. Idipsum dicendum de aere refrigerato, & terra excalefacta. Addebatur, siccum Igneum distingui à Terreo. Respondeo, distingui specie ex accidenti ob connexa, opera autem variantur varietate dirigentium, connexorum, & mensurarum, ob quæ dicebatur differre specie ex accidenti, non absolute & secundum propriam essentiam. Ita limitanda est Sen-

De calido.

Calorem omnem esse eiusdem speciei.

Diluuntur Rationes aduersæ.

tent. Simplic. Philosophi, & Auerrois, alioquin falsa esset. Hinc Auerroes in secundo de cœlo, 41. ait, ignem vt ab igne, ita à cœlo gigni posse. Neque in Elementis reperitur aliquid frustra, & redundans, quamuis eadem Qualitas duobus elementis competat, quoniam est necesse singula elementa vnam agentium, alteram patientium Qualitatum includere, vt in præcedentibus patefeci, & hoc varias præbet vtilitates.

Cap. XVIII.

Quattuor Elementorum, quodnam sit præstantius.

Elementorum quodlibet pro Mundi ordine & perfectione, pro mixtorum constitutione, & demum pro viuentium nutritione & conseruatione esse nedum vtile, verum insuper summopere necessarium, Ratio, experientia, & Consensio sapientum patefaciunt: cum quodlibet eorum proprio perfectionis gradu sit præditum; tamen non exigua est, quodnam eorum dignitate cæteris præstet & antecellat. Qua de re sententiæ sunt variæ: Nam Philosophi varij variis Elementis principatum tribuerunt, vt Thales Milesius aquæ, Diogenes aeri, Heraclitus Igni, Hesiodus Terræ, præsertim tamen lis vertitur inter Ignem & terram, hæc enim sunt quæ sibi maxime principatum optare videntur. Pro parte terræ est Hesiodus & Pherecides Chius; Insuper etiam nostri Theologi post cœlum terram aiunt creatam, in Principio enim creauit Deus cœlum & terram, adeo, vt terra ea sit, quæ ob eius præstantiam post cœlum meruerit inter creata corpora numerari. Et quemadmodum datur Paradisus cœlestis, ita datur Terrestris, non autem Aerius vel Aqueus. Plato in Timæo, de terra loquens, ait: Terram autem altricem nostram, circa Polum per Vniuersum extensum alligatam, diei noctisque effectricem esse voluit, necnon primam, antiquissimamque Deorum omnium, qui intra cœlum sunt geniti. Conspicue Plato terram cæteris Elementis videtur præferre. Auicenna in suo lib. de cœlo, capit. vltimo, eandem sententiam approbans, inquit Naturam inter Elementa primo expetere generationem terræ, cæterorum vero Elementorum non primo, sed secundo, quia terra illis egebat vt custodiretur. Confirmatur eadem sententia: quia cœlum pro suo perenni motu eget Terra in medio quiescente, vt dicitur in 2. de cælo, non ita eget aliis; Simplicius in 2. de Cœlo, 47. ait, Pythagoreos terram nuncupasse Thronum, carcerem, & custodiam Iouis, quæ indicant præstantiam terræ, quæ comprobatur rationibus quarum prima sumitur ex loco: nam in loco præstantissimo corpus præstantissimum poni debet, locus autem præstantissimus est medius, qui etiam est tutissimus. Insuper, terra est locus & sedes hominis, & præstantiorum Animalium, vt cœlum Dei & superarum mentium. Prætetea, in mortalibus corpora mouentur vt requiescant, adeo, vt eorum quies dignitate præstet motui, cætera Elementa continenter mouentur & agitantur, sola terra tanquam Regina, in sua sede requiescit. Insuper, terræ præstantiam & dignitatem patefaciunt homines, qui terram colunt, terram emunt, terram statuunt diuitias & delitias suas, terræ cupiunt euadere Domini, de terræ finibus & possessione contendunt, eam solam & prodeuntia ex illa, vt fructus, Metalla, & Lapillos, pretiosa appellant, ex terra alimenta hauriunt, & demum, illi soli dicuntur Principes, Reges, & diuites, qui non aeri, vel aquæ, sed terræ præsunt, eiusq; sunt Domini. Hinc terra dicitur antiqua Mater, nupta cœlo, vt communi patri, dicitur matrix & custos hominum, adeo, vt iure principatum sibi optare videatur. Ex aduerso tamen Arist. terram vt loco, ita dignitate infimam iudicat

De præstantia Elementorū sententiæ variæ. *Pro præstantia terræ.* *Plato.* *Auicenna.* *Pythagorei.* *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Pro parte eius aduersa.*

putat

putat enim ordinem præſtantiæ corporum, reſpondere ordini locorum, & iure: nam continens eſt tanquam forma, terminus, & perfectio contenti: hinc mobile primum, quod dicitur locus Dei, eſt menſura ordinis, & præſtantiæ cæterorum ſimplicium corporum, adeo, vt diſtantiora ab eo, etiam ſint ignobiliora, propinquiora verò, præſtantiora. Hinc inſtinctu quodam naturæ, communi voce, dum vile aliquid indicare volumus, dicimus id eſſe fęcem, puluerem, & terram. Quod rationibus oſtenditur, & primo. Similiora cœlo ſunt præſtantiora, cœlum eſt perſpicuum, & cum eo tria ſuperiora Elementa, ſola terra ſe offert aduerſa cœlo, & adeo opaca, vt ſua opacitate ſit origo Noctis, tenebrarum, & Eclipſis, reliqua Elementa ſunt capacia radiorum & luminis, terra cum radiis pugnat, eoſque repellit. Præterea, calor Qualitatum agentium eſt præſtantiſſimus, amicus naturæ, purgans, attenuans, & eleuans, terræ competit oppoſitum eius. Similiter Qualitatum patientium humor eſt præſtantior, cum ſit tanquam forma, & fundamentum vitæ, cuius oppoſitum competit terræ. Præterea, Ignis in actione eſt potens, penetrando in alia acutus, in productione formans, in mixtione perficiens, in mixtorum conſtitutione origo ſplendoris & lucis, in viuentium productione ſummè vitalis, partes habet tenuiſſimas, plurimum includit formæ, minimum materiæ, ſua conditione maximè eſt purus, alienas qualitates reijciens, ſolus non eſt obnoxius putredini, eſt cælo vt loco, ita conditionibus ſummè conſimilis, à cælo motu & lumine primo & præſertim ſeruatur, vna cum cęlo tanquam eius ſocius continenter reuoluitur, & figuram extimam proximè à cælo recipit exquiſitiſſime rotundam, quæ omnia conſpicue Ignis præſtantiam nobis patefaciunt. Hinc Simplicius in primo Phyſicorum, quinquageſimoprimo, ait: Ignis dum manet ignis, quia ſimilior eſt formæ, non recipit contraria, vt reliqua Elementa, & Plotinus, En. prima libro ſexto, capitulo tertio, inquit: Ignis pulcher eſt præter cætera corpora: nam ſi cum cæteris comparetur, formæ obtinet locum, cauſſa eſt Lucis, & pulchritudinis cæteris, eis eſt eminentior, ſubtilior, & incorporeæ naturæ propinquior, ſolus non recipiens aliena, cum ea alia recipiant, calorem primus habet, emicat, fulget tanquam ſpecies, &c. Hinc veteres Ignem verebantur extinguere, ne viderentur naturæ cælitus viuæ, vim inferre. Et Alexander in ſecundo Natur. quæſtionum, capitulo tertio, & cum eo Auerroes in primo de ortu & interitu, com. decimooctauo, inquit, mixta quæ plus Ignis includunt, eſſe præſtantiora. Ita ignem vt velociſſimum, ita omnium corporum potentiſſimum iudicamus. Colligamus itaque ignem vt loco, ita dignitate cæteris Elementis antecellere.

Simplicius. *Plotinus.* *Alexander.* *Concluſio.*

CAP. XIX.

Reſolutio difficultatis de præſtantia Elementorum.

APparuit Elemento ignis primum dignitatis Locum eſſe tribuendum: at quia Rationes aduerſæ non exiguam afferunt difficultatem, ideo pro reſolutione difficultatis, & aduerſarum rationum ſolutione, duo præaccipienda ſunt. Primum eſt, apud nos vt plurimum euenire, vt quæ magis ſunt neceſſaria, etiam ſint viliora, & origine prima, quod patet exemplo Materiæ, & multorum aliorum, & nos frequenter pluris facimus ea, quæ magis nobis neceſſaria ſunt, vt pluris facimus panem quam literas. Accipio ſecundo, præſtare alteri, dupliciter contingere, vel conditione propria, vel munere alieno, veluti prima materia quamuis conditione propria ſit vilis, tamen vt induta præſtantibus formis, plurimum dignitatis includit. His præaſſumtis, dico ignem ab-

Pro reſolutione primum quod accipitur. *Alterum quod accipitur.*

Resolutio. solute & sua conditione præstare terræ, terram tamen maxime nobis esse necessariam, & ob semina, & munera à cœlo recepta reddi præstantiorem, & pretiosiorem. Ex quo aduersarium rationum solutiones facile eliciuntur: nam authoritati deprompta ex Genesi, vbi legitur, In principio creasse Deum cœlum & terram, dico, eam indicare imperfectionem Terræ, fit enim mentio de duplici corporum extrema conditione, nempe præstantissima, & vilissima, quorum corporum vnum est tanquam forma, alterum tanquam materia, connotando cætera vt contenta inter ea. De sententia Platonis in Timæo, nuncupantis terram antiquissimam Deorum omnium, infra cœlum genitorum, inquit Foxius, Platonem nomine terræ denotasse vniuersum mortalem orbem, per Deos vero homines; Sed errauit: nam Plato conspicue de terra loquitur, vt contradistincta à cæteris elementis, hinc illam nuncupat altricem nostram, diei noctisque effectricem, nec per Deos denorauit homines, primo, quia eos non consueuit nuncupare Deos, cum sint mortales. Respondeo, quia non sunt eiusdem ordinis cum Terra, adeo, vt inter eos & Terram cadat ea comparatio. Tertio, quia ex sententia Platonis in Phædro, mortalis orbis non est Deus vnus, sed quattuor, ob quattuor animas Elementorum, mentis compotes. Dicamus itaque, Platonem nomine Terræ, proprie Terram denotasse, & per Deos intra cœlum genitos, denotasse cætera elementa, quæ in Phædro Deos appellauit. Terram dixit antiquissimam, tum, quia maxime præ se fert materiam origine primam, tum quia maxime est necessaria, tum quia pro cœli motu primo requiritur tanquam Centrum, tum demum, quia in eodem Timæo, Plato dixit, cuncta Elementa inuicem permutari excepta terra. Ponitur Paradisus Terrestris non Igneus, vel Aerius: primo, quia homo sua corporis conditione est incola terræ. Secundo, quia terra alienis muneribus maxime est ornata. Auicennæ, dicenti naturam primo expetere terram; Respondeo, eam expetere ratione necessitatis, & pro motu cœli, non absolute, cætera Elementa dicuntur conducere, pro salute eius, vt Princeps pro salute populorum, & formæ pro perfectione materiæ, est enim auxilium Regium non seruile. Insuper considerandum, Elementa ad duo referri posse, primo ad motum cœli, ita dicimus pro cœli motu necessariam esse quietem terræ in medio, secundo, ad ordinem conseruationis à cœlo, ita dicimus cœlum proxime seruare ignem, mox per consequutionem cætera, de sententia Pythagoreorum, dicentium terram esse Thronum Iouis, carcerem & custodiam. De sententia Pythagoreorum alibi plura dixi, nunc breuibus dico, eos huiusmodi Metaphoris varia denotare voluisse: terram dixere Thronum, quia in ea ab hominibus colitur Deus, in eaque refulgent varia iudicia Dei, per varias hominum sortes. Dicitur carcer Iouis, quia viri vitiosi, qui filij terræ dicuntur, cum viuant vitam corporis, & sequantur propensiones eius, apud inferos cruciantur, & dant pœnas suorum delictorum. Dicitur custodia Iouis, tum quia praui in terris sub Iouis custodia quasi carceribus detinentur, tum insuper, quia cœlum voluitur circa terram, quasi terræ vt centro sit alligatum. Ratio sumpta ex loco soluitur ab Aristotele in secundo de cœlo septuagesimoquarto, dicente, medium esse duplex, vnum perfectionis, alterum molis, cœlum est medium perfectionis, ex quo vt ex corde pendet salus vniuersi orbis. Terra est medium molis, & in loco medio secundum molem, quod mediũ non semper est præstantius. Insuper, mundus consideratur dupliciter, primo, secundum orbiculatam eius figuram, ita terra est in medio; Secundo, inspiciendo motum rectum Elementorum, & ordinem quo cuncta pendent ex primo, qua considera-

Solutiones aduersarum Rationum. *Foxius.* *Explicatur sententia Platonis.* *De sententia Pythagoræ.* *Medium duplex.*

consideratione cœlum dicitur supremum, terra infima, cœlum sursum terra deorsum, reliqua verò media. Addebatur, terram esse sedē hominum. Respondeo, id euenire non ex præstantia, sed ex necessitate terræ, non ex dignitate absoluta, sed aliunde recepta, non ex conditione humanæ mentis, supera petentis, sed ex conditione corporis mixti in quo dominatur terra, & alimenta recipit ex ea: afferebatur ratio sumpta ex quiete, dico ex ea colligi oppositum: nam motu recto mouentur corpora vt quiescunt, hoc est, vt assequantur locū suum, quem cum fuerint assequuta, quo erunt præstantiora, eo magis imitantur cœlum, & vna cum eo reuoluuntur in orbem, non autem ocio torpent. Terra dicitur antiqua, & communis mater, primo, quia plurimum materiæ tribuit Animantibus; secundo, quia ea seruat & nutrit per semina aliunde recepta, est mater corporum, non Animorum. Dicebatur, terram plurimi fieri. Respondeo, plurimi fieri ob munera aliunde recepta, & ob necessitatem: nam terra pura frigida solum, & sicca, fœcunda non est, & nullius est precij, redditur autem fœcunda per mixtionem cum aliis. Et cum terra absolute Elementorū omnium sit vilissima, non ob id videtur Ignis præstare cæteris: nam pulchra se offert Dubitatio, quia videtur Aer dignitate præstare Igni, primo, quia aeri competunt duæ Qualitates præstantiores, nempe calor & humor, quæ ambæ formam denotant, siccitas autem Ignis potius priuationem; Et confirmatur, quia Temperamentum Igneum, calidum, & siccum, non est optimum, sed potius Aereum; calidum & humidum, id enim bili, hoc vero sanguini humorum præstantissimo respondet. Pro solutione dico, ordinem dignitatis Elementorum respondere ordini Qualitatum primo eis competentium, vt enim calor humori, humor frigori, & frigus siccitati præfertur, ita ignis, cui primo competit calor, præfertur Aeri, cui primo competit humor, & aer aquæ cui primo competit frigus, aqua terræ, cui primo competit siccitas. Insuper, quamuis siccitas absolute sit vilior humore, tamen iuncta calori illum reddit acutiorem, & aptissimum ad efficiendum, formandum, & penetrandum in alia. Ad instantiam de mixtis, dico, mixta dupliciter considerari, primo, absolute vt mixta, qua consideratione, vt recte ait Auerroes in primo de ortu, & interitu, 18. & affirmat Alexander in secundo Nat. quæst. mixta magis ignea sunt præstantiora. Secundo, vt ordinata in aliquem vsum, ita varia mixta præferri possunt, ratione varietatis finium, pro quibus conducunt. Insuper secus se habet de Elementis, quorum officium in mixto est formare, & formari; terminare, & terminari, secus de mixto quod ex formante, & formato, & præsertim ex calido & humido constare debet, absolute enim formantia præferuntur, quod præsertim competit igni. Colligamus itaque, ordinem absolutæ præstantiæ Elementorum respondere ordini eorum in vniuerso, adeo, vt terra omnium sit vilissima & infima.

Cur terra antiqua mater. *Num Ignis præstet.* *Resolutio.* *Conclusio.*

CAP. XX.

Cur aqua non vndique Terram ambit.

DVM simplicium corporum ordinatissimam seriem intuemur, inspicimus superiora vndique ambire cōtenta, idque seruari in omnibus præterquam in aqua & terra, non enim aqua vndique terram intra se claudit, sed plurimæ terræ partes inspiciuntur aridæ, proxime iunctæ cum Aere non inundatæ aquis, cuius varietatis causa latet, & digna est, vt accurate indagetur, & præsertim quia ea videtur dispositio præter naturam & violenta, cum aqua sit locus Terræ secundum naturam, nil autem violentum sit æternum; Augetur dubitatio, quia

Dubitatio proponitur.

aiunt plurimi viri docti, qui Maria & Terras peragrarunt, partes terræ aridas, esse plures partibus inundatis. De re hac eximiam pariente admirationem, variæ sunt sapientum sententiæ: Legitur in lib. de proprietatibus Elementorum, qui falso Arist. adscribitur, existimasse nonnullos Philosophos, terram in origine Mundi fuisse exacte rotundam, & vndique aquis circumtectam, ex cõmotione autem Aquarum, quæ terram perforarunt, ortum duxisse montes, & sinus marium. Quæ sententia vera non est: tum quia indicatur id non fuisse factum propter finem, sed ex necessitate materiæ duxisse ortum: tum, quia ex sententia Aristot. Mundus est æternus, & æterna est dispositio hæc Elementorum; tum demum, quia si Mundus fuit creatus, vt re vera in principio creatus fuit, non per impetum Aquæ quærentis sui natura locum super terram, id factum fuit, sed Dei prouidentia constituente Animalibus, & præsertim homini sedem.

Augetur dubitatio. *Opinio 1.* *Euersio.*

Opinio 2. Propterea inquiunt alij, ex siccitate Terræ id ortum ducere, quæ in nonnullis partibus humorem aquæ consumens, terram reddit ab inundatione incolumem.

Euersio. Quæ ratio etiam approbanda non est, primo, quia terra vndique sui natura est consimiliter sicca, ideo vt ad eam pertinet, consimiliter vndique se habere deberet. Insuper cum Aqua sit locus proprius terræ, & nullum Elementorum consumat locum suum, non debet à Terra consumi, & præsertim, quia aer magis est contrarius terræ, quam aqua.

Opinio 3. Conciliatoris. Conciliator differentia 13. & cum eo Astronomorum nonnulli, aiunt Stellas quasdam vertici Septentrionali proximas, sub eo vertice, siue Polo; Aquas detinere, ne fluant, & vniuersam Terram inundent.

Euersio. Quæ opinio longe abest à vero. Primo, quia influxus distincti à lumine & motu suo loco explosi sunt, lumen autem & motus cæli id minime efficiunt, & præsertim quia sub Polis exiguam habent vim. Præterea, experientia docet, nullibi aquas reperiri, quæ præter naturam ab alio detineantur ne fluant, sed vbicunque littora, vel ripas superant, necessario fluunt: Hinc Arist. in primo Meteororum ait, Maria ex Septentrione continenter fluere in meridiem.

Opinio 4. Ideo alij dixerunt, hoc factũ esse Prouidentia Dei pro salute animalium. Sed hoc non remouet difficultatem: non est dubitatio de fine & Prouidentia Dei, sed de causa efficiente & proxima, per quam ea dispositio competit terrę.

Sententia propria. *Finis.* Dicamus itaque, huius tam salutaris & admirabilis constitutionis terræ & aquæ, non vnam sed varias distincto genere esse causas. Nam si de fine loquimur, consentiunt sapientiores omnes, eminenti prouidentia Dei factum esse, vt Terra in nonnullis partibus esset arida, alioquin Mundus non esset omni ex parte perfectus, id enim est necessarium pro generatione Metallorum, Plantarum, & præstantiorum Animalium, insuper, pro conseruatione & nutritione eorundem; Præterea, id etiam conducit terræ, vt liberius recipiat radios syderum, exactiusque seruet siccitatem suam. Demum, ita redditur locus mixtioni magis accommodatus, cum nedum ab Aqua, verum etiam ab Aere tangatur. Missas facio alias vtilitates, & cum de modo sit Dubitatio, dico, id oriri ex nonnullis causis per se, ex aliis ex accidente; Causæ per se, in vario genere sunt variæ, de fine iam dictum est.

Forma. Forma est ipsamet affectio competens Terræ, nempe eleuatio montium, depressio vallium, & inundatio & ariditas. Assignandæ sint causæ in genere efficientis & materiæ, causa efficiens remota est cælum, & præsertim Sol; qui suo lumine & motu excalefaciens partes terræ madidas, vapores gignit, montes eleuat, cauitates, meatusque varios in terra parit, adeo vt Cælum sit causa communis & remota, Lumen & motus, sint instrumenta eius, calor, spiritus, & vapores geniti, proxime & intimius operantur, partes nonnullas Terræ eleuant, cauitates

pariunt,

pariunt, sinus & valles efficiunt, in quas aqua sui natura fluens, effunditur, & partes nonnullas magis eleuatas Terræ deserit aridas. Hoc seruari inspicimus in panis constitutione, dum enim calor in mixtum ex aqua & farina operatur, partes nonnullas eleuat, meatusque varios in eo efficit. Pro hoc etiam conducit causa per priuans, nempe distantia Terræ à Cœlo, cum enim Elementa ex se figuræ sint expertia, figuramque à cœlo recipiant, quia terra ab eo maxime distat, imperfectissime omnium figuram rotundam recipit, & præsertim, quia siccum Terreum cum difficultate figuratur: hinc ob inæqualem partium extrematum eius à Centro distantiam, non æque mergitur sub Aqua. Vt pertinet ad causam in genere materiæ, huiusmodi causa est conditio terræ densa & crassa, quæ iuncta cum humore Aqueo, illum imbibit, & per superuenientem actionem caloris varias recipit figuras, & inde prodeunt varij halitus, qui meant per viscera terræ, & pariunt Terræmotus, eleuantes & deprimentes partes terræ, adeo, vt aqua per sinus & viscera eius fluere valeat. Et cum terra, sit apprime dissimilis, & sit in medio Mundi, per centrum, non molis, sed grauitatis eius, iure euenit, vt partes à centro distantiores remaneant aridæ. His accedunt ex accidenti impedimenta nonnulla, detinentia fluxum. Exemplo id nobis ostendit Arist. in calce lib. Meteororum, necnon author libri de proprietatibus Elementorum, referunt enim Sesostrem & Darium Reges, destitisse à sectione & fossione cuiusdam portionis Terræ inter duo maria positæ, ne ob id variæ regiones inundarentur, in quas ob impedimentum oblatum per illam terræ portionem eleuatam, Aquæ detinebantur ne fluerent. *Materia.* *Causa ex accidēti.*

Cap. XXI.

Colliguntur ex dictis Varia, vtilia cognitu & rationes aduersæ diluuntur.

QVoniam ex dictis conspicuum est, Elementum aquæ in cauitatibus & sinibus terræ recipi, & ob id vniuersam terram non inundare, inde elicio primo terram & aquam non vere duos distinctos orbes constituere, sed ex eis vnum consurgere, ita se habentem, vt portio ad Centrum vergens Terra sit, portio vero à Centro distantior, partim Aqua, partim Terra sit. Hinc eorum sententiam approbandam non puto, qui in Centro vniuersi tartarum & ingentem aquarum copiam inueniri existimarunt, ac inde quattuor principalia flumina ortum ducere: nam procul dubio ea esset constitutio omnino præter naturam, cum Terra sit grauior aqua, & sui natura medium quærat. Insuper elicio, quod dum per Astronomica instrumenta mensuratur ambitus Terræ, non solius terræ, sed coniuncti ex Terra & Aqua globum mensurari; Colligo insuper, dum dicimus per vmbram terræ Eclipsari Lunam, eam esse vmbram non terræ solum, sed coniunctæ ex Terra & Aqua, quod totum per terram redderetur opacum. Præterea, colligo, aquam nulla violētia detineri à Stellis ne fluat: nam si ducantur lineæ à Centro terræ, longiores erunt, quæ ducentur ad montes, & terram aridam quam quæ ad extimam superficiem aquæ. Insuper, colligo eam terræ dispositionem ab inundante aqua liberam non penitus esse contra naturam, sed esse secundum naturam totius, quatenus conducit pro vlteriore & potiore fine; & quatenus pendet ex principiis & causis secundum naturam operantibus. Insuper esse secundum naturam propriam, quatenus ad id Terra sua ariditate conspirat, & per id vberius recipit actiones luminis, & munera cœli, *Primum quod elicitur.* *Alterum quod elicitur.* *Tertium quod elicitur.* *Quartū quod elicitur.* *Quintum quod elicitur.*

& cumulatius redditur Elementum mixti. Et quamuis in parte concedatur non esse secundum propriam naturam, tamen id non competit Vniuersæ terræ, sed parti, quæ partes etiam variantur, vt variantur loca inundationum, adeo, vt nil idem numero violentum, nec in vniuersa specie sit æternum. His demum addo, quod quamuis vniuersa terra non inundetur Aquis, Vniuersa tamen ambiri dicitur vel ab aqua, vel ab Aqueo, quatenus aer proximus terræ est tamquam vapor & aqua disgregata, vt dicitur à Philosopho in primo Meteororum, & etiam partes aridæ terræ, frequenter pluuiis, fluminum inundationibus, Rore, & pruina humectantur. *Sextum quod elicitur.* Ex his etiam elicere valemus quod recedentia à Cœlo, ordine quodam priuentur dispositionibus cœli: nam Ignis secundum extimam superficiem exactè est sphæricus, non ita secundum intimam, per quam inclinat ad figuram oui, quia sub polis minus Ignis reperitur, aer nec secundum extimam, nec secundum intimam est sphæricus, magis tamen est talis, quam Aqua, Terra demum minime omnium est Sphærica. Similiter superiora corpora liberius & velocius mouentur, terra demum requiescit, superiora sunt Lucida & perspicua, media sunt tantum perspicua. Terra nec lucida, nec perspicua: *Conclusio.* Quare si præclaras Cœli dispositiones magni facimus, terga vertamus Terræ & properemus ad cœlum.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Elementis,

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Proponitur agendum de formis Elementorum & capita opinionum referuntur.



De formis Elementorum. QVAMVIS plura & varia pro Elementorum notitia in priore libro sint explicata, tria tamen adhuc accurata consideratione digna explicanda supersunt, quorum vnum attinet ad eorum formas, alterum ad mutuam permutationem, Tertium ad Lationem: Ordiens à formis, considerandum propono, quæ iudicari debeant substantiales formæ quattuor simplicium corporum, quæ Elementa nuncupantur. Pro notitia accipio quattuor hæc vocata Elementa tripliciter posse considerari, primo vt sunt Substantiæ, & corpora naturalia, ex duplici natura constituta. Secundo vt Elementa Mundi. Tertio vt Elementa mixtorum. Primo enim origine sunt corpora naturalia. Secundo suo ordine Mundum constituunt. Tertio, mixta. *Dubitatio.* Sed hoc dignum occurrit inquisitione, quænam earum trium considerationum maiorem simplicium corporum *Solutio.* indicet perfectionem. De qua breuibus dico, comparationem dupliciter intelligi pos-

ligi posse, primo, inter esse absolute & esse relatum, & ita esse absolutum præfertur, cum sit fundamentum relationis, prius natura & dignitate, relatione ei superueniente; Secundo, inter fundamentum seorsum à relatione & illud cum relatione iunctum, secundum quam comparationem, dum relatio præstantiam indicat, & ordinem in vlteriorem finem, complicatum ex fundamento & relatione est præstantius fundamento solo, adeo vt cum Ignis sit & Ignis, & Elementum mundi, & elementorum mixtorum, dignior est vt Elementum mundi quam vt Elementum mixtorum, quia refertur ad Mundum, qui præstantior est, & dignior est dum cōsideratur, vt Elementum mixti, quam vt ignis absolute. Insuper animaduertendum, quod vt triplex est consideratio simplicium corporum, ita per tria proxime constituuntur: nam sunt Elementa mundi per grauitatem & leuitatem, sunt Elementa mixtorum per quattuor primas Qualitates, sunt simplicia naturalia corpora, per proprias formas, quæ sunt naturæ & substantiæ eorum, de quibus quænam sint, modo considerandum proponitur. *Elementa per tria constituuntur.* Res ardua & obscura est, de qua præsertim quattuor sunt opiniones: nonnulli, è quorum numero est Auerroes, aiunt huiusmodi formas esse grauitatem, & leuitaté. Alij quattuor Qualitates alterantes, quidam inquiunt simplicia corpora constitui per cōspirationem Qualitatum loco mouentium, & alterantium simul, tanquam differentiarum constituentium propriam eorum formam esse aliquid distinctū à qualitatibus alterantibus & loco mouentibus, quod sit prius illis, & quia sensum fugit, ideo per illas circumscribitur. *De formis Elementorum opiniones quattuor.*

CAP. II.

Opinio & fundamenta asserentium grauitatem & leuitatem esse proprias formas simplicium corporum.

EXistimauit Auerroes grauitatem, & leuitatem vel summas, vel comparatione medias, esse naturas formas Elementorum, ideo in quarto de Cœlo com. primo inquit, manifestum est quod formæ Elementorum sunt grauitas & leuitas, & com. 1. addit, grauitatem & leuitatem esse principia efficientia motuum, & asserere ea esse accidentia impossibile est; Idipsum affirmat tertio Cœli, 17. & in primo de Cœlo, 17. inquit, & intelligi debet per descriptionem grauis & leuis natura, quæ nata est mouere à medio, vel ad medium, quamuis ea nomina populariter solum dicuntur de accidentibus. Clarius idipsum affirmat in secundo de Anima. com. 108. inquiens, quale solum æquiuoce dici de calido & frigido, & de graui & leui: nam graue & leue sunt in prædicamento substantiæ, & non percipiuntur tactu, nisi per motum dum mouetur à graui & leui, conspicua est sententia Auerrois: nam ex eius opinione dicendum est, grauitatem & leuitatem dupliciter vsurpari, primo, pro vera forma, quæ est principium motus, secundo, pro compressione corporis & propensione ad proprium locum; In prima significatione est vera, & propria forma Elementi, in secunda est accidens. *Opinio Auerrois.* Fundamenta opinionis huius varia sunt, vnum est, id est forma & natura, quod est internum principium motus, ex definitione naturæ, tradita in secundo Physicor. grauitas & leuitas sunt huiusmodi, quod patet ex eorum definitionibus. Nam Aristoteles definiens graue & leue in primo de Cœlo, 17. & quarto, de cœlo, context. 2. inquit, esse id quod natum est ferri ad medium, vel à medio & in quarto; de cœlo, 24. ait, vt sanabile fertur ad sanitatem, quia sanabile, ita graue tendit deorsum, quia graue, & leue, sursum, quia leue. Alterum fundamen- *Primum Fundamentum.*

Alterum fundamentum. tum elicitur ex secundo de Anima, 108. nam grauitas vel est Qualitas, vt multi censent, vel Substantia, non primum: quia esset sensibile proptium tertiæ speciei Qualitatis, quod falsum est, non enim percipitur grauitas nisi per motum, ex ea prodeuntem, quare est substantia & vera forma Elementi. *Tertium Fundamentum.* Præterea, si grauitas & leuitas essent Qualitates, quia non sunt primæ, essent posteriores quattuor primis Qualitatibus, & sequerentur eas, quod si esset, tunc errasset Aristoteles, qui prius egit in libro, de cœlo de graui & leui, mox in libris de ortu & interitu, de quattuor primis Qualitatibus, non itaque sunt accidentia & Qualitates, sed Naturæ & Substantiæ, de quibus vt prioribus primo fuit agendum. *Quartū Fundamentum.* Præterea, Elementa prius sunt Elementa Mundi, quam mixti, sed sunt Elementa mundi per grauitatem & leuitatem, Mixti vero per quattuor primas Qualitates, igitur grauitas & leuitas sunt priores quatuor primis Qualitatibus, prius autem Qualitatibus primis non potest esse Qualitas, quare sunt Naturæ & Substantiæ. *Confirmatio.* Et confirmatur: quia vt se habet latio ad alterationem, ita principium lationis ad principium alterationis, sed ex 8. Physicorum, latio est prior alteratione, igitur grauitas & leuitas, quæ sunt principia lationis elementorum, antecedunt primas Qualitates, quæ sunt principia alterationis, & propterea non debent iudicari Qualitates, sed substantiæ, alioquin daretur qualitas prior qualitatibus primis. Hinc Aristoteles, in primo de cœlo, per lationes simplices nos ducit in notitiam naturæ simplicium corporum, lationes autem Elementorum ex grauitate & leuitate pendent, & eas nobis patefaciunt. Et quia cœlum non mouetur motu recto, infertur, nec graue nec leue esse. Cum autem grauitas, & leuitas ex sententia Auerrois sint veræ formæ Elementorum, ideo in 4. de cœlo com. 40. inquit, formas Elemētorum esse diminutas, & loca eorum quamuis sint accidentia, tamen esse causas earum, vt etiam quattuor primę Qualitates earundem sunt causæ. At de substantiis præstantioribus inquit contra se habere: nam earum differentiæ non valent esse accidentis, cum tamen differentiæ Elementorum ex alio prædicamento sumantur: nam sumuntur ex loco quod accidens est, cum definiantur per sursum & deorsum.

CAP. III.

Reiicitur opinio putantium Grauitatem & Leuitatem esse formas Elementorum.

PVtantes grauitatem & leuitatem esse formas Elementorum conspicue pugnant cum verbis Philosophi, numerantis grauitatem & leuitatem inter Qualitates ad tactum pertinentes, non secus ac calorem & frigus, vt lucide patet ex 2. de Anima, cap. de tactu. Et 2. de ortu & interitu, contex. 6. ex 7. Physic. 11. & 15 & ex 2. de partibus Animalium, cap. 1. & in 5. Metaphysicæ, cap. de Qualitate, grauitatem & leuitatem numerat inter affectiones eorum, quæ mouentur. *Euersio opinionis Auerrois.* *Solutio.* At soluunt nonnulli, dicentes Sententiam Aristotelis debere intelligi de grauitate sumpta pro accidente, Auerroem autem de altera fuisse loquutum. *Euersio.* Quæ Solutio inanis est, primò, quia ea grauitas quam Auerroes inquit esse accidens, nil est aliud nisi propensio, & motus, ideo dixit in 2. de Anima, 108. grauitatem principalem non sentire nisi mediante motu, at Aristoteles locis relatis non de motu loquitur & propensione ad Locum, quæ non sunt Qualitates, sed de forma quam sequitur huiusmodi propensio, & eam dicit esse Qualitatem sequentem quattuor Qualitates primas, quod de motu dici non potest. Præterea Auerroes

Auerroes quarto Cœli, 40. fatetur locum & Qualitates quattuor esse causas formarum Elementorum, & differentias Elementorum sumi ex alio prædicamento à Substantia, ex quo patet, Auerroem denotasse eam grauitatem de qua dixit Arist. quod sequitur primas Qualitates. Præterea grauitas & leuitas vere sunt contraria, quæ vera contrarietas à Substantia abest. Insuper, si essent propriæ formæ Elementorum, Arist. debuisset dicere, mixta vere constare ex graui & leui, quæ manifeste seruantur in mixto, & tamen in 2. de partibus animalium, c. 1. dixit, componi proprie ex quattuor Qualitatibus. Non itaq; putandum est, grauitatem & leuitatem esse formas Elementorum. Rationes aduersæ facile diluuntur. Dicebatur primo, id esse Naturam & Formam, quod est principium internum motus. Respondeo, Naturam esse principium internum principale, grauitas & leuitas, sunt interna instrumenta principij principalis, circumscribentia illud. Addebatur, grauitatem & leuitatem non esse qualitates, cum non per se primo percipiantur Sensu. Respondeo, Qualitates quæ sunt sensibilia propria, sentiri per suas actiones, actio grauitatis & leuitatis sunt propensio & motus, ideo per hæc percipiuntur. Sed pulchra emergit Dubitatio, quia Sensibile propriũ non sentitur per commune, sed vice versa, grauitas & leuitas sunt sensibilia propria, motus verò Sensibile commune. Respondeo, Sensibilia propria non sentiri per communia, nisi ea cõmunia sint actio propriorum; at motus est actio grauitatis, qui motus etiam cum sit Sensibile commune, sentitur proxime per aliquod proprium, nempe per densitatẽ & resistentiam mobilis. Sed instatur, quia sic etiam forma substantialis poterit dici Sensibilis per se, quia per motum quem efficit sentitur. Respondeo, rationem non esse parem: nam Animalia diuiduntur vere in motorem & mobile, adeo, vt Anima per instrumentutum agat in corpus, & per id moueat externa: de graui non sic se habet: nam mouet externa sine alio medio, & ideo grauitas dicitur Sensibilis per se, non autem forma Substantialis. Instabatur adhuc, quia latio est prior alteratione. Respõdeo, esse priorem absolute, at non in eodem: nam in eodem est postrema. Cur autem Aristoteles prius egerit de graui & leui, in libro de primis Qualitatibus patefeci. Ex his colligo approbandam non esse sententiam Auerrois in quarto de Cœlo, cont. quadragesimo, dicentis, differentias Elementorum sumi ex alio Prædicamento à substantia: nam differentiæ sunt in Prędicamento à latere, & per reductionem, & semper rediguntur ad id Prædicamentum cuius sunt differentiæ.

Diluuntur rationes aduersæ. *Dubitatio.* *Solutio.* *Alia instantia.* *Tertia instantia.* *Aduersus Auerroem.*

Cap. IIII.

Opinio & Fundamenta dicentium quattuor primas Qualitates esse formas Elementorum.

Græci interpretes fere omnes de hoc consentiunt, Qualitates primas esse formas Elementorum, at quomodo sint formæ, explicatur vario modo; Nõnulli aiunt, formam Elementi esse Qualitatem illam quæ primo ei competit, adeo, vt calor sit forma Ignis, humor Aeris, & sic de cæteris. Alij aiunt ex duarum Qualitatum concursu tanquam differentiarum, consurgere formam Elementi. Nonnulli addunt, etiam grauitatem vel leuitatem, adeo vt calor, siccitas & leuitas, vna conspirantes constituant formam Ignis. Galenus in lib. de Elementis dixit, primam materiam & quatuor Qualitates esse principia rerum: præsertim tamen modus secundo loco relatus approbatur à Græcis, quamuis Simplicius in 2. Physicorum com. 11. tertium approbet; Alexander variis in lo-

Opinio Græcorum. *Galenus.* *Alexander.*

cis primas quattuor Qualitates dicit formas Elementorum, & præsertim in primo de Anima, cap. de tactu, & sub initio eiusdem libri inquit: in Igne calorem & siccitatem formam facimus, & ab iis, atque in iis genitam leuitatem. Idipsum affirmat in secundo Nat. qq. capitulo de sensu & sensili, com. 30. Simplicius quoque idipsum sæpe repetit, vt in quinto Physicorũ, com. 11. in 7. Physicorum, 23. in primo de cœlo, 36. & in prædicamento substantiæ, declarans eam proprietatem quod non recipiat magis & minus. Philoponus eiusdem fuit opinionis, vt elicitur ex Commentariis librorum de ortu & interitu, & ex disput. vndecima, contra Proclum, capitulo quinto, quo loci ait, dari qualitates, & quantitates ad substantiam attinentes, & calorem non esse accidens, sed differentiam constituentem substantiam ignis. Ammonius quem Græci interpretes plurimi faciũt, eiusdem fuit opinionis: nam exponens prædicamentum quantitatis inquit: Calor in igne est substantialis qualitas, in corpore, trina dimensio, est Substantialis quantitas: idipsum sæpè repetit in prædicamento substantiæ, & qualitatis.

Simplicius. *Philoponus.* *Ammonius.*

Fundamenta huius opinionis varia sunt, principalissimum est hoc, quia operatio patefacit formam, nulla autem operatio Elementorum est, quæ non prodeat ex primis Qualitatibus, per eas enim inuicem agunt, inuicem permutantur, similia generant, mixtumque constituunt, quod si loco moueantur, latio quoque ex primis qualitatibus pendet, cum ex eis pendeat grauitas & leuitas, & ob id à Simplicio & Alexandro, cum primis Qualitatibus nectuntur pro Elementorum constitutione. Præterea, Natura artificiosissima est, superuacaneis non abundans, & quod efficere valet per pauciora, non efficit per plura, at per quattuor primas qualitates perfici possunt omnia attinentia ad Elementa, ideo alia non sunt addenda. Aristoteles frequenter id approbasse visus est: nam in secundo de partibus Animalium, capitulo secundo, ait; sunt enim hæc, vt alio loco exposuimus, initia Elementorum, calidum dico, & frigidũ &c. Et in 2. de ortu & interitu, cont. sexto ait, primum quidem principium, est potentia corpus sensibile, secundum, contrarietates, nempe calor & frigus. Tertium, iam ignis & aqua. Conspicuè inquit Philosophus, Elementa consurgere ex quattuor primis qualitatibus, & qualitates primo in materia recipi, & inde prodire Elementa, accidens autem non est principium substantiæ, nec prius ea, sed econtrario. Hinc in cont. 16. eiusdem secundi libri, qualitates appellat Elementa, non dicerentur autem elementa substantiæ, nisi essent substantiæ; Easdem in contex. 8. nuncupat differentias, & in cont. 36. inquit: Si primæ qualitates essent infinitæ, elementa definiri non possent. Quæ sententia non esset vera, si essent Accidentia, quoniam substantiæ non definiuntur per accidentia. Idipsum lucidius affirmat in duodecimo Metaphysicæ, vigesimosecundo, inquiens: Num omnium eadem sint Elementa, an est quidem vt sic, est autem vt non, puta forsan sensibilium corporum vt forma calidum, & alio modo frigidum, vt priuatio; materia verò quod potentia hoc primum secundum se, substantia autem & hoc, & quæ ex his duorum sunt principiis, vel si aliquid ex calido & frigido fit vnum, &c. Conspicue Philosophus calorem & frigus statuit principia substantiæ, ideo in tertio de Anima, contex. decimo, ait. Sensitiuo calidum & frigidum cognoscit, & quorum ratio quædam est Caro. Præterea, in secundo de anima, 117. inquit quattuor qualitates esse differentias corporis, vt corpus est, at corpus est genus prædicamenti substantiæ, quare primæ qualitates sunt differentiæ prædicamenti substantiæ. Auerroes in duodecimo Metaphysicæ, vigesimosecundo ait, calorem esse formam quorundam Elementorum. Et in calce digressionis in

Fundamentum principale. *Alterũ.* *Aristot.* *Auerroes.*

quartum

quartum Meteororum, conspicue in hanc sententiam venit, inquiens, constare formas mixtorum, non esse aliud, nisi complexionem, siue temperamentum medium in vnoquoque eorum, quod sequitur aliquod accidens eorum, quę numerauimus. Hæc comprobantur: quoniam vt docet Galenus in libro de temperamentis, omnes facultates mixtorum, vt mixta sunt, ex temperamentis prodeunt, non ex alio, & noscentes temperamenta, noscimus vires, & vice versa, & mutatis temperamentis, mutantur vires, temperamenta autem ex qualitatibus primis prodeunt. Demum eadem sententia confirmatur ab Alexandro referente Auerroe, octauo Metaphysicæ, cont. 5. quia id est substantia alicuius, quo remoto remouetur eius substantia; at remotionem primarum qualitatum sequitur remotio substantiæ Elementorum, & remotionem temperamenti remotio substantiæ mixti, quare temperamenta, & qualitates sunt substantia eorum. *Galenus.* *Alexander.*

Cap. V.

Ostenditur qualitates primas non esse formas elementorum.

QVATTVOR primas qualitates esse naturam, & formam propriam Elementorum, cum rationi tum authoritati conspicue aduersatur, vbiq; enim ab Aristotele inter accidentia, & qualitates tertiæ speciei numerantur. Eadem dicuntur principia alterationum ad qualitatem attinentium dicuntur principia secundarum qualitatum, adeo, vt eiusdem ordinis, & generis cum illis statuantur. Insuper vere sunt contrariæ, sunt sensibilia propria sensus tactus, sensus autem non percipit substantiam, nisi ex accidenti, vt dicitur in secundo de Anima, sexagesimoquinto. Manifeste recipiunt magis & minus, quod Græci negant competere formæ substantiæ. Præterea, hæ qualitates in mixtis sunt accidentia, adsunt & absunt sine interitu subiecti, id autem quod vni est accidens, alteri non valet esse substantia, cum sit Ens absolutum, non positum in relatione, & per eam variabile. Præterea, inquit Aristoteles sub initio secundi de partibus Animalium, mixtionem non ex Elementis esse, sed ex virtutibus eorum, calore nimirum, frigore, & aliis: at si hæc essent formæ, cum mixtio fit ex eis, vere & absoluto dicerentur esse ex Elementis, forma enim ea est, quæ rem constituit, eique largitur esse. Insuper, in lib. de sensu & sensili inquit. Ignis non agit vt Ignis, sed vt calidus, at si calor esset eius forma, agens per calorem, vere ageret vt ignis est. Præterea 3. Metaphysicæ 17. inquit. Quæ vero maxime substantiam significare videntur, sunt aqua, ignis, terra, ex quibus composita corpora constant, horum autem calores, frigora, & similes affectiones, non sunt substantiæ, &c. Lucidissime Philosophus inficiatur, qualitates primas esse substantiam & formas Elementorum. Præterea, in octauo Metaphysicæ cont. 5. Qualitates primas ait esse non substantias, sed affectiones rerum sensibilium, quod clarius affirmat in quinto Metaphysicæ, enumerans ea quæ significantur nomine qualitatis nam cum primo dicat, qualitatem dici de differentiis substantiæ, ait mox, qualitates etiam dici affectiones substantiarum mobilium, vt calor, frigus, albedo, nigredo, grauitas, & leuitas, manifeste Philosophus quattuor primas qualitates contradistinguit à differentiis substantiæ, & inquit eas esse affectiones, non secus ac calores, & in context. 6. secundi de ortu & interitu, aduersus Empedoclem ait: quod si Elementa inuicem non mutarentur, non daretur alteratio, at alteratio ad prædicamentum qualitatis pertinet. Præterea, in primo de ortu & interitu, 24. conspicue statuit huiusmodi qualitates acci- *Qualitates non esse formas Elementorum.*

dentia, inquiens, in mutatione Elementorum seruari nonnunquam communes affectiones, vt frigus, & perspicuitatem, Substantiam vero mutari totam. Et in septimo Phys. mutationem huiusmodi Qualitatum ait esse alterationẽ. Nec dicendum est cum Simplicio quod sit alteratio pro via, mutatio autem substantiæ pro termino, nam in motu via non differt ab eius termino, nisi per magis & minus. Præterea, inquit Philosophus in calce 4. Meteororum, actionem formæ Ignis magis latere, actione formæ Carnis & Mixtorum, quæ sententia esset falsa, si calor esset forma Ignis, cum actio caloris sit manifestissima. Præterea, si quattuor Qualitates essent formæ Elementorum, Temperamenta ex eis consurgentia essent formæ mixtorum, quod fatetur Galenus. qui putans Qualitates esse formas Elementorum, etiam censet Temperamenta esse formas Mixtorum, quod tamen est falsum, quia Temperamenta percipiuntur Sensu, & prædita sunt omnibus conditionibus Accidentium. Immo si quattuor primæ Qualitates essent formæ Elementorum, quia illæ sunt Accidentia, cogeremur cum veteribus Philosophis asserere, solam materiam esse Substantiam, formas autem omnes esse Accidentia, quoniam in formis subordinatis quales sunt primæ, tales sunt cæteræ quæ eas sequuntur; quare si primæ formæ Elementorum sunt quattuor, qualitates etiam, Temperamenta, & sequentes formæ Mixtorum, erunt Qualitates, & Accidentia; Hinc Galenus sequens principia sua in lib. quod Animi mores sequantur Temperamentum, Animam quoque nil aliud esse nisi Temperamentum existimauit. Insuper, Temperamentum non esse formam Mixtorum, ex eo redditur notum, quia mixta frequenter insignibus quibusdam facultatibus inspiciuntur prædita, quæ ex solo Temperamento prodire non possunt, ideo existimandum est, præstantiore aliquã forma ea esse prædita, cui Temperamentum sit instrumentum, vt dum Herculeus Lapis trahit ferrum, Ambra paleas: & præsertim id fateri cogimur, cũ appareat corpora varia, eodem temperamento prędita, variis facultatib. esse ornata. Colligamus itaq;. Qualitates primas esse accidentia, & non esse naturã, & formã Substantiæ Elementorũ.

Carpitur Simplicius.

Conclusio.

CAP. VI.

Reiiciuntur solutiones, quibus Græci vtuntur pro seruanda sua opinione.

Vt veritas lucidior fulgeat, & fundamenta eius firmiora reddantur, perpendendi sunt modi quibus Græci vtuntur, vt suam Sententiam tueantur, & aduersis rationibus satisfaciant; Nam dum ostenditur eas Qualitates esse Accidentia, & ob id non esse Substantias & formas Elementorum. Respondet Ammonius in Prædicamento substantiæ, inquiens, eas posse dupliciter considerari, primo, vt suscipiuntur in subiecto & materia quanta, ac ita sunt Accidentia. Secundo, vt complent naturam Elementorum, & ita sunt Substantiæ, adeo, vt sint mediæ cuiusdam conditionis. Insuper, inquiunt consequutionem hanc carere necessitate, sunt Qualitates, igitur non sunt differentiæ complentes Substantiam: nam inquit Simplicius in primo de Cœlo, 36. Aristotelem differentias non nuncupare Substantias, vt patet ex prædicamento Substantiæ, & ex 5. Metaphysicæ dum differentias numerat inter Qualitates, & in Quale prædicari affirmat. Insuper, addunt alij, passionem dici tum de forma, tum de actione eius, & magis dici de actione, quæ in recipiente est passio. Hoc eliciunt ex Auer. octauo Metaphysicæ 5. dicente, & scire debes, quod actio formæ Ignis est calor maximus, & motus ad supera, calor igitur in Igne est sicut lectio gladij ad gladium, & actio manus

Ammonius.

Simplicius.

manus ad manum, non quasi ablatio in ablato, &c. Conspicue Auerroes calorem accipit pro actione, ideo inferunt, facultatem calefaciendi esse formam substantiæ, actum vero esse Accidens: nam formæ Elementorum cum sint imperfectissimæ, actionem edunt mouentem Sensum, ita calor alterat per actum, qui est Accidens, generat vero per formam Substantiæ, & Idem est agens disponens, & inducens formam. Præterea addunt, quia formæ Elementorum imperfectæ & mediæ sunt, ideo sunt Substantiæ Elementorum, Accidentia vero mixti, quod eis cōpetit ob mixtionem: nam in Elementis inueniuntur summæ, in mixtis remissæ, & eis competunt tanquam propriæ, his vt aduenæ & alienæ. Aiunt etiam, Substantiæ, nec secundum materiam, nec secundū formam, nec secundum compositum competere contrarium, sed secundum differentias; quæ à forma differunt, forma enim consurgit ex genere, & differentiis; hoc dicitur à Simplicio in secundo Physicorum vndecimo, in primo de cœlo, 38. necnon à Philopono in primo de ortu & interitu exponente contextum 22. & 49. Philoponus tamen per modum loquendi differt à Simplicio, quatenus inquit, Substantię competere contrarium secundum formam, vt etiam ex sententia Alexandri dixit Auerroes: in primo Phys. 52. Ratio differentiæ est, quia Simplicius considerauit formam totius, Philosophus vero & Alexander, differentias & formam partis. *Philoponus.* Insuper aiunt, Substantiam recipere magis & minus, non secundū formam consurgentem indiuisibiliter ex differentiis, sed secundum differentias, omnis enim forma in indiuisibili est posita, vt ait Simplicius in 3. de Anima, sexto Phys. & sæpe alibi. Ideo in quinto Phys. cont. quinto ait: Si appareat tēpus aliquod pro ortu requiri, id non ortus est mensura, sed motus earum formarum, & alteratorum quæ sunt in ortu, adeo, vt permutatio in calido, & aliis Qualitatibus antequam consurgat ex eis forma, dicatur Alteratio: dum autem subito forma consurgit, dicitur Generatio. Rationem qua ostenditurnō esse substantias, quia percipiunt Sensu, vario modo soluunt: primo aiunt, Sensu percipi differentias, nō formam, & Substantiam. Insuper aiunt, percipi non eas, sed actiones earum, vt etiam dixit Auerroes in secundo de Anima, 108. de graui & leui. Præterea aiunt, differentias substantiæ posse accipi ex alio Prædicamento. Hæ distinctiones & solutiones quib. viri docti vtuntur, pro seruanda sua opinione, tamen conspicue sunt absurdæ, vt potius comprobationes aduersæ sententiæ, quam defensiones propriæ opinionis iudicari mereantur: Nam primo, asserere eas Qualitates distincta consideratione esse Substantias, & Accidentia, absurdum est: quia Substantia est Ens absolutum, non sequens nostram cōsiderationem; & qualis est vni, talis est omnibus, id enim quod per se & absolute est tale, ad quodcunque referatur, semper est tale. Insuper, dicere quod vni sint Accidentia, alteri sint Substantiæ, & quod differentiæ sint Accidentia, & Substantiam compleant, est pugnantia enunciare. Si enim sunt Accidentia, non valent constituere Substantiam, cum nil extendi valeat vltra proprium gradum. Hinc Arist. in primo Phys. tanquam absurdū deferit, quod ex non substantia fiat Substantia, & quod non Substantia sit prior quam Substantia, quod tamen hi tanquam verum enunciant. Et quamuis differentiæ dicantur in Quale, id tamen est Quale ad Essentiale attinens, non Accidens. Et confirmatur per Arist. in septimo Metaph. 43. dicentem, differentiam postremam esse totum id quod res est, at accidens non est esse Substantiæ. Præterea, asserere differentias esse contrarias, & recipere magis & minus, nō autem formam & substantiam, est pugnantia proferre: quia quales sunt differentiæ, tale est constitutū ex eis; nam eius conditio ex constituentibus, & prin- *Euersio solutionum.*

cipiis prodit, ideo conditiones principiorum etiam seruantur in constituto ex illis, & præsertim, quia differentiæ explicant essentiam rei, quare si explicantia sunt accidentia, etiam id quod explicatur erit accidens. Hinc recte Porphyrius dixit, quia differentia constituit essentiam rei, nō recipit magis & minus. His accedit, quod quibuscunq; competit contrarietas, semper ea in differentiis est posita, omnis enim contrarietas ex differentiis oritur, diuidentibus genus in opposita, quare si differentiis substantię competit vera contrarietas, eadem dicitur etiam competere substantiæ. Præterea, asserere actiones esse accidentia, & sensu percipi, formas vero ex quibus prodeunt esse substantias, est in re conspicua conspicue hallucinari: nam actiones sensibilium propriorum, sunt imitationes & repręsentationes eorum, ideo, quales sunt actiones, tales sunt formę. & pręsertim, dum actiones sunt vniuocæ, & diriguntur ad similis productionem, veluti quales sunt actiones colorum, tales iudicamus colores, quare vt actio caloris nempe calefactio, est accidens, ita calor iudicandus est accidens. Confirmatur: quia dum Aristot. quatuor qualitates inter accidentia numerat, non earum actiones considerat, sed formas, vt in subiecto reperiuntur, hinc eas appellat affectiones corporum sensibilium, vt patet ex locis relatis. Confirmatur: quia Obiecta nostrorum sensuum non sunt actiones, sed formæ, quæ in subiecto sunt, & ob id sensus dicitur recipere species sine materia, & iudicare qualitates existentes in subiecto per earum actiones, non autem iudicare substantiam nisi ex accidenti. Præterea, actio pro forma sumpta, non differt à termino ad quem, qui est forma, nisi per magis & minus, quare vt actio vniuoca est accidens, ita forma quæ est terminus ad quem, consimilis formæ agenti, iudicanda est accidens. Demum, aduersus horum sententias conspicue pugnant verba Philosophi in lib. de Sensu & Sensili, dicentis, res agere, hoc est, in externa proxime operari, non vt tales, hoc est per formam eas constituentem, sed per suas contrarietates: sic Ignis non agit vt Ignis, sed vt calidus. Et pro notitia clariore eius loci, animaduertendum, quod Igni varia valemus tribuere; Primo, quod generet ignem, & hoc ei competit vt Ignis. Secundo, quod calefaciat, & hoc facit non calidus, hinc omne calidum calefacit, quamuis non sit Ignis. Tertio, quod proxime in externum agat, quod similiter ei competit per eius qualitates. Quarto operatur pro mixti cōstitutione, quod ei competit vt Elementum est. Forma itaque Ignis dirigit instrumenta, & generat Ignem, calor proxime agit in externum calefaciendo illud: at si calor esset forma ignis, tunc calefaceret vt Ignis, quod negat Aristoteles.

Porphyrius.

Obiecta sensuum non sunt actiones, sed formæ.

Ignis agit vt calidus, vt ignis, & vt elementum.

Cap. VII.

Quæ sint formæ Elementorum opinio propria.

Ex euersione obliquarum opinionum, facile est rectiorem elicere, quod vt lucidius fiat, tres profero Conclusiones. Prima est: Nec grauitas nec leuitas cum Auerroe, nec quatuor primæ Qualitates cum Græcis iudicari debent vel Formæ, vel Differentiæ formam constituentes Elementorum vt absolute sunt corpora Physica. Altera est: dum inuicem comparantur opinio Auerrois, & ea Græcorum, ea Græcorum præferenda est opinioni Auerrois. Tertia est: Veræ formę Elementorum sunt quid distinctum à relatis, quę dum Simplicia corpora considerantur, vt sunt Elementa mundi, recte per graue & leue circumscribuntur: dum vero considerantur vt Elementa mixtorum, & inuicem permutantur, recte circumscribuntur per quattuor primas Qualitates. Prima conclusio ex præce-

Tres conclusiones.

1. Conclusio.

præcedentibus eſt conſpicua. Altera oſtenditur: quia forma rectius circumſcri- *2. Conclusio.*
bitur per Accidens prius & ei proximius, quam per diſtantius, quattuor Quali-
tates primæ ſunt priores graui & leui, vt ſuo loco pateſeci, quare per eas rectius
circumſcribuntur formę Elementorum, quam per graue & leue. Prętere a, quat-
tuor primæ Qualitates omnes ſunt extremæ, & Elementis competunt ſummæ,
graue & leue ſunt extrema, in extremis Elementis, media in mediis, ideo illę ma-
gis pateſaciunt conditionem ſimplicem Elementorum, quam hæ. Præterea, id
præſertim pateſacit forma, quæ eſt natura Elementorum, quod inſeruit pro o-
pere maxime conſentaneo naturæ, at huiuſmodi operatio eſt generare ſimile,
quod Elementis competit per quattuor primas qualitates, ideo hæ pręſertim pa-
teſaciunt & circumſcribunt eorum formam; Demum Elementa prius loco mo-
uentur per quattuor primas Qualitates, quam per graue & leue, quoniam quod
eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa pendentium ex ea, quattuor primæ qualitates ſunt cau-
ſæ grauitatis & leuitatis, quare & lationis pendentis ex eis. Ex aduerſo tamē ſen- *Quomodo ſententia Auer. poſſit præferri.*
tentia Auerrois præferri poteſt, quatenus latio proximius pendet ex graui & le-
ui, per quam lationem ſimplicia corpora ſunt Elementa Mundi, & priora ſcri-
ptis, vt ſunt Elementa mixtorū; hinc iure Ariſt. prius egit de graui & leui, quam
de quattuor primis Qualitatibus. Dicebatur tertio, veras formas Elementorum *3. Conclusio.*
eſſe quid diſtinctum ab enumeratis, quod patet ex prius dictis: & quoniam com-
mune eſt omnibus Subſtantiæ formis vt lateant, & eluceſcant per opera, ideo
addebam formas Elementorum, vt ſunt Elementa Mundi, recte circumſcribi
per graue & leue, & quoniam ita conſiderantur in lib. de Cœlo, propterea in eo
libro ſermo eſt de graui & leui: nam proprie & proxime hæc ſunt principia la-
tionis, & propenſionis Elementorum, per quam ſuo ordine Mundum conſti-
tuunt. At dum conſiderantur vt principia ſunt generationis & mixtionis, quod
fit in lib. de ortu & interitu, recte circumſcribuntur per quattuor primas Quali-
tates, quod ſeruatur in eo libro. Ex his colligo, quod cum Ariſt. modo per graue *Conclusio.*
& leue, modo per quattuor Qualitates circumſcribat formas Elementorū, quia
omnes non poſſunt iudicari formæ, cum vnius vnica ſit ſubſtantiæ forma, iure
putandum eſſe, nil eorum vere & abſolute eſſe formam, ſed circumſcribere id la-
tens, quod re vera eſt forma abſoluta quattuor Elementorum.

Cap. VIII.

Solutio aduerſarum Rationum.

VT rationes aduerſæ facile diluantur, & illæ præſertim, quæ pro opinione
Græcorum relatæ fuerunt, accipiendum primo id, quod in lib. de Quali-
tatibus primis declaratum fuit, nimirum quattuor primas Qualitates ob varia *Primum quod accipitur.*
earum munera variis nominibus fuiſſe denotatas: nam cum primo abſolute ſint,
qualitates paſſibiles nuncupatæ ſunt: deinde ab Ariſt. materiæ mixtorum, Ele-
menta, cauſæ Elementorum, affectiones, & differentiæ: nomen autem diffe-
rentiæ eis competit; Primo, quia ſunt differentiæ corporum tangibilium vt tan-
gibilia ſunt. Secundo, quia circumſcribunt formas Elementorum. Tertio, quia
proxime reddunt corpora inuicem permutabilia, & miſcibilia, tanquam inſtru-
menta neceſſaria. Accipiendum ſecundo, quod cum hæ Qualitates neceſſario *Alterum quod accipitur.*
cum formis Elementorum connectantur, & ſupponantur ab illis pro diſpoſitio
ne neceſſaria materiæ, inde oritur, quod illis demptis, pereunt Elementa, vt et-
iam deſtructis Temperamentis, pereunt formę mixtorum, adeo, vt pereant Ele-
menta & mixta ob Qualitatum & Temperamentorum interitum, nō proxime,

ſed per conſecutionem, quatenus illis peremptis abolentur formæ quarum interitum proxime ſequitur interitus compoſiti, quod recte explicauit Auerroes octauo Metaphyſicæ contex. quinto, & tertio cœli, ſexageſimoſeptimo. Ex his facile eliciuntur Solutiones aduerſarum Rationum. Dicebatur primo, nullam Elementis competere operationem, pro qua non ſint ſatis primę quattuor Qualitates. Reſpondeo, id aſſumptum eſſe falſum: nam generationis conſimilium quattuor Qualitates non valent eſſe principale principium, quia principale principium generationis Subſtantiæ, debet eſſe Subſtantia. Similiter ipſius mixti non valent eſſe principalia Elementa, quia Elementum Subſtantiæ debet eſſe Subſtantia, & proptereà ſolum iudicari debent idonea inſtrumenta, non principalia principia, veluti etiam dixit Ariſtotel. in ſecundo de Anima, & in in ſecundo de partibus Animalium, de calore relato ad Animam: quamuis enim calor videatur efficere opera animæ nutrientis, non tamen eſt Anima, nec principale principium, ſed inſtrumentum hoc eſt commune omnibus Subſtantiæ formis, quod in externum non agant, niſi per aliquod Accidens intermedium, tanquam per inſtrumentum, quare cũ quattuor Qualitates proxime agant in externum, non ſunt iudicandę formæ Subſtantiales, ſed Accidentia, ita Natura nec abundat ſuperuacaneis, nec deſerit principalia & neceſſaria principia. Addebatur, Ariſt. id ſenſiſſe, quia Qualitates nuncupat differentias Elementorum, & Elementa mixtorum, patet ſolutio ex dictis. Dicebatur Ariſt. in ſecundo de ortu & interitu, ſtatim poſt materiam numeraſſe quatuor Qualitates, de formis autem Elementorũ nullam feciſſe mentionem. Reſpondeo, qualitates vt diſponentes materiam, antecedere formas Elementorum, vt vero eorum affectiones & inſtrumenta, ſequi. De formis Elementorum non eſt facta diſtincta mentio, primo, quia circumſcribuntur per qualitates: ſecundo, quia vt diſtinctę à qualitatibus iucludũtur in tertio gradu, cum enim Philoſophus dicat primo dari materiam, ſecundo contrarietates, tertio Elementa, per elementum denotat formam ea conſtituentem, qua præſente, dicitur adeſſe Elementum, immo, ſi qualitates eſſent formæ, tertius gradus non diſtingueretur à ſecundo. Inſuper, Philoſophus eo loci numerat principia attinentia ad materiam, qualitates vt diſponentes ad materiam pertinent, formæ ſeorſum non erant numerandæ, ſed Elementa conſtituta ex illis quia hæc ſunt materia mixtorũ. Afferebatur authoritas ex 12. Metaphyſicæ, 22. Reſpondeo. eo loci ab Ariſtotele calorem & frigus dici formas, & Subſtantias, tum quia formam circumſcribant, tum inſuper, quia veteres putarunt eſſe formas. Exempla autem frequenter afferuntur ab Ariſt. ex opinione aliorum. Addebatur, authoritas Auerrois ex digreſſione in quintum Meteororum, aſſerentis, formas mixtorum nil eſſe præter Temperamentum. Reſpondeo, per dicta in locis propriis eſſe explicanda, quæ obiter dicuntur in alienis; Sæpe Auerroes damnauit opinionem Alexandri, quod Qualitates primæ ſint formæ Elementorum & ſoluit rationes eius, vt in 8. Metaphyſicæ cont. 5. & 2. cœli, adeo, vt minime ſuſpicari valeamus Auerroem fuiſſe illius opinionis. Quare vel dicendum, id protuliſſe ex ſententia Alexandri, vel quod per complexionem & mixtionem denotauerit formam mixti ex mixtione conſurgentem, quæ per Temperamentum circumſcribitur. Dicebatur, omnem facultatem mixtorum ſequi Temperamentum, pateſeci oppoſitum de nonnullis principalibus facultatibus. Inſuper dico, ſequi Temperamentum vt diſpoſitionem, vt inſtrumentum, & ſecundum ſenſum, non autem primo, & ſecundum Rationem.

Diluuntur aduerſa rationes.

Ariſt.

Cap. IX.

An formæ Elementorum recipiant magis & minus afferuntur Rationes pro vtraque parte.

VT distinctius fulgeant formæ Elementorũ, & pateat quomodo ex eis prodire valeant formæ Mixtorũ, necessarium est prænoscere an recipiant magis & minus, quod satis est difficile cognitu, & opiniones sunt variæ: Nam quod id eis non competat, primo enunciatur ab Arist. in Prædicamento Substantiæ, dicente, Substantiam nec intensionis nec remissionis esse capacem. Id confirmatur: quoniam carens contrario, non recipit magis & minus, id enim fit per contrarium, vt sæpe ait Philosophus: Substantia caret contrario, quare nec magis, nec minus recipit. Insuper, si formæ Elementorum reciperentur in materiam per gradus & cum successione, tunc ad Substantiam esset motus, quod inficiatur Philosophus in 5. Phys. quarto. Hinc D. Tho. & Græci asserunt, formas Elementorum nec magis, nec minus recipere. Ex aduerso, Sensus, Ratio, & authoritas, nobis patefaciunt oppositum. Sensus hoc nobis indicat, cum inspiciamus Inueniri Elementa non pura, & magis vel minus sincera, inspiciamus Accidentia comitantia formam, & eam circumscribentia, vt quattuor primas Qualitates; & grauitatem ac leuitatem, intendi & remitti. Insuper id patet Ratione, quoniam formæ ordinatę pro constitutione sequentium formarum, debent recipere magis & minus, alioquin nõ possent per variam remissionem multiplex genus aliarum formarum parere. Formæ Elementorum paratæ sunt pro cõstitutione formarum mixtorum, quæ multiplices sunt, quare oportet vt per varias mensuras & remissiones ad eas producendas conspirent, quod eis non posset competere, nisi intenderentur & remitterentur, veluti nec medij colores, nec medij sapores consurgere possent, nisi extremi remitterentur: nam medium conflatur ex extremis, & quia extrema sincera & pura nequeunt seruari simul, ideo necesse est, vt remittantur. Hanc veritatem sæpe Arist. patefacit in lib. de ortu & interitu: nam in primo lib. cont. 84. inquit, mixtũ esse potestate aliquid miscibilium, quæ erant antequam miscerentur, & non destruuntur, nec seruantur actu, &c. His verbis indicat, seruari cum remissione. Quod confirmat con. 88. inquiens, miscibilia mutuo pati; mutari sui natura in dominans, & non fieri alterũ. sed medium & commune, & in Epilogo colligit, miscibilia pro mixti constitutione nec debere interire, nec seruari eadẽ, quæ prius, & clarius in secundo lib. cont. 48. inquit, ea quæ miscentur minuere sibi mutuo excellentias, nec manere solã materiam, nec alterum contrariorum actu penitus, sed fieri medium, & in calce contextus addit: & primo quidem Elementa ita transmutantur, ex his autem carnes, ossa, & similia fiunt, calido facto frigido, frigido autem calido, dum ad mediũ veniunt, quod neutrum est: id autem medium est multiplex, & non indiuiduum, &c. Hæc dum recte accipiuntur, & nõ peruertuntur, conspicue patefaciunt formas Elementorum intendi & remitti; Nec valemus dicere, solum remitti Qualitates, quoniam medium consurgens nedum est temperamentum, & Qualitas, verum insuper forma mixti, quæ substantia est, & præsertim, quia id constituit, medium & remittitur, quod est miscibile, huiusmodi autem sunt formæ & Substantiæ Elementorum: inquit enim Philosophus, miscibile esse aptum seorsum subsistere; Insuper, id confirmatur per Aristotelem in secundo de ortu & interitu, 22. dicentem, hæc quæ Elementa appellantur, non esse simplicia, sed mixta, non esse Aerem, sed Aerium, quod non contingeret, nisi formæ Elementorum

Formas Elementorum nõ intendi & remitti.

Pro parte aduersa.

Arist.

remitterentur, veluti non dicimus id de Animalibus, quia animæ non remittuntur. Præterea, natura nullum gradum prætermittit inanem, ideo non debet dari transitus ab Accidentibus ad Animas, nisi per formas quasdam medias, participantes conditiones extremarum. Huiusmodi sunt formæ Elementorum, & formæ mixtorum consurgentium ex eis, quæ quatenus traduntur esse simpliciter, sunt Substantiæ, vt autem intenduntur & remittuntur, habent aliquid commune cum Qualitatibus primis, & Accidentibus, & adeo sunt illis proximæ, vt *Auerroes.* Græci interpretes, & Galenus ab eis illas non secreuerint; Hinc rectè dixit Auerroes in tertio de Cœlo, 67. Nisi formæ remitterentur, nil gigneretur formâ distinctum ab illis, non enim ex formis non aptis remitti, noua forma consurgere valet.

Cap. X.

Opiniones variæ, & euersiones quarundam.

Tria opinionum capita. De proposita difficultate tria sunt opinionū Capita, duo extrema, & vnum medium, nonnulli enim absolute inquiunt, nullam Substantiæ formam recipere magis & minus. Alij ex aduerso inquiunt, omnem. Quidam se medios constituentes, aiunt, quasdam recipere, alias minime. Primum caput approbatur à D. Tho. putante, nullam formam Substantialem recipere magis & minus, ob rationes primo à me relatas. Græci de conclusione consentiunt cum D. *D. Thom. Græci.* Thoma, dissentiunt de modo: nam Græci considerantes formam totius, consurgentem ex genere & differentiis, inquiunt, quod quamuis differentiæ recipiant magis & minus, tamen forma consurgens indiuisibilis est, & ideo recipiunt magis & minus vt Accidentia sunt, non vt sunt Substantiæ, vel Substantiam constituunt; Hoc dicitur ab Ammonio, in Prædicamento substantiæ, à Simplicio in secundo Physicorum commento nono, & in quinto Physicorum vndecimo, necnon ab Alexandro septimo Metaphysicæ, 17. At D. Thom. id negat, etiam de differentiis: nam differentiæ, formæ sunt. Hæc opinio ex parte Conclusionis, nempe quod formæ Substantiales non recipiant magis & minus, falsa est, *Euertitur sententia Græcorū.* vt declaraui; At adhuc magis est falsa ex parte modi approbati à Græcis: nam dicere differentias recipere magis & minus, non autem formam, est pugnantia proferre, vt enim se habet de differentiis, ita de forma consurgente ex eis. Similiter absurdum est asserere, quod recipiant magis & minus, vt Accidentia, non autem vt Substantiam complent, si enim sunt Accidentia, non valent complere Substantiam, & cum pro absoluto sint idem, non valemus dicere quod vno modo sumpta non recipiant, altero recipiant magis & minus. Præterea inquit Simplicius in septimo Physicorum, formam substantiæ in indiuisibili esse positam, quia se habet vt de domo, cuius forma dicitur consurgere in appositione vltimæ tegulæ momento, at si id esset, tunc quæuis exigua mutatio in mensura Qualitatum constituentium Elementa, erit interitus Elementi, & in Vniuerso nullo pacto inuenirentur formæ Elementorum, quia (concedente id Simplicio) Elementa sincera non dantur, & ideo non dabitur ea indiuisibilis mensura constituens Elementi formam, nec poterimus dicere quid sint hæc Elementa, quæ in Vniuerso inueniuntur, veluti Aqua: nam ea non erit Aqua, cum careat Aquæ forma, nec erit mixtum, cum non prodierit forma mixti ex mixtione, quæ forma mixti ex eius sententia etiam non recipit magis & minus, non itaque approbanda est ea sententia, quod formæ Elementorum non recipiant magis & minus. *Opinio 2.* Propterea est opinio secunda ei aduersa, quod omnis forma Substantiæ,

quæ

quæ in materia recipitur, ſuſcipiat magis & minus. Huius opinionis fuit Antonius Andreas in vndecimo Metaphyſicæ, quæſtione vnica; & ſunt fere omnes, qui ſequuntur Scotum, hi aiunt, formam Subſtantiæ dupliciter conſiderari, vel ſecundum ſe, vel vt recipitur in materia, ſiue quod idem eſt, vel ſecundum gradus eſſentiæ, vel exiſtentiæ, ſecundum ſe, & per gradus eſſentiæ non recipit magis & minus, ſed vt in materia recipitur, & per gradus exiſtentiæ diſtinctionem eliciunt ex Ariſtotele in octauo Metaphyſicæ, context. decimo dicentem: Formas & Eſſentias rerum, eſſe vt numeros, & in indiuiduo eſſe poſitas, ſed ſiquidem quæ cum materia, hoc eſt recipiunt magis & minus, vt in materia recipiuntur. Confirmatur: quia materia & forma ſunt ad aliquid, & alterius formæ altera eſt materia, vt dicitur in ſecundo Phyſicorum vigeſimoſexto, quare cum materia per varios gradus paretur pro forma, etiam forma per varios exiſtentiæ gradus in ea recipietur, quod nobis patefaciunt opera formarum in materia exiſtentium, quæ recipiunt magis & minus. Hanc opinionem etiam approbandam non puto. Ratio eſt; quia remiſſio tributa eſt formis, vt ex eis formæ aliæ prodire valeant, vel ad varias ſubſequentes diſponant, de Anima non ſic ſe habet, non enim ex Animarum mixtione, debent aliæ formæ prodire, nec debent diſponere ad varias ſubſequentes formas materiatas, cum poſtremæ ſint, & propterea carent ratione, & fine, ob quem debeant recipere magis & minus. Præterea, cum Animæ ſint formæ materialium perfectiſſimæ, cuiuſdam totius completi conditionem includentes, ſatis ſupra materiam eleuatæ, magis cæteris indiuiſibiles iudicari debent: nam vt inquit Ariſtoteles in ſecundo de Anima, Plantarum Anima ita eſt vna, vt potentia ſit multiplex, & diuiſa Planta anima redditur actu duplex, ſeruans ſemper rationem totius, vnius, & perfecti, hinc vnam in corpore ſibi principem ſedem expoſcit, quod inferioribus formis non competit. Præterea, cum Ariſtoteles, in Prædicamento ſubſtantiæ dicat, eam non recipere magis & minus, ſecundum hanc opinionem ea proprietas nulli Subſtantiæ competeret. Inſuper, Anima non eſt prædita aliqua oppoſita forma eiuſdem gradus, per quam valeat remitti, vt præditæ ſunt formæ Elementorum. Demum non omnis forma Accidentium recipit magis & minus, vt aſſeritur ab Ariſtotele de figura, & aliis, quare longe minus omnis forma Subſtantiæ, quæ eſt perfectior, & de qua id negat Ariſtot. Propterea eſt opinio tertia & media, quæ eſt Auerrois in 3. de Cœlo, 67. & alibi, dicentis, formas Subſtantiæ Elementorum recipere magis & minus, non autem alias, cum enim formæ Elementorum ſint infimæ, & medient inter accidentia & formas Subſtantiæ perfectiores, etiam participant conditiones extrematum. Auerroem mox ſequuntur alij multi; Quam opinionem omni ex parte approbandam non puto: nam quod formæ Elementorum recipiant magis & minus affirmo, & iam eſt oſtenſum, ſed addo etiam formas mixtorum infra animam poſitorum tales eſſe: nam formæ materiatæ ſunt trium graduum, vel ſunt ſimplices & primæ, vt illæ Elementorum; vel conſurgunt ex earum mixtione, vt formæ mixtorum, vel mixto ſuperueniunt, vt Animę. Quemadmodum formæ Elementorum recipiunt magis & minus, ita idipſum competere exiſtimo formis mixtorum; & Ratio eſt cōſpicua: omnis enim forma conſurgens ex formis, quæ magis & minus recipiunt, neceſſario intenditur, & remittitur, huiuſmodi ſunt formæ omnes mixtorum, nam prodiens ex alio, ſeruat conditionem eius ex quo prodit, & hoc patet Inductione de coloribus, Saporibus, & Odoribus mediis, qui cum conſurgant ex extremis recipientibus magis & minus, etiam id ſeruant. Inſuper, omnis forma pa-

Omnem formam intendi.

Ariſt.

Confirmatio.

Euerſio.

Opinio 3. & media.

Euerſio in parte.

Materiata forma triū graduum.

rans pro variis subsequẽtibus formis, debet recipere magis & minus, formę mixtorum ita se habent, parant enim pro variis animis, de anima autem secus se habet, ea enim nec consurgit ex mixtione, sed mixto per actionem agentis superuenire dicitur, nec parat pro subsequentibus materiati formis. Hinc Arist. in primo de Anima 65. inquit, si Senex reciperet oculum iuuenis, videret vt Iuuenis, indicans formas mixtorum remitti, non autem animas. Hoc patet de Metallis, quæ conspicue magis & minus recipiunt, & aurum vel purius, & maioris precij, vel impurius est. Hoc tamen verum est, quod formæ mixtornm non ita intenduntur, vt formæ Elementorum, quæ intenduntur & remittuntur per formas oppositas: nam formæ mixtorum, non ita habent oppositas, sed intenduntur & remittuntur per consecutionem, & per intensionem formarum Elementorum ex quibus consurgunt, vt etiam colores sapores, & odores medij. Præterea, approbandam non puto rationem, qua Auer. ostendit formas Elemẽtorum intendi: nam ait id accidere, quia mediant, vt retuli; At hæc non est potissima Ratio, nec necessaria, quia non omnes formæ Accidentiũ recipiunt magis & minus, vt Relationes, quæ sunt imperfectissimæ, magna ex parte non id recipiunt, quare non est verum, formas Elementorum remitti, quia inclinant ad conditionem accidentium, sed potius, quia sunt formæ præditæ contrariis eiusdem gradus, paratæ pro constitutione sequentium formarum mixtorum.

De Metallis.

Cap. XI.

Opinio propria de intensione & remissione formarum substantiæ.

Duæ conclusiones.

Cvm ceteræ opiniones satis dubiæ apparuerint, ideo vt referam quod sentio, duas profero conclusiones. Prima est: Anima non recipit magis & minus. Altera est; Formæ infra Animam positæ recipiunt magis & minus. Prima Conclusio ostensa est per ea, quæ dixi aduersus opinionem Antonij Andr. Secunda, per ea, quæ dixi aduersus duas alias opiniones. At pro exactiore notitia considerandum, gradus esse duplices, vel essentiæ rerum, vel existentiæ. Gradus essentiæ, in duobus locum habent, vel in natura ab vno, vt in perspicuo, vel in vniuoca, vt in corpore Physico mortali, & in generibus Prædicamentornm. Si considerantur in natura ab vno, tunc constituunt species varias, de quibus commune dicitur, non vniuoce, sed ordine aliquo, ideo nonnunquam dicuntur esse eiusdem speciei, nonnunquam distinctæ, vt se habet de Orbibus cœli. Si autem considerantur in Natura Vniuoca, tunc per omnem gradum essentiæ variatur species, siue ea fuerit essentia Substantiæ, siue Accidentis. Hoc denotauit Porphyrius in cap. de Differentia loquens vniuersę de Differentia magis propria, & inquiens, eam non recipere magis & minus, quia essentia rei, nec magis nec minus recipit. Hoc docuit Arist. in 8. Metaph. cõt. 10. inquiens. Et quemadmodum numerus non habet magis & minus, ita nec quæ secundum formam Substantia est, sed siquidem quæ cum materia, &c. Per substantiam secundum formam, denotauit essentiam res: nam in eo cont. de rerum essentia loquitur, quæ à Pythagora per numeros explicabatur. In hac significatione vera est sententia Aristotelis quod substantia non recipit magis & minus, & de huiusmodi gradibus essentiæ vere enunciare valemus, quod per intensionem variantur species. Altera ex parte inueniuntur gradus existentiæ ad indiuidua attinentes, competentes formæ non absolute, sed vt in materia recipitur gradus essentiæ, essentia inter se distinguuntur: at gradus existentię ad indiuidua attinentes, solum distinguuntur ex acci-

Gradus essentiæ.

ex accidenti, ideo de his recte dicitur quod magis non constituunt varietatē speciei. Hi gradus nonnullis formis ex propria earum conditione repugnant, vt circulo, Quadrato, & similibus, quæ in indiuisibili sunt positę, nonnullis non repugnant, hi nuncupantur gradus indiuiduorum, & existentię, à quibus scientię abstrahūt, hos denotauit Arist. in 8. Methaphysicæ 10. inquiens, Substantiā secundum formam non recipere magis & minus, sed si quidem eam quę cum materia, loquitur cum conditione: primo quia non omnis forma, quæ in materia recipitur, intenditur & remittitur. Secundo, vt gradus existentiæ distinguat à gradibus essentiæ, quasi dicat, formæ recipientes magis & minus solum id habent, vt sunt in materia, hoc est per gradus existentiæ. Sed hoc dignum est consideratione. Si commune est omni essentiæ non recipere magis & minus, cum Substantiæ, tum accidentium, similiter & substantiæ & accidentibus id competat, vt in materia recipiantur, cur Aristoteles de Accidentibus concessit, de Substantiis negauit quod magis & minus recipiant? Rationem varietatis hanc esse puto: nam forma dicitur intendi, vt in materia recipitur, & per eam Subiectum denominatur esse in alio, & per id aliud denominari, proprie Accidentibus competit, quorum esse est alteri inhęrere, ideo iure eis tribuitur intensio & remissio: Substantiæ autem id conuenit vt commune aliquid habet cum Accidentibus, nempe vt in alio recipitur. Ex aduerso cuilibet essentię repugnat intensio, & quia essentia proprie, & primo dicitur de Substantia, ideo absolute dicitur Substantiam non intendi & remitti, immo essentia accidentium, quæ non intenditur, frequenter ab Aristotele nomine Substantiæ denotatur, adeo vt accidentia quatenus Substantiæ conditionem participant, dicantur non intendi, substantiæ verò dicantur intendi, vt participant conditionem quandam Accidentium, qua de re plura dixi in lib. de Philosophia ciuili, quæ nunc missa facio.

Pulchra dubitatio.

Solutio.

CAP. XII.

Diluuntur aduersæ rationes.

EXplicata sententia quam veriorem puto, superest vt diluam Rationes aduersas. Instabatur per Aristotelem in Prædicamento Substantiæ dicentem, Substantiam non recipere magis & minus. Dicamus Aristotelem in Prædicamentis loqui populariter, non autem exactè de rebus, vt aiunt omnes Græci interpretes. At in 8. Metaphysicæ, cont. 10. propriam sententiam explicauit, vt retuli. Addamus, id tribui Substantiæ quatenus essentiæ rerum non competit, quę essentia primo, & proprie dicitur de Substantia, & quia Substantia non proprie prædicatur per denominationem, accidentibus vero opposita competunt, vt patefeci. Instabatur secundo, quia substantiæ non competit contrarium, ex sententia Aristotelis. Respondeo, Substantiæ non competere contrarietatem externam, natam acquiri continuate in eodem Subiecto, quod actu sit, quæ requiritur pro motu, competere tamen contrarietatem internam, attinentem ad differentias, vt in prima Philosophia sæpe affirmat Aristoteles redigens oppositionem differentiarum ad contrarietatem, & præsertim competere formis Elementorum, vt propinquioribus primis Qualitatibus, quibus Materia omnino denudari non potest: formæ autem mixtorum solum participes sunt huius potioris contrarietatis, quatenus consurgunt ex formis Elementorum, easque modo aliquo includunt, ideo etiam per eas, vt dixi, recipiunt magis & minus. Erat Tertia dubitatio, quia ad Substantiam esset motus. Respondeo cum Aristotele in quinto Physicorum cont. decimo, ad Substantiam non esse motum,

Soluitur prima Ratio.

Soluitur secunda Ratio.

Soluitur tertia Ratio.

quia nil est ei contrarium, hoc est, quia ei non competit contrarietas requisita pro motu, quæ est oppositio formarum apta recipi continuate in eodem Subiecto actu: nam quod mouetur, debet esse subiectum actu, quod seruetur idem sub vtroque termino, quod enim mouetur, non fit absolute, sed cum sit, fit tale, vel tantum, ideo quod mouetur, dicitur esse in loco, & motus dicitur transmutatio ex Subiecto in subiectum, ex 5. Phys. At Elementis hoc competit. Sed instatur; quia si formæ Elementorum remittuntur, termini remissionis non erunt esse, & non esse, vt generationis, sed forma perfectior & imperfectior, vt se habet de motu. Respondeo, eos nō esse terminos postremos transmutationis Elementorum, sed medios. nos autem tenemur in denominatione motus considerare terminos extremos, & subiectum: in Subiecto actu, locum habent termini secundum formam oppositi: in Subiecto potestate, termini oppositi per priuationem & habitum, & tales competunt mutationi Elementorum. Insuper dum in eadem specie consideratur motus per magis & minus, ea tunc dicitur alteratio, vt asseritur in 5. Phys. 19. quia habet aliquid commune cum ea; Quod autem generatio includat continuationem, non est absurdum, immo necessarium, vt elicitur ex Definitione motus tradita in tertio Phys. quæ cōpetit etiam ortui & interitui, & clarius ex sexto Physicorum. His accedit, quod esse, & non esse, includitur in omnibus terminis motuum, & propterea motus omnis est generatio quædam, vt sæpe docet Philosophus.

Instantia.

Solutio.

CAP. XIIII.

De mutua Elementorum permutatione.

Elementa instrumento grauitatis & leuitatis congruentem in Vniuersi ordine sibi locum adipiscuntur & seruant. Instrumento autem quattuor primarum Qualitatum se à contrario defendunt, simile generant, inuicem permutantur, mixta constituunt & sunt principia proxima generationis Substantiæ mixtorum. Hinc dicimus, nullam fieri generationem, ad quam non conspiret aliqua Elementorum permutatio. Permutantur inuicem Elementa, quia prædita sunt contrarietate, & communi Subiecto, de cuius possessione eorum formæ contendunt. Expetunt, & pro viribus nituntur Elementa sua actione, appetitu quodam proprio, primo seipsa seruare: secundo, per instinctum naturæ vniuersæ species expetunt generare simile, vt successione seruentur æterna; tertio, ex accidenti expetunt interitum contrarij. Elementa inuicem permutare, Ratione & Experientia constat, & id patet non de quibusdam tantum, sed de omnibus: nam omnium est consimilis Ratio. Hinc iure damnandus est Empedocles, qui Elementa inuicem permutari inficiatus est. Similiter minus recte Parmenides id negauit de igne & Terra, Heraclitus de Igne, Diogenes de Aere, Thales Milesius de Aqua, Orpheus, & Hesiodus de Terra. Nam quibus competunt conditiones requisitæ pro mutua permutatione, competit mutua permutatio, Conditiones autem consimiliter competunt singulis Elementis quod conspicuum est: nam pro mutua permutatione primo requiritur Subiectum commune, secundo triplex: vna formæ & priuationis, constituens terminos per se ortus & interitus, altera formarum eiusdem gradus, quæ nequeant simul seruari in eadem materia: nam in priuatione semper cū aliqua forma iuncta est, tertio, pro instrumento requiritur contrarietas externa Qualitatum alterantium, quarum alteratio est via in generationē, hæc autem singulis Elementis competunt, quare singula sunt apta inuicem permutari. Permutantur autem non simul secundum

Quid primo optent Elementa.

Requisita pro mutua permutatione.

ſecundum partes. Ratio eſt: quia totum denotat ſpeciem, partes indiuidua, mutatio eſt inter indiuidua, non inter ſpeciem totam, & ſpeciem. Et iure Elementum totum, in aliud totum ſimul non permutantur, cum vnumquodque comparatum cum alio, eius ſit facultatis, vt illi viribus quodammodo æquetur, non autem id ſuperet, vel ſuperetur ab eo, & ad huiuſmodi conſeruationem etiam conſpirant cœli ſuo lumine & motu. Hinc Elementa dici poſſunt modo aliquo æqualia, quod dicebatur ab Empedocle, & approbatur ab Ariſtor. in ſecundo de ortu & interitu. At dignum hoc eſt conſideratione, quomodo Elementa inuicem comparata, dici poſſint æqualia: nam ſi inſpicimus terminatam eorum molem, proculdubio inęqualia ſunt, veluti aer longe maior eſt Aqua. Ideo dicamus, ea eſſe æqualia iuſtitia, mora, facultate, & materia, omnia enim congruentibus terminis ſunt prædita, omnia ſunt æterna, omnia ſunt prædita ea facultate qua ſe valent ſeruare, & demum, dicuntur ęqualia ſecundum materiam, & indefinitam molem, vt elicitur ex 2. de ortu & interitu 37. quatenus imaginamur communem mortalium materiam in quattuor ęquas partes eſſe diuiſam, & ſingulis Elementis æqualem portionem fuiſſe tributam, ideo in quarto de cœlo, 37. inquit Philoſophus, quattuor eſſe materias ob quattuor primas potẽtias ei competentes, ad quattuor formas Elementorum: ſunt autem Elementa terminis inæqualia, ob varietatem rari & denſi: hinc dicimus, Ignem maiorem aere, aerem aqua: de Aqua autem & Terra eſt dubitatio; nonnulli enim Aquam putant minorem Terra, vt Philoponus in 2. de ortu & interitu, 37. & cum eo alij, qua de re certi eſſe non valemus, cum non conſtituant diſtinctos orbes, ſed in vnum redigantur: Ariſt. tamen, huic parti adhærere videtur, quod terra ſit minor, cũ concedat æqualitatem partium materię, & aqua ſit rarior, & iure profecto, cum enim ſimplicia corpora æque ſint Mundi & mixtorum Elementa, & materia prima æque ſe habeat ad quattuor primas Elementorum formas, rationi conſonum eſt, vt æquam portionem materiæ includant & ſecundum terminatam molem ita inuicem ſe habeant, vt ſe habere inſpicimus in mutua eorum permutatione, adeo, vt quemadmodũ in mutua permutatione pars vnius ſe habet ad partem alterius, ita totum ſe habeat ad totum, veluti aſſeruit Ariſtoteles in ſecundo de ortu & interitu, 37. & clarius in primo Meteororum, cap. 3. inquiens: Neceſſe eſt eandem rationem habere quam habet exigua portio, ad genitum ex aqua aerem, & totam aquam ad totum aerem. Et præſertim ſeruabitur Aqua maior Terra, ſi id conſiderabimus quod dicitur ab Ariſtotele in primo Meteororum, à nubibus vſque ad terram non aerem eſſe, ſed rarefactam aquam, & in vapores aqueos verſam. At cum Elementa ambientia maiora ſint incluſis, nõ propterea putandum eſt, ea inuicem decupla continuata proportione ligare, adeo vt Aqua decuplo ſit maior terra, aer aqua, & ignis aere, hoc enim Senſui, & rationi aduerſatur, ita enim in Vniuerſo interuallo incluſo intra Cœlum, ſolum reperiretur Corpus maius Terrena mole, millies centies, & decies, quod falſum eſt, quoniam id interuallum includit longe maiorem molem, vt patefaciunt ſuis menſuris Aſtronomi. Præterea, hoc conſpicua experientia patet: nam Aqua, dum per Glaciem & Cryſtallum in Terram vertitur, purum videtur minui, at dum per vapores in Aerem permutatur, apparet reddi maior pluſquam centies, vt conſpicuum eſt de oleo in vapores & ignem verſo. Plato in Timæo inficiatus eſt, in mutua permutatione Elementorum rationem illam decuplam ſeruari, ſed dixit, ex Acre duplum Ignis gigni, ex duplo cum dimidio Aeris vnam Aquæ, de Terra nil dixit, quia illam negauit in alia verti poſſe, indicans forte potius difficultatem,

Quomodo Elementa ſint æqualia.

Ariſtot.

Reiicitur decupla ratio inter Elementa.

Plato.

quam quod omnino mutari nequeat. At sententiam Platonis maiora sequuntur absurda, ita enim non seruabitur ea æqualitas portionum materiæ. Colligamus itaque, Elementa omnia, inuicem per partes esse apta permutari, & simul dici posse inæqualia secundum molem terminatam, æqualia vero modo declarato.

Conclusio.

Et animaduertendum, quod triplex terminus cōsideratur in Elementis, primus in raro & denso, & hic sequitur formam propriam Elementi, necnon connexionem duarum primarum qualitatum, Elemento competentium: Alter terminus consideratur in mole totius Elementi, qui terminus pendet ex causis communibus, ex ordine partium Mundi, & ex definita portione materiæ, & raritate insequente naturam & conditionem propriam Elementi; non autem hæc definita moles totius Elementi sequitur propriam formam eius quoniam, vt inquit Arist. in secundo de Anima 41. ignis si adsit combustibile crescit in infinitū, sunt enim partes Elementorum tanquam indiuidua specierum, quorum numerus definitus non est. Tertius terminus Elementis competens est figura, quam Elementa à continente recipiunt. Colligamus itaque Elementa omnia esse apta inuicem secundum partes permutari, partim esse æqualia, partim minime, & triplices eis competere terminos.

Triplex Elementorum terminus.

Conclusio.

Cap. XIIII.

Elementa non æque facile inuicem omnia permutari.

HOc habent commune Elementa, vt omnia sint apta inuicem permutari, differunt tamen, quia nonnulla facilius, alia difficilius mutari valent: nam Elementa, quæ vna communi Qualitate ligantur, vt magis similia, facilius inuicem permutantur: nam vna sola eorum qualitas mutanda est, & quemadmodum Elementa in orbem communi Qualitate ligantur, ita in orbem facilè in inuicem permutantur, vt terra in Aquam, hæc in aerem, hic in Ignem, quæ mutua permutatio si species Elementorum consideramus finita est, cum numerus Elementorum sit finitus: at si consideramus partes, quæ sunt tanquam eorum indiuidua, est infinita, sunt enim partes successione infinitæ, & hunc in modum ea mutua permutatio seruatur æterna. Hæc facilitas mutuæ permutationis non est consimilis: variatur enim ob varietatem densitatis, & qualitatis permutandæ, veluti ignis in Terram ob oppositionem in densitate & grauitate difficile permutatur. Terra in aquam difficilius permutatur quam aqua in aerem, quia siccitas Terreæ difficilius mutatur, quam frigiditas Aquæ, tamen dum traduntur Regulæ, semper debent intelligi suppositis cæteris paribus Elementa autem contraria, cū difficultate inuicem permutantur, magis enim inuicem distant, & plura mutanda sunt, vt enim mobilia secundum locum facilius in proximum, quam in distantem locum transferuntur, ita quæ secundum propriam substantiam, & qualitatem permutantur, facilius in id transeunt, quod est similius. Addo tertio, ex duobus Elementis contrariis per ea quæ illis competunt tertium Elementum gigni posse, veluti ex Igne & aqua inspicimus gigni Aerem, perempta siccitate Ignis, remanente calore, & perempto frigore aquæ superstite humore. Hæc permutatio dicitur facilior, quā ea quæ est in contrarium primo, quia ea est permutatur in Elementum tertium vna communi qualitate ligatum, & consimilo. Secundo, quia qualitates Elementi tertij quod gignitur, ambæ præextiterunt in corruptis, nec denuo penitus vlla earum est producenda, & animaduertendum ex duobus contrariis posse tertium fieri, non vnico, sed duobus mōdis, nempe vel per mutuam actionem contrariorum, vt ex mutua actione Ignis & Aquæ inspicimus

Facilitas mutua permutationis varia est.

Ex duobus contrariis gigni tertium.

inſpicimus gigni Aerem, vel per actionem tertij in ea duo contraria, veluti per actionem Ignis in Terram, & Aerem ſuperſtite ſiccitate Terræ & calore Aeris percipimus conſurgere Ignem. Ex hactenus dictis quattuor prodeunt difficultates; Prima, an omnia Elementa ſine medio inuicem valeant permutari. Altera, an verum ſit, quod Elementa quorum vna Qualitas eſt communis facilius inuicem permutentur. Tertia, an quando ex duobus Elementis contrariis conſurgit Tertium, id Tertium ſit vnum numero ex illis genitum, vel potius duo numero, vt etiam ex duobus genita ſunt. Poſtremo, cum Elementa ſint ſubſtantiæ intrinſecus conſtitutæ, non per quattuor Qualitates, ſed per propriam Subſtantiæ formam, minus recte Ariſtoteles explicans eorum mutuam permutationem, ſolum conſiderat mutationem Qualitatum, non autem propriæ formæ. Pro harum difficultatum ſolutione, ordiar à poſtrema, vt à faciliore, & conducente pro ſolutione cæterarum. De qua breuibus dico, alterationem eſſe viam ad mutationem Subſtantiæ, & quod dicitur de via, intelligi debet de termino, & quod eſt verum, de Qualitatibus, eſt verum de propria forma: ſermo tamen eſt de Qualitatibus primo, quia ſunt notiores & circumſcribunt formam; Secundo, quia vniuerſa facilitas & difficultas in earum actione & permutatione eſt poſita: nam propria forma ſequitur eas tanquam diſponentes.

Quattuor dubia.

Solutio poſtremæ difficult.

CAP. XV.

An omnia Elementa ſine medio ſint apta inuicem permutari.

COMPERTVM eſt, Elementa omnia poſſe inuicem permutari, dubium tamen eſt an ſingulis id competat ſine alio medio Elemento. Nam primo apparet, nullam eorum mutationem carere medio, quoniam Elementa ex parte Qualitatum & propriarum formarum, ſunt tanquam extrema recipientia magis & minus, quæ autem ſunt huiuſmodi, non valent inuicem ſine medio permutari. Id confirmatur, quia experientia conſtat, Elementa omnia inuicem permutari, per quoſdam medios halitus, hinc duo halituum genera conſtituta ſunt communia principia Meteorologicorum, quæ prodeunt ex mutua permutatione Elementorũ vel eorum tranſitu in mixtum. Præterea quamuis ignis & terra communem habeant ſiccitatem, tamen ſunt adeo in cæteris oppoſita, adeoque per denſum & rarum, leue & graue, perſpicuumque & opacum, ab inuicem diſtant, vt ſine medio inuicem mutari poſſe non videantur, & præſertim, quia in terra nil humoris ineſt, per quod incendatur; Elemẽta autem videntur verti in Ignem per incenſionem, hinc incenſis lignis, ſupereſt cinis tanquam Terra, quæ in Ignem verti non potuit. Propterea Plato inficiatus eſt, Terram in alia Elementa verti poſſe, indicans ſummam difficultatem. Confirmatur, quia ſi terra ſine medio verteretur in Ignem, ſeruaretur forma Ignis cum maiori denſitate, quam ſit illa Aeris, quoniam cum denſitate Aeris non eſſet Terra, nimium enim eſſet rara, quare eſſet Ignis. Si Elementa communi qualitate prædita ſine medio non inuicem permutantur, longe minus permutare poterunt contraria, quod oſtenditur, quia ſi Aqua debet in Ignem verti, quia calor potentius agit, & frigus facilius quam humor aufertur ab aqua, ea primo fiet calida, & in aerem tranſibit, mox deſtructo humore, verſetur in Ignem. Similiter ignis non videtur in aquam poſſe verti niſi primo humectetur, & fiat aer. Hinc Themiſtius referente Auerroe, in primo de Cœlo, com. decimo cenſuit Elementa contraria per medium aliquod neceſſario permutari, vt etiã Sim-

Quod nulla mutatio careat medio.

Plato.

Themiſtius.

Simplicius.

Propterie aduersa. plicius in primo, de Cœlo, vigesimoprimo. Ex aduerso tamen Aristoteles in secundo de ortu & interitu, asserit etiam Elementa contra posse sine medio inuicem permutari, quamuis difficilius, & iure optimo profecto: nam si materiam inspicimus, ea æquè est apta quamlibet Elementorum formam sine medio recipere: si consideramus formas Elementorum, illæ sunt eiusdem gradus, nec vna vt recipiatur in materia præsupponit aliam: si tertio consideramus dispositiones pro forma Elementi ex primis Qualitatibus prodeuntes, quia illæ Qualitates æquè sunt primę, etiam æquè primo parare possunt pro qualibet Elementi forma. De Terra quod proxime in Ignem vertatur patet ex fumo, quo exemplo vtitur Aristoteles in secundo de Ortu & interitu: nam fumus ex Terra & Aere constat, & vt pars Aeria fumi, ita Aeria sine medio in Ignem vertitur. Similiter Fabri ærarij patefaciunt, aquam igni contrariam sine medio verti in Ignem, dum super incensos carbones effundunt aquam, quæ proxime in ignem vertitur. Quod etiam Terra sine medio vertatur in Aerem, indicant halitus illi sicci, qui à Sole educuntur ex Terra. Colligamus itaque, Elementa omnia sine medio posse inuicem permutari. At pro solutione aduersarum Rationum, accipio medium permutationis Elementorum esse duplex, vnum secundum magis & minus, & de hoc non est dubitatio: constat enim huiusmodi medium semper adesse, semper enim Elementa per medios aliquos halitus inuicem permutantur. Aliud est medium distinctum specie, vt inter Aquam, & Ignem mediat Aer, & de hoc est dubitatio: de qua dico, Elementa omnia sine medio inuicem permutari posse: quod confirmo ratione sumpta ex efficiente, omne agens proximum præditum instrumentis, pro sui generatione est aptum mutare aliud in quod agit, proxime in seipsum, Elementa omnia sunt huiusmodi, quare in quodcumque aliud agant, valent illud proxime in se permutare. Animaduertendum tamen, quod Elementa contraria, dupliciter considerari possunt: Primo vt contraria in ordine vniuersi, loco seiuncta in per medium agentia, & ita suum contrarium in se non sine medio permutant, sed in medium aptum facilius ex eo fieri, vt Ignis in distantem Aquam agens, eam permutat in Aerem. Vel considerantur vt seorsum ab ordine vniuersi, partes contrariorum connectuntur, vt dum aqua in carbones effunditur, vel Ignis in Aqua suffocatur, sic potest sine medio vnum in alterum verti. His præassumptis, facile est aduersas rationes diluere, prima sumpta ex medio secundum magis & minus soluta est, non enim de eo est dubitatio.

Conclusio, Medium duplex.

Diluuntur rationes aduersa. Dicebatur secundo, mutationem fieri per medios halitus. Respondeo id esse medium per magis & minus, sunt enim Elementa inuicem permutanda remissa & permixta, vt de fumo dixit Aristot. Addebatur instantia de Terra, dico id fieri summa cum difficultate, fieri tamen posse vt patuit de fumo. Et quamuis Terra nil humoris habeat, nil tamen prohibet quin permutatis cæteris, vertatur in Ignem, vt inspicimus Pyrium puluerem apprime siccum ob congruentes dispositiones citissime in Ignem verti. Dicebatur, quod seruaretur forma Ignis cum maiori densitate, quam sit illa Aeris. Respondeo, eam seruari, at non puram sed remissam, in medio, secundum magis & minus. Ostendebatur contraria sine medio non inuicem permutari, vt Ignis maxime agens per calorem, primo aquam in aerem vertit. Respondeo, id contingere vt plurimum, at potest etiam sine medio distinctæ speciei ea permutatio fieri, dum ita sunt iuncta, vt simul inuicem efficacissime agant adeo, vt medium solum adsit secundum magis & minus: nam ignis calefaciens, id efficit in tempore in quo etiam aliquid siccitatis producere valet. De Themistio, & Simplicio dico, eos considerasse difficultatem, &

tem, &

rem,& id quod accidit vt plurimum: insuper considerasse Elementa contraria in ordine Vniuersi,loco seiuncta,non partes eorum seorsum ab ordine Elementorum inuicem iunctas.

Cap. XVI.

An Elementa communi Qualitate iuncta, facilius inuicem permutentur, & quomodo ex duobus contrariis fiat tertium.

Dictum est Elementa communi Qualitate iuncta facilius, quàm contraria inuicem permutari; Quæ sententia difficultate non caret: nam videtur cum Experientia,& cum ratione pugnare, cum experientia, quia longe facilius aqua in ignem transit,quam Terra: nam aqua suo humore est alimentum Ignis, vt patefaciunt Fabri ærarij, non Terra. Præterea, varietas difficultatis permutationis, ortum ducit ex varietate proportionis inter agens & patiens; nam si proportio fuerit eadem, etiam eadem erit difficultas, at contrarij ad contrarium eadem est proportio,quæ similis per vnam Qualitatem ad simile,vt enim vnum permutans se habet ad vnum permutandum, ita duæ Qualitates contrariæ permutantes,ad duas permutandas, vt elicitur ex Regulis septimi Physic. Præterea, Ratio mutuæ actionis & permutationis est contrarietas, quare vbi maior contrarietas, ibi maior actio, & facilior permutatio: nam Elementa similia mutuo se seruant, & vnum est locus alterius, contraria vero mutuo se permutant. Pro solutione difficultatis tria sunt accipienda, primum est: Regulas semper debere intelligi per se,cum reduplicatione,& cæteris paribus;sic similia facilius inuicem permutantur, quatenus sunt consimilia & terminus acquirendus est vicinior, at ex accidenti, vt vnum maxime densum alterum maxime rarum, vt virtus permutans est magis vel minus potens, vt Qualitas mutanda facilius vel difficilius remouetur, & ob alia huius generis, potest secus se habere, ita inspicimus quod mutatio, quæ debet fieri à calore (cæteris paribus) citius fit, secundo quæ à frigore, tertio, quæ ab humore,postremo,quæ à siccitate. Accipiendum secundo, transmutationẽ posse dici difficiliorem vel ex parte operis efficiendi,vel ex parte proportionis agentis ad patiens: nam dum opus efficiendum est maius,quamuis seruetur eadem Ratio agentis ad patiens,absolute tamen dicitur difficilius,veluti difficilius esse dicimus construere duas domos,quamuis per duos ædificatores construantur,quam construere vnam,& indicamus difficultatem quatenus duę debent construi à duobus ædificatoribus, cum vna ab vnico cõstruatur. Addendum tertio, vnum maximi ponderis, & est, dum cõtraria duo simul iuncta à suis oppositis sunt permutanda, ea ob coniunctionem efficacius resistunt, & magis se valent seruare,quam dum vna Qualitas est similis,ob similitudinem enim datur contrario facilior aditus, quia adest tanquam hostis internus inimicum introducens, ideo etiam ex parte agentis & patientis Elementa communi Qualitate iuncta, facilius inuicem permutatur. Ex his facile eliciuntur solutiones. Instantia sumpta ex Aqua, quæ facilius in ignem vertitur quam Terra, soluitur, dicendo, id contingere ex accidente, ob densitatem Terræ, & alias oppositiones, addo secundo, puluerem Pyrium, & terram in fumo disgregatam, citissime in ignem verti: id confirmo,quia lignum aridum,& Terreum,facilius comburitur, quam viride, & aqueum. Ratio sumpta ex similitudine proportionis, soluitur per secundum & tertium assumptum. Tertia ratio soluitur: nam vbi maior contrarietas, maior & multiplicior est actio, & ob id opus dicitur effici maiori cum

Experientia.

Tria præaccipiuntur.

Primum quod præaccipitur.

Secundũ quod præaccipitur.

Tertium quod præaccipitur.

Solutiones instãtiarum.

Quomodo ex duobus contrariis fiat tertium. difficultate, non facilius. Supereſt diluenda poſtrema dubitatio, quæ erat, quo ex duobus contrariis fiat tertium Elementum, vt ex fumo Aereo & Terreo, fit Ignis, hac de re duo ſunt Obiecta, primum an tertium genitum ex illis duobus ſit vnum numero, vel potius duo, vt etiam duo ſunt illa ex quibus gignitur. Alterum eſt, an ex duobus contrariis ita fiat tertium, vt reuera nulla noua Qualitas *An id tertium ſit vnũ numero.* pro eo tertio conſtituendo gignatur, ſed ſolum conſurgat ex Qualitatibus duabus, quæ præfuerunt in corruptis. De primo dicebat Alexander id Tertium, eſſe vnum numero, quod confirmatur exemplo quo vtitur Ariſtoteles ſumpto ex *Alexander.* fumo includente aerem & terram, ex quo tamen vnica conſurgit flamma. Philoponus econtrario inquit, Tertium genitum eſſe vnum ſpecie, duo numero, *Philoponus.* quia duæ ſunt materiæ eorum, vnum autem numero eſt, cuius materia eſt vna ex quinto Metaphyſ. cont. 12. Reſpondens dico, Elementum tertium poſſe fie- *Solutio.* ri ex duobus contrariis dupliciter: vel permixtis, vt in fumo, ita vera eſt ſententia Alexandri, vel nõ permixtis, ſed ſeorſum poſitis, & tunc dicimus partes quaſdam tertij fieri ex vno, alias ex alio Elemento, qua conſideratione vera eſt ſententia Philoponi; Magis tamen conſentanea eſt conſiderationi Ariſt. ſententia Alexandri, quam ea Philoponi: quia dum tertium conſideratur, vt numero diſtinctum, tunc non proprie conſideratur generatio vnius tertij, ex duobus contrariis, ſed potius generatio conſimilis ex conſimili, vt partis ignis ex aere, & partis Ignis ex Terra. De altera difficultate, an debeant nouę Qualitates gigni, Ariſt. id negare videtur, & cum eo Alexander, dicentes, ex ſeruatis Qualitatibus con- *An noua Qualitates fiant.* trariorum conſurgere tertium, & ob id generationẽ aiunt eſſe faciliorem, quam Elementi contrarij ex contrario. Ex aduerſo, Philoponus inquit neceſſario in materia terræ pereunte frigore gigni calorem, & in materia aeris pereunte humore, gigni ſiccitatem, cum hę Qualitates ita ſe habeant, vt nunquam aboleatur *Solutio.* vna, quin ei ſuccedat oppoſita. Reſpondeo, veram eſſe ſententiam Philoponi, nunquam enim vna primarum Qualitatum aboletur, quin ei ſuccedat oppoſita. Nec eſt putandum, quod dum terra & aer in ignem tranſeunt, ſiccitas terræ effundatur per aerem, non enim Accidens migrat ex Subiecto in Subiectum, ideo neceſſario noua Qualitas gignitur. Neque hoc negarent Ariſt. & Alexander, verum quia hæc noua Qualitas non ita educitur, quin in parte modo aliquo prę-extiterit, nec educitur ex vniuerſa materia, ſed tantum ex parte, in qua non re- *Dubitatio.* periebatur, ideo Alexander vna cum Ariſtot. dixit, ex Qualitatibus remanentibus contrariorum Elementorum, conſurgere Tertium. At obijciet aliquis, quia tunc hæc generatio non erit facilior ea, quæ eſt ex contrario: quia ſimiliter duæ *Solutio.* Qualitates erunt corrumpendæ, & duæ gignendæ. Reſpondeo, nõ eſſe corrumpendas & generandas in vniuerſa materia, ſed ſolum in parte, adeo, vt ad earum generationem ipſa etiam Elementa corrumpenda conſpirent, cum eas in parte includant.

Cap. XVII.

De motu ſecundum locum Elementorum, & vniuersè de motu grauium & leuium.

Decurſis cæteris ad Elementorum notitiam attinentibus, ſupereſt demum, vt de eorum latione loquamur. Latio enim corpori competit abſoluto, & formato, vt dicitur in octauo Phyſicorum, ideo ſequens originis ordinem, de ea poſtremo loco mihi diſſerendum propoſui, quamuis Ariſtoteles inſpiciens

ordinem vniuersi, recta Ratione prius de ea verba fecerit: nam inspiciendo varia & ratione varia, idipsum modo prius, modo posterius cōsiderari potest. Ego autem hunc ordinem mihi seruandum duxi, quia continuato sermone cuncta attinentia ad Elementa mihi explicanda proposui. Quæritur itaque, à quo, & quomodo grauia & leuia secundum locum moueantur? Qua de re verba facturus, explicabo primo, voces nonnullas, secundo, considerabo quisnam sit motor eorum. Tertio, agam de modo quo mouentur, demum, perpendam nōnulla attinentia ad resistentiam, & regulas proportionis motus eorum. Dum quæritur, à quo grauia & leuia moueantur, nomine grauium & leuium, nedum simplicia corpora denoto, verum mixta quoque quatenus mouentur per Elementum dominans in eorum mixtione: nomine verò motus denoto lationem, non quidem omnem, sed eam quę illis competit secundum propriam naturam. Insuper, cum inquiratur principium motus, quoniam principiū est duplex, efficiens, & patiens, de efficiente est sermo, ex cuius explicatione refulgebit patiens. Præterea, quia motor est duplex, vnus proximus alter remotus, de proximo & proprio est dubitatio: nam constat cœlum esse motorem communem & remotum omnium mobilium per naturam. Et quoniam motor adhuc esse potest duplex, vel per se, vel ex accidente, insuper, vel principalis, vel instrumentarius: Dubitatio est de motore proximo principali, & per se. Demū, quia potentia ad motum est duplex, vna in subiecto remoto, vt in ligno est potentia ad motū sursum, quia potest comburi, altera in Subiecto proximo, vt in igne iam genito: prima potentia dicitur remota, essentialis, & ad actum primum, altera proxima, ex accidenti, & ad actum secundum; quæ distinctio traditur ab Aristotele in 8. Phys. 32. Dubitatio est, à quo moueantur Elementa non ex potentia essentiali, & prima. proculdubio enim ex ea transferuntur ad actum à generante, sed ex potentia proxima hoc est, cum genita fuerit. Quæritur itaque, à quo principali motore, proxime & per se cum Elementa genita fuerint, moueantur in suum locum: qua de re loquitur Philosophus in octauo Physicorum latius tamen in quarto de cœlo, sed adeo obscurè, vt quæ fuerit eius sententia dubitent viri docti.

Proponitur dubitatio.

Quid nomine grauium denotetur.

Conclusio.

Cap. XVIII.

De Motu grauium & leuium opiniones variæ.

DE motu grauium, & leuium variæ fuerunt Philosophorum sententiæ, Empedocles (referente Aristotele in secundo de cœlo 85.) existimauit cœli reuolutione repelli grauia ad medium, & per ea grauia, à medio extrudi leuia, non secus ac dum Aquam in vase reuoluimus in qua sit mersus lapis, inspicimus per aquæ reuolutionem lapidem ad medium repellit. Quæ opinio vera non est, primo, quia expulsio est motus præter naturam, grauia autem ad medium feruntur secundum naturam. Insuper, quæ per reuolutionem repelluntur ad medium, cum quadam reuolutione & non directe ad illud tendunt. grauia autem & leuia per rectam lineam ascendunt & descendunt. Tertio in conuallibus & Thalamis, non reperitur reuolutio facta à Cœlo, & tamen etiam in illis locis grauia descendunt. Demum, tunc grauia magis à cœlo repellente distantia, & maiora tardius mouerentur, cum tamen inspiciamus fieri oppositum. Propterea Academici, & cum eis Zenarchus, Ptolemęus, & alij multi, dixerunt, Elementa omnia vel per naturam moueri in orbem, vt tria superiora, vel in suo loco requiescere, vt terram. Motum rectum dixerunt non secundum naturam, sed reditū in naturam. Nam hi putarunt, Elementa omnia esse prædita

Empedocles.

Euersio.

Academici.

Anima, per quam in suo loco vniuersitates eorum reuoluerentur, vel requiescerent, partes autem ex proprio loco repulsæ, ab Anima totius, in illum traherentur, non secus ac à lapide Herculeo inspicimus trahi ferrum. De qua opinione multa dicuntur à Plotino, à Marsilio in sua Platonica Theologia, libr. 4. c. primo, à Simplicio in digressionibus primi de cœlo. & ab aliis, quæ missa facio. Hæc opinio proculdubio pugnat cum sententia Arist. ac insuper cum experientia, & ratione. Primò enim ea nititur falso fundamento, iam patefeci in lib. de Cœlo, simplicia corpora sub cœlo posita esse Animæ expertia. Præterea, cum natura propria cœli & mortalium corporum sit distincta, etiam motus ex natura eorum prodeuntes, debent esse distincti, motus autem in orbem Cœlo competit secundum propriam naturam, quare non Elementis. Præterea, si per imaginationē Terra vniuersa detineretur sub orbe Lunæ, lapides, & partes seiunctæ ab ea, secundum propriam naturam non ad Terram vniuersam, sed ad Centrum tenderent, vt docuit Aristot. in secundo de Cœlo. Demum si id esset, tunc maior portio terræ tardius quam minor descenderet, vt difficilius à lapide Herculeo trahitur grauius, & maius ferrum quam minus, experientia tamen nobis patefacit oppositum. Ideo est opinio tertia, asserentium Elementa moueri à suo loco, cui competat facultas trahendi illa. Sed hoc ad rem non facit: nam Elementa mouentur à loco, vt à fine, & tanquam forma seruante, non vt à proximo efficiente motum, finis enim non mouet nisi per Metaphoram, locus habet facultatem conseruandi locatum, cum ob definitam eius à cœlo distantiam, à quo seruantur mortalia, tum ob conditionem corporis ambientis, at hæc non sunt illa, quæ proxime moueant Elementa, motor enim proximus debet tangere, non distare à mobili, & vt fine præsente absolutus est motus, ita dum Elementa fuerint adepta locum, in eo requiescunt. His accedit, quod tunc motus ille esset tractio quædam, & reiicitur vt opiniones aliæ, cum tractio violentiam includat, & conditiones eius. Propterea est opinio quarta, asserentium Elementa moueri à medio, per quod feruntur: nam à medio repelluntur à tergo. Hinc in tertio de Cœlo vigesimo octauo, medium dicitur conducere cum pro motu secundum naturam, tum pro violento; & in quarto Physicorum 71. ostenditur Elementa in vacuo non posse moueri. Hæc opinio etiam approbanda non est: nam quamuis medium conducat pro motu Elementorum, tamen non est causa efficiens principalis, & per se, ipsius motus: quod ostenditur primo, quia medium est corpus, corpora non mouent, nisi moueantur, ideo vt moueat, debet moueri. Sed tunc eadem emerget dubitatio de motu eius à quo prodeat. Præterea, idem non mouet Physice, proxime, & per se, motibus contrariis: at per idem medium grauia & leuia secundum naturam contrariis motibus mouentur. Demum, idem non mouet idem motu naturali & violento, medium autem (vt dixi) vtrique motui conducit, non itaque est motor ille proprius & proximus qui quæritur. Ideo est opinio quinta nonnullorum interpretum Aristotelis, vt D. Tho. & quorundam aliorum asserentiū, Elementa moueri à generante. Hoc eliciunt ex Aristotele in octauo Physicorum 32. asserente, ea à generante moueri, à remouente autem impedimentum moueri ex accidenti. Id ostendunt, quia dans formam, dat sequentia illam, motus autem Elementorum formam sequitur. Id explicant exemplo affectionum: vt enim Risibilitas tribuitur homini à genitore dante formam, ita motus Elementorum eis tribuitur à generante, qui enim lignum vertit in ignem, dicitur mouere lignum sursum per formam ignis. Ægidius sequens D. Th. vtitur exemplo sumpto à vaporibus, qui dicuntur communi

Marginalia: Euersio. (beside "mo, à Simplicio") — Opinio 3. (beside "tefacit oppositum") — Euersio. (beside "loco, cui competat") — Opinio 4. (beside "dat, & conditiones") — Euersio. (beside "cundum naturam") — Opinio 5. (beside "qui quæritur") — Ægidius. (beside "qui enim lignum" / "ignis. Ægidius")

communi consensione à Radiis solis à quibus generantur eleuari sursum. Iauellus in octauo Physicorum, vtitur pro D. Tho. hac ratione. Si duo ita se habeant, vt remoto impedimento vnum necessario sequatur aliud, dans primum, dicitur simul & proxime dare alterum, sed formam Elementorum necessario sequitur latio in suum locum, igitur dans eis formam, dicitur tradere illum motum, forma autem à generante tribuitur. Confirmatur: quoniam ex Aristot. in 4. de cœlo, tendere in suum locum, est tendere ad formam, at motus ad rei formam ex generante prodit; Explicatur exemplo proiectorum: nam proiecta, quamuis recepto principio motus à proiiciente non tangantur, tamen semper dicuntur mota à proiiciente, etiam si statim proiiciens, perierit. Similiter, generans Elementa, tribuens formam, quamuis ea non tangat, semper tamē dicitur proprius motor eorum. Simplicius similiter in 2. de Anima, 39. ait ex sententia Arist. Elementa à generante moueri. In octauo autem Physic. 32. ait, Elementa moueri ab alio. Mox exponens cont. 33. se ancipitem indicat, asserit tamen, à generante moueri: quia facit formam aptam ita moueri; nam ex sententia Simplicij, Natura non est principium efficiens, sed patiens, & est idoneitas quædam ad formam aliquam, & motum, quam idoneitatem mobile à generante recipit. Themistius id ipsum affirmat in 8. Phys. 32. inquiens: vt instruens discipulum est causa, vt discipulus ea speculetur quæ didicit, ita generans leue, est causa vt sursum tendat. Consentiunt itaque hi, grauia & leuia à generante moueri: dissentiunt, de generante, quodnam sit. Nonnulli aiunt esse Cœlum, cuncta dirigens in suum locum. Alij asserunt esse generans proprium & proximum, & hi rectius sentiūt: nam Ignis non à cœlo fertur sursum, sed potius à comburente proximo largiente formam. Putare motorem proximum & per se, Elementorum esse generans, est aduersari Experientiæ, Authoritati, & Rationi. Primo Experientiæ: quia inspicimus absente generante moueri Elementa, nos quærimus motorem proprium & proximum, qui per contactum moueat, omne enim proximum agens agit per contactum, vt legitur in primo de ortu & interitu. Præterea, ea Solutio ad rem nō facit: quia non est dubitatio à quo moueantur Elementa ex potentia essentiali, cōstat enim ita moueri à generante, sed quæritur cum genita fuerint, à quo proxime moueantur. Præterea, si generans mouet, vel id facit per alium motorem medium, vel sine eo: si primum, non erit motor proximus, qui quæritur: alterum eligi non potest; quod ostendo præassumptis quattuor; primum, motor est actus motoris & mobilis, ex 3. Phys. Secundum, omnis actus exposcit proximum & per se principium, ex quo prodeat. Tertium, eiusdem agentis non possunt esse proxime & per se, duo actus. Quartum, actus generantis proprius & per se, est generare, ex 3. Physicorum. Ex his conflatur Ostensio. Quod est proximum & per se principium generationis, & formæ, non potest statui proximum & per se principium lationis, ex tertio assumpto, Generans est proximum, & per se principium generationis, ex quarto assumpto, ergo non lationis. Quare lationis aliud statui debet principium proximum & per se, ex secundo assumpto, & confirmatur: quia actus primus & secundus, sunt actus duo subordinati, quare proxima eorum principia duo subordinata esse debent. Præterea, generans quod dicitur mouere, vel est cœlum, vel generans proximum, non cœlum, quia est agens commune & remotum, & omne corpus ita mouet, vt mouetur, cœlum autem mouetur in orbem, & ita in orbem mouet superiora Elementa: nunc sermo est de motu recto. Insuper motor secundum naturam, non producit proxime & per se motus contrarios, quales sunt motus recti. Si asseris pro-

Iauellus.

Simplicius.

Themistius.

Ostensio.

prium motorem esse id, quod proxime generat, contra forma generans, & genita,sunt duo particularia, quæ inuicem ordinantur ex accidenti, ordinata ex accidenti,non includunt hoc,vt posterius agat virtute antecedentis, ideo forma moti, non potest proxime mouere virtute generantis. His accedit,quod motor proprius & proximus mouet per tactum, generans non tangit Elementa dum mouentur. Demum motor corporeus proprius & proximus non mouet, nisi eodem motu moueatur.

Cap. XIX.

A quo proxime moueantur grauia & leuia, opinio Propria.

Tres conclusiones. CVm relatæ opiniones satis dubiæ apparuerint, vt lucide patefaciam quod sentio, tres propono cõclusiones; Prima est grauia & leuia proxime, & per se à sua forma mouentur. Altera est,inter putantes ea moueri à generante,& putantes moueri à propria forma,lis in verbis est posita,cũ de re consentiant. Tertia est,hæc inuicem non pugnare, Elementa moueri à generante, à propria forma,à medio, à loco, & à remouente impedimentum: nam omnia recte sumpta vera sunt. *Prima conclusio Elementa moueri à sua forma.* Quod pertinet ad primum, quod proxime à sua forma moueantur, ostendo authoritate Aristotelis in octauo Physicorũ trigesimosecundo, dicentis, leue recepta forma statim operatur, vt sciens speculatur,& ignis cõburit, nisi quid impediat. Conspicue hæc indicant Elementa moueri à forma,cum ea recepta forma, statim moueantur, & operentur. Et id confirmant exempla. Insuper 9.Metaphysicæ 18. inquit, grauia & leuia in se habere motũ, & operari semper, ac ita imitari æternos motores. Et in 4.de cœlo, cont. 2. inquit, operationibus grauitatis & leuitatis non esse imposita nomina,nisi quis ῥοπὴν hoc est inclinationem appellet, quæ dicitur οἷον ζωπυρ' ἄττα κινήσεως, nam est excitatio quædã ad motum;& quarto cœli,vigesimoquarto ait:graue & leue habent principium motus in se,sanabile & ægrotabile, externũ & loquitur, vt patet de principio efficiente. Et in primo de cœlo octuagesimooctauo, legitur: si in infinitũ descenderet graue, in infinitum cresceret velocitas & grauitas. Manifestissime Arist. affirmat, grauia & leuia proximè moueri à sua forma,per grauitatem & leuitatem, quod frequenter affirmat Auerroes,& præsertim secundo Phys. cont. primo, & tertio, *Ratio 1.* quarto Phys.71.octauo Phys.30.& 32.quarto cœli 22.24.& alibi.Cõfirmo idipsum rationib. Nam grauia & leuia per id proxime mouentur, quod sine medio sequitur, & quo seruatur motus, at sine medio alio principali motore sequitur formam,& per eam seruatur motus,quare per formam proxime mouent;& hoc coguntur fateri etiam illi, qui asserunt moueri à generante: nam inquiunt, dans formam,dare sequentia formam,quare concedunt,motum proxime sequi formam;Et quoniam suam sententiam cõprobant exemplo proprietatũ,ex eodem elicio comprobationem, quod proxime moueantur à forma, quia proprietates proxime sequuntur formam,& per eam,vt per causam demonstrantur, non au-*Ratio 2.*tem per principium generans. Præterea forma grauium & leuium est proprie & per se natura,igitur est propriũ,& per se principium internũ motus,non patiens, *Ratio 3.* sed efficiens,quia formæ, vt forma est agere, non pati, id enim habet à materia. Preterea,natura ea conditione res producit,vt simul eis largiatur principium,& facultatem assequendi suam perfectionem,quod principium est propria eorum forma, quare consimiliter Elementa, vt à forma habent, vt sint ita per eam habent facultatẽ assequendi perfectionem propriam, quæ in eo consistit, vt sint in

suo

suo loco. Confirmatur: quia ea est causa efficiens motus, quæ eadem est principium quietis secundum naturam, mouentur enim Elementa, vt in suo loco requiescant: at quietis Terræ principium statuitur natura terræ, vt patet ex secundo de cœlo, quare eadem erit principium producens motum. Hinc Aristot. in 2. Phys. 29. causam efficientem descripsit per esse principium motus vel quietis. *Ratio 4.*

Eadem veritas ex eo elicitur, quia nisi grauia & leuia per suam formam in proprium locum tenderent, inanes redderentur ostensiones, Arist. in primo de cœlo pro ostendendo Mundo vno, ex eo quia omnia grauia per suam naturam in vnum medium confluunt, & leuia in vnum extremum. Similiter inanes redderentur Regulæ sumptæ ex proportionibus grauium & leuium, pro inferendis proportionibus velocitatis & tarditatis: nam Regulæ proportionis motuum, ex virtute motorum & resistentia eliciuntur. Et demũ id confirmatur per Aristotelem in 2. Phys. cõt. 5, dicentẽ, tendere sursum, competere igni à natura, & secundum naturam. Natura autem ignis, forma eius est, quare per propriam formam mouetur, & iure: nam motus Elementorum est actus secundus eorum, actus secundus ex primo prodit, qui forma est, adeo quod vt Homo ridet per formam suam, ita ignis sursum tendit per suam formam, generans non proxime producit huiusmodi opera, sed per formam mediam. Nec asserere valemus, quod forma mouens sit instrumentum generantis primo, quia forma est per se natura, quare per se principium motus. Secundo, quia generans & genitum sunt eiusdem speciei, & forma vnius speciei, non operatur, vt instrumentum alterius, & si quis dicar, & generans esse cœlum, tunc formæ erunt causæ secundæ, & propriæ, non autem instrumenta, vt dum Sol, & homo generant hominẽ. Sic itaq; recte Scotus, in 2. sent. Dist. 2. q. 10. & Greg. Arim. in 2. Sent. Dist. 6. q. 1. asserunt grauia & leuia à sua forma moueri. At pro lucidiore notitia animaduertendum est, quod moueri à sua forma, contingit dupliciter, vel ita, vt ea forma cum resistentia interna per propria instrumenta, & ad libitum moueat, vel ita, vt solum resistentia sit externa, & formam necessario sequatur motus. Elementa non mouentur à propria forma primo modo, sed secundo. Hoc ostendit Aristot. in 8. Phys. post contex. 28. vbi ostendit, ea non moueri à seipsis, nam eo modo ex se moueri, est proprium viuentium, vt dicitur in 2. de Cœlo, & asseritur à Plat. in Phedro, eo namque modo solum ex se illa mouentur, quæ prædita sunt instrumentis motui inseruientibus & cognoscunt: hinc mouentur & quiescunt ad libitum, grauia autem & leuia solum ex se mouentur, quia mouentur per suam formam, ita tamen, vt eam necessario sequatur motus, remoto impedimento. Hinc nonnunquam dicuntur habere principium motus solum patiens, non efficiens, vt in 8. Physic. 32. quatenus ita mouentur, vt per naturam diriguntur, & non ad libitum, nec per instrumenta motus, ea quæ primo modo se mouent vere ex se moueri dicuntur, & absolute dicuntur prædita principio mouente, ea autem, quæ secundo modo per formam mouentur, comparata cum primis, dicuntur moueri ab alio, quia ita mouentur, vt per instinctum & impetum, & propensionem naturæ feruntur. Hinc pro distinctione à primis propria eorum forma dicitur ratio, per quam ita mouentur: hoc docuit nos Aristoteles in octauo Physicorum, trigesimosecundo, inquiens: Ratio ob quam grauia feruntur deorsum est, quia sunt grauia. Nam ait, quare ad suum locum mouentur leuia, & grauia, causa est, quia sui natura apta sunt aliquo, & hoc est ipsi graui & leui esse, hoc quidem ipso sursum, id autem ipso deorsum definitum. Idipsum enunciat quarto Cœli, 24. Constat itaque grauia & leuia proxime moueri à sua

Ratio 5. — *Scotus.* — *Moueri à sua forma dupliciter.*

Conclusio. forma, & pro distinctione à motore interno magis proprio, eam formam dici rationem, ob quam ita mouentur, Ratio autem est forma & causa.

Cap. XX.

Explicatio secundæ Conclusionis, quod lis sit posita in verbis.

Conciliatio. Quamuis putantes grauia & leuia moueri à sua forma & à generante summopere inter se pugnare videantur, tamen si rem & Sententiam accuratè perpendimus, facile inspiciemus vniuersam litem positam esse in verbis, & quod hoc dicere cogamur, patet primo, quia vtrumque dicitur ab Aristotele: nam sæpe inquit moueri à propria forma vt retuli: nonnunquam etiam ait moueri à generante, vt in octauo Physicorum. Quare si hæc inuicem pugnarent, Aristoteles pugnantia enunciasset. Præterea omnes consentiunt, ea moueri à generante mediante forma, quare omnes concedere coguntur proxime moueri à forma, adeo vt generans & forma ordine aliquo moueantur. Quod D. Thom. id concedat, patet: quia ille est, qui ait, dans formam dat sequentia formam, quare fatetur, motum proxime sequi formam. Petrus Vernias. Hoc luce clarius explicauit Petrus Vernias, qui sequens D. Thom. absoluit expositionem D. Thomæ Librorum de Cœlo, & in 4. de Cœlo, 25. inquit: generans est id, quod mouet grauia & leuia, id tamen quod proxime mouet, est grauitas & leuitas, & multa addit per quæ idipsum confirmat. Aegidius. Ægidius quoque cogitur idipsum fateri: inquit enim, quod natura grauis est ratio, qua generans mouet grauia; At asserere hoc, nil aliud est, nisi dicere, quod proxime à sua forma & natura moueantur: nam Ratio non est instrumentum, vel Materia, sed est rei forma, quę actionum est principium, vt ratio quod Homo rideat, est, quia est capax Rationis. Simplicius. Simplicius quoque, qui in 8. Physic. ait, Elementa moueri à generante, in quarto de cœlo, 24. conspicue fatetur proxime moueri per internam formam: nam ait, quæ secundum locum mouentur in seipsis habere videntur principium transmutationis, grauitatem & leuitatem: nam graue & leue dum mouentur, in seipsis habent principium motus. Philoponus. Philoponus, quarto Phys. in digress. de vacuo inquit, grauitatem esse causam efficientem motus deorsum, & leuitatem causam efficientem motus sursum. Themistius. Similiter hoc manifestauit Themistius, inquiens, generantem se habere ad motum, vt se habet docens ad contemplationem addiscentis, at docens est causa remota, habitus addiscentis proxima. Fatentur itaque omnes, Elementa ordine quodam à generante & propria forma moueri. Ex his colligo Conclusio. comprobationem tertiæ Conclusionis, quæ erat, nil repugnare, quin dicere valeamus, grauia & leuia à variis moueri: nam vel considerantur in potentia remota & essentiali, vel proxima: si in potentia remota, quæ est ad actum primum, sic proxime mouentur à generante. Dum autem fuerint in potentia proxima, vel consideramus motorem per se, vel ex accidenti, motor ex accidenti est remouens impedimenta, Motor per se vel mouet per Metaphoram, vel proprie: per Metaphoram mouet Finis, huiusmodi est locus; Mouens proprie, vel est externum, vel internum: externum est medium, sine quo grauia & leuia non mouentur, & per quod à tergo repelluntur: internum est propria forma, quæ proxime instrumento grauitatis & leuitatis motum efficit, quæ ab Arist. dicitur ratio per quam ita mouentur, veluti in secundo Posteriorum, medium demonstrationis dicitur ratio, & causa ipsius passionis. Dubitatio. At iure dubitabit aliquis, si consentiunt, quomodo tam acriter inuicem pugnant, & rationibus variis inter se Solutio. contendunt. Respondeo, dum aliquid reperitur quod mediat, & obscure, diminute, ac

mute, ac ambigue aliquid continet, sine contradictione dicere possumus quod id contineat & non contineat, vt quod stirpanimalia sint,& non sint Animalia, quod diluculum sit, & non sit dies, similiter se habet de forma grauium & leuium, ea non ita mouet, vt Anima Animalia, nec Elementa resistentiam habent internam, nec ex propria cognitione & electione habent, vt ita moueantur, nec mouentur nisi præcurrat motus aliquis, ideo absolute non se mouere dicuntur, sed moueri & dirigi ab alio, in re itaque ancipiti, nonnulli inspexere principale dirigens, & antecedens, alij proxime exequens, & inde orta est pugna; cum tamen Aristot. inspexerit vtrumque, & vtrique dederit quod eius est proprium, vnum nuncupauit principium motus, aliud Rationem per quam proxime ita mouentur; Exemplo nobis esse possunt statuæ Dædali, de quibus ait Plato in Menone, quod nisi fuissent ligatæ, fugiebant, illæ dum fugiebant, dicebantur quidem moueri à Dædalo, qui principium motus inseruerat, proxime tamen ab inserto principio mouebantur; Idipsum dicendum est de generante & forma insita, in motu Elementorum. Sed duo se offerunt dubia, primum est, si vtraque sententia est vera absolute, qui rectius loquantur, num qui dicunt moueri à generante, vel potius, qui à propria forma? Alterum est, dum dicimus moueri à generante, nomine generantis quid intelligere debeamus, num proximum, vel commune, quod est Cœlum? De prima difficultate dico, dum interrogatio est multiplex, vtendum est distinctione, & quicunque sine distinctione absolute respondent aberrant. Cum itaque illi respondeant sine distinctione, non recte respondent, Aristoteles in 8. Phys. 32. recte respondet, vtens distinctione potentiæ ad actum primum, & secundum; insuper distinguens absolutum & proprium motorem, à ratione; nam propria forma est ratio per quam ita moueantur generans est causa prior, at forma est causa proximior & magis propria, cum sit natura adeo facta comparatione, illi rectius loquûtur qui aiunt, à sua forma moueri. Quærebatur secundo, quid per generans intelligere debeamus. Iauellus censuit denotari cœlum: Aluernias complens expositionem D. Tho. librorum de cœlo, putauit denotari proximum generans. Respondeo, sententiam Aristotelis esse veram de omni generante, vt generans est, & vt est generans, ita est mouens: si fuerit generans commune, est mouens commune, si generans proprium, mouens proprium: Aristoteles tamē præsertim proximum denotauit, vt ignis mouet lignum secum cōuertendo illud in ignem. At instabatur in præcedentibus, quia inter particularia eiusdem speciei solum est ordo secundum accidens, & vnum nō operatur virtute alterius. Respondeo, aliud est operari virtute alterius, & operari virtute propria recepta ab alio, ignis ascendens sursum, cum ascendat per propriam formam, & naturam, dicitur ascendere virtute propria, recepta tamen ab alio. Insuper quamuis inter duo definita particularia sit ordo secundum accidens, tamen dum vniuerse & indefinite sumuntur, ordo est essentialis, vt dicendo cum Aristotele in secundo Physicorum 26. Sol homo generant hominem. Similiter cœlum & ignis generant Ignem.

Statuæ Dædali.

Duo dubia.

Qui rectius loquantur.

Quid denotetur nomine generantis.

CAP. XXI.

De modo quo Elementa mouentur.

CVM appareterit, Elementa & à generante & à propria forma moueri, de modo quo à propria forma moueantur, non leuis est dubitatio: & varij varia dicunt. Cum enim Elementa sint corpora consimilia, instrumentis & interna resistentia destituta, non apparet quomodo per suam formā moueri valeant,

& præsertim quia Arist. in 8. Phys. 32. ait, ea non esse prædita interno principio efficiente, sed solùm patiente; Auerr. 3. cœli 28. prope calcem, asserens tunc se modum patefacere à se approbatum inquit: in Elemento forma, vt forma agit & mouet, vt autem est in materia mouetur, & cum non valeat in se agere, quia Elementum, non diuiditur in motorem & mobile ei resistens, ideo consideratur hic ordo. Primo Elementum ex potentia essentiali mouetur à generãte, siue ex potentia accidentali graue mouetur ab eleuante, aut à remouente impedimentum; secundo id graue ita motum mouet medium, tertio per motum medij ex accidenti mouetur id graue, adeo vt moueat se ex accidenti, quia nõ in se agit, sed in medio. Cuius diuisionem sequitur descensus grauis; & 4. cœli 22. vtitur exemplo naturæ, qui se mouet mouendo Nauim. Hinc in vacuo Elementa non possent se mouere, vt ait 4. Cœli 22. 3. Cœli 28. 4. Physic. 71. & alibi. Zimara in sua quæst. quæ circumfertur manuscripta, ita retulit sententiã Auerrois eamque approbat, & defendit, & profectò rectè eam retulit. Quam tamen approbandam non puto. & ratio est: quoniam lapis eleuatur dum incipit descendere, vel primo ipse mouetur, vel primo incipit moueri medium, non medium, quia id diuiditur, & mouetur à graui descendente, corpus autem non mouet nisi moueatur, quare primo id quod mouetur est corpus graue, quod cum primo origine moueatur quæro à quo proxime moueatur, non ab alio, quia non adest alius proximus motor quo à seipso, quare primo origine à se & sua forma mouetur. At inquit Zimara quod primo incipit moueri ab eleuante illud, vel à remouente impedimentum, quæ solutio non est vera, quia remouens impedimentum, siue eleuans, est motor ex accidenti, vt inquit Arist. omnis autem motor ex accidenti requirit motorem proximum & per se. Præterea imaginor aliquem eadem manu clausa continere lapidem & ignem, dum manum aperit statim graue descendet, ignis ascendet, quęro à quo proxime ita contrariis motibus moueantur non à manu, quia manus aperta non mouetur, sed derelinquit ea suæ naturæ, nec in ea agit, quare à sua propria natura incipiunt moueri; quod confirmo: quia imaginor lapidem filo suspensum & alligatum, qui progressu temporis filum frangat, profectò filum franget sua grauitate, suoque motu deorsum, & tamen tunc abest, & eleuans, & remouens impedimentũ: nam eleuans & remouens impedimentum solum disponunt lapidem, vt valeat moueri, non autẽ mouent agendo in mobile, hoc ipsum patet exemplo ignis in medio Aeris geniti, qui statim per suam leuitatem mouetur sursum, & lapidis proiecti sursum, qui euanescente violentia per suam formam incipit descendere. Hoc confirmo exemplo Nautæ, quo vtitur Auerroes, qui mouendo nauim mouet se, at nauta ita mouet nauim, vt ipse sit, qui primo moueatur, quare etiam graue, ita ex accidenti mouetur per diuisionem medij ab eo factam, vt primo origine ex se moueatur. Præterea si Elementa solum se mouerent ex accidenti, tunc formis eorum non competere definitio naturæ, definitur enim natura, quod sit internum principium motus, non ex accidenti, vt Medicus se curans, sed secundum se, vt dicitur ab Aristotele in secundo Physicorum. Præterea, si Elementa se mouerent solum ex accidenti, tunc eorum motus nõ esset secundum naturam, sed violentus, quoniam pendens necessario & essentialiter à violento, violentum est, vt quod pendet à facto à casu, dicitur casu fieri 2. Phys. com. 44. at ex Auerrois sententia motus Elementorum necessario & essentialiter pendet ex motu violento, nempe ex diuisione aeris, quæ violenta est, quare motus inde prodiens violentus erit. Colligamus itaque, dum grauia, vel leuia extra suum locum ablato impedimento incipiunt

Auerroes. *Ordo pro motu.* *Zimara. Auerrho.* *Conclusio Elementa primo ex se moueri.*

cipiunt moueri, quod primo origine eamet Elemēta sint, quæ proxima per suam formam moueri incipiant, & ob id moueatur medium & diuidatur, adeo vt nisi medium resistens adesset, vt pertinet ad resistentiam medij nullum posset assignari tempus in quo mouerentur, vt dicitur ab Aristotele in 4. Phys. 71. dico autem primo origine incipere moueri ex se, quoniam si tempus inspicimus, simul tempore mouetur graue, & scinditur medium, at nō scissio medij est causa motus grauis, sed vice versa. Verum cum primo Elementa ex se moueantur, hoc apprime dubium est, quomodo id eis competere valeat, nil enim mouet se nisi diuidatur in motorem & mobile, vt ostenditur in 8. Physic. Elementa non ita diuiduntur, quia carent instrumentis, & materia cum sit potestate, non est ea, quæ possit resistere formæ mouenti, Scotus in 2. sent. Dist. 2. q. 10. inquit, sat esse, vt inter motorem & motum sit distinctio rationis, & hęc seruatur in Elemento quod primo ex se mouetur: nam totum mouet totum per formam, mouetur quia formatum, veluti etiam Angeli per solam distinctionem rationis ex se mouentur. Vtitur etiam Scotus distinctione efficientis in vniuocū & æquinocum: agens vniuocum necessario agit in aliud, vt calidum calefacit non se, verū aliud, similiter frigus & humor. At agens æquiuocum valet in se agere, vt intellectus intelligens, sensus sentiens, in se producunt actum intelligendi & sentiendi. Ratio est: quoniam actus virtutis producendi, & potentia ad formam producendam, non inuicem pugnant, ita aqua calida semetipsam refrigerat. Et hac distinctione etiam vtuntur Gandauensis, & alij multi. Verum hæc opinio & Aristoteli & rationi aduersatur, Aristoteli primo, qui in octauo Physicorum, post cont. quadragesimum, latissime ostendit hoc solo modo aliquid ex se moueri, vt constet ex parte mouente & parte mobili, adeo vt non solam constituat distinctionem rationis, sed absolutam, & ex natura rei. Præterea, nisi repugnaret dari motum in quo motor à mobili sola ratione distingueretur, vt de motu Angelorum & Elementorum inquit Scotus, tunc Aristoteles in 8. Physicorum suis rationibus non assequeretur id quod cupit: nam sibi ostendendū proposuit in mouentibus & mobilibus esse deueniendum ad primum, quod ita ex se moueatur, vt constet ex motore immobili & parte mobili, at si aliquid sola distinctione rationis posset ex se moueri, dicerem cœlum æternum, & ingenitum ita ex se moueri, sine alio immobili motore, & præsertim quia mouens motu locali, est motor æquiuocus. At respondet Scotus, & cum eo Gandauensis sat esse Philosopho manifestare motū Elementorum necessario præsupponere motum alium: nam ex potentia essentiali mouentur ab alio. Verum hæc solutio non satis facit, quoniam si aliquid ita posset ex se moueri, tunc non præsupponeret necessario motum alium, & præsertim, quia dicerem primum mobile esse Cœlum æternum, quod semper ita motu est. Præterea hoc patet considerando ostensiones Aristotelis: nam ostendit nil mouere se, alioquin sequeretur, quod idem relatum ad idem, esset actu & potentia, haberet id & non haberet, & idem alterabit, & alterabitur, docebit, & docebitur, sanabit, & sanabitur, quæ dereliquit, vt conspicue absurda. At respōdent Scotus, & cum eo Gregorius Arim. in secundo Sentent. distin. 6. q. prima art. 3. Aristotelem loqui de motore vniuoco, non de æquiuoco quod colligunt ex Aristotele in octauo Physicorum, cont. 40. dicente, quod si aliquid se moueret, idem erit calidum, & nō calidum, similiter de aliis quorum necesse est motorem esse vniuocum, &c. Contrahit itaq; Philosophus suam sententiam ad motorem vniuocum, motor autem Elementorum dum ex se mouentur, est æquiuocus. Hæc euasio inanis est, primo: quia si sententia Ari-

Quomodo ex se moueantur.

Scotus.

Euersio.

Solutio.

Euersio.

Solutio.

Exercitio. stotelis esset vera solum de morore vniuoco, quia mouens secundum locum est motor æquiuocus, non esset vera de latione, & ramen Aristoteles etiam de latione mentionem facit, inquiens: si idem moueret se, tunc idem ferret & ferretur eadem latione, immo tunc inanis redderetur vniuersus progressus Aristot. in octauo Physicorum: nam Aristoteles nos deducit ad motorem immobilem loquendo de latione, at nisi etiam de latione esset verum, quod nil valeat mouere se, & quod solum sit satis distinctio secundum rationem, profecto Aristot. nil necessario colligeret, quia semper dicerem cum Scoto, in latione esse satis distinctionem rationis. Præterea est conspicua sententia Arist. in primo de ortu & interitu 73. quo loci disputans contra Democritum asserentem Atomos descendere, inquit: vel diuiduntur in motorem & mobile, & ita non erunt Atomi, vel secundum idem contraria ipsis inerunt, quæ ratio inanis esset, si sat esset distinctio secundum rationem. Præterea, motor æquiuocus corporeus non in se, sed in aliud formam producit, vt Piper, & Zinziber non se calefaciunt, sed aliud, de aqua quomodo excalefacta refrigeretur alibi parefeci, & præsertim in lib. de actione & passione.

Cap. XXII.

Quomodo Elementa primo origine, cum genita fuerint, ex se moueantur, opinio propria.

Cum apparuerit sententia Scoti Gregorij Arim. & Gandauensi de modo quo Elementa ex se incipiunt moueri satis dubia, ideo dico Elementa ex potentia accidentali proxime per propriam formam moueri, & de hoc consentio cum Auerroe. Addo secundo, ea primo origine ex se moueri, & per eorum motum diuidi medium, de hoc dissentio ab Auerroe, consentio cum Scoto, & Gregorio. Dico tertio, Elementa non ex se moueri per solam distinctionem rationis, sed per essentialem distinctionem orignis actionis & passionis: nam corpus graue rotum mouet, rotum mouetur, ita tamen vt origines & primæ rationes agendi & patiendi sint distinctæ: nam quamuis sola forma non moueat, est tamen prima & integra ratio agendi. Similiter quamuis sola materia nō moueatur, est tamen integra ratio patiendi, & ita non sequitur absurdum quod idem relatum ad idem sit actu & potentia. Hoc non valuit dicere Scotus: quia cupiebat seruare pro motu Angelorum, quod etiam simplex posset mouere se, at si Aristot. nouisset, Angelos mutare locum, dixisset vt de humana mente, & de non aptis moueri, quod sint & non sint alicubi sine motu, & transmutatione, vt etiam in primo de cœlo de non aptis gigni & interire dixit quod sunt, & non sunt sine ortu & interitu. Addamus demum Elementa dum habent requisita pro motu semper moueri, ac ita imitari separatas substantias, quæ semper agunt, vt dixit Aristot. Requisita autem pro motu eorum quattuor sunt, propria forma, medium congruens, distantia à proprio loco, & absentia impedimenti. His explicatis, duo supersunt diluenda dubia, primum, cur Arist. in octauo Phys. dicens omne moueri ab aliquo, suam sententiam per motorem vniuocum contraxit. Altera dubitatio est, cum motus Elementorum sit secundum naturam, per quod principium dicitur esse secundum naturam, num per agens vel per patiens? De prima difficultate loquutus sum in libro de actione, & passione, ideo nunc breuibus dico à variis vario modo Sententiam illam explicari. Auerr. ait denotari motum vniuocum, id est proprie sumptum, non æquiuocum, vt est actus

Opinio propria.

Requisita pro motu Elementorum.

Cur Arist. contraxit suam sententiam per motorem vniuocum.

intelligendi, de quo nomen motus æquiuoce dicitur, & idem valet se intelligere. Simplicius dixit denotari motum per se, pro excludendo motu secundum accidens, quo aliquid se mouere valet; hæc quamuis sint vera, non tamen videntur præsertim conducere pro instituto Arist. eo in loco, ideo dico, Aristotelem id addidisse, quorũ necesse est motorem esse vniuocum, vt indicaret suam sententiam vniuerse esse veram de mouentibus se: nam dum idem est mouens, & motum ferens, & latum, calefaciens & calefactum, motor est vniuocus, ideo Arist. reddens rationem suam vniuersalem, ait eam vim habere, & ea absurda sequi de omni prædito motore vniuoco, hoc est de omni mouente se, non autem id dicit vt velit concedere motorem æquiuocum mouere se, vt putarunt Scotus Gregorius, Gandau. & alii multi, de alia difficultate inquit Scotus secundo sentent. dist. 2. quamuis Elementa à sua forma moueantur tamen in 8. Phys. 32. dicuntur habere initium motus in se non actiuum sed passiuum, quia motus solum per principium passiuum debet dici naturalis. Hæc sententia non est approbanda, primo, quia Arist. in octauo Physic. 32. non inquirit per quid motus Elementorum dicatur naturalis, de hoc enim verbum non facit, sed à quo moueantur. Præterea si Elementa mouentur per propriam formam, profecto per originẽ actionis erit naturalis, nempe per formam, quę est natura eorum non per originem passionis quæ est materia, & ex se ad eũ motũ non habet propensionem. Præterea conspicua est sententia Aristotelis in 8. Physicorum, 27. asserentis totum animal: quia ab anima interno principio mouetur moueri secundum naturam, quamuis corpus contra propriam naturam moueatur, ait Philosophus motum animalium esse Physicum ratione motoris. Dicamus itaque motum Elementorum præsertim dici secundum naturam: quia prodit ex propria eorum forma, quæ natura est, & internum principium principale motus.

Per quid motus secundum naturã. Scotus. Euersio.

Conclus.

CAP. XXIII.

Quæsit resistentia in motu Elementorum per quam mouentur definito tempore.

DECVRSIS cæteris attinentibus ad notitiam motus Elementorum, superest, vt id explicemus de quo in parte postrema differẽdum proposui, nempe vnde oriatur resistentia, duplex consideratur resistentia; vna interna, altera externa. In motu elementorum Auer. Achillinus Zim. Gand. & alii multi: solum aiunt reperiri resistentiam externam, quæ attenditur penes densitatem, & raritatem medij non autem internam, & Arist. de nulla alia vllibi mentionem fecit, & regulas velocitatis tradens, solã inspexit resistẽtiam medij, nunquam aliam: quod præsertim patet ex quarto Phys. 71. 72. & 73. confirmatur: quia intrinsecus in Elemento nil repugnare motui potest, non forma, quia nil sibi repugnat: non materia contradistincta à forma, quia est penitus potentia, quæ non resistit, nec pars vna resistit alteri, vt in animali, quia partes Elementorum sunt consimiles, quare vniuersa resistentia ex medio pendet. Hæc opinio aduersatur rationi, & experientiæ; Rationi primo, quia dempta per imaginationem omni resistentia medij, veluti contingeret in vacuo, adhuc motus deberet fieri in tempore, non momento, alioquin simul tempore initium, medium, & finis rei mobilis essent in eodem loco, & ita initium esset cum fine mobilis, quod cõspicuam includit pugnam. Præterea, si imaginemur cum Ptolemæo & Zenarcho, quod Elementa per naturam moueantur in orbem, proculdubio tunc non

Resistentia duplex.

Opinio quorundam.

Euersio.

r

haberent medium impediens, nec propterea sine tempore mouerentur, veluti etiam Cœlum quamuis sit procliue ad motũ in orbem, & careat resistentia medij, tamẽ mouetur in tempore. Præterea, vtor alia ratione qua vtebatur Auempaces, & refertur ab Auer. in 4. Phys. 71. & est quoniã si continuatio motus Elementorum solum prodiret ex resistentia medii, tunc motus eorũ solum esset in tempore, & esset motus per impedimentum ex medio prodiens, & esset motus eorum ex accidenti, cũ tempus sit de requisitis pro motu, quod apprime est absurdum, ita enim motus eorum non constitueretur per attinentia ad motorem & mobile, nec posset dici secundum naturam. At respõdit Auerroes, falsum esse quod medium impediet, nam medium constituit, non impedit motum, & dicitur conducere tribuendo ei successionẽ, & addit quod si medium impediret, & Elementa sine resistentia medii possent moueri secundum naturam sine impedimento, sequeretur quod darentur motus naturales qui nunquam reperirentur in Vniuerso, cum non detur vacuum. Solutio Auerrois nõ satis facit, primo, quoniam requisita pro motu relata ab Aristot. in 5. Phys. sunt quinque, nempe mobile, motor, terminus à quo, ad quem, & tempus, medium autem resistens non numeratur inter requisita pro motu, sed cum prima quinque constituant motũ, resistentia medij solũ videtur impedire. Præterea, si medium requiritur pro constitutione motus naturalis, quia per motũ naturalẽ appetunt grauia citissime assequi finem, ideo solum medium rarissimũ constitueret motum naturalem, id aũt quod densius erit, sua maiori densitate non necessaria, solum impediet motum naturalem; Instantia Auerrois diluitur, quia solum Cœlum est immune ab omni impedimento, & violentia, Elemẽta semper dum mouentur iunctã habent violentiam aliquam, & dispositionem prçter naturã, ideo vt non inueniuntur in vniuerso sincera & pura, ita eorum motus non inuenitur sine aliqua violentia, & præsertim quia repugnat dari vacuum ratione ordinis vniuersi, ideo repugnat dari eorum motum aliquẽ sine impedimento medij. Præterea, ad principale redeũdo, ea opinio quod omnis resistentia pendeat ex medio, aduersatur experientiæ, nam tunc velocitas motus absolute sequeretur rationem grauis ad resistentiam medij, adeo vt corpus qua ratione esset grauius, ea moueretur in eodem medio velocius, quod experientiæ aduersatur: nam si duæ formentur pilæ eiusdem molis, vna ex ligno, altera ex Plumbo, plumbea erit grauior ratione plus quam quadrupla, & tamen in descensu nedum non erit quadruplo velocior, immo nec duplo, vt experientia patefacit & innumeræ consimiles instantiæ possent afferri. Propterea dicamus, resistentiam in motu secundum naturam esse duplicem, vnã externam & aduentitiam, prodeuntẽ ex medio, quã concedunt omnes, alteram internam. Quæ interna resistentia est duplex, vel prodiens ex corpore mixto, prædito alia propensione, & hæc competit animalibus, non aũt simplicib. corporibus: vel prodit ex communibus internis requisitis pro omni motu, & sunt mobile, & duo termini, nempe locus quem deserit, & locus quẽ acquirit, hæc tria cum sint continua, nõ possunt sine continuatione & tempore variari, alioquin idem mobile simul esset in locis distinctis & distantibus, & principium mobilis esset simul cum fine. Ideo hæc repugnantia & conditio requisitorum pro motu, parit continuationẽ, & dicitur resistentia interna, quam cogitur etiam concedere Aristot. cum in 2. de Ortu & interitu, 62. dicat: continuus aũt est motus, vtrum quia quod mouetur, continuum est, an in quo mouetur, veluti locum dico, aut passionem? Manifestum, quia id quod mouetur continuum est, quomodo enim cõtinua est affectio, nisi

Solutio. *Euersio.* *Non omnem resistentiam prodire ex medio.* *Sentẽtia propria.* *Aristot.*

quie res cui accidit continua est: si autem motus est continuus, quia id in quo est continue, soli loco hoc conueniet, magnitudinem enim aliquam habet, &c. conspicue Philosophus ait motum esse continuum ratione mobilis, quod autem sit continuus etiam ratione eius ad quod tendit, solum competit motui secundum locum, quia locus continuus est, non autem ait esse continuum necessario ob resistentiam medij. Similiter in sexto Phys. dixit motũ esse continuum, quia mobile dum mouetur, partim est in termino à quo, partim ad quem; sic itaq; in motu grauium, etiam resistentia interna est concedenda. Nonnulli his addunt pro causa successionis motus limitationem agentis naturalis & finiti, nam motor finitus limitatus est ad definitum gradum velocitatis, vt dicitur in calce octaui Phys. & hæc causa etiam à Philosopho in digressione de vacuo assignatur: At hæc ad rem non facit, quia modo sermo est de resistentia. agens autem non sibi resistit. Præterea, limitatio agentis potius cõstituit definitum terminum formæ acquirendæ, quam definitum tempus assequendi, siue producendi illum, vt tertius gradus caloris limitat actionem, vt vltra tertium gradum agere non valeat, sed tempus non constituit, & nisi contrarium pugnaret, sine tempore illum produceret, vt Sol sine tempore illuminat, quia Lumini contrarium non competit. Resistentia itaque in motu Elementorum partim externa est, ad medium pertinens. partim interna, prodiens ex continuatione & diuisibilitate rei mobilis loci. Hanc internam resistentiam approbauit Auempaces, referente Auer. in 4. Phys. 71. approbauit Scotus in 2 Sent.. d. 2. q. 9. Necnon Philoponus in 4. Phys. in digress. de vacuo. Vt pertinet ad hanc internam resistentiam, dicendum est, quod omnia Elementa remota resistentia medij mouerentur in tempore, & mouerentur omnia æque cito, nam resistentia consimilis esset, ideo dum consideratur proportio inter mobilia grauia vel leuia, & motum, semper supponenda est successio consimilis prodiens ex interna resistentia, mox vltra definitam illam remissionem velocitatis, omnis alia remissio maior vel minor, ortum ducit ex medio & ex varietate densitatis eius, & proportionis diuidentis, & diuisi, adeo quod si in vacuo essent simplicia corpora, & in eo mouerentur, æque cito mouerentur: quia resistentia interna consimiliter se habet; & de hoc minus recte puto sensisse alios, nam Democritus referente Simplicio, quarto Phys. 74. putauit Atomos in vacuo non æque cito moueri, similiter Auemp. Scotus, & Philoponus, à maiori virtute & grauiore mobili putarunt velocius pertransiri id spatium, quamuis fuerit inane. Hinc non valuerunt varias difficultates soluere quas mox referam, & dissoluam.

Sententia quorundam. *Conclusio.*

Cap. XXIIII.

Proponuntur variæ difficultates attinentes ad resistentiam, & proportiones motuum.

Res ardua quo exactius discutitur, & intimius consideratur, eo apparet obscurior & difficilior, hoc euenit in re, de qua agitur, nã primo occurrit hæc dubitatio: si in motu grauium & leuium præter resistentiam medij etiam adesset resistentia interna, diminutus esset Arist. qui cum alibi, tum præsertim in 4. Phys. 71. vniuersam resistentiam tribuit medio, & de interna non loquitur. Insuper tunc Elementa in vacuo moueri possent, quoniam adessent requisita pro motu, quod tamen reiicitur in quarto Physicæ, Tertio, si daretur resistentia interna, tunc corpus finitum à virtute infinita definito tempore moueretur, *Dubit. 1.*

ob internam resistentiam, & pugnam, ne simul sit in locis distinctis. At Arist. in calce 8. Phys. 79. oppositum asserit. Quarto dubitatur, quia si resistentia in vacuo penderet ex distantia partium mobilis, & terminorum, tunc mobile in vacuo infinite velociter deberet mouere, quoniam ea pugna posset vitari cum duplo gradu velocitatis, cũ triplo, & sic in infinitũ, adeo vt ea successio & tempus sub sensum non caderet. Insuper sequeretur quod eadem ratione illuminatio non posset esse vniuersa simul, Lumen enim transiens per mediũ non posset simul esse in principio, medio, & fine interualli. Dubitatur quinto vtrũ forma rei grauis vel leuis possit resistere in motu illius rei. Sexto dubitatur quoniam de motu grauiũ & leuium Arist. varia enunciauit quæ sensui, & experientiæ aduersantur, & regulas proportionis velocitatis, & tarditatis motuũ, tradidit, quæ aperte videntur falsæ, nam dixit corpus graue eiusdẽ naturæ qua ratione fuerit maius, ea ferri velocius, quod experientiæ aduersatur, nõ enim lapis duplo maior duplo est velocior, nec quadruplo maior quadruplo est velocior, sed æque cito maior, & minor lapis per aerem descẽdit, & qua velocitate quatuor quartæ lapidis descendunt seiunctæ eadem descendunt cõiunctæ. Insuper inquit Arist. corpus quo fuerit grauius, eo fertur velocius, hoc aduersatur experientiæ: Nam si duæ formentur pilæ æquales, vna plumbea, altera lignea, quamuis plumbea sit longe grauior, non tamẽ eadem proportione est velocior, sed fere æque velociter videntur descendere, similiter inquit Philosophus, in primo de Cœlo, si in infinitum cresceret grauitas, in infinitũ cresceret velocitas, & in 8. Phys. 79. ait, si vis infinita esset in magnitudine finita, non posset assignari tempus in quo moueret, hoc esse falsum ex eo constat, quia corpus maius dum fuerit consimile, non mouetur velocius quam minus, quare si in infinitũ cresceret corpus & grauitas, non in infinitũ cresceret velocitas. Septimo damnandus videtur Arist. quoniam huiusmodi regulas & proportiones velocitatis motuũ prodeuntes ex magnitudine & paruitate mobilis, transtulit etiã ad Cœlũ, nam in cont. 46. secundi de Cœlo ait, celeriorem esse maioris circuli velocitatẽ, rationi est consentaneũ, circa idem centrũ cõstituti, vt enim in aliis maius corpus velocius fertur, propria latione, ita in his quæ mouentur in orbem, &c. Hæc cum dicat Philosophus videtur confundere ea, quę per suam propensionem & formã mouentur, cum his quæ mouentur à motore separato, quorum tamen distincta est ratio, cum grauia, & leuia moueantur cum resistentia externa, non aũt Cœlum, imo cum Cœlum solum habeat resistentiã internam, & moueatur ab externo motore, quo fuerit maius, eo deberet moueri difficilius & tardius, veluti etiam fatetur ipsemet Arist. in eodem 2. de Cœlo, scil. loquens de motu Cœlorũ, nam difficilius esse dixit, mouere plura quam pauciora, at de grauib. & leuibus secus se habet, similiter in cont. 70. ait, maioris esse virtutis, orbem mouere pluribus Stellis præditum, quo loci inquit Auer. si orbis plures haberet Stellas, vel non moueretur, vel non eadẽ velocitate: at hæc conspicue pugnant cũ relatis ex cõt. 46. Octauo inquit Arist. qua ratione mediũ fuerit densius, eadem motum eiusdem mobilis esse tardiorẽ, quæ regula sensu percipitur falsa, quãuis enim aqua sit plusquã decuplo densior aere, non ob id pila plumbea per aerẽ decuplo est velocior, vt patet mensurando pondus eius pilæ, in aere & in aqua. Demũ nonnulli Mathematici Arist. damnant, quia videtur errasse nedum in principiis resistentiæ, & proportionis motuum, verum insuper in cõmutatione proportionum, nam inquit Philosophus in quarto Phys. quod eadem est proportio velocitatis motuũ eiusdem corporis mobilis per distincta media, quæ est inter densitates

In dubiũ vertũtur regulæ motuũ, traditæ ab Aristotele.

Damnatur Arist. à nõnullis.

densitates eorū mediorū, vt si aer est decuplo rarior aqua, motus in eo erit decuplo velocior, at id esse falsum ita ostendunt, si Lapis 20. librarū mouetur per medium resistens decem gradibus resistentiæ tempore vnius horæ, si minuitur resistentia & sit quinq; graduum velocitas, per regulas Arist. erit duplo maior, verum hoc propotioni non respondet, quia duplum excedit dimidium, vt viginti decem per medietatem sui, excedit autem quinque, hoc est quartam partem, non per duas partes sui, adeo vt consurgere debeat motus duplo velocior, sed per tres quartas, & proportione quadrupla, quare motus deberet esse non duplo, sed triplo velocior, quoniam ex excessu consurgit velocitas. Hæc profecto adeo sunt ardua, & tam conspicue patefaciunt regulas Aristot. esse falsas, vt valde sit arduum, Arist. à calumnia vendicare: & origo errorum id esse videtur, quia Arist. solam in motu grauium & leuium assignauit resistentiam externam, ex medio sumptam D. Th. cupiens Arist. defendere in attinentibus ad resistentiam dixit, quod Arist. in quarto Phys. non absolute ait, omnē resistentiam prodire ex medio, & sine ea moueri grauia sine tempore, sed solum euertit sententiam veterum asserentium adæquatam causam motuum esse vacuum, & sine eo non posse dari motum & idipsum dicitur à Scoto in secundo sent. dist. 2. q. 9. Verum hæc defensio est inanis; primo quia non putabant veteres, vacuum esse adęquatam causam velocitatis, sed eam prodire ex varietate Atomorum, quarum nonnullæ magis, aliæ minus essent motui accommodatæ, vt refert Simplicius; hinc animam dicebant constare ex Atomis valde mobilibus, insuper Arist. in 4. Phys. 71. conspicue ex propria sententia ait, velocitatem & tarditatem oriri, vel ex varietate medij, vel ex varietate mobilium, magis & minus grauium, & confirmatur: quia vbique Arist. dum hac de re loquitur, idipsum enunciat, vt in primo de cœlo 51. & 52. inquit, maiora ferri velocius, & vt crescit grauitas, ita velocitas. Propterea Scotus addit, Arist. per resistentiam medij denotasse omnia, quæ conducunt pro resistentia, & antecedunt adeptionem formæ, & termini motus. At errat, quoniam Aristot. seipsum declarat, inquiens, in vacuo non inueniri aliquid quod resistat, & sit causa successionis motus, adeo vt contra veteres inducentes vacuum, pro motu dixerit, si daretur vacuum, non daretur motus, & in cont. 71. & 74. se declarans, quid denotet per medium resistens, solum hoc retulit ad densitatem, & raritatem eius, adeo, vt per horum dicta Aristot. à calumnia non vendicetur.

Ardua dubitatio. *D. Thom.* *Scotus.* *Euersio.*

Cap. XXV.

Explicatur sententia propria pro diluendis instantiis aduersus sententias Aristotelis, de proportionibus motuum.

PRofecto, qui diceret, Aristotelem nunquam errasse, Aristotelem redderet non Aristotelem, sed Deum, homo enim omnis est mendax, nec propriis viribus valet semper veritatem intueri, sat est pro Arist. præstantia affirmare, illū inter Mundi sapientes summopere refulsisse. Ac vt pertinet ad propositas difficultates, vt partim Arist. tueamur, partim ea seruemus, quæ sensu & experientia constant, dico primo, præter resistentiam medij dati in motu grauium, etiam resistentiam internam à me explicatam, per quam mobilia consimiliter moueantur, adeo vt varietas superadditę tarditatis ex sola resistentia medij prodeat, & Arist. ex resistentiis hanc solam externam inspexit, & eam inspiciens regulas tradidit, & iure profecto, primo: quia ea est sensu notior secundo, quia ea sola

Dari duplicem resistentiam.

variatur, non autem interna, tertio, quia nunquam fit motus in vacuo, adeo vt apparere valeat, quæ sit velocitas ex sola interna resistentia consurgens, quarto, quia Arist. interuallum distinctum à corpore medio non concessit: ideo considerando diuisionem & partes interualli, per sua fundamenta nil considerare valuit, nisi attinentia ad corpus intermedium. Hoc præassumpto. Addo secundo, Arist. dedisse regulas more Mathematicorum, qui vnum sæpe considerant, non consideratis aliis, cum eo iunctis, ita Arist. regulas dedit prodeuntes ex proportione externæ resistentiæ, & grauitatis, cæteris imaginatione seiunctis, & quoniam dum ad actum rediguntur connectuntur, cum aliis per quę variantur, hinc oritur, quod quamuis illæ regulæ ex se, vt traduntur sint veræ, tamen dum ad actum rediguntur, ob nexũ cum materia, & aliis apparent falsæ, vt patet de sphęra quam Mathematici dicunt tangere planum puncto. Dico tertio, ex regulis ab Arist. traditis, depromptis ex gradibus facultatis motoris. & externæ resistentię, posse elici regulas omnes rectas velocitatis motiuæ, pertinentis ad alia adeo, vt Aristoteles breuibus virtute, & facultate cuncta dixerit ad huiusmodi proportiones pertinentia: nam consimiliter assignari possunt regulæ attinentes ad omnia per quæ variatur velocitas. Addo quarto loco, velocitates motuum per multa variari posse: nam cum per solam resistentiam internam sint consimiles, variantur tamen primo per resistentiam externam medij secundum densius, & rarius. Deinde per figuram mobilis: nam corpus Plumbeum, si fuerit sphęricum velocius descendit quam si fuerit planum & latum, insuper variatur per cõsimilitudinem, & dissimilitudinẽ quam mobile habet cum medio, veluti plumbum aqueum velocius descendit per aquam quam aliud corpus non Aqueum, & Lignum per aerem descendens nõ minus videtur velox quam ferrum, vel lapis, similiter carbones extincti, & ratio duplex assignari potest, prima est: quia ligna sunt. Aëria & grauia, vt grauia descendunt, vt Aëria ob familiaritatem quam habent cum aere velociter in eo descendunt, vt etiam spiritus velocissime sumpto principio motus mouentur per aerem. Altera ratio est, quia pro velocitate motus conducit propulsio mobilis à tergo per aerem facta, cum itaque Lignum ex se satis velociter descendat, aer à tergo propellens, & insitum aerem sequens, facilius, & vehementius lignum impellit minus resistens, & magis Aerium, quam ferrum & plumbum. Ex his modo eliciuntur solutiones omnium aduersarum rationũ. Dubitabatur, & carpebatur primo Arist. quia de sola externa resistentia verba fecit, patet responsio: nam quod dixit, de externa, vt nobis notiore, indicauit debere dici de aliis, & præsertim quia alibi eam tetigit, inquiens motum secundum locum esse continuum ob continuationem mobilis, & loci. Dubitabatur secundo, quia cõcessa resistentia externa, Elementa possent in tempore moueri in vacuo, quod negat Arist. Pro responsione tria dico: primum est, supposito vacuo & conseruatione mobilis in eo Elementa absolute non mouerentur, tum quia in eo non seruatur sursum & deorsum, tum insuper, quia non seruatur conspiratio communis causæ nempe cœli per eius motum. Dico secundo, supposito quod cætera non impedirent, & possent moueri, nõ mouerentur sine tempore ob resistentiam internam. Addo tertio, quod inspiciendo solam resistentiam externam, quam solam Arist. inspexit, dum regulas dedit, nullum posset assignari tempus in quo mouerentur, vt dixit Philosophus. Tertio dubitabatur, quia si daretur interna pugna & resistentia, corpus finitum à virtute infinita non moueretur sine tempore, quoniam ob internam resistentiam includit pugnantia. Respondeo, si solam resistentiam externam inspicimus, recte dixit Arist. quod nullum

Quomodo Arist. regulas dederit.

Ex regulis Arist. veras elici.

Velocitas per multa variatur.

Diluuntur aduersæ rationes.

Solutio 1.

Solutio 2.

Solutio 3.

lum

lum tempus assignari posset in quo moueretur, quia infiniti ad finitum nulla est proportio, at posita resistentia interna, per eam posset tempus assignari, quoniam includentia contradictionem sub nullam potentiam cadunt: nam implicat, vt corpus paruum simul sit per vniuersum locũ maiorem. Dico tamen, quod si vis mouens est interna, vt grauitas in graui, tunc vt crescit corpus, ita crescit virtus, & seruatur eadem proportio & propterea non citius mouetur maius, quam minus corpus, supposito tamen quod corpus sit finitum, & in eo sit virtus materiata infinita, vt supponit Arist. in 8. Phys. t. 79. tunc vt ad externam resistentiam pertinet, quam considerauit Arist. nullum posset assignari tempus, quod tamẽ assignandum esset ob resistentiam internam. At si motor fuerit externus, potest crescere virtus non aucto corpore, & seruata eadem resistentia corporis, quo virtus mouens est maior, eo motus est velocior, seruata tamen semper definita velocitate, & tempore quod requiritur ob resistentiam internam. Hinc approbandam non puto sententiam Scoti secundo sent. d. 2. q. 9. dicentis, virtutem infinitam posse statim & sine tempore constituere mobile in termino ad quem: nã vis nec finita nec infinita valet ea efficere, quę contradictionẽ includunt. Dubitabatur quarto, quia in vacuo resistentia illa interna posset seruari, per motum velocem in infinitum, & eadem deberet seruari in illuminationem. Respondeo, quamuis per rationem progredi valeamus in infinitum, seruando attinentia ad pugnam terminorum, & partium mobilis, tamen in natura omnia sunt definita, & terminata, adeo vt definitum tempus requiratur pro constituendo motu, & vitanda ea pugna, & adeo definitum debet esse tempus, vt semper motus primi mobilis, qui est mensura cæterorum, & minimus, sit velocior. Ad instantiam de Lumine dico esse inanem, tum quia Lumen in medio habet esse spiritale, tum insuper, quia locum non occupat, ideo satis est præsentia Lucidi. Dubitabatur quinto, vtrum forma Elementi quod mouetur valeat pro eo motu resistere. Respondeo, eam non resistere reddendo mobile procliuem oppositum, nulla enim forma sibimet & suæ actioni resistit, conducit tamen pro resistentia interna prodeunte ex pugna partium mobilis, vt sint simul in distinctis locis: nam quamuis origo eius resistentiæ sit materia quanta, non forma, tamen non sit sine forma, quoniam quod mouetur est corpus actu, & terminarum, termini autem ex forma prodeunt. Sexta instantia versabatur circa regulas proportionum motus: nam dixit Arist. corpus quo fuerit maius, vel grauius, eo ferri velocius, quod experientiæ aduersatur. Respondeo, Aristotelem solum considerasse graue, vt motorem medium, vt resistens, & ex hoc sumpsisse regulas: at quia lapis nedum diuidit medium, sed etiam est ipsum mobile, & adest insuper resistẽtia interna, ideo regula materiæ iuncta apparet fallax, vt enim quattuor quartę lapidis mouentur seorsum, ita simul iunctæ, crescit enim & resistentia interna & interuallum medij diuidendi. Similiter de altera regula dicendum est, quæ erat: corpus quo fuerit grauius eo ferri velocius: nam Aristoteles solum inspexit resistentiam externam & more Geometrico dedit regulas supposita cęterorum paritate, & cæteris imaginatione secretis, idipsum est dicendum de cæteris regulis. Erat septima dubitatio, quia minus recte illæ regulæ extendebantur ad cœlum. Respondeo, quamuis inter motum cœli & grauium siue leuium sit aliqua varietas, attamen hoc habent commune, vt ambo includant propensionem ad suum motum. Præterea, vt in maiori corpore graui maior est grauitas, ita maiori circulo Cœli maior & latior iuncta est vis mouens, hinc præsertim motor dicitur esse in circulo maiori & velociori in 8. Physic. 84. ob hanc simi-

Solutio 4.

Solutio 5.

Solutio 6.

Solutio 7.

8. litudinem Arist. suas regulas etiam iunxit Cœlo. Octaua instantia pertinebat ad medium, nō enim eadem proportion e motus est tardior, qua medium est densius. Hæc soluta est persæpe dicta: na m vera est solum inspiciendo resistentiam externam & considerando graue, vt diuidens, medium, vt diuisibile. Instabatur
9. postremo, quia Aristoteles errare videtur in commutatione proportionum. Respondeo eam instantiam esse inanem, quoniam dum cōsideratur velocitas motus consurgens ex proportione mororis ad mobile, totum mouens & totum resistens considerari debet, quia totum est quod mouet, & totum quod resistit, hinc quamuis viginti superent per vnam medietatem & sui partem, superent autem quinque per tres partes, tamen illæ partes non sunt æquales, non enim sunt medietates, vt prima sed quartæ. Insuper regula Aristotelis ita debet intelligi, quod qua proportione motor superat resistentiam, eadem proportione consurgit velocitas, adeo vt si agens ad patiens includit proportionem maioris inæqualitatis duplam, consurgit definita velocitas, si fuerit tripla, triplo erit maior, si quadrupla, quadruplo: ratio autem quadrupla est duplo maior dupla. Immo ostendo quod si consideraremus solum excessum, vt illi considerandum aiunt, secus res se haberet, vt illi dicunt: nam viginti superant decem per decem, superant quinque per quindecim, & totum hunc excessum considerantes, inueniemus non esse duplum ipsorum decem, sed sexquialterum. Dicamus itaque considerandum esse totum agens, & totam resistentiam, & vt viginti ad decem est ratio dupla, ad quinque, est quadrupla duplo maior, ita vt pertinet ad solam externam resistentiam erit duplo velocior. At grauia sua propensione inclinantur ad centrum, nos autem propensione Cœlestis animi properemus ad cœlum, & in eo requiescamus. Deo Laus.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Mixtione,

LIBER VNVS.

Cap. I.

Proponitur de Mixtione agendum, & nomina nonnulla explicantur.



Ordo seruandus.

VONIAM natura intrinsecus, latenter, ac diuina quadam Arte mixta constituit, & ex mixtione formas varias, & præclaras educit, quæ mortalem hunc Orbem reddunt insignem, & formosum. Propterea mixtionis consideratio vtilis simul, ardua, & sublimis est. De qua cum mihi disserendum proposuerim, vt ordine vtar, explicabo primo voces nonnullas, secundo perpendam an sit, tertio quid sit, mox quomodo fiat, & qualis sit, demum, dubia nonnulla potiora dissoluam. Varia sunt nomina cū Mixtione iuncta & complicata, quorū tria sunt principalia, nempe compositio, Mixtio & temperamentum,

rum, adsunt deinde, & alia vt confusio, iuxtapositio, accumulatio, esse simul, & similia, quæ vel denotant modos quosdam compositionis, vel conspicue à Mixtione secernuntur. Compositionis nomen dupliciter vsurpatur, primo late, & est tanquam genus mixtionis, cuius quinque sunt gradus, nam prima compositio est potentia, & actu, siue ex materia & forma; secundo ex quatuor primis Simplicibus corporibus, simulq; ex eorum Qualitatibus, pro Mixti, & Temperamenti constitutione. Tertia ex Mixtis similium partium pro compositione membrorum, Quarta ex membris pro constitutione totius corporis viuentis. Quinta ex gradibus rerum pro Mundi constitutione. Hi sunt gradus compositionis attinentes ad naturam, præter quos inueniuntur compositiones nonnullæ ad artem pertinentes, vt ex granis componitur cumulus, & ex literis syllaba. H. omnes relati gradus in duo prima capita rediguntur, vel enim est compositio cum alteratione aliqua compositorum, vel sine: insuper, vel est cum ordine, vel sine, secundo vsurpatur nomen compositionis pressius, vt compositio contra distinguitur à Mixtione, in qua significatione ea dicitur compositio, in qua componentia vel sincera seruantur, vt materia cum forma componitur, vel vnam tertiam naturam non constituunt, sed alterantur solum, vt aqua, & vinum componi dicuntur, & grana varia in constitutione farinæ. Mixtio vero est, dum per alterationes vnum tertium consurgit, in qua significatione Aristot. in primo de Ortu & interitu 84. & 90. dixit Mixtionem non esse compositionem, & ab ea distingui. Insuper Alexander in suo libro de Mixtione, secernens Mixtionem à compositione, dixit, Mixtionē solum esse corporum dissimilium, compositionem vero etiam esse eorum quæ similia sunt, & eiusdem speciei, vt compositio granorum frumenti in cumulo, hinc non omni ex parte vera est sententia Philoponi in 1. Phys. 47. dicentis compositionem ex eis constare, quæ sint distinctæ naturæ & speciei: nam ea etiam componitur quæ sunt eiusdem speciei, Mixtionis autem nomen tripliciter vsurpatur, primo pro iuxtapositione & confusione minimorum distincti generis, vel conditionis, sine alteratione, vt milites duorum inuicem pugnantium exercituū misceri dicuntur, & similiter grana varia hordei, tritici, & milii. De hac Mixtione dixit Arist. in lib. de Sensu & Sensili, ea ad sensum misceri, quæ contingit ad minima diuidi, vt equi varij, semina varia, & homines, hominum enim homo singulus, & equorū equus, minimus est. Secundo vsurpatur pro iuxtapositione cum alteratione, sine consurgente temperamento, & noua forma, vt frequenter miscentur Pharmaca, & aqua cum vino. Tertio vsurpatur pro perfecta, & propria Mixtione, quæ est miscibilium cum alteratione & citra interitū vnitio, primæ sunt Mixtiones secundum sensum, hæc tertia est vera Mixtio, & secundum rationem, ex qua temperamentum, & noua forma consurgit, de qua nos sumus verba facturi. Quicunque primas quatuor qualitates statuunt formas Elementorum, vt Alexander, & Galenus temperamentum à forma Mixti non secernunt, at qui id inficiantur, etiam hæc duo distinguunt, nam Temperamentum consurgit ex Qualitatibus, forma vero Mixti, ex formis Elementorum, Aristot. autem vt qualitates à propria forma secreuit, ita temperamentum à forma Mixti, ideo in primo, de Ortu, & interitu 86. dixit, iuxtapositionem non esse Temperamentum, neque mixtionem, constituens à Temperamento distinctam, quæ quamuis secernantur, tamen ita se habent, vt nulla fiat Mixtio sine κράσει, siue temperamento, hinc etiam Aristot. dixit affectiones non misceri, illæ enim contemperantur inuicem, non miscentur, Mixtio autem substantiarum est.

Compositio quintuplex.

Mixtio.

Temperamentum & forma Mixti distinguuntur.

Cap. I.I

Conditiones Mixtionis, & miscibilium.

Quatuor in Mixtione considerantur. *Conditiones miscibilium.* *Pro actu Mixtionis.* *Quæ facilé reddũt Mixtionem.* *Pro Mixti constitutione.* *Miscibile quidquid Mixtio.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Proprie miscibilia.*

VT exactius pro Mixtionis notitia patemur, conditiones cum Mixtionis tum miscibilium prænoscere tenemur, quæ accurate ab Aristot. referuntur in cap. de Mixtione, & in ordinem ita redigi possunt. Nam quatuor considerare valemus, primo conditiones miscibilium. Secundo requisita pro actu Mixtionis. Tertio, quæ Mixtionem reddunt facilem. Quarto attinentia ad Mixtionem ipsam, & Mixtum. Conditiones miscibilium quinque sunt. Prima, vt communem habeant materiam. Secunda, vt sint contraria. Tertia, vt vicissim agant, & patiantur. Quarta, vt sint apta secerni, & seorsum subsistere. Quinta, vt molem aliquam tribuant Mixto, non autem Qualitatem tantum. hinc ait Aristoteles, Stannum cum cæteris metallis non misceri, quia dissoluitur in halitus, & solum colorem derelinquit. Hæ conditiones & ex verbis Philosophi eliciuntur, & rationi sunt consentaneæ, vt considerantι redditur notum. Pro actu vero Mixtionis tria requiruntur. Primo vt miscibilia modo quodã æquentur viribus, adeo vt prius desinant posse inuicem agere, quam vnum eorum alterum destruat. Secundo, vt nec ambo, nec alterum penitus aboleatur. Tertio, ne sincera seruentur, sed ad medium quoddam redigantur. Dum autem consideramus ea quæ Mixtionem reddunt facilem, & miscibilia, exacte & facile miscibilia, inueniemus esse tria, primum, vt sint humida, secundo, vt non sint tenacia, & lentore prædita, sed facile apta diuidi, tertio, vt non cito & facile resoluantur, vt diximus de Stanno. Demum pro Mixti, & Mixtionis constitutione quatuor requiruntur, miscibilium alteratio, secundo eorum vnitio, tertio vt seruentur modo aliquo vires miscibilium, quarto vt quæuis pars Mixti sit Mixta. Ex conditionibus relatis facile modo est definitiones elicere. Nam Miscibilia sunt corpora, communi materia prædita, inuicem agentia & patientia, apta seorsum subsistere & ex eis vnum fieri, Mixtio est miscibilium alteratorum vnitio. Ex his constat Mixtionem differre à compositione, ab Ortu & interitu, ab alteratione, & accretione & latione, ita tamen, vt sine conspiratione aliqua harum omnium mutationum fieri nequeat. Sed dignum est consideratione, si Mixtio est quædam motio, quomodo dicitur differre ab omni genere mutationum? Insuper cum sit quædam motio, ad quod genus mutationis redigitur? Respondens dico, Mixtionem præsertim esse complicationem ex alteratione, & generatione, & quia terminus ad quem, est forma Mixti, quæ est substantia, ideo ad generationem redigitur tanquam modus eius, dicitur tamen differre à generatione, quæ est vnius ex vno penitus corrupto. His decursis, considerans ea quæ proprie miscibilia sunt, dico esse quatuor Elementa, munere quatuor primarum qualitatum, ea enim vere sunt prædita conditionibus miscibilium, & cætera quæ miscentur, vt misceri videntur Mixta quædam, munere & facultate quatuor inclusorum Elementorum miscentur. Ideo ego de eorum Mixtione mihi differendum propono, inde enim refulgebit conditio cuiuslibet alterius Mixtionis.

CAP. III.

An detur Mixtio ex quatuor Elementis.

QVÆRITVR an quatuor prima Simplicia corpora, quæ Elementa dicuntur, re vera sint elementa, adeo vt per Naturam sint apta misceri, id enim videtur eis non competere, primo per regulam communem, vt totum se habet ad totum, ita pars ad partem, qua vtitur Aristot. in 1. de Historia Animalium, at Elementum totum, non est aptum misceri, alioquin Mundus in Chaos rediret, quare nec partes. Præterea, Terra & Ignis non sunt miscibilia, igitur, nec Aer, nec Aqua, cum sint eiusdem ordinis. assumptum ostenditur, quia vna conditio miscibilium erat, vt sint humida, ea autem sicca sunt: deducitur consequentia per Aristotelem, in primo de Ortu, & interitu, 90. dicentem, miscibile referri ad miscibile quare si Terra & Ignis, non sunt miscibilia, nec alia Elementa cum eis misceri poterunt, confirmatur per eundem Philosophū dicentem, Stannum non misceri: quia Aereum, quare longe minus miscebitur Aer. Præterea, si Elementa miscentur, vel miscentur à se, vel à Cœlo, vel ab Arte: non à se, quia Mixtio est contra naturam propriam eorum, cum sit remissio: non à Cœlo, quia est mouens commune, æque respiciens vniuersitates Elementorum, ideo vel miscet vniuersitates eorum, vel nullam partem. Non Arte, quia Elementa, non subijciuntur Arti, & Mixtum non constat et natura. Quarto ita argumentor: Elementa per naturam exposcunt ambas Qualitates summas, ideo per naturam non sunt apta misceri, deducitur consecutio per Auer. in 4. Meteororum com. dicentem. Si Elementa haberent ambas Qualitates summas, non possent misceri. confirmatur: quia Elementa, vel æquantur virib. in Mixtione, vel vnum superat alterum, si vnum superat, destruet aliud, non miscebitur, si æquantur viribus vel nil constituent, vel æquale, at Mixtum æquale magna ex parte non conceditur. Præterea, Elementa cum sint imperfectiora Mixto, non valent sui conditione, & virib. Mixtum constituere, non enim vilius valet suis virib. constituere præstantius, & vltra gradum suæ conditionis agere. Præterea, vt ortu ratione relata ab Aristotele, Elementa in Mixto, vel ambo pereunt, & erit interitus, vel ambo seruantur, & erit compositio contradistincta à Mixtione, vel vnum perit superstite altero, & erit interitus vnius, ortus alterius, Mixto autem nullius. Demum quomodo putare valemus dari Mixtionē secundum naturam, cum Mixtio præsertim dicatur fieri prope Terram, in quem locum Ignis, non nisi violentia descendit, nec constat à quo violentia ei inferatur, vt pro Mixtione descendat. Hæc ea sunt quæ præsertim Mixtionem reddunt dubiam. Ex aduerso tamen ratione, experiētia, & consensione constat dari Mixtionem. Nam dantur causæ & principia omnia requisita pro Mixtione, quare datur & Mixtio. Assumptum constat primo ex parte materiæ, nam Elementa sunt materia Mixtorum includentia conditiones, & instrumenta pro Mixtione accommodata, & ob id Elementa nuncupantur, Elementum enim proprie Mixti esse Elementum ostenditur ex parte formæ: nam opera, proprietates, & actiones variorum corporum præstantiores actionibus, & facultatibus Elementorum, indicant nobis formam Mixti eminentiorem formis Elementorum. Tertio ostenditur ex parte efficientis, quod duplex est, vnum commune, alterum proprium, commune est Cœlum per motum & lumen: proprium & proximum est oppositio Elementorum, per quam inuicem agunt, & medium constituunt. Hæc duo efficientia vna conspirantia, ita se habent, vt commune vlterio-

Elemēta non posse misceri. Ratio. 1. *2.* *3* *4* *5* *6* *7* *Ostenditur dari Mixtionem. Ratio. 1.* *2* *3*

rem finem, nempe formam Mixti præsertim expetat, proximum vero, finem proprium, hoc est cui conseruationem, & similis productionem, communem vero vt à communi dirigitur, & dum assequi non valet finem proprium, saltem
4 consequitur communem & absolute potiorem. Quatro ostenditur ratione finis, & quia finis est puplex, vnus generationis, alter rei genitæ, & finis rei genitæ est duplex, cuius, & cui, ex his omnibus elicitur necessitas Mixtionis, finis generationis sunt variæ Mixtorum formæ, quæ formosum reddunt mortalem orbem, finis cuius gratia, siue scopus est bonum proprium, quo fruuntur species Mixtorum & innumeræ vtilitates quas Mundo & homini Mixta præbent, insuper est pax litium Naturæ, cũ enim omnia pendeant ex vno, omnia in pacem & vnitionem diriguntur, vt ipso vno pro facultate fruantur, finis cui Mixta inseruiunt est triplex, vnus communis & est absolutio vniuersi, alter minus communis magisq; proprius, & est dispositio pro anima mortalium, & præsertim hominis, cui cętera mortalia subiiciuntur. Tertius est finis postremus cuius gloriam enarrant, & est Deus, cui omnia seruiunt, adeo vt cuncta munere Mixtionis per orbem reuoluantur in Deum. Nam Cœlum lumine & motu Elementa gignit & seruat, Elementa Mixtum constituunt, Mixtorum posttremum est corpus hominis, quod cum sit anima sublimi præditum eaque sit Mentis particeps, vertitur in Deum, & cum eo proxime & fœlicissime nectitur. Pro Mixti constitutione non miscentur Elementorum vniuersitates, sed solum partes, ratio est: quia id aduersatur & propriæ eorum Naturæ, & cõmuni: propriæ, quia id est quidam interitus eorum: communi, quia periret ordo vniuersi. Hinc ne Elementa vniuersa misceantur detinentur à seipsis cum contrario pugnantibus, & à Cœlo ordinem & secretionem seruante, hoc tamen includunt vniuersitates quod impuræ sunt, vt partes magis ad Mixtionem sint paratæ. Præterea, pro Mixtione necessaria est diuisio miscibilium in partes, & partium iuxtapositio, quod vniuersitatibus competere non valet, sine mundi confusione. Loquens de loco Mixtionis dico misceri Elemẽta & in visceribus Terræ, & in Terræ ambitu, & in Aqua, & in Aere præsertim tamen, in ambitu Terrę, nempe in mutuo contactu trium Elementorum Terræ, Aquæ, & Aeris, in quo lumen vires suas præsertim patefacit. In igne nõ conficitur Mixtum, quia officium ignis est connectere consimilia, & dissimilia secernere; insuper ignis nimium est in actione efficax, adeo vt cætera cõburat potius, & in se conuertat, quam misceat, & sphæra ignis est secretior ab aliis cæterisq; sincerior, adeo vt Mixtioni locum nõ præbeat, Demum Mixta vt plurimum seruãt imperium molis Terræ vel Aquæ, hæc autem in sphæra ignis non inueniuntur. Sed oritur dubitatio de vermibus Pyralibus, quos Arist. in 5. de Historia Animalium c. 19. ait gigni in fornacibus Cypri, & in flamma viuere & volitare. De his dico primo dubium esse an id sit verũm, multa enim profert Arist. in lib. de Historia Animalium ex relatione aliorum, nou ex propria sententia: hinc in secundo de Gen. anima. c. 3. & in secundo de Ortu & interitu, ait, ex igne & Glacie nullum gigni animal & confirmatur: quia ignis non putrescit, ex quarto Meteororum, & concesso id esse verum, dico eos vermes non gigni in sphæra ignis, sed in fornacibus ex materia aliqua putri lapidum, vel lignorũ. Proprius itaq;, locus est ambitus Terræ, hinc expedit quod vniuersa non sit inundata aquis, vt etiam cum aere nectatur, & cumulatius recipiat vires Luminis. Ignis autem debuit longius abesse à loco mixtionis, vt ad mixtionem contemperatior accederet, & qui pro mixtione est necessarius magna ex parte subministratur à radiis Solis, & motu. Hinc pro efficienda mixtione, de-

Munere Mixtionis cũcta reuoluũtur in Deum.

Cur non miscẽtur Vniuersitates Elementorũ.

Necessaria est diuisio.

Locus mixtionis.

Dubitatio.

Solutio.

ne, debuit Cœlum esse Lucidum. Terra opaca, intermedium, perspicuum, vt Lumen ex Cœlo effunderetur in Terram, ita enim Solis & stellarum radii repercutiuntur à Terra, geminantur, redduntur que potentiores, & cum in terræ antris & cauitatibus tanquam in Naturæ ollis recipiantur, gignunt fossilia, Metalla, & alia consimilia: ad efficiendum idipsum conducit motus Cœli, pro quo necessarium fuit, vt corpora intermedia facile essent mobilia, ita enim cumulatius motu Cœli agitatur, Terra vero tanquā sedes mixtionis debuit requiescere, vt facultates infusas accommodatius reciperet, easq; tanquam in sinu seruaret & foueret, calor tamen solis operatur intimius, & ignis potius vt Faber, quam vt materia mixtionis conspirat. Hinc Plato in Philebo, Vulcano & Dionysio tanquam opificibus miscendi officium tribuit. Et quoniam pro fine fœlicius assequendo, media congruentia requiruntur, ideo Natura de cunctis solicita, pro mixtione aptissima media parauit, quæ sunt impuritas Elementorum, & duo halituum genera, in quæ Elementa primo mutantur, dum ex propria natura, & conditione recedunt, quæ duo halituum genera sunt mixta imperfecta, ex quibus proxime prodeunt Meteorologica, mox mixta perfecta, tanquam finis eorum. Constat itaque dari mixtionem, & cuncta optime pro mixtione esse parata. Hinc putandum est nedum mixtum vnum gigni ex altero, veluti carnem ex sanguine, quod solum fieri posse putarunt nonnulli, verum insuper ex Elementis mixta noua ex integro gigni, & hoc nobis patefaciunt noui vapores, qui quotidie gignuntur, & sunt via ad mixtionē, ac insuper id ipsum redditur notū, quia quotidie mixta varia in Elementa resoluuntur, & nisi denuo vice versa ex Elementis noua gignerētur mixta, iam mixta omnia in Elementa resoluta fuissent: est itaq; necesse vt vice versa denuo ex Elementis noua mixta gignantur.

Dispositio Vniuersi pro Mixtionis constitutione.

Plato.

Etiam ex integro mixta gigni.

CAP. IIII.

Diluuntur rationes quibus euertebatur Mixtio.

QVONIAM experientia & ratione compertum est, dari mixtionem, propterea putandum est rationes aduersas solum extrinsecus probabilitatem quandam præ se ferre, absolute tamē necessitate carere. Instabatur primo, quia totum Elementum non est aptum misceri. Respondeo, Elementum totum dupliciter posse considerari, vel separatim, vel simul, separatim est miscibile, non autem totum simul, ob rationes relatas, & impedimenta, & ad formam argumenti, vt totum ad totum, &c. Respondeo rationes ex proportione sumptas in Mathematicis includere necessitatem, dum solum considerantur attinentia ad rationem & proportionem, in Physicis vero ob connexionem, cum materia, & varietatum causis, carere frequenter necessitate, vt in re proposita, quia adsunt causæ repugnantes pro toto, & non pro partibus, ideo solum dicere valemus, vt totum ad totum diuisim sumptum, ita pars ad partem. Dicebatur secundo, Terram & ignem non esse miscibilia, quia sicca, aerem quia resoluitur. Respondeo, non humida non posse misceri sine humido, at sicca cum humidis optime misceri, vt dicitur in secundo, de Ortu & interitu, 49. Similiter Aerea iuncta cum valde calidis, & solidis non miscentur, vt stannum cum ære, sed per actionem caloris in halitus resoluūtur, at vna cum illis quæ congruentet eis respondent, vt Aer cum Aqua & reliquis Elementis optime misceri valent. Dicebatur tertio, Elementa non misceri nec à se, nec à Cœlo, nec ab arte. Respondeo, misceri à Cœlo per lumen & motum, vt à causa communi, & præsertim à Sole producente calorem, à Luna excitante humorem, conspirantibus etiam cæteris

Diluuntur aduersæ rationes. 1.

2.

3.

Stellis per aspectus varios. Dico secundo misceri à se proxime per actionem quatuor Qualitatum prædictarum definita quadam mensura, pro constitutione variorum Mixtorum requisita, quę actid ad varios refertur fines, vel proximos, vel remotos, vt explicaui. Demum nonnunquam tamquam à ministra naturæ producuntur per artem, nec tamen per Magiam Physicam agentia cum patientibus.
4 Instabatur quarto, quia Elementa exposcunt ambas Qualitates summas, ideo non sunt miscibilia. Respondeo, inanem esse illam consecutionem; Primo, quia in Vniuerso Elementa non inueniuntur sincera, nec prædita qualitatibus summis. Secundo, quia se valent superare magnitudine partium, corpus enim maius, cæteris paribus, est operosius. Tertio, quia Qualitatum quædam potentius, aliæ debilius operantur. Quarto, quia etiam æqualia in gradu valent inuicem agere & ad mediocritatem redigi, vt in libro de actione & passione
5 patefeci. Quinto, quia ea sententia Auerrois sumpsit occasionem ex deprauatione sui contextus, vt alibi declaraui. Instabatur, quia Elementa inuicem agentia si fuerint æqualia producent mixtum æquale, si vnum superat alterum, destruet illud, non autem miscebitur cum eo. Respondeo, vt miscibilia misceantur, debere æquari non absolute, sed modo aliquo, adeo vt prius desinant posse inuicem agere, quam vnum conuertere aliud in se, & illud destituere. Præterea, quamuis æquentur gradibus, non ob id æquantur actione. Insuper instabatur, quia non videntur Elementa posse mixtum constituere, cum eo sint imperfectiora.

Philoponus. Philoponus, in primo de Ortu & interitu, 118. inquit, formas Mixtorum ex sententia Medicorum esse effecta temperamentorum, re vera tamen ab vniuersali opificio extrinsecus induci in materiam Temperamento paratam. At

Euersio. errat, Primo, quia Medici non dicunt formas mixtorum esse effecta Temperamentorum, sed vel esse ipsamet Temperamenta, vt Hippocrates, & Galenus, vel consurgere ex Mixtione & temperamento, vt inquiunt alij, vel ab Intelligentia distributrice formarum infundi, vt existimauit Auicenna. Secundo errat, referens suam sententiam, quia formæ per naturam non valent infundi, sed educi, ea enim est creatio hæc generatio. Tertio, quia videtur innuere id fieri per seriem idearum & rationum, vt elicitur ex com. 86. quas ideas frequenter reiicit Aristoteles.

Simplicius. Simplicius non longe ab eo recedens, putans Vniuersum & Elementa esse prædita anima, existimauit ex anima vniuersi prodire semina, eaque tribui materiæ quorum beneficio gignerentur mixta, insignibus virtutibus prædita, at cum hoc dicat, vt seruat principia Academicorum, ita euertit ea Peripateticorum.

Alexander. Alexander in secundo Nat. qq. cap. 5. inquit, mixta & præsertim viuentia gradum præstantiæ recipere à Cœlo, ve enre natura Elemētorum tamquam materia, cuius sentētia verior est, ex Cœlo enim maior ea perfectio prodit, & præsertim quia (vt attinet ad Elementa) id quod non valet efficere Elementum vnum, efficit conspiratio multorum, vt ex variis vocibus consurgit
6 harmonia eis præstantior. Afferebatur sexto loco ratio ab Aristotele relata, nam Elementa, vel seruantur, vel pereunt: dico nec omnino seruari, nec interire penitus, sed fieri medium, & commune, vt patebit, quomodo autem pro Mi-
7 xtione concurrat, vel descendat ignis, iam patefeci. Sed pulchra emergit dubita-

Dubitatio. tio, nam dictum est Elementa proxime per contrarias qualitates efficere mixta, quod videtur dubium, quia materia & efficiens non veniunt in idem, Elementa autem & qualitates in secundo de partibus Animalium capit. primo, dicuntur materia mixti. Confirmatur: quia instrumentum generationis non est pars rei genitæ. Qualitates autem Elementorum sunt pars temperamenti Mixti; au-

xti; augetur dubitatio, quia mixta cum non expetantur ab Elemẽtis, etiam longe minus videntur experi à causa communi cum ea sit nobilior, & nobilius non operatur ob vilius tamquam ob finem. Respondeo, proximum Fabrum mixtionis & generationis mixtorum esse calorem, præsertim à Cœlo productum, eleuantem vapores, purgantem, & formantem, qui nõ est pars Temperamenti mixti, sed externus, præter quem tamen etiam Qualitates Elementorum inuicem agentes, & se mutuo contemperantes mixtum constituunt, eiusque Temperamenti sunt partes. Et ad instantiam, quia materia & efficiens non veniunt in idem, & instrumentum non est pars rei quæ producitur, Respondeo, materiam primam non efficere, at materias proximas per earum Qualitates posse efficere, & distincta ratione dici materias, & efficientes. Nam Qualitates Elementorum sunt materia, vt sunt partes Temperamenti, & tanquam dispositiones parant materiam per forma mixti, sunt efficientia, quia sunt instrumenta proxima agentia & se contemperantia pro educenda forma mixti. Instrumenta Artificiosa & externa non sunt pars rei quæ gignitur, at interna naturæ, quæ etiam sunt dispositiones materiæ seruari possunt in re genita, cuius tamen non sunt partes principales, agens autem commune, & nobilius, quamuis non ex primo instituto, & principaliter, tamen secundario potest operari pro minus nobili & opem ferre Regiam non seruilem. *Solutio.*

Cap. V.

Quid sit Mixtio.

APPARVIT Mixtionem esse, sequitur vt declaremus quid sit, id autem ex definitione refulget. pro cuius notitia considerandum, tria posse definiri, Mixtionem vniuerse sumptam, mixtionem ex quatuor Elementis & temperamentum. Mixtionem vniuerse sumptam definiuit Arist. in calce primi de Ortu & interitu, quod sit miscibilium alteratorũ vnitio, quæ definitio dupliciter potest explicari: primo, vt constet ex sola materia & forma, nam miscibilia alterata sunt materia proxima, vnitio vero forma. Secundo explicatur ab Alexandro, quem sequitur Philoponus quod constet ex materia, forma, & efficiente, nam asserunt quod sit vnitio miscibiliũ per alterationem, inquit enim Alexander in cap. de mixtione, Mixtio est intercedente actione & passione corporum, iuxta se positorum, per transmutationẽ, citraq; interitum vnitio, quæ est latior quædam explicatio definitionis ab Aristot. traditæ, includens tria genera causarum: Prima tamen explicatio magis videtur consona verbis Aristotelis. quin aliud est dicere mixtionem fieri per alterationem, vt ait Alexander, & esse alteratorum vnitionem, vt ait Aristoteles, primum denotat efficientem, alterum vero materiam proximam, & superuacaneum puto addere citra interitum, quoniam quæ penitus abolentur vniri non valent, non enim vnum redduntur, quæ non sunt. Aristoteles itaque solum explicare voluit quid sit mixtio, quod fit per causas internas, nam causam efficientem prius declarauerat, dum dixerat, quæ miscentur debere esse contraria inuicem agentia, finis quis sit in præcedentibus patefeci, ex quibus si definitionem explicantem quid, & propter quid, elicere volumus, competentem omni mixtioni, dicemus; Mixtio est miscibilium alteratorum vnitio ex eorũ mutua actione & passione consurgens, vt inde varia mixta prodeãt, pro vniuersi perfectione. Hęc definitio vera est de omni mixtione, siue Qualitatum, siue corporum: proprie tamen mixtio corporum est, & præsertim *Definitio Mixtionis.* *Definitio integra.*

Simplicium, ideo eam definientes dicere valemus; Mixtio est quatuor corporatorum Elementorum alteratorum vnitio, ex mutua eorum per primas Qualitates actione & passione consurgens, pro mixtorum corporum constitutione vt Vniuersum omni ex parte sit perfectum. Hęc definitio cum sit, per omne genus causæ explicatur, quid, & propter quid, & est vniuersa demonstratio sola partium positione differens, vt conspicuum est. Tertio definiri potest nō mixtio ad substantiam Elementorum pertinens, sed Temperamentum consurgens ex qualitatibus. Hoc definitum fuit ab Auicenna in cap. de complexionibus dicente, complexio est Qualitas ex mutua actione & passione contrariarum Qualitatum Elementis competētium consurgens, quarum partes in eam paruitatem rediguntur, vt plurimum vnius, tangat plurimum alterius, recte nouit Auicenna Temperamentum non ad substantiam, vt putauit Galenus, sed ad Qualitatem pertinere, vt etiam recte nouit formas Elementorum non esse qualitates primas, ideo temperamentum definiens pro genere sumpsit qualitatem. At id quod vltimo additur quorum partes, &c. minus recte in definitione Temperamenti accipitur, nam per ea verba vel vult explicare Temperamentum, vel viam & modum quo fit: si Temperamentum, non recte ait partem vnam Temperamentorum tangere alterum, quoniam Temperatum est vnum per continuationem non per solum contactum, cum quęuis pars mixti sit mixta & consimilis, si modum & viam explicat, magis errat, quia quamuis pro mixtione conducat, diuisio miscibilium in exiguas partes, tamen non semper est necesse vt in minima diuidantur: sed forte ita loquutus est Auicenna, quia censuit Elementorum formas in mixto sinceras seruari. At eo prætermisso, ex sententia Aristotelis Temperamentum ita definiendum puto: Temperamentum est vnitio per remissionem quatuor primarum qualitatum, & mutua earū actione prodiens, parans pro forma mixtorum, eique inseruiens: quæ definitio, vt consideranti est notum, constat ex omni genere causæ, & ex se est conspicua vt etiam satis est conspicua definitio mixtionis ex Elementis, præter id quod attinet ad genus, & dicitur vnitio, quæ est forma communis mixtionis, nam quæ sit hæc vnitio, quomodo fiat, difficile est videre, & explicari non potest, nisi primo appareat, quomodo Elementa seruentur in mixto, & in hoc collocata est fere vniuersa difficultas attinentium ad mixtionem, propterea accurate id considerare & explicare tenemur.

Mixtio Elementorum.

Quid temperamentum.

CAP. VI.

Quomodo Elementa seruentur in Mixto opinio prima.

Empedocles.

EMPEDOCLES qui quatuor Elementa existimauit esse prima principia rerum, etiam existimauit ea inuicem permutare non posse, sed ex eis cætera omnia fieri, & propterea generationem omnem esse mixtionē: & cum Elementa, nec secundum qualitates, nec secundum substantiam permutari posse putauerit, coactus fuit dicere, ea in mixto omni ex parte seruari sincera, & mixtionem fieri per eorum in partes diuisionem, & iuxta positionem, vt refert Arist. in 1. & 2. lib. de Ortu & interitu. Nec Galenus in lib. de Humana Natura com. 2. Stoici quoque cum Empedocle in parte consenserunt, illi enim, & præsertim Chrysippus (referente Alexandro in cap. de mixtione) tres putarunt dari mixtionis modos, quorum principalior esset, dum ignis & Aer rariora Elementa per reliqua duo densiora mearent & coextenderentur, ita tamen, vt vna cum eis ser-

Stoici.

eis seruarentur illæsa & sincera: quæ miscibilia dicebant communi spiritu per omnia meante necti ac seruari. Hi consentiunt cum Empedocle, quatenus aiunt Elementa seruare sincera, dissentiunt autem de duobus, primo, quia Empedocles Spiritum illum communem non excogitauit, secundo quia Stoici Elementa coextendi putarunt, Empedocles non coextendi, sed per exiguas partes iuxtaponi. Fernelius Vir doctus lib. 3. Physiologiæ, cap. 3. eiusdem fuit opinionis, dixit enim in mixto substantiam & accidentia seruari sincera. Auicenna in primo suæ Sufficientiæ, cap. 10. & modo aliquo in quinto Metaphycæ, quem sequitur Magnus Albertus, eiusque sententias explicat, cum illis in parte consentit, putat enim substantias Elementorum seruari sinceras, differt, putans qualitates castigari & remitti, nam Auicenna qualitates à forma Elementorum secreuit, quod non fecerunt Empedocles, & Stoici, & quoniam Aristoteles dixit in primo de Ortu & interitu, inquit ex sententia Auicennæ, quia potentia dupliciter vsurparur, vel pro essentia quæ potest, vel pro dispositione & affectione, id debere intelligi de essentia; insuper (vt inquiunt alii) dicuntur seruari potentia, quia non libera & soluta, sed ligata & iuncta seruantur. In mixto Qualitates seruari sinceras, experientia & exemplis variis nitebantur ostendere Stoici, nam Thus, Storax, Castoreum & similia, resoluta in vapores, illæsas seruant eorũ facultates. Aurũ tenuissime extenditur sine læsione suæ naturæ, ignis sinceros per vniuersum ferrum meat, medicamenta varia contemperantur sine vlla eorum læsione, id ipsum patet de odoribus variis per aerem effusis, de luminibus per vniuersum perspicuum extensis, & similibus; seruari autem sine læsione substantiam ostendebatur à Chrysippo, quia Elementa eliciuntur à mixto illæsa; insuper quia in mixto seruantur facultates Elementorum validissimæ, facultas autem comitatur essentiam. Id ipsum ostendebatur ab Auic. quia substantia non recipit magis & minus, quare vel penitus abolerur, vel integra seruatur, non primum quia esset interitus, & ortus, igitur alterum est approbandum. Aduersum opinionem Auicennæ: disputat Auerroes in 3. de Cœlo 67. nam proculdubio ea opinio & præsertim illa Empedoclis & Stoicorum, aduersatur materiæ, formæ, conditione mixtionis, rationi, & sensibus, quod ostendo, nam primo absurdum est putare, seruari substantias & qualitates sinceras, id enim vel fieret cum penetratione corporum, vel per solam iuxta positionem minimarum partium, non primum, non enim ea datur vt in quarto Phys. ostenditur, si Eligitur alterum, tunc ea non erit vere mixtio, sed solum compositio erit mixtio secundum sensum, non secundum rationem, vt aduersus Democritum, Et Empedoclem argumentatur Phil. & conspicue ab Auicenna indicatur iuxtapositio, cũ in definitione complexionis dicat, plurimum vnius, tangere plurimum alterius, tunc enim se maxime tangunt corpora, dum per minima iuxta ponuntur. Præterea per eam opinionem varia euertuntur, quæ recta ratione mixtioni competunt, & præsertim quod quæuis pars mixti sit mixta, & ex quauis exigua parte singula possint secerni. At soluunt nonnulli dicentes in mixtione iungi & confundi materias miscibilium, formas vero coextendi, & ita quamuis partẽ esse mixtam. Verum qui hoc dicunt, primo aduersantur principiis Empedoclis; statuentis Elementa simplicia & non apta permutari; Secundo labuntur in hoc absurdum, quod formæ ex subiecto proprio in alienum transeant; Tertio, quod formæ eiusdem gradus inuicem oppositæ simul in eadem materiæ parte seruentur, quod si contingeret, tunc generatio vnius Elementi posset esse sine interitu alterius. Et forma mixti posset seruari cũ sua opposita priuatione, quia cum forma vna, semper est iuncta

Fernelius.

Auicenna.

Auerroes aduersus Auicennam.

Solutio.

Euersio.

priuatio formę oppositæ, cum tamen Arist. in primo Phy. dicat, adueniente forma perire priuationem eius. Præterea, dum loquimur de sensibilibus propriis credendum est sensui, qui in eorum iudicio non decipitur. Sensus hominis exactissimus est tactus, sensibilia propria eius sunt primę qualitates, tactu autem iudicamus eas in mixto non reperiri sinceras. At respondet Magnus Alb. tract. 6. cap. 6. inquiens: Si quæris an tanta sit caliditas mixti, quanta simplicis corporis, dico de quantitate essentię nil prohibere tantam esse, sed est effusa in variam materiam, ideo non est tanta in actione, cum sit remissa per cōtrarium, verum cum dicat esse æqualem secundum essentiam, quia secundum essentiam nil recipit magis & minus, ad rem non facit, nos enim consideramus gradus existentiæ & indiuiduales, per quos formæ in materia secundum magis & minus recipiuntur, vt dicitur in 8. Metaphysicæ, contex. 10. Præterea, quæcunque vicissim agunt & patiuntur, manifeste se mutuo remittunt, & eorum actio & passio est cum interitu, non autem esset cum interitu, si qualitates seruarentur illæsę & sinceræ. Insuper, nisi remitterentur, ex eis non consurgeret noua forma vt ex remissione extremorum colorum consurgant medii, & nisi extremi remitterētur, non possent medii consurgere. Præterea experientia constat in vino vehementem & magnam flammam statim extingui, quare non est putandum in eo exiguas & sinceras ignis partes seruari sinceras. Demum si in mixtis sincera seruarentur Elementa, etiam sinceræ seruarentur eorum facultates, quæ tamen valde refractæ & diminutæ seruari videntur. Quare putare Elemēta seruari sincera, secundum essentiam, & Qualitates, est euertere materiam mixtorum, quæ non erit potestate, est euertere nouam formam mixti, quæ non valet consurgere nisi antecedentes remittantur, est euertere conditionem mixtionis, quæ est vt miscibilia non sincera seruentur, est euertere prima fundamenta naturalis scientiæ, & sensibus aduersari. Nec sententia Auicennæ approbanda est, asserentis seruari substantias sinceras, refrangi Qualitates, quia tunc inde consurgeret solum Temperamentum, non autem forma mixti. Insuper Aristoteles ait, non seruari nec alterum, nec ambo; dum absolute dicimus aliquid seruari, vel non seruari, id denotamus quod nomine & definitione explicatur, id autem substantia est, non accidens. His accedit, quod ea erit compositio non mixtio. Præterea affectiones & opera ea sunt, quæ nobis patefaciunt substantiam, nec eam secus cognoscere valemus, affectiones autem & opera sensibus iudicantur remissa. Insuper Aristoteles inquit in mixto seruari miscibilia non actu, sed potestate; Dicebat Auerroes ex sententia Auicennę Aristotelem denotasse essentiam Elementi, quæ potest; At ea explicatio aduersatur Aristoteli diuidenti eo loci ea quæ sunt per actum & potestatem, & asserenti seruari potestatē non actu, adeo vt potentiam accipiat tamquam contradistinctam ab actu, huiusmodi autem non est potentia sumpta pro essentia, quæ potest, ea enim est potentia agendi, quæ actus est. Insuper errare videtur Auerroes minus recte referendo sententiam Auicennæ; nam Auicenna dixit seruari potestate, quia seruantur ligata, non libera & soluta, vt rectius ait Albertus. Verum ita ligata non mixta, sed composita & iuxtaposita iudicari debent. Insuper etiam ex sententia Anaxagoræ, Democriti, & Empedoclis miscibilia seruabantur ligata, & seruabatur potentia sumpta pro facultate & essentia, quæ potest: tamen ab Aristotele reiicitur dicente eam non esse mixtionem, quia secundum essentiam integra & sincera seruari putabant. Præterea, natura nil facit inane, & formam in vniuersa aliqua specie nō derelinquit sine instrumentis suis propriis: instrumenta miscibilium sunt quatuor primæ Qualitates,

Solutio.

Euersio.

Contra Auerroē.

litates, quare non est putandum in genere mixtorum seruari formas sinceras & Qualitates: quæ sunt instrumenta castigati & remitti. Hinc Aristoteles in secūdo de Gen. Anim. cap. 3. ait, facultatis & instrumentorum eius, eandem esse rationem. Rationes aduersæ facile diluuntur, vtebantur Stoici exemplo Thuris & similium: dico non misceri eos odores cum suo contrario, sed per aliquod tēpus seruari spiritus Thuris, in quibus insunt odores, & per quorum euaporationem sensum mouent; at dum miscentur cum contrariis, remittuntur, & sensim pereunt. Quod aurum possit reddi ob sui puritatem tenuissimum, verum est, at nō ob id sine remissione potest cum contrario aliquo misceri, & sincerum cum eo seruari. Instantia de Ferro candēti est maioris roboris, in eo enim & calor ignis, & Temperamentum Ferri, & substantia vtriusque sine læsione seruari videtur. At dico non meare substantiam ignis per eam ferri, sed in Ferri meatibus recipi spiritus igneos, qui prius erant pleni aere, in ferro autem solum recipi Qualitatem igneam, per quam ferrum disponitur ad formam ignis, vt etiam se habet de aqua feruente. Temperamentum ferri alteratur, non ita tamen, vt nil proprii frigoris in eo seruetur, quod si maxime calefacit, & paleas incendit, id facit per spiritus igneos in eo receptos & per sui densitatem. Venena meare videntur per viuentium corpora ob acumē facultatis eorum, & ob tenuitatem spirituum ex eis prodeuntium, nec miscentur cum corporibus, sed meant per poros, & spiritus inficiunt, & dum miscentur cum aliquo contrario, vt cum antidotis, conspicue remittuntur. Lumen per aerem spiritaliter effunditur, non autem miscetur, nec cum perspicuo, nec Lumen cum Lumine, quia contraria non sunt, & ob id non remittitur. Medicamenta transeunt per meatus varios ob tenues eorum partes, & seruant vires sinceras quousque cum contrario non miscentur: at dum miscentur cum moderantibus, & cum oppositis remittuntur, & vires amittunt. Ratio Chrysippi quia Elemēta educuntur ex mixto, soluitur: quia educuntur recuperando gradus quos per remissionem perdiderant. Similiter si aqua educitur ex vino cum quo erat per mixta, vel linteo aqua madefacto, vel lino Mente succo insperso, vel vt inquit Alexander spongia in eo diluto vino mersa, vel alio instrumento dicendum id accidere, quia aqua non vere est mixta, cum vino adeo vt noua forma prodierit, sed est cōfusa, veluti etiam se habet de apparente mixtione multorum simplicium medicamentorum. Quod autem Elementorum formæ valeant refrangi & remitti iam, cumulate suo loco ostensum est.

Diluuntur rationes aduersæ.

CAP. VII.

Opinio secunda quomodo Elementa seruentur in mixto eiusdemque euersio.

OPINIO altera aduersa primæ est D. Tho. Ægidii, Gregorii. Arim. Scoti in secundo Sent. d. 15. Conciliatoris differentia 16. Marsi. ingue, Lud. Boccaf. & plurimorum virorum, sapientia illustrium. Hi de hoc consentiunt formas Elementorum in mixti constitutione penitus aboleri, & nouam mixti formam, e materia educi. Dissentiunt tamen, quoniam D. Thom. putat etiam Elementorum Qualitates omnino perire, nouasque gigni; Aliorum multi aiunt eas non perire penitus, sed remitti & in parte seruari. Fundamenta huius opinionis varia sunt, veluti ex sententia D. Tho. quia formæ Substantiæ non remittuntur, & in eodem vnica est forma, non multæ, ideo superueniente forma mixti, cæteræ penitus abolentur. Ex sententia Scoti, quia terminus a quo perit, & nō seruatur

D. Tho. Ægidius.

Fundamenta.

cum termino ad quem, mixtione autem formæ Elementorum sunt terminus à quo, forma mixti ad quem, quare hac superueniente, illæ necessario abolentur. Insuper in eodem nequeūt reperiri & seruari varia supposita substantiæ, & variæ quantitates, quæ tamen reperiretur si in eodē variæ formę Elementorum seruarentur, nam quæuis forma constituit compositum substantiæ, & dant ei vt sit corpus, addunt rationes alias, quarum potiores in progressu patebunt. Inquiunt hi, in mixto seruari Elementa potestate, quia seruantur in forma mixti eminentiore, & seruari eorum virtutem, vt seruatur facultas Animæ nutrientis in sentiente, vel saltem in Qualitate consimili, vt ait D. Thom. vel eadem remissa vt inquiunt alii, & addunt mixtum dici medium, non per compositionem extremorum in eo, sed per consimilitudinem cum vtrisque. Hæc opinio approbanda non

Euersio. videtur, nemo enim veterum existimauit miscibilia per mixtionem penitus aboleri, nam dicere esse mixta, & esse destructa, est pugnantia dicere, id enim quod non est, non potest esse mixtum. Insuper ea sententia aduersatur naturæ & conditioni Elementi, conditio Elementi est, vt seruetur, vt sit pars rei, vt intrinsecus eam constituat, quemadmodum per definitionem explicatur, nam Arist. in 5. Metaph. cont. 4. Elementum definiens, inquit, esse id, ex quo componitur primo inexistente indiuisibili specie, in aliam speciem, conditio itaque Elementi est, vt inexistat, & ex eo aliud componat. Nec satisfacit euasio Scoti, dicentis Aristotelem tunc definire Elementum sumptum pro materia, non pro simplici corpore, iam enim in lib. primo de Elementis patefeci Definitionem illam esse communem omnib. quibus competit vt sint Elementa. Præterea in 3. de Cœlo, 31. inquit Philosophus, Elementum est id corporum, in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potentia vel actu, &c. Non dicerentur mixta resolui in Elementa, si penitus periissent, sed solum denuo ex mixto Elementa gigni; Clarius idipsum elicitur ex eodem tertio de Cœlo, 31. & 32. cum Philosophus asserat in ligno, carne, & similib. mixtis, inesse potestate Ignem, & Terram, quia ex illis secernuntur, in Igne autem, carnem aut lignum non inesse, nec potestate, nec actu, secernerentur namq;, &c. Conspicuē Philosophus asserit cōditionem

Simplicius. Elementi esse vt inexistat. Ideo Simplicius eo loci inquit, omnes enim Elementum dicebant, in quod inexistens diuiduntur corpora. Præterea, qui ita sentiunt, euertunt conditionem Materiæ, quæ est vt maneat, & sit pars; nam definitur in primo & 2. Phys. quod sit id, ex quo fit aliquid inexistente, Elementa autem sunt materia proxima mixti, & numerātur in 2. Phys. 31. inter ea quib. competit materiæ Definitio. Præterea euertunt conditionem mixtionis & miscibilium, inquit enim Philosophus in 1. de Ortu & inter. necnon in secundo miscibile non penitus aboleri: at dum forma perit, totum perit, forma .n. est totū id quod res est, vt dicitur in secundo Phys. 11. & alibi. Similiter miscibile debet esse aptum ex quauis partem mixti secerni, vt dicitur in secundo de Ortu & interitu, id autem quod non est, secerni non potest; Similiter euertunt Definitionem Mixtionis, quæ est, vt sit alteratorum vnitio, non corruptorū, ideo dicebat Alexander, citra interitum vnitio. Similiter, non seruant mixtionē ab ortu & interitu distinctam, vere enim erit interitus Elementorum, ortus aūt mixti. Præterea, euertunt verba Philosophi in secundo de ortu, 48. dicentis, ea quæ miscentur destruere sibi mutuo excellentias, & seruari non materiam solam, neque alterum contrariorum, sed fieri medium, vt ex horum sententia non solæ excellentiæ castigātur, sed abolentur penitus, & sola materia remanet. Insuper, in eodem contex. addit Philosophus, & primo quidem, Elementa ita transmutantur, ex his autē carnes; & ossa,

& ossa, & similia fiunt, calido facto frigido, frigido autẽ calido, cum ad medium venerint, quod neutrum est, mediũ autem est multiplex, & nõ indiuisibile, &c. constanter Philosophus affirmat, miscibilia refrangi & seruari castigata, nõ autem interire: hinc in 2. de Anima, 52. dubitat, cur sensus non sentiunt Elementa, ex quib. eorum instrumenta constant; Et in secundo de Cœlo, 22. necnon in 3. de Cœlo, 68. inquit, Elemẽta carere propria figura, alioquin non possent mixta ex eis fieri, cum in mixtis figuras varias suscipere debeant; Et in primo de Gen. Animal. c. 18. inquit, semen nõ decidere ex omnibus corporis partibus, alioquin decideret ex Elementis, quæ omnia conspicuè supponunt Elementa seruari in mixto. Neque dicendum est, perire formas Elementorum, seruari autem Qualitates remissas, vt nonnulli aiunt, quia mixtio ad Substantiam proprie pertinet, non ad Qualitates, nisi secundario, ideo Aristot. loquens de miscibilibus, præsertim Substantiam considerauit. Præterea Aristot. formas Elementorum per Qualitates circumscribit, quare id quod profert de Qualitatibus, etiam de formis debet intelligi, & præsertim quia propriarum affectionum, & formæ eadem ratio est: hoc patefecit Philosophus in secundo de Ortu & interitu, 48. dũ Qualitates ad medium redactas, dixit constituere carnes, & alia mixta. Et in 3. de Anima, cont. 10. inquiens: Sensitiuo igitur calidum & frigidum iudicat, & quorum ratio quædam est caro, nam caro est ratio primarum Qualitatum per circumscriptionem formarum Elementorum. Confirmatur id ipsum per Aristotelem in secundo de Anima 113 dicentem, humidum non reperiri in mixtis sine Aqua. Præterea si solæ seruarentur Qualitates refractæ, non formæ, tunc mixtio esset vnitio, & medium, non formarum Substantiæ, sed Accidentium, cum tamen id medium non mixtum, sed temperamentũ sit. Confirmatur: quia quia dum inferior forma seruatur facultate in eminentiore, vt nutriens in sentiente, ea nequaquam dicitur mixtio, quare vt sit mixtio formæ Elementorum secus seruari debent. Et confirmatur: quia inferior non seruatur in superiori cum remissione & mediocritate, Elementa autem cum remissione seruantur, & medium constituunt. Rationes aduersæ in progressu diluentur.

Mixtio ad Substantiam pertinet.

Non seruari Qualitates solas.

CAP. VIII.

Opinio tertia, de modo quo Elementa seruantur in Mixto.

CVM opiniones extremæ satis dubiæ apparuerint, propterea adest opinio media Auerrois, & multorum, qui eum sequuntur. Hi dicunt in mixto seruari formas Elementorum aduersus D. Thom. & Scotum, addunt seruari refractas contra Auic. Empedoclem, & Stoicos; insuper inquiunt, hoc esse verum, cum de formis, tum de Qualitatibus Elementorum aduersus eos, qui id concedunt de Qualitatibus, negant de formis, sententiam suam præsertim eliciunt ex Aristotele sæpe repetente Elementa non aboleri penitus, nec seruari sincera, sed interire excellentias, & fieri medium commune. Et cum de hoc consentiant, dissentiunt mox de modo, quo formæ Elementorum refractæ seruentur in mixto. Nonnulli enim, vt Alexander Achillinus, in secundo de Elementis, articulo tertio, & cum eo alij, inquiunt, Elementa primo diuidi in partes minimas, eas partes iuxta se poni, earum Qualitates & formas refrangi, & inde consurgere Temperamentum, & formam mixti, adeo, vt forma mixti effundatur per omnes particulas, & in qualibet reperiatur vna cũ forma Elementi, cuius est portio, & cum sit forma superueniẽs prohibet particulam illam no-

Opinio 3.

De quo dissentiant.

Achillinus.

Euersio. minati per formam Elementi. Hanc opinionem alienissimam a vero existimo, ita enim mixtio esset minimarum partium iuxtapositio, reiecta ab Aristotele in primo de Ortu & interitu, necnon in secundo, & in libro de Sensu & Sensili, & erit mixtio secundum Sensum, non secūdum Rationem, & absolute. Praeterea, inquit Aristoteles in secundo de Ortu & interitu, 47. aducsus Empedoclem. Contingit itaq; non ex quauis parte carnis elici ignem, & aquam, cum tamē debeat ex qualibet parte posse elici. Hæc instantia consimilem habet vim aduersus hos, quoniam aiunt ex minimo Aquę non posse elici Terram, neq; econtrario. Præterea, cum formæ earum partium sint remissæ, & remissiō fiat per oppositum, necesse est, vt in eis inueniantur formæ remittentes, non igitur seruabitur forma vnius particulæ remissa, seorsum ab aliis. Præterea, forma semper respondet materiæ, quare si in vniuersa materia reperitur forma cōsimilis mixti, vt carnis, auri, & similium, oportet vt etiam materia sit consimilis, non autem talis esset, si vna exigua portio esset Terra, alia Aqua, & sic de cæteris, & præsertim, quia forma omnino consimilis, non valet educi nisi ex materia omnino consimili. Insuper, hi conspicuē aduersantur Auerroi quem nituntur sequi: nam Auerroes tertio Cœli, sexagesimoseptimo vult consimilem esse rationem Qualitatē & formarum substantiæ; Cum itaq; in illis exiguis partibus inueniuntur Qualitates remissæ cum suis oppositis, etiam est necesse, vt in eis consimiliter inueniātur formæ Elementorum. Præterea, Auerroes in eodem com. disputans aduersus Auicennā, inquit accideret ei, vt quælibet portio vnius Elementi esset distincta a portione alterius, at hoc ipsum accidit his, qui sunt huius opinionis. Demum, sequentur hæc absurda: primo, nulla particula mixti erit mixta, cum non constet ex omnibus Elementis; secundo, in mixto quantum esset vnius Elemēti, tantum esset alterius, quoniam minima Elementorum sunt æqualia. Propterea

Pomponatius Suessanus. Pomponatius Suessanus, & alii nonnulli probabilius inquiūt pro mixtione necessariam esse iuxtapositionem partium Elementorum, mutuam actionem & passionem, quam mox sequitur coextensio formarum, cum remissione, adeo vt in quouis minimo insint omnes quatuor formę Elementorū, vt etiā cum remissione insunt quattuor Qualitates, quib. quatuor formis nonnulli aiunt superuenire quantam, nempe formam mixti, alii id negantes, inquiunt mixtum esse has quattuor formas contemperatas, definitaq; proportione ligatas, non secus, ac harmonia sit mutua ratio, congruensq; proportio variarum vocum, vt existi-

Aureolus. mauit Auteolus; quā sententiam Greg. Arim. 2. Sent. Dis. 15. ait fuisse celebrem. Neque etiam desunt qui dicunt, formam mixti esse formam Elementi domināntis, & ob id mixtum moueri per Elementum dominans, & hoc existimauit Car-

Cardanus. danus. Hæ opiniones apprimè sunt dubiæ, & cum vero pugnare videntur. Nam

Euersiones. primo dicere, formam mixti esse formam Elementi dominātis, omnino est absurdum; Primò, quia nulla forma remissa est absolutè forma alicuius speciei, alioquin ea species ex sui conditione non esset aliquid perfectum, sed refractum. Secundo, quia sic mixtum esset imperfectius Elemento simplici & intenso, nam forma remissa est imperfectior quam sincera. Tertio, tunc mixtum non differret specie ab Elemento dominante, remissio enim non constituit varietatē speciei. Similiter, mixtum vnum non differret specie ab alio in quo Elementum dominaretur. Neque etiam dicere valemus formam mixti esse congruentem proportionem, quattuor formarum Elementorum, nam ea proportio vel sumitur secundum formam, & ita est accidens, est enim quædam consonantia earum. Vel sumitur pro fundamento, nempe pro formis Elementorum proportione

tione prædictis, & ita non erit forma vna, & vna simplex essentia, cum illæ formæ sint multæ. Præterea, si aderit ea multitudo formarum elementorum, quæro, quid detinebit eas, ne secernantur, ne vicissim continenter agant, & pugnent: ita argumentatur Aristoteles in 2. de Anima, 39. aduersus Empedoclē, inquiens, quid est quod continet, quæ in contraria feruntur ignem & terram? distrahentur enim nisi adsit aliquid prohibens, &c. nam quousq; formæ seruantur distinctæ, etiam seruantur facultates & propensiones earum. Præterea in omnibus inspicere licet, quod dum formæ remittuntur, non ob aliud remittuntur, nisi vt ex eis noua forma consurgat, vt patet de albo & nigro, dulci & amaro, & reliquis, & ea forma consurgens, simplex quædam essentia est, non autem proportio extremarum. Quod confirmo: quia si manerent quatuor formæ elementorum, & noua non consurgeret, quæro, mixtum per quid in specie constituetur? non per formam consurgentem, quia eam non concedunt, non per formam elementi dominantis, vt iam patefeci, & præsertim quia tunc fere omnia mixta essent eiusdem speciei, cum in plurimis nominetur Terra; non per omnes simul, quia plures formæ conspirantes non cōstituunt speciem vnam, non enim ex varijs specieb. conficitur vna species; nō per proportionem, quia est accidens. Præterea, si seruantur in mixto quatuor formæ elementorū, & noua ex eis non consurgit, necessariò tribuent esse remissum, omnis enim forma, vt est forma, ita dat esse, nisi vlterior forma superueniat, quare mixtū erit quater substantia, quater corpus. Neq; demum putare valemus in quouis mixto quinq; reperiri formas, quatuor elementorū & quintam mixti, quia mixtum semper erit coaceruatio, & cōfusio, quousque formæ elementorū seruabuntur distinctę, & semper inuicem pugnabunt, donec distinctæ seruabuntur, vt enim seruantur formæ, ita seruantur facultates, & propensiones. Præterea mixti forma superueniens cum sit natura, debet esse principiū alicuius motus, quæro, vel est principiū eius motus, cuius est principium elementum dominans, vel distincti: nō distincti, quia mixta inanima vno mouentur motu, vel eiusdē, & ita in mixto vnius motus, duo erunt principia efficientia, quod est absurdū, & præsertim, quia Aristoteles solum inquit, mixta moueri per elementum dominans. Insuper, si mixtum inanimum præditum esset duplici gradu formarum, verè poterit diuidi in motorem & mobile, & poterit ex se moueri, quia forma mixti erit principium agens congregatum ex aliis, erit patiens & resistens, quod tamen verum non est, cum de motu eorum non secus se habeat, ac de motu Elementorum, solum enim mouentur vt grauia & leuia. *In mixto non esse formas quinque.*

CAP. IX.

De modo quo Elementa seruantur in mixto, Opinio propria.

Dvbia satis apparuerunt relatæ opiniones, propterea illis prætermissis, rationem, & Aristotelem sequens, pro lucida resolutione difficultatis, duas profero conclusiones: Prima est, in quouis mixto inanimo, quod est consimilium partium, vnica forma reperitur constituens illud in specie. De hoc consentio cum diuo Thoma, & Scoto, dissentio ab aliis. Altera est, ea forma consurgit ex formis elementorum remissis, non tanquam ex terminis à quo, sed tanquam ex partibus, non secus ac colores medij & sapores consurgunt ex extremis, adeo, vt forma consurgens sit essentia vna, & simplex, veluti est forma omnis, ita tamen, vt qui fuerunt gradus formarum Elementorum, euadant gradus formæ mixti, & hoc pacto mixtum & medium fiunt ex ex- *1. Conclu.* *Altera.*

tremis, non tanquam ex terminis à quo tantum, sed modo aliquo tanquam ex partibus,& de hoc dissentio à Scoto, & per hoc seruo Elementa magis in mixto seruari ac faciāt illi. Vt autem hæc resolutio appareat clarior, præaccipio id quod iam patefeci, formas Elementorum intendi & remitti. Accipio secundo, ob id Dei prouidentia patatam esse intensionem & remissionem formarum, vt ex eis remissis, nouæ formæ consurgerent, nam si formæ mediæ ex extremis solum consurgerent, tanquam ex terminis, & non tanquam ex partibus, non fuisset necessarium formas extremas remitti. Ex quo colligo, ex Elementorum formis formam mixti consurgere. Addo insuper, formam illam consurgentem absolutè esse vnam, & simplicem essentiam, facultate verò & participatione tot esse, quot sunt illæ, ex quibus consurgit, secundum magis & minus; vt magis vel minus remissæ sunt: sic rectè Auerroes tertio Cœli sexagesimoseptimo, affirmat, vt ex coloribus extremis consurgunt medij, ita ex Elementis consurgere mixta, & eorum formas; hoc ordine Natura seruatur fœcundior, & antecedentes formæ sunt tanquam inchoatio, & semen sequentium. Forma mixti consurgens, absolute dicitur vna, quia vnius vna est forma, per quam est, & in specie constituitur, facultate tamen & participatione dicitur totuplex, quot sunt formæ, ex quibus consurgit: nam cum fiat ex eis, & ita fiat, vt gradus formarum Elementorum euadant gradus formæ mixti, iure etiam seruant facultates earum, & illæ omnes participationem; sic seruatur sententia Aristotelis in primo Physicorū, dum extrema fiunt ex mediis, fieri ex contrario, quatenus in medio cum remissione & per participationem insunt contraria. Hoc confirmatur: quia natura superuacaneis non abundat, & cum illi gradus formarum remissarum non aduersentur nouæ formæ, vnam cum ea seruantur complentes essentiam eius. Sic etiam in intensione formarum, dum aduenit vlterior gradus, antecedens, non perit, sed in subsequente tanquam præstantiore & latiore seruantur. Hæc forma mixti sine controuersia dici potest forma vna, quia absolute est vna essentia consimilis, forma quanta, vt ex quatuor antecedentibus consurgit, forma quadruplex, vt includés gradus & vires quatuor formarum. Ita seruatur sententia Auerrois in primo de Cœlo com. octauo, dicentis, in mixto plura esse principia motus, nam sunt plura per participationem, redacta tamen in vnum. Similiter rectè seruantur omnia, quæ ab Aristotele de mixtione dicta leguntur, & præsertim quomodo miscibilia non penitus pereant, sed fiat medium. Elucescit etiam quomodo mixta moueantur per Elementum dominans, nam mouentur per formam mixti, quatenus vnius vel alterius Elementi maiorem portionem includit, vt colores medij vel magis, vel minus cōgregant, vel disgregant visum, quatenus vel vnius, vel alterius extremi maiorem portionem includunt. Insuper explicat definitio mixtionis, quòd sit alteratorum vnitio, dicitur alteratorum, tum quia fit per actionem primarum Qualitatum, & alteratio via est, tum insuper quia mutatio in eadem specie per magis & minus dicitur alteratio, vt asseritur in quinto Physicorum decimonono. Additur, quod sit vnitio: quia ex remissione vna forma consurgit, & est vnitio Qualitatum in Temperamento, vt parantium, formarum verò in forma mixti, vt perficientium. Insuper seruatur id quod dicitur in primo de Ortu & interitu, 84. miscibilia seruari potestate, non actu, pro cuius notitia considerandum, formam aliquam reperiri in alio potestate, sex modis posse intelligi; Primo, quia sint iunctæ & ligatæ non liberæ, vt dicebat Auicenna, & hoc iam reiectum est. Secundò, vt sint potestate ad actum primum, veluti formæ generandæ dicuntur includi, in materia potestate, qui modus

Primum quod accipitur. Alterū.

Primum quod colligitur. Alterū.

Forma mixti & vna, & multiplex est.

Definitio mixtionis.

Quomodo forma Elementorū seruentur potestate.

modus etiam non competit formis Elementorum, alioquin solum in mixto seruaretur materia, & miscibile periret, quod reijcit Aristoteles. Tertio, vt sit potestate ad actum secundum, veluti habitus Geometræ dormientis, & ob id non speculantis, qui modus etiam non est approbandus, quoniam formæ inanimorum semper pro facultate operantur. Quartò, vt facultas eius includatur in forma eminentiore, vt facultas Animæ nutrientis in sentientem, qui modus etiam mixtioni non congruit, quoniam ea est facultas non remissa, sed eminentior, nec est opposita actui, sed est actus eminentior, nō prodiens ex mixtione. Quintò, forma potest dici potestate, quia refracta est, vt inquit Philoponus, sed hoc quoq; non est satis: nam forma refracta, antequam noua forma cōsurgat, semper dicitur actu esse in aliquo, & subiectum denominatur per eam secundū magis & minus, non sic se habet de mixto, non enim caro dicitur terra. Ideo addamus modum sextum, & dicamus formas Elementorum esse in mixto, & seruari potentia, non actu, quia præter id quod remittuntur, noua forma consurgit, in qua potestate dicuntur includi, quatenus redduntur pars, & gradus quidam illius, nec amplius dant esse proprium. Hæc est potentia ad actum primum integrum, ad actum secundum perfectum, ad esse absolutum & liberum, nō solum tanquam partem alterius. Confirmantur hæc omnia per Aristotelem in primo de Ortu & interitu, octuagesimoquarto, dicentem, miscibilia in mixto modo aliquo seruari, alio non, actu quidem altero existente, quod factum est ex ipsis, potestate autem aliquid vtriusque, &c. Cum dixit aliquid vtriusque, conspicuè indicat, formas miscibilium refractas seruari tanquam gradus & modos formæ mixti; Hæc vt puto, fuit sententia Græcorum interpretum. Nam Alexander in capit. de mixtione, inquit Temperamentū ab Ortu & interitu, seiungitur, quod in his tantum alterum in alterum transeat, in Temperamēto vero plura corpora vicissim agentia in idem coeant, donec abiecta contrarietatum excellentia, ob quas diuersa erant, & contraria vnicam ex omnib. illis potestatibus Qualitatem effecerint, vnita simul eorū materia, & fit vnum quoddam corpus, & quatenus ad Subiectum, & quatenus ad Qualitatem attinet, (insuper addit) secerni Elementa ex mixto adiectione aliqua ad perfectionem, non generatione penitus, ideo si ea quę ad huiusmodi perfectionem conducere possunt, illis adhibeantur: facile in suam naturam recurrunt, non tamen vt eadem sit Aqua, aut idem vinū, quod prius erat, id quod denuo secernitur, neque enim prius in mixtione secernebantur, alioquin iuxta positio, nō Temperamentum fuisset, &c. manifestissimè Alexander in mixto vnicam constituit formam consurgentem ex formis refractis miscibilium & separationē fieri restituendo eis id, quod per remissionem fuerat ademptum, & quia quod superadditur, non est idem numero, cū adempto, ideo quod separatur, non dicitur numero idem cum pręcedente, quāuis seruetur idem gradus, qui præfuerat in mixto, & præsertim quia seruatur non amplius, vt gradus formæ mixti, sed vt gradus formæ Elementi. Simplicius quoque manifestè affirmat Elementa in mixto castigata seruari, & ex formis Elemētorum mixti formam consurgere, ideo in tertio de Cœlo, cont. 30. & 31. ait, Elementa seruari remissa, idque confirmat per definitionem Elementi ab Aristotele traditam, & authoritate Theophrasti dicentis, ex oculis nonnunquam flammas secerni, necnon negotij Alexandrini medici, id ipsum asserentis. Cum autem Simplicius dicat Elementa in mixto seruari, ex fundamentis eius elicimus ex seruatis formis consurgere formam mixti, vt etiam in secundo Physicorum ait, ex caliditate, siccitate, & leuitate tanquam ex differentiis, consurgere for-

Cōfirmatio.

Alexander.

Simplicius.

mam Ignis,ideo in tertio,de Anima vigesimosexto,ait colores medios,quamuis simplices,constare tamen ex extremis,ob cōmunicationem & participationem eorum. Plato in Timeo eiusdem visus est fuisse sententiæ, ideo de mixtione loquens ait, non definunt elementa agitata dissolui, priusquam aut omnino cum dissolubilia sint depulsa, ad cognatum refugiant, aut expugnata in vnum quiddam ex multis superanti simile tandem euadant, familiariterq; cum victore permaneant. & in conuiuio in oratione Eriximachi, inquit, in harmonia non amplius contrariari graue cum acuto, nec in temperamento Qualitates. Colligamus itaque in mixto formas & qualitates mutuo se refrangere, coextendi, & ex eis vnam consurgere formam, adeo, vt qui fuerunt gradus formarum elementorum, euaserint gradus formæ mixti.

Plato.

Conclus.

CAP. X.

Proponuntur dubia varia ad Mixtionem pertinentia.

CVM modum patefecerim,quo puto ex sententia Arist.Elementa seruari in Mixto, superest, vt pro clariore veritatis elucidatione dubia varia diluam, quæ explicatæ sentētiæ aduersari videntur. Primo diluendæ occurrunt rationes pro opinione Scoti & D.Tho.relatæ. Nam dicebatur pro D.Tho. formas substantiæ non recipere magis & minus, & nil eorum quæ præfuerunt in re corrupta,posse in re denuo genita seruari prēter materiam:quæ assumpta non esse approbanda iam cumulatè suo loco patefeci. Dicebatur pro Scoto,elementorum formas esse terminum à quo,Mixtionis,qui nō seruatur cum termino ad quem. Respondeo,eas non seruari eo modo,quo sunt termini à quo,nam sunt termini à quo,dum considerantur vt sinceræ,& superstites gradus considerantur vt gradus formarum elementorum,non autem formæ Mixtorum,quo pacto minimè seruantur,sed solum seruantur vt remissæ,& vt gradus formæ Mixti consurgentis; Addebatur,quod ita Mixtum esset quatuor supposita,& quater corpus;Hæc ratio vim non habet aduersus opinionem meam, sed aduersus eam Auicennæ, cum enim ex quatuor formis vnica forma cōsurgat,nil absurdi sequitur, & præsertim, quia sola forma Mixti dicitur dare esse, non autem gradus formarum Elementorum, qui non seruantur vt gradus eorum; Sed aliæ adhuc se offerunt ambiguitates obscuriores,quarum vna est, quia non apparet, quomodo per ea, quæ dixi, seruetur sententia Aristot. in secundo de partibus Animalium, cap.1. dicentis: Cum itaque triplex sit compositio, prima statui potest ea, quæ ex primordiis conficitur, quæ Elementa appellantur, Terram dico, Aquam, Aerem, & Ignem : sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus confici elementorum, iisque non omnibus, sed vt antea expositum est: humiditas enim, siccitas, frigiditas, & caliditas, materia sunt compositorum, cæteræ autem differentiæ eas sequuntur,&c. His verbis indicat Philosophus, non verè misceri, & seruari formas, sed qualitates tantum, ideo ex eis deprompsit Galenus id, quod Aristoteli tribuit in 1.de Natura humana, in expositione secundæ particulæ, inquiens: quidam solas primas qualitates per se totas inuicem temperari affirmant, vt Peripatetici, alij & substantias, vt Stoici. Huic difficultati respōdens dico, ob quinque causas, præsertim Arist.ita fuisse loquutum, & Mixtionem qualitatibus tribuisse: Prima est, quia cōsiderauit virtutes elementorum, vt contradistinctas à subiecto, & materia, nam virtutes miscentur & coextenduntur, materia cum sic consimilis solum per partes iuxta ponitur; Altera est, quia Elementa redduntur miscibilia proxime per quatuor primas Qualitates, inuicem agentes; Tertia

Diluuntur rationes pro D. Tho. relata.

Dubitatio.

Galenus.

Solutio.

da, quia proxima materia formæ Mixti est Temperamentum consurgens ex quattuor Qualitatibus. Quarta quia Aristot. per Qualitates cirumscribit formas Elementorũ,& Qualitates primas considerat vt contradistinctas a sequentibus nempe a grauitate, leuitate, densitate, raritate perspicuitate, & opacitate, ex quibus non proprie fit mixtio,& hoc Arist. indicauit inquiens, cæteræ autem differentiæ eas sequuntur,& hæc est ratio potissima. Quinta ratio est: quia quattuor primæ Qualitates, cum sint in mixto, etiam seruant nomen proprium, non autẽ formæ Elementorum. Ex his colligo primo minus recte Galenum ex illis verbis sumpsisse ex sententia Arist. solas Qualitates misceri, non substantias, nã ea verba protulit ob relatas causas; In secundo autem de Ortu & interitu cõspicue manifestat Substantias Elementorum misceri, & consurgere Substantiam mediam, immo potius id elicitur ex principiis Galeni, putantis eas Qualitates esse formas Elementorum,& Temperamentum formam Mixti. Colligo secũdo, minus recte putasse Stoicos misceri Qualitates & Substantias, quia ex eorum sentẽtia, vt substantia erat sola materia & corpus, corpora autem vt corpora, & portiones materiæ cum dimensionibus misceri non possunt, sed componi tantum, necti,& iuxtaponi, portiones enim materiæ nõ sunt contrariæ: mixtio cõsideratur inter contraria inuicem agentia & patientia, miscentur itaque ex sententia Aristotelis Elementa per formas & Qualitates primas, adeo vt ob remissionem quæ fit per contrarium, formæ coextendi dicantur, quod non ita est intelligendum, vt putemus formas ex vno Subiecto effundi in aliud, id enim falsum esset, non enim forma ex materia pendens ex Subiecto in Subiectũ transit, sed per mutuam actionem similem formam in alia materia produci putandum est, remittendo formam antecedentem illius. *Quid primo colligatur.* *Quid secundo colligatur* *Conclusio.*

CAP. XI.

Agitur de interno termino ad quem Mixtionis.

QVONIAM Mixtio est transmutatio quædam, & omnis transmutatio prædita est proprio interno termino a quo,& ad quem, ideo iure optimo quæritur quinam sit terminus ad quem proprius & internus eius, quod præsertim est dubium quia ex mixtione duo consurgunt, vnum est Temperamentum consurgens ex Qualitatibus, alterum forma mixti consurgens ex formis Elementorum, ideo dubium est, cui nam horum id sit tribuendum, quicunque Qualitates,& Temperamenta a formis substantiæ non distinguunt, quorũ numero est Galenus, de hoc ambigere non tenentur, at cum re vera distinguantur, ideo id considerandum proponitur. Qua de re duæ sunt opiniones, nõnulli enim vni, alii alteri id tribuunt, Ludouicus Boccaf. id tribuebat Temperamento ex quattuor Qualitatibus, quod parat pro forma mixti, veluti etiam id facit Alexãder, in cap. de Mixtione; at Alexander Temperamentum cum forma Mixti confundebat. Comprobatur hæc opinio primo per definitionem Mixtionis, quæ dicitur alteratorũ vnitio, nam ille statuendus est terminus internus Mixtionis, quia est terminus alterationis, at alterationis Elementorum terminus est Temperamentum, alteratio enim ad Qualitatẽ pertinet, quare etiam id erit terminus mixtionis, terminus namque debet respondere viæ, quæ dicitur alteratio. Præterea si termin⁹ esset forma Mixti, tunc Mixtio esset generatio Mixti, at Arist. ait Mixtionem a generatione secerni. Insuper, Arist. de generatione Mixti seorsum verba facit, nempe in principio quarti Meteororum quare aliud est *Dubitatio de termino ad quem mixtionis.* *Opinio. Lud. Boc.* *Comprobatio.*

Mixtio, aliud generatio Mixti, alioquin Arist. fuisset redundans; & confirmatur hoc per opposita, Mixtioni enim opponitur resolutio, generationi verò mixti putredo: vt itaque resolutio differt à putredine, ita mixtio à generatione mixti. Demum hoc confirmatur per Aristotelem in 2. de partibus Anim. cap. 1. dicentem, mixtionem esse ex virtutibus, hoc est ex primis Qualitatib. Elementorum transmutationis autem earũ internus finis & terminus, non substantia, sed qualitas est, veluti est temperamentum, non itaque iniuria varij viri celebres huius fuere opinionis. Quam ego minime approbandam puto, sed existimo proprium & internum terminum esse formam mixti, Temperamentum vero esse postremam dispositionem pro forma mixti: quod ostendo, nam qualia sunt Elementa mixtionis, talis est terminus proprius eius, Elementa corporea, vt talia, sunt substantiæ, quare & terminus, quod sint substantiæ, patet ex definitione Elementi, quæ est ex quo fit aliquid cum insit, cum autem id quod fit ex eis, sit substantia, etiam illa vt eius Elementa substantię sunt. Confirmatur per definitionem mixtionis, nam dicitur vnitio miscibilium, vnitio autem variarum substantiarũ substantia esse debet, forma enim propria ea est, per quam aliquid redditur vnum, non autem accidens. Præterea ille est proprius finis & terminus, quo solo præsente, mixtio est absoluta, fine enim præsente definit res moueri, vt dicitur in primo de Ortu & interitu. At hoc soli formæ mixti competit, quousque ea non adest, mixtio non est completa, ea præsente, absoluta & cõplera iudicatur. Præterea mixtum vt mixtum, differt specie ab elemento miscibili, differentia specifica substantiarum ad substantiam pertinet, quare mixtum per formam substantiæ dicitur mixtũ, & ea sola est proprius terminus mixtionis. Insuper, qualis est via, talis est terminus, via mixtionis nedum est remissio Qualitatum, verũ insuper formarũ substantiæ, vt apparuit, ideo terminus & Qualitatem & substantiam debet includere: Qualitatem quidem, vt parantem, Substantiam verò vt perficientẽ. Hoc manifestè affirmat Arist. in 2. de Ortu & interitu, 48. inquiens: & primo quidem Elementa ita transmutantur, ex his autem caro, ossa, & consimilia fiunt, &c. Conspicuè Arist ait, quæ fiunt per mixtionem esse substantias, & propterea terminum mixtionis constituit substantiam. Hoc affirmauit Auer. in primo Phys. 57. inquiens, Aristotelem in lib. de Ortu & interitu loqui de generatione vnius ex multis, hæc autem mixtio est, quæ non diceretur generatio, nisi terminus proprius eius esset substantia, nam datur generatio vnius ex vno, & vnius ex multis, qualis est generatio mixti ex elementis, & est modus quidam generationis. Quare dicendum puto, finem mixtionis internum esse duplicem, vnum disponentem, alterum proprium & perficientem, nam mixtio est cõplicatum quoddã ex alteratione & generatione, ex parte alterationis pro termino habet temperamentum, ex parte mutationis substãtiæ recipientis magis & minus, pro termino habet formã mixti, & hic est terminus proprius & principalis. Rationes aduersæ facile diluuntur; Fundamentũ sumptum ex definitione mixtionis, quæ dicitur vnitio alteratorũ, iam est euersum per ea quæ dixi, & presertim, quia alteratio vt in principalẽ finem, dirigitur in formam substantiæ. Addebatur, quod tunc mixtio esset generatio. Respõdeo, mixtionem nõ esse generationẽ vnius ex vno, tanquam contrarij ex cõtrario, vt aeris ex aqua, cum vniuerso interitu antecedentis, in qua significatione Arist. ait mixtionem à generatione distingui, dico tamen cum Auerroe, in primo Phys. 57. esse generationem vnius ex multis modo aliquo seruatis, ita tamen vt noua forma cõsurgat. Dicebatur tertio, quod Arist. de Generat. mixti seorsum loquitur, nempe in principio quarti

Euersio. *Opinio propria.* *Diluuntur rationes aduersæ.*

quarti Meteororum. Respondeo, generationem mixtorum similium partium dupliciter considerari posse, primo vt proxime consurgit ex conspiratione quatuor Elementorum inuicem agentium, & se mutuo remittentium, adeo, vt medium consurgat, & ita dicitur mixtio, cui opponitur resolutio. Secundo, vt mixti forma consurgit, & ex actione caloris contemperati à frigore, & passione humoris contemperati à sicco, & terminati à calore proprio, percurrente coctione, cui generationi mixti opponitur putredo, secundum quam considerationem de ea loquitur Aristoteles, in quarto Meteororum, prima consideratione mixtum solum gignitur proxime ex Elementis, ex quorum remissione fit caro, os, & vnumquodque aliorum mixtorum, vt ait Arist. in secundo de Ortu & interitu, quadragesimooctauo. Secunda consideratione magna ex parte mixtū vnum fit ex alio, vt caro ex sanguine, sanguis ex Chilo, ea prima consideratio antecedit secundam, ideo Arist. prius de mixtione, mox de mixti generatione loquutus est: Opposita horum, nempe resolutio & putredo, manifestant varietatem eorum modorum generationis mixti. Addebatur demum, mixtionem fieri per Qualitates, & ex Qualitatib. Respondeo, fieri per eas vt per instrumenta, & ex eis vt ordinatis ad formam mixti. Quomodo autem intelligenda sit sententia Arist. prolata in 2. de partibus animalium, in præcedentib. patefeci.

Cap. XII.

Quomodo ex variis formis Elementorum; & ex variis actibus gigni possit noua mixti forma.

NON exigua est dubitatio, quomodo ex variis Elementorum formis consurgere valeat forma vna, & ex variis actib. actus vnus, cum tertium semper dicatur consurgere ex actu & actu, & potentia, non ex potentia & potentia, nec ex actu, & præsertim id difficultatem parit quod dictum est, gradus formarum Elementorum, euadere gradus formæ mixti, nam illi vel sunt gradus essentiæ, vel gradus existentiæ: non essentiæ quoniam omnis forma in indiuisibili est posita, & se habet perinde ac species numeri, vt dicitur in 8. Metaph cont. 10. Neque dici possunt gradus existentiæ, quia illi sunt gradus indiuiduales, non distincti specie, varietas autem inter Elementum & mixtum non est varietas secundum numerum & indiuiduum, sed secundum speciem. Respondeo, minime esse absurdum dicere, ex formis Elementorum nouam formam consurgere, cum earum remissio in vlteriorem formam dirigatur, & dum id fit non omnia obtinent locum actus, sed semper aliquid gerit vicem actus, aliud potentiæ: & loquendo de formis hoc contingere potest quatuor modis. Primo, in formis subordinatis quarum antecedens parat pro subsequente, vt Temperamentum pro forma mixti, & hæc pro Anima, nam antecedens seruat conditionem potentiæ. Secundo facta comparatione inter duas contrarietates pro constitutione vnius Temperamenti, nam calor & frigus sunt tanquam actus, humor & siccitas tanquam potentia, vt patet ex quarto Meteororum. Tertio, inter duo contraria se remittentia, nam remittens vt remittens, dicitur actus, vt remittitur potentia. Quarto, inter Elementum dominans, & alia, Elementum enim quod dominatur est tanquā actus, reliqua vt potentia. Qui modi omnes locum habent & apparent in mixtione, præsertim tamen tertius & quartus ad rem faciūnt, vt consideranti redditur notum. Sed quærebatur, quinam sint illi gradus? Respondeo, eos esse gradus existētiæ includentes essentiam, non enim datur gradus existen-

Quomodo ex variis formis consurgat forma vna.

Solutio.

Instantia

tiæ seorsum ab essentia, adeo, vt ex illis variis essentiis Elementorum, includentibus conditiones actus & potentiæ, vt dixi, coniunctis cum propriis gradibus existentiæ eorum, consurgat essentia vna, & vna existentia mixti. At instabit aliquis, quoniam sic forma consurgens non erit simplex. Respondeo, formam consurgentem esse & simplicem & mixtam, simplex est, quia est vna consimilis essentia, vt forma domus quamuis ex partium varietate consurgat, tamen vt forma, per quam domus est domus, dicitur essentia simplex, ex formis variis nõ recipientib. magis & minus, non consurgit tertium simplex, ideo dicimus, ex duabus speciebus non consurgere tertiam: at dum recipiunt magis & minus, deserendo proprium esse, valent tertium constituere; Ex aduerso, forma mixti dicitur mixta, quia non est forma prima alias non sequens, ex aliis non consurgens, vt formæ Elementorum: hinc motus ex mixti forma prodiens, dicitur mixtus, quia fit cum aliqua remissione. At adhuc ambiget aliquis, quomodo contingere possit, quod in vino & consimilibus mixtis seruari possint gradus ignis impotentes & remissi, cum in vino carbones & flammæ efficacissimæ, statim extingui inspiciuntur. Respondeo, seruari eos gradus non distinctos, sed inclusos in forma & Temperamento mixti, & seruari, nõ vt gradus ignis, sed formæ vini, seorsum ab omni pugna & contrarietate, nec amplius agunt variorum Elementorũ gradus adinuicem, sed redacti in vnam formam, cõspirant ad agendum cum aliis, & seruandum se; Verum alia adhuc occurrit dubitatio; Si forma mixti consurgit ex formis Elementorum, quomodo ex conspiratione earum, tot varia mixtorum genera quæ pene sunt innumera, prodire valent? Nam ex coloribus extremis, pariter ex saporibus, pauca media consurgunt, at mixtorum formę quæ dicuntur mediare inter eas Elementorum, pene innumeræ sunt. Respondeo ex duobus contrariis, vt ex albo & nigro, pauciora consurgere posse, at ex conspiratione quatuor Qualitatum, vel quatuor formarum Elementorum, longe plura: quoniam proportiones cõsurgentes ex conspiratione graduum quatuor formarum sunt longe plures, cum per singulorum varietates variari possint, & præsertim plurimæ formæ ex eis valent consurgere, quia essentiæ rerum sunt, vt numeri in indiuisibili constitutæ, & facile variabiles.

Solutio. *Dubitatio.* *Solutio.* *Dubitatio.* *Solutio.*

CAP. XIII.

An mixtum omne fieri debeat ex quatuor Elementis, & num mixta misceri valeant.

CVM mixtio sit vnitio miscibilium, & forma mixti ex formis eorum consurgat, iure optimo quæritur, an ex vno vel duobus Elementis mixtum fieri valeat, aut potius sit necessarium pro mixti constitutione omnia quatuor Elementa conspirare, qua de re opiniones sunt varię: affirmauit Cardanus in lib. de Mixtione, mixtum non constare ex igne, nec ex aere, sed tantum ex Terra, Aqua, & Cœlesti calore, sed errat, tum quia reliqua non essent Elementa mixti, tum quia mixta in Elementa quatuor videntur resolui, tum insuper, quia calor Cœlestis distinctus specie à calore Elementorum non reperitur, cum Cœlum tantum facultate sit calidum, & omnis calor sit eiusdem speciei. Scotus in 2. Sent. dist. 15. q. vnica, inquit, mixtum etiam ex vnico Elemento per passionem ab aliis Elementis illatam posse gigni: ex quo inferebat Elementa, in mixto non seruari, alioquin ex omnibus necessario conficeretur. Respondens itaque dico, mixtũ posse confici ex vnico, vel ex duobus Elementis, dupliciter intelligi posse,

Opinio Cardani. Euertitur. *Opinio Scoti.*

vel proxime, & hoc non contingit, quoniam ea quæ sunt secundum essentiam & ex se ordinata, ita se habent, vt sequētia necessario præsupponāt omnia antecedentia, Elementa & mixta, necnon eorum formæ, sunt ordinatæ secundū essentiam, quare forma mixti proxime præsupponit omnes formas Elementorū. Confirmatur per Arist. dicētem mixtū esse medium, esse commune, esse vnitionem miscibilium, & esse tale, vt ex singulis eius partib. elici possint omnia Elementa. Et in secūdo de Ortu & interitu, 49. inquit, omnia mixta corpora quæ in loco medio sunt, ex omnibus cōstare Elementis, sic medium etiā dicitur ex vtrisque extremis cōstare, & hoc patet: quia remissio fit per oppositum, in mixto autem Elementa remissa sunt. Secundo dico, id intelligi posse nō proxime, sed per medias mutationes, & remissiones factas a contrariis, adeo vt aqua gr. ex. per varias passiones illatas a contrariis recipiat gradus aliorum Elementorum, ac ita proxime ex singulis fiat id mixtum, quod ex Aqua sola genitum esse videtur. Sic inspicimus ex vaporibus eleuatis ex aqua, mixta varia gigni, & propterea ex eo quod illa mixta gignuntur ex Aqua, non valemus inferre cū Scoto, Elementa in mixto nō seruari. Sed alia adhuc se nobis offert dubitatio soluēda, & est an quēadmodum ex quattuor Elementis & eorum formis gignitur mixtum, & noua mixti forma consurgit, ita mox ex primis mixtorum formis, subsequētes aliæ gigni possint, & noua mixta fieri, ex vna parte id fieri posse exempla varia patefaciunt, nam Medici ex variis simplicib. medicamentis, iubent mixta confici. Pharmacopolę componunt Theriacam Mithridatū, & alia plura, miscendo mixta varia. Coqui pro epulis parandis varia mixta permiscent, igniq; pro perficiēda mixtione apponunt. Confirmatur: quia remissio formarum ordinatur in productionē sequentis formę, dictum autem est etiam formas mixtorū remitti, quare ex eis quoq; nouę formę, prodire valent. Præterea id confirmant alii, quia Qualitates competentes mixto conflato ex variis mixtis, efficiunt opera præstantiora, quam competentes conflato ex solis Elementis, vt patet de Theriaca & similibus, quod aiunt contingere: quia operantur virtute formarum mixtorum, quę sunt præstātiores formis Elemētorū. Insuper, inquit Arist. in Cap. de mixtione, guttā vini nō misceri cum magna aquę portione, quia deperditur, & stannū non misceri, quia in halitus vertitur, quare ea mixta quę non deperduntur, nec in halitus transeunt, poterunt misceri, per regulam si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis, & econtratio. Ex aduerso tamen existimo minime id esse concedendum, primo quia si ex mixtis noua mista fierent Arte, etiam fierent natura. Ars enim mixta efficit æmulando naturam, & tanquā Maga & ministra eius, at per Naturam ea sequentia mixta nequaquā inspicimus gigni, nisi antecedat resolutio mixti in Elementa, vel fiat in eis permutatio Qualitatū, & graduum formarum Elementorum, adeo vt proxime ea sequētia mixta non secus ac prima, ex proportione formarum Elementorum consurgant, veluti inspicimus in vētriculo ex variis cibis in eo cōgestis, gigni Chylum, nam calor coquens & excrementa secernens, permutat propria eorum temperamenta, vnū commune temperamentum inducens, quod mox sequitur forma Chyli, nō secus ac si proxime ex Elementis fieret. Cōfirmatur, quia si id esset, tunc in formis mixtorum daretur progressus in infinitum, quod renuitur a natura: deducitur consequentia, quia pari ratione ex sequentibus mixtis alia gigni possent in infinitum. Præterea, vt omne temperamentum proxime consurgit ex qualitatibus Elementorum ita omnis forma mixti præsupponens temperamētum, proxime ex formis Elemētorūm consurgere debet, nam vt temperamentum se habet ad

Sol. propria.

An mixta misceri valeant.

Pro affirmatione.

Pro parte aduersa.

qualitates Elementorum ita forma mixti ad formas Elementorum, & confirmatur: quia vt ex antecedentib. temperamentis non fiunt temperamēta sequentia, sed omne temperamentum est ex quatuor primis qualitatibus, ita ex formis mixtorum non est putandum consurgere nouam aliam sequentem formam. Quare difficultatem soluens dico mixtionem esse duplicem: vnam secundum sensum, & hunc concedo fieri posse ex variis mixtorum formis, ea tamen non mixtio est, sed compositio, confusio, & iuxtapositio, vel cum aliqua alteratione vel sine. Alteram secundum rationem & veram, de qua loquens adhuc dico eam fieri ex formis mixtorum dupliciter intelligi posse, vel ita vt proxime ex formis antecedentium mixtorum sequens forma consurgat, & hoc patefeci non esse concedendum, vel ita per actionem caloris permutentur temperamenta, & gradus formarum Elementorum & per interitum præcedentiū formarum mixtorum, noua forma consurgat, sequens proxime temperamentum & gradus formarum Elementorum & hoc concedendum est, hunc in modum dico ex variis alimentis gigni chylum, ex variis herbis per sublimationem gigni humorem aliquem mixtum, adeo vt proxime illud quoque ex Elemētis gigni dicatur. Ex hoc elicitur solutio alterius difficultatis, nam quæri solet, an arte possint mixta gigni quam soluens dico ea confici arte, posse dupliciter intelligi, vel ea vt agente principali, vel vt maga & ministra naturæ, ab arte vt ab agente principali, nec mixtum, nec vlla substantia gigni potest. Ars enim est habitus Mentis, & accidens, at nullum accidens propria facultate valet efficere substātiam. Ab arte autem vt ministra naturæ, nectenre vrgentia cum patientibus, & mixta, & substantiæ variæ effici possunt, ita tamen est si ex mixtis alia mixta producat, id solum faciat modo iam explicato non secus. Rationes autem aduersæ facile diluuntur, afferebantur instantiæ sumptæ ex medicamentis, ex Theriaca, Mithridato & Epalis, de quibus dico, eas non esse mixtiones, sed compositiones, & iuxtapositiones cum aliqua alteratione. Addebatur remissionem formarum ordinari in sequentem formam, & formas mixtorum remitti, respondeo id esse verum de prima remissione, quæ est ea Elementorum, non de sequente prima, vt patet etiam de coloribus, nam quamuis ex extremis consurgant medii colores, qui etiam recipiunt magis, & minus, non propterea ex mixtione mediorum mox alii producantur. Ratio varietatis est, quia prima remissio vere fit à principali contrario: vt albi à nigro, sequens vero remissio mixtorum, non fit à forma mixti contraria sed à prima contrarietate, vt si remittitur color viridis, id accidit quia remittitur vel albedo vel nigredo in ea inclusa, similiter si remittitur forma argenti, vel carnis, ideo remittitur, quia remittitur conditio alicuius Elementi in eis inclusi, adeo vt vniuersa intensio & remissio mixtorum in formis Elementorum, vt in origine sit collocata, & propterea ex sola Elementorum remissione noua mixti forma consurgit: confirmabatur aduersa sententia per opera præstantiora, ex sequentibus mixtis prodeuntia; Respondeo ea opera prodire ex compositione, iuxtapositione, & congruente proportione formarum mixtorum in composito inclusarum, id enim, quod vna seorsum efficere non valet, perficiunt multæ simul, vt patet de harmonia ex variis vocibus consurgente. Afferebantur etiam instantiæ de vino & stanno, quæ dicebantur non misceri, quia pereunt, quare si non perirent, & seruarentur, possent misceri, cum tamen ea quoque mixta sint. Respondeo, possent misceri secundum sensum, non vere, & si proprie miscerentur, id fieret modo in præcedentibus explicato.

Resolutio difficultat.

An arte possint gigni mixta.

Diluuntur aduersa rationes.

Ratio varietatis.

CAP. XIIII.

An dentur mixta grauiora vel frigidiora Elementis, & cur quædam cum difficultate misceantur.

CVm mixta ex Elementis consurgant, & id omne quod habent ex eis recipiant, iure optimo quæritur, quomodo dari possint mixta grauiora Terra, vt dari inspicimus nonnulla, veluti aurum & plumbum, insuper quomodo inueniantur mixta, quæ suo frigore stupefaciant, & necant, quod non facit Aqua, & Elementum vllum, veluti venena, Opium, Mandragora, & similia, inquiunt nonnulli, hoc eis competere per formam mixti potentiorem Elementis; quod non videtur dicendum: quia grauitas sequitur densitatem, Terra autem densissima est omnium, insuper sequitur Qualitates primas, quæ Elementis competunt summæ, non mixtis; Ideo alii dicunt, mixta nonnulla esse grauiora Terra nobis proxima, at non ea quæ proxima est Centro. Quod etiam non videtur dicendum, quia nunquam per profundissimas Terræ fossiones huiusmodi Terra grauior est inspecta. Propterea, respondens dico, Terram puram non dari, & ea quæ à nobis inspicitur, impura est, prædita poris aere plenis, & à calore solis rarefacta, metalla autem loco aeris includunt aquam, ac insuper congelationem & condensationem, & ob id videri grauiora non Terra absolute pura, sed ea quæ inuenitur. De venenis frigore necantib. dico, ea præsertim non operari per gradus formæ Qualitatum, sed virtutis, nam operantur per formam mixti, vt per agens principale, per Temperamentũ vt instrumentum eius, instrumenta autem vario modo directa, & virtute variorum dirigentium varia producunt. Insuper, mixtum familiarius, & intimius agit in mixtum, quam Elementum: hinc mixta nutriunt, non Elementa, & frigus cum aliquo deferente iunctum intimius refrigerat, vt intimius refrigerat Aqua aliquantulum præcalefacta, quam actu frigida. Addo tertio contrarietatem versari inter ea quæ sunt eiusdem gradus, & sub eodem genere, ideo iure vnum mixtum magis est cõtrarium alteri mixto, quam Elementum mixto, & ita magis proprie id destruit. Hinc oritur, quod venenum vni, non est venenum alteri, vt Sturnus nutritur Napello, quod aliis est venenum. Ob id etiam remedia aduersus venena non sunt simplicia corpora, sed mixta, & animal præditum veneno, etiam includit Antidotum ne sibi obsit, quod mixtum est. Sed quæritur adhuc, cur tenacia & lentore prædita, vt pix, oleum, & similia difficile misceantur. Respondeo, mixta non proprie misceri, sed componi, & iuxtaponi, nisi fiat permutatio in gradibus Elementorum inclusis, & præcedat interitus eorum, cum difficultate autem componuntur, quia per lentorem & tenuitatem cum difficultate in exiguas partes diuiduntur, ea tamen inuicem dum liquescunt, exactius nectuntur quam cum alio, quia sunt consimilia, & per lentorem mutuo se detinent, ita cera cum pice facile componitur, & secundum sensum miscetur, Oleum quamuis non misceatur cum Aqua sed supernatet, miscetur tamen secundum sensum cum lixiuio, ratio est, quia lixiuium includit facultate cineris sicci, qua incidit lentorem olei, ac insuper quia lixiuium per cinerem redditum est magis aereum quam aqua, & ob id similius oleo, sed adhuc alia occurrit dubitatio, vnde oritur quod cinis, & aqua, similiter calx & aqua non ita misceantur, vt maiorem constituant molem, nam patet experientia, & affirmat Aristoteles in quarto Physicorum. Vas plenum cinere tantum aquæ recipere, quantum si nil cineris in eo esset, idipsum inspicimus de gipso & calce. Respon-

Euersio sententia quorundam.

Alia opinio.

Solutio propria.

Cur tenacia non misceantur.

Dubitatio de Vase pleno cinere.

Solutio.

deo. id ortum ducere ex facultate cineris & calcis calefaciendi, & desiccandi, derelicta in eis post combustionem ab igne, qua facultate contraria aquæ, plurimum humoris aquæ in halitus vertunt, vt sensu constat; insuper ex aduerso, à frigore & humore aquæ plurimi halitus sicci inclusi in cinere, & calce, extēduntur, his tertio accedit, quod id aquæ, & cineris tertei quod superest condensatur, ex quorum trium conspiratione, id euenire putandum est, ideo inquit Aristoteles in primo de Ortu, & interitu, 90. ea quæ sunt huiusmodi, non misceri vt stannum cum ære, sed balbutire, hoc est diminute, & imperfecte, seruare attinentia ad mixtionem.

Cap. XV.

An detur mixtum æquale penitus.

An detur mixtum æquale. SATIS celebris & ardua est dubitatio ac inter viros doctos frequenter agitata, an detur mixtum quod æquale ad pondus nuncupant, hoc est absolute æquale, adeo vt æquas partes cum Qualitatum, tum formarum Elementorum includat; nam lis adhuc est sub iudice, & pro omni parte extant rationes, & opiniones, de qua vt proferam quod sentio, præaccipio vulgatam distinctionem Temperamenti æqualis, in æquale ad iustitiam, & æquale ad pondus, æquale ad iustitiam est id Temperamentum, quod tale est, quale congruit illi rei, cui competit, & est simile iustitiæ distributiuæ, per quam vnicuique tribuimus, quod seruata Geometrica proportione ei congruit; Æquale ad pondus est id, quod absolute, & exacte æquale est, & dicitur ad pondus sumpta Metaphora à ponderibus, omni ex parte æqualibus, nobis notioribus, posset tamen ea distinctio per verba magis propria tradi, dicendo vna cum Aristotele in quinto moralium Nicomachiorum, & cum Academicis, medium, siue æquale esse duplex, vel Geometricum, vel Arithmeticum, Medium Geometricum in consimili ratione est positum, vt sex mediant inter nouem, & quatuor, & est id quod dicebatur æquale secundum iustitiam, Medium Arithmeticum & positum in æqualitate absoluta. Quantitatis, vt sex mediant inter nouem & tria, primum medium pertinet ad iustitiam distributiuam, hoc autem ad eam in commutatione positam, & hoc est id quod nuncupant æquale ad pondus; Cum itaque consideretur æquale Geometricum & Arithmeticum de æquali secundum iustitiam Geometricam & distributiuam, non est dubitatio, omnes enim consentiunt id dari, quoniam Natura distribuens Temperamenta, singulis speciebus illud tribuit, quod eis congruit, & dum indiuiduum aliquod præditum fuerit Temperamento medio quod suæ speciei respondet, optime per naturam dicitur constitutum.

Æquale, Geometricū, & Arithmeticum.

Dubitatio est de medio Arithmetico. Dubitatio est de medio & æquali Arithmetico, quod ad pondus dicitur, hoc autem considerari potest & in Qualitatibus & in Substantia, in Qualitatibus potest considerari vel in vna sola contrarietate, vel in ambabus, & de omnibus est dubitatio; Quæritur itaque an in Temperamento, & forma mixti, detur æquale Arithmeticum siue ad pondus, & absolutè. De hac difficultate sunt opiniones, & rationes pro vtraque parte. *Opinio concedētium.* Putantes dari, his & similibus vtuntur rationibus, & primo, quibuscunque competit & magis & minus, competit etiam æquale & inæquale, Temperamento ex contrariis omnium consensione competit magis & minus, vt magis calidum & minus calidum, quare etiam competit æquale & inæquale; Præterea, non fit transitus ex extremo vno ad aliud, nisi per medium, at in constitutione Temperamentorum fit transitus ex magis ad minus.

minus calidum; Similiter ex magis ad minus humidum, quare fit per medium æquale, & quoniam in transmutationibus, omne per quod fit transitus, potest esse terminus ad quem transmutationis; Igitur etiam medium, & æquale poterit esse terminus ad quem, & ita dabitur id æquale. Insuper, Natura fœcundissima est, & efficit omnia quæ fieri possunt, & pro vniuersi perfectione conducunt, & in æternis esse & posse non distinguuntur, quare cum nil repugnet dari medium, idque conducat pro vniuersi perfectione, inferendum est necessario dari, & reperiri, Et præsertim, quia Temperamentum est præstantius intemperato, medium declinantibus à medio, quare cum dentur intemperata & declinantia, longe magis putandum est, dari Temperamentum, & medium. Præterea, dum datur vnum relatorum, debet dari & alterum, mensura, & mensuratum inuicem referuntur, inclinantia ad extrema mensurantur per medium, quare cum dentur inclinantia, & mensuranda, est necesse, vt detur medium, quod dicitur mensura eorum. Confirmatur authoritate Aristot. qui in secunda parte Prob. 22. quærit, cur corpora Temperata facile labuntur in morbos. Facileque curantur, quod cum quærat, vt notum supponit dari temperata, & in secundo de Anima instrumentum tactus in medio esse positum affirmat, vt per illud valeat sensus extrema iudicare. Hinc iure Galenus inter Temperamenta etiam æquale enumerat. Ex aduerso Auerroes in primo de Cœlo, com. septimo, in secundo de Ortu & interitu, 48. in quarto Meteororum decimo, in secundo suarum Collectionum capitulo postremo, & decimo Metaphysicæ, com. 32. Temperamentum & mixtum æquale reiicit. Rationes potiores pro hac parte hæ sunt; Si daretur mixtum exacte æquale, euerteretur Aristotelis sententia in primo de Cœlo dicentis, mixta moueri, sibique locum optare per Elementum quod dominetur in eis, quare si daretur mixtum æquale, id & proprio motu, & proprio loco careret, quod naturæ corporum aduersatur. Propterea inquit Auerroes in primo de Cœlo, com. 7. si daretur mixtum æquale, id vel non moueretur, sed vbique quiesceret, vel moueretur in aliis locis, & quiesceret in medio grauium & leuium, quod corpus ita se habens non reperitur. Præterea in mixtione semper aliquid reperiri debet, quod obtineat locum formantis & actus, cuius facultate forma mixti educatur: at si cuncta fuerint æqualia, nulla aderit ratio ob quam vna potius quam altera forma educatur, & in eo medio nil reperietur quod actus & formantis valeat obtinere conditionem. Confirmatur: quia ab æqualibus non prodit actio, cum imperio, adeo vt aliquid noui constitui valeat, id enim quod constituitur est vnum, & ideo ab aliquo vno, definito & determinato constitui debet, plura autem & æqualia penitus, nil definitum & vnum constituere valent. Insuper, mixta omnia gignuntur in loco alicuius Elementi, quo in loco pro mixti constitutione plus illius Elementi reperiretur, cuius est locus; & hoc enunciatur ab Arist. in secundo de Ortu & interitu, 49. dicentis: Terra inest in omnibus mixtis, quia vnumquodq; maxime est in suo loco, mixta autem præsertim fiunt in loco Terræ; Præterea, sententia est Arist. in principio quarti Meteororum, tunc gigni mixta, dum Qualitates efficientes superabunt patientes, & calor terminum tribuerit humori, quare pro mixti constitutione requiritur imperium alicuius. Insuper Aristot. in primo de Ortu & interitu 89. ait, misceri Elementa, dum eorum facultates adæquantur quodam modo; addebat quodam modo, indicans non penitus æquari. Clarius 10. Metaphys. t. 23. inquit, media constare ex extremis, & includere vnius extremi magis, alterius minus. Plato in Timeo idipsum affirmauit, inquiens, tunc misceri

Galenus.
Pro parte aduersa.
Auerroes
Aristot.
Plato.

Elemēta dum fit vnū ex multis ſuperanti ſimile, adeo vt familiariter cum victore cætera permaneant. Inquiunt itaque Ariſtoteles, Plato, & Auerroes, in mixtis ſemper Elementum aliquod dominari; Idipſum affirmant Auicenna Algazel, & multi viri celebres. Non deſunt tertio nonnulli, qui partes has conciliare nituntur, & præſertim Auicennam cum Galeno, vt Conciliator differentia 18. dicentes: Galenum conceſſiſſe ęquale exacte, ſolum ſecundum imaginationem, & in tranſitu, non autem quod ſpecies aliqua mixti id ſibi expoſcat & ſeruet, inſuper id conceſſiſſe facta comparatione cum reliquis Temperamentis, non autem abſolute, vt vola manus hominis dicitur prædita æquali Temperamento, quia ad id magis accedit quam Temperamentum aliarum partium.

Cap. XVI.

Reſolutio difficultatis de mixto æquali.

Triplex Temperamentum.

APPARVIT valde dubium an detur mixtum exactè æquale; Pro cuius reſolutione accipio primo, quod vt ex ſententia Ariſt. in principio ſecundi de partibus Animalium, triplex eſt compoſitio, ita triplex conſiderari poteſt Temperamentum: vnum conſurgens ex Elementis, eorumque Qualitatibus, alterum ex mixtis conſimilibus conſtituentibus membra, tertium ex membris conſtituentibus animal, quod tertium dicitur Temperamentum totius Animalis, præſertim vigens in corde, eiuſque ſpiritibus, & de omnibus dubitatio eſt, an detur æquale penitus, præſertim tamen dubitatio eſt de primo, tanquam de origine, & fundamento cæterorum Temperamētorum. Accipio ſecundo Temperamentum ex primis Qualitatibus conſurgens conſiderari poſſe dupliciter, ſecundam vnicam contrarietatem, veluti calidi & frigidi, tantum, vel ſecundum vtramque ſimul, primum eſt Temperamentum æquale in parte, alterum abſolute, facilius eſt dari Temperamentū æquale in parte quam abſolute, nam id poteſt eſſe ſine hoc, non contra, non. n. Temperamentum cōpoſitum erit æquale, niſi ambo ſimplicia id conſtituentia fuerint æqualia. Accipio tertio, (& hoc dignum eſt conſideratione,) quod loquendo de Temperamento ſimplici, vera eſt regula non dari tranſitum ex vno extremo in aliud, niſi per omnia media. Ratio eſt: quia via inter duo contraria vnica eſt, & ſimplex: at loquendo de Temperamento compoſito ex vtriſque contrarietatibus, vera non eſt: quia via non eſt vna & ſimplex, ſed duplex, vt duæ ſunt contrarietates, ideo in tranſitu poteſt adeſſe æqualitas inter duo contraria, & non inter reliqua duo. Et quoniam Qualitates ſecundæ, vt colores, ſapores, & odores, prodeunt ex Temperamento compoſito primarum Qualitatum, ideo vt in Temperamento compoſito non eſt neceſſe tranſire per omnia media compoſitorum Temperamentorum, ita in mutatione inter contraria ſecundarum Qualitatum, non eſt neceſſe per omnia media tranſire, viæ enim principiorum ex quibus pendent, non ſunt ſimplices. Demum, accipio æqualitatem contrariorum in duobus poſſe conſiderari, vel in gradu eorum, vel in actione: dubitatio eſt de gradu, non de actione, nam actio per multa connexa variari poteſt. His præaſſumptis dico, nil repugnare dari mixtum exacte æquale, ne dum in parte, verum etiam abſolute, & cum nil repugnet, dico etiam dari & reperiri cum in attinentibus ad vniuerſi perfectionem, & in æternis, vt ſunt ſpecies rerum, quod poteſt eſſe, etiam ſit, & huiuſmodi mixtum propria mixti forma etiam erit præditum. Quod ita oſtendo: quia ſi quid pugnaret dari, vel eſſet, quia aduerſaretur Naturæ communi, vel

Alterum quod accipitur.

Tertium quod accipitur.

Oſtenditur dari mixtum æquale.

vel propriè,non communi,ea enim experit vniuersi perfectionem, & graduum omnium plenitudinem,non propriæ:quia si calor gr.ex. seruatur cum intensiore, & remissiore frigore, etiam seruari potest cum æquali, & similiter de humido cum sicco. Præterea,si aliquid huiusmodi æqualitati aduersaretur, id potissimum esset, quia in mixto alterum contrariorum semper obtinere debet locum formátis,& actus, quod soli dominanti cópetit,at hoc minime obest,ne æqualitatem euerti, primo,quia vt dicitur in 1.Phys. contrariorum semper vnum obtinet locum actus, & excessus alterum priuationis & defectus, & id quod actus locum obtinet,formare dicitur, hoc enunciatur ab Arist.10. Metaphys. cont.7. dicente,colores medios ex albo confici, & per albũ vt per actum mensurari, sic in omni mixto calor est qui format, & terminum imponit humori, vt dicitur in 4.Meteor.& quamuis mixtum secundum gradum fuerit frigidius, vel æque frigidum,tamen facultas formandi & terminandi,calori cópetit: quare si calor infra medium terminare & formare valet, longe magis poterit id efficere cóstitutus in medio. Secundo, id non obest, quia contrarietatum semper vna obtinet locũ formantis, nempe calor & frigus, altera materiæ & formati. Tertio quia quáuis adsit æqualitas graduum,tamen adest varietas virtutis & facultatis agendi, nil itaq; pugnat dari temperamentum æquale. Et propterea Arist. nunquam tale medium renuit,nec aliquis Græcorum interpretum,imò addo,nedum exacte æqualem in mixtorum genere reperiri, verum insuper id eius esse facultatis, vt qui id destruunt,simul construant, nam qui id mediũ renuit,inquit temperamenta esse inæqualia, quæ cum sint inæqualia, recedunt à medio, ideo præsupponunt medium,ita argumétatur Arist.in 2.Phys. aduersus eos qui dicunt cuncta fieri casu, nam cum casus sit recessus ab eo quod est per se, & non detur posterius sine priori,est necesse vt præsupponant causam per se efficientem. Nec satis est dicere pro mensura recessus satis esse mente cócipere medium,nam mensura rei secundum naturam existentis, in rerum natura, non in sola mente reperiri debet, aliquin mensuratum non responderet mensuræ, & natura constituisset proprie mensurabile,sine propria mensura, & mensura nó esset primum illius generis,& daretur in rerum natura posterius sine suo priore.

Euertentes æquale,id construunt.

Cap. XVII.

Diluuntur Rationes aduersæ.

SIGNVM rectæ explicationis singularum difficultatum id præsertim est, vt per eam rationes aduersæ facile diluantur, hoc conspicue competit relatæ explicationi,per eam enim instantæ omnes facillime diluuntur. Afferebatur authoritas Auerrois, Algazelis, & Auicennæ, quibus ego obijcio Galenum, rationes validiores,& leges naturæ,non itaque hac de re consentio cum Auerroe. Addebatur,quod tunc mixta non mouerentur per elementum dominans. Respondeo, mixta vt & elementa moueri per graue,& leue; Horum imperium est duplex,vel absolutum,vt in mixto inæquali, vel in relatione & comparatione positum,vt in mixto æquali,hoc enim in Igne & Aere graue est, ideo descendit, in Terra & Aqua est leue, & ideo ascendit, in medio autem secundum naturam quiescit, adeo vt in Aqua partim mergi, partim supernatare debeat, quod nonnullis lignis in parte competere inspicimus. Addebatur, in mixto semper vnum contrariorum debere obtinere locum actus & formæ, qua ratione vtitur Auerroes 10.Metaphysicæ, vigesimotertio: ad hoc autem iam in præcedenti capitu-

Signũ rectæ explicationis.

responsum est. Instabatur insuper, quia vnum debet gigni, & consurgere facultate vnius, non quatuor æqualium. Respondeo, id vnum esse calidum coquens terminans, suaque actione superans, quamuis non semper gradu. Insuper dicebatur, mixtum maiorem portionem illius elementi includere, in cuius loco gignitur. Respõdeo, hoc esse verum vt plurimũ, non autem esse necessarium, nam etiam in aere gignitur aqua, & ob id in ea etiam mixtum aqueum gigni posset, imò non desunt qui in aere putent lapides nonnullós gigni posse, vt sagittarum, fulguris, qui tamen terrei sunt. Præterea, si aderit imperium molis, non propterea aderit imperium graduum & facultatis. His accedit, quòd mixtio vt plurimum fit in contactu, & medio grauium & leuium. At adhuc instatur: quia dum dicimus mixtum esse æquale, ea æqualitas vel est posita in mole, vel in gradu formæ: si in mole, adeo vt æqua ignis & terræ moles sit in mixto, tunc mixtum non erit temperatum, quia æqua moles ignis potentius agit, & ob id reddet mixtum calidius, & magis igneum. Præterea, si imaginamur quatuor æquas portiones elementorum, ita cõspirare pro gignendo mixto, quia aer & ignis facile dissoluunt, & magis dissoluentur, quàm aqua & terra, & ita mixtum terreum & aqueum remanebit, si dicimus æqualitatem seruare in gradu formatũ, quia nonnullæ operantur potentius, ideo similiter constituent medium inæquale. Respondeo, medium debere considerari in gradibus formarum, vt se habet de medio colorum, & saporum, hoc medium potest consurgere ex actione vnius contrarij potentioris in aliud minus potens, veluti dum ignis potentior aqua, agit in aquam, valet in ea calorem vsque ad temperamentum æquale producere, mox desinere agere, & ita agens potẽtius valet medium efficere rerum. Affert Auer. verba Arist. in 10. Metaphys. 23. dicentis: Medium erit magis minusve tale, quale est vtrumq; extremorum, quare & hoc contrariorum medium erit. Et cætera media cõposita sunt, quod enim minus quam hoc est tale, id ex hisce modo quodam cõstat, respectu quorum eo dicitur modo, &c. his verbis conspicue videtur Aristot. affirmare, media plus vnius extremorum includere, quàm alterius. Respondeo, contextum Auerrois esse deprauatum, nam in eo legitur mediũ constare ex vno magis, ex altero minus, at si verba Philosophi perpendantur non deprauata, solum ex eis elicitur media vel magis vel minus distare ab extremis, ac ita per ea non euertitur æquale. Insuper addo Arist. & eo in loco, & in primo de ortu & interitu, 89. nec non Platonem inspicere id quod frequentius accidit, & inspicere facultatem actionis, at si æquantur in gradu non ob id æquantur facultate & actione.

Instantia vna. *Altera.* *Solutio.* *Aristot.* *Solutio.*

Cap. XVIII.

An temperamentum sit qualitas vna & forma vna.

Apparvit ex quatuor elementorum formis consurgere formam vnam mixti, quæ sit natura & principium motus illius. Dubitatio est de temperamento ex qualitatibus consurgente, an sit re vera qualitas vna, vel potius multæ. Dubitatio nõ est leuis, & de ea opiniones sunt variæ: Inquiunt nonnulli ex quatuor primis qualitatibus, constituentibus duas contrarietates, non vnã, sed duas consurgere formas medias, vnam ex calidi & frigidi remissione prodeuntem, alteram ex remissione humidi & sicci. Ratio est: quia duarum contrarietatũ non vnum, sed duplex est medium. Cùm itaq; illæ sint cõtrarietates duæ, etiam media indicanda sunt duo. Huius opinionis fuit Conciliator Diff. 16. quam tamen approbandam nõ puto, quia mixtio definitur, quod sit vnitio alteratorum, non

An temperamentũ sit qualitas vna. *Opinio, quod sint duo.* *Euersio.*

autem esset vnitio, nisi vt ex formis consurgit forma vna mixti, ita ex qualitatib. consurgeret temperamentum, quod esset qualitas vna. Hinc Arist. in 1. & 2. de ortu & interitu inquit, per mixtionem fieri medium, & commune, non autem esset vnum cõmune medium qualitatum, nisi ex eis vna forma prodiret. Ratio aduersa facile diluitur: nam vt ex duabus qualitatibus contrariis consurgit vna media qualitas, ita ex oppositione efficientium & patientium tanquã ex actu & potentia, absolute forma vna, quæ Temperamentum dicitur, consurgit. Propterea, est alia opinio quorundam, putantium ex quatuor qualitatibus in mixto non vnam simplicem prodire formam, quæ eas facultate contineat, sed cunctas seruari distinctas, adeo vt temperamentũ nil sit præter actionem mutuam, & harmoniam earum qualitatum vicissim, & horum nonnulli inquiunt, qualitates illas seruari sinceras, vt Empedocles, Stoici, & Fernelius, nõ secus ac in harmonia percipimus, voces omnes seruari sinceras. Alij dicũt seruari remissas, qui etiam in duas classes sunt distributi, vel enim inquiunt seruari easdem numero, quæ præfuerunt in elementis, vt Marsarius Inguen. q. 22. vel numero distinctas, vt D. Th. & alij, qui in interitum putant semper fieri resolutionem vsque in primam materiam. Hæc opinio minus quàm prima approbanda videtur, tum quia dum forma vna per oppositam remittitur, remittens & remissa non seruantur distinctæ: tum quia nisi adsit vnitio, non dicitur absoluta mixtio, vnitio non adest, nisi forma sit vna, tum tertio, quia si illæ formæ seruantur distinctæ, semper seruabunt oppositionẽ inter se, & inuicem agẽt & patientur, mixtũ autem similium partium non agit in se. Tum demum quia Arist. in 2. de ortu & interitu, 48. conspicue inquit, ex qualitatibus medium vnum constitui, quod nullum extremorum sit actu, facultate autem vtrumque. Confirmatur: quia finis vnius motus debet esse forma vna, & finis remissionis formarum est, vt ex eis forma noua consurgat. De harmonia ex vocibus consurgente non est par ratio, quoniã harmonia non consurgit ex mutua actione & remissione vocum, vt temperamentum, sed ex sola vocum cõpositione, vt aptæ sunt voces componi. Et si quis quæ-rar, an harmonia sit forma vna, vel ne, breuibus & lucide respondeo, voces ex quib. consurgit, dupliciter posse cõsiderari, vel pro earũ esse absoluto, & ita sunt formæ & voces variæ, vel cõsiderantur pro mutua ratione, & esse relato, & ita vna est proportio, vnaq; forma, vt pulchritudo consurgens ex cõgruente ratione variorum colorum. Ideo est opinio tertia Auic. in cap. de Temperamentis, & multorum aliorum dicentium ex quatuor Qualitatib. temperamentum cõsurgere, quod sit qualitas vna secunda, & forma vna simplicis essentiæ, vt sunt colores medij, & sapores. Hinc Auicenna definiens temperamentum, dixit esse qualitatem, quę ex mutua actione & passione primatum qualitatum elementorum consurgeret, quorum partes ad eam paruitatem sint redactæ, vt plurimum vnius tangat plurimũ alterius, hoc est, vt quatenus fieri potest, per singulas partes mutuo se tangant, & connectantur. Hæc opinio præstat cæteris, quia seruat formã mixtionis, nempe vnitionem tum qualitatũ, tum formarum. Confirmatur: quia Arist. per qualitates circumscribit, & explicat attinentia ad formas elementorum, quare putat vt de vno se habet, ita se habere de altero: at ex formis consurgit vnica mixti forma, quare & ex qualitatibus temperamentum consurgere debet, quod sit forma & qualitas vna. Pro resolutione difficultatis, & magis conspicua elucidatione, accipio temperamentum esse duplex vnum mixtorum similiũ partium, vt carnis, nerui, & similium, aliud mixtorum dissimilium partium, vt membrorum, & totius animalis, si loquimur de temperamẽto mix-

Opinio altera.

Euersio.

De harmonia an forma vna.

Opinio 3.

Resolutio.

torum similium partium, dico temperamentum esse Qualitatem & formam vnam simplicis essentiæ, mediam & communem, consurgentem secus ex gradibus primarum Qualitatum, ac ex gradibus formarum Elementorum consurgat forma mixti, quæ simul sit forma vna actu, multiplex vero facultate. Hoc comprobatur sensu, nam tangentes huiusmodi mixta, iudicio vno iudicamus eorum temperamentum, iudicium autem vnum vnius formæ esse debet, quia iudicium est res iudicata per imitationem. At si loquimur de temperamento dissimilium, hoc est membrorum, & totius animalis, tunc id quatenus est dissimilium partium, non inuicem mixtarum, sed compositarum, non est qualitas vna absolute, sed tot quot sunt partes dissimiles, & non secus de eo se habet, ac patefecerim se habere [illegible] harmonia, adeo vt temperamentum manus, & totius animalis, sit quædam congruens ratio variorum temperamentorum; Verum si id consideretur vt commune aliquid habet, & communi aliquo fundamento nititur, vt temperamentum totius animalis positum dicitur in corde & spiritibus eius, sic quia spiritus sunt mixtum consimile, etiam temperamentum totius viuentis hac consideratione dicitur esse Qualitas vna. Est itaq; temperamentum mixti consimilium partium, de quo præsertim est dubitatio, Qualitas vna, & forma vna, quod in c. de mixtione conspicue enunciauit Alexander, inquiens, elementa inuicem agentia & patientia, eo vsque progredi, donec abiecta contrariorum excellentia, ob quam diuersa erant, & contraria, vnicam ex omnibus illis potestatibus Qualitatem effecerint, &c. Id ipsum quoque fateri coguntur illi, qui existimant temperamentum esse formam mixti, cum vnius vnica debeat esse forma: Nam cum omnia pendeant ex vno, cuncta in vnum tendunt, vt ipso vno pro facultate fruantur, in vnum veniunt corpora constituentia vniuersum, in vnum veniunt miscibilia contraria, constituendo mixtum, in vnum veniunt inanimorum formæ, quæ diriguntur ad animam, in vnũ eleuantur animæ, dum nectuntur cum mente, in vnum demum veniunt mentes, dum eleuantur in Deum caput vnicum omnium, & finem postremum, quo nil magis vnum excogitari potest, cui soli honor.

Ordo seruandus.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

Consideratio multitudinis Formarum, in eadem indiuidua substantia, rationes pro parte, quod vnica sit.

CAP. I.



Conclusio.

Vt exactè refulgeant attinentia ad Mixta, & præsertim ad viuentia corpora, necessarium est noscere, num in eodem indiuiduo variæ formæ ad substantiam attinentes seruari valeant, vel ne; Et quoniam opiniones sunt variæ, propterea referam primo rationes putantiũ id fieri non posse; Patefaciam secundo, opinionem aduersam magis esse rationi consentaneam; Perpendam tertio, numerum eorum, quæ simul seruari possunt. Demum diluam rationes cũ approbata

bata sententia pugnantes. Quæritur itaque, num eiusdem indiuidui valeant esse plures formæ, dubitatio est non de corporeis elementis, quibus omniū consensione vnica competit forma, sed de mixtis, & præsertim viuentibus. Insuper, dubitatio est non de formis accidentium, quæ plures esse possunt, sed substātiæ. Demum dubitatio est, non de formis assistentibus, sed formantibus. Quod vnius numero substantiæ vnica sit forma his præsertim rationibus ostendi potest & primo. Vnius rei vnica est natura, essentia, & definitio, quare vnica forma, id enim quod res est ex forma pendet. Præterea, ex multis quæ actu sint, vel actus, non consurgit vnum, sed vnum consurgit ex actu & potētia, vt legitur in 8. Metaphys. 16. forma autem omnis actus est. Insuper, adueniens enti quod actu sit, dicitur accidens, & transmutatio ea dicitur accidentis, vt docet Arist. in 1. cont. ptimi libri de Ortu & interitu, necnon in 3t. secundi libri, & id ipsum approbat Auerroes in 1. Phys. 63. disputans contra Auicennam tribuentem materiæ formam corporis coæuam, quare ea forma, quæ antecedenti adueniret, accidens esset, non substantia. Præterea, multitudinem formarum hæc sequuntur absurda, primo euerteretur definitio ortus & interitus, quæ dicitur transmutatio totius in totum. Secundo, vnius ortus non semper esset interitus alterius, nec vice versa, dum enim educeretur secunda forma, & seruaretur antecedēs, esset ortus sine interitu, & dū periret superstite antecedente, esset interitus sine ortu. Tertio, idem numero pluries esset substantia & corpus, quoniam per omnē formam substantia & corpus constituitur. Quarto generatio subsequentis formæ esset motus, quoniam ei cōpeteret subiectum actu, quod aduersatur sententiæ Arist. in 5. Phys. cont. 8. Præterea natura superuacaneis non abundat propterea, cum omnia seruari possint ad substantias attinentia, statuendo formam vnicā, vt seruant illi, qui sunt huius opinionis, frustra statui videntur plures. Insuper termini à quo, & ad quem transmutationis, cum sint oppositi, non valent simul seruari, forma antecedens est terminus à quo in eductione sequentis, quare nō seruatur simul cum ea. Demum, si in viuēte, de quo magis videtur quod sit præditū multitudine formarum, multæ formæ reperirentur, veluti carnis, nerui, & anima, tunc pereunte viuente deberent cum sua forma seruari, at Arist. oppositū enunciat, inquit enim & in calce quarti Meteor. & in primo de partib. Animal. recedente anima non seruari carnes, & ossa nisi æquiuoce. Et in secūdo de anima inquit facultatem vegetandi includi in sentiente, vt figuram trium laterum in quadrato, quadratum autem est forma vna, non duæ. Insuper, in 7. Metaphys. cont. 43. ait, in substantia rerum non esse ordinem, qui tamen adesset, si multæ in eodem essent formæ. Et Auer. in lib. de substantia orbis, cap. 1. ait, fieri non posse, vt subiectum vnū habeat plures formas, & propterea si materia prędita esset propria forma, aliam formam nō reciperet. Iure itaque D. Th. in 1. part. Summæ q. 76. Art. 3. & secundo contra Gentes cap. 58. & frequenter alibi, constanter huic parti adhæret, quem sequuntur etiam alij multi viri sapientes.

Quae dero sit dubitat.

Vnius & vnica esse formam.

Ratio 1.

Altera.

3.

4.

5.

6.

7.

Cap. II.

Rationes pro Multitudine formarum.

MVLTITVDO formarum substantiæ in eodem composito, sensu, ratione, & authoritate satis conspicue redditur nota, & vt pertinet ad sensum, quia formæ per accidentia nōscuntur, in eodem composito, & viuente, refulgent accidentia distinctorum graduum, sequentia formas distinctas, quare etiam di-

Pro multitudine. Ratio 1.

aa

stinctæ formæ in eis reperiri debent, veluti in homine insunt colores attinentes ad formam mixti, perturbationes attinentes ad animam sentientem, & habitus mentis attinentes ad mentem. Insuper in eodem viuente inspicimus varia temperamenta partium, veluti carnis, ossium & neruorum indicantia varias eorum mixtorum formas, similiter inspicimus partes varias per naturam moueri motibus variis, vel sursum, vel deorsum vt grauiores sunt vel leuiores, motus autem sequentes naturam patefaciunt formam, quæ natura est, ex qua pendent. Præterea, omne quod ex se ad libitum mouetur, distinguitur in motorem & nobile, in principium mouens, & corpus resistens, nil enim sibimet resistit, Animalia ex se & ad libitum mouentur, quare constant ex anima mouente, & corpore moto, quod cum resistat, est necesse, vt sit actu per formā alteram, ab anima distinctam. Præterea, efficacius id confirmatur: nam principia distinctorum motuum debēt esse distincta. Animalia sunt prædita principiis distinctorū motuum, quare sunt prędita distinctis formis, quæ motuum sunt principia, minor enunciatur ab Ari. in 8. Phys. 27. dicente, Animal totum natura ipsum ex se moueri, corpus autem contingit & natura & pręter naturam moueri, refert enim & quali motu moueatur, & ex quo elemento cōstet, conspicue Philosophus vniuerso animali, & corpori distinctū tribuit principium motus Physici, quod principium natura, forma, & substātia est, ideo inspicimus animalia per naturam corporis ruere & tendere deorsum per animā ambulare, volare & natare, & ob aduersam naturæ corporis propensionē inspicimus ea laxari, & debiliora reddi, dū per animā mouentur, & præsertim dum ascendunt, quæ non euenirent, nisi distinctis formis & principiis motus essent prædita. Verū qui sunt aduersæ opinionis soluendo, inquiunt, formam superiorem eminenter, & virtute includere cuncta pertinentia ad inferiores, adeo vt anima ne dū fungatur officiis propriis animæ, sed etiam constituat corpus cui competunt grauitas, & aliæ affectiones, per quas ruit, tendit deorsum, & resistit animæ, secus mouenti. Hęc solutio inanis est penitus, primo, quia ab eadē forma non prodeunt pugnantia, & ei formæ resistentia, alioquin idem sibimet aduersaretur. Insuper, facultas, vt alibi patefeci, ab essentia, siue fundamento pro suo esse absoluto non distinguitur, ideo non seruatur facultas antecedētis formæ, nisi seruetur essentia, nec facultas formæ pugnat cum forma, cuius est facultas. Insuper, forma quamuis sit eminentior, tamen simplex est, & cum sit vna, vnico operandi modo est prædita, non variis, & pugnantibus, quales apparent in animalib. & confirmatur: quia forma siue facultas formæ inferioris includitur in superiore, dum fuerint eiusdem conditionis, veluti formæ elementorum in forma mixti, quæ ex eis cōsurgit, & gradus inferior animæ materiatæ in gradu superiori, at forma elementi, siue mixti in anima includi nō potest, quia sunt distinctæ conditionis, quatenus forma mixti ex antecedentibus consurgit, Anima vero corpore temperato superuenire dicitur; similiter gradus formæ mortalis non includitur in æterno, vt cœlorum motores nec videre nec audire dicuntur. Insuper, ad principale redeundo, vna forma, quæ per oppositas differentias cum altera non pugnat, sed parat pro ea, non debet interire adueniente illa: forma temperamenti parat pro anima, nec pugnat cum ea per differentias oppositas, vt pugnant variæ formæ temperamentorū ad inuicem, & variæ animæ, quare non debet forma tēperamenti interire adueniente anima, & præsertim, quia natura salutem quærit, nec interimit nisi coacta. Insuper, varij gradus interitus attinentium ad vnum animal nobis conspicue patefaciunt distinctos gradus formarum eius. Nam moritur primo animal per interitū animę,

Margin notes: a. (beside "mentis attinentes"); 2. (beside "sequentes naturam"); 3. (beside "ctam. Præterea"); Solutio. (beside "& principiis motus"); Euersio. (beside "dit deorsum"); 1. (beside "audire dicuntur"); 2. (beside "præsertim").

superest cadauer, cuius partes seruant formam mixti, mox illæ per putredinem intereunt,& tunc perit forma mixti, qui gradus etiam apparent in ortu. Confirmatur: quia dum pereunte animali supersunt ossa & nerui, si propriæ eorum formæ non seruantur, sed nouæ gignuntur, à quo producuntur, nihil potest afferri, qnod eas generet, & præsertim cùm gignantur per coctionem, vt dicitur in 4. Meteor. Præterea, ex variis Philosophi verbis ea multitudo formarum elici potest, legitur in 1. de anima, 90. Animam continere corpus,& in 2. de anima, trigesimonono, aduersus Empedoclem dicitur, animam connectere partes corporis, ne secernantur ab inuicem, per varias earum propensiones. Insuper in 1. de anima quinquagesimooctauo legitur, animam non posse esse formam,& rationem mixtionis, quia variæ sunt huiusmodi rationes, quibus caro, os, & similes partes prædite sunt. Et in calce quarti Meteorum habemus, extrema ita esse constituta, vt extrema materia, solum sit materia, extrema forma, solum sit forma, intermedia vero, distincta ratione, & formæ sint, & materiæ, & addit ex corporibus similium partium, vt ex materia, fieri viuentia. & in secundo, de anima, cont. 10. dicitur, ex anima & corpore, vt ex oculo & facultate videndi constitui animal; cum itaque caro, & corpus dicantur materia animæ, non est putandum ea recipere esse ab anima, alioquin idem esset materia suimet. Præterea, in primo Physicorum vigesimooctauo, aduersus Parmenidem Philosophus ex multitudine partium definitionis, vt ex eo quod homo est animal & bipes, colligit ea, quæ sunt esse multa, & lucidius in 8. Metaphysicæ, cont. vndecimo, approbat in materia ordinem formarum, inquiens quædam fieri cum progressu ad vlteriora, alia cum resolutione. Et in primo Physicorum, cont. octuagesimosecundo, inquit materiam primam esse vltimum, in quod ea, quæ pereunt, resoluuntur, at non daretur progressus ad vlteriora, nec darentur gradus resolutionis, & productio remanentium per resolutionem, nisi daretur multitudo formarum. Et præsertim, quia datur & materia prima, & materia proxima, & vtraq; ab Arist in 5. Metaphysicæ, cont. 5. dicitur Natura, non autem materia proxima esset natura distincta à prima, nisi formam includeret, natura enim est substantia, non accidens. Ex relatis verbis recte consideraris lucide elicitur in animali varias inueniri formas, adeo, vt colligere valeamus vt mundũ magnum, ita paruum, nimirum animal, includere formas plures, & ex eis constare. Hinc Alexander in secundo Nat. q. c. 3. inquit Cœlum vti elementis tanquam materia in productione animæ, adeo, vt materia eius per aliquam antecedentem formam actu sit. Simplicius quoque affirmans in secundo Physicor. in animali reperiri naturam & animam distinctam à natura, cogitur fateri in eo varias formas reperiri, cum natura sit forma. Insuper, in primo de anima 94. in animali gradum facultatis vegetandi statuit distinctum ab eo sentiendi, & in secundo de Anima 24. in homine hunc ordinem considerat, primam statuit formam corporis mixti, secundam animam mortalem, tertiam, rationis comporem, quartam mentem participatam. Philoponus conspicue concedit multitudinem formarum, de Auerroe quoque ambigere non debemus, nam variis in locis in eodem concedit varios gradus formarum, & præsertim tertio Cœli. 67. quo loci rationes diluit multitudini formarum aduersas. Galenus in libro quod animi mores sequantur corporis temperaturam, conspicue concedit multitudinem formarum animalis, cum principalium membrorum eius varia sint temperamenta. Platonici, omnes eandem multitudinem concedunt, cum in viuente considerent naturam infra animam positam, mox animam diuidant in forman-

Cõfirmatio. Arist. Alex. Simplic. Auerr. Galenus. Platonici.

tem,& Atentem; Ac insuper, mentem participatam addant. Adeo, vt iure optimo colligere valeamus, in eodem viuente mortali, plures reperiri substantiæ formas.

Cap. III.

De numero graduum formarum, quæ in eodem seruari valent.

De numero formarum. *Opiniones quatuor.* *Opinio 1.*

OSTENSA multitudine formarum in eodem indiuiduo, sequitur vt de earum numero loquamur, nam in eodem plures reperiri posse consentiunt multi, qui tamen de numero dissentiunt, & opiniones sunt quatuor. Nonnulli enim putant, in eodem tot formarum inueniri gradus, quot eius sunt prædicata per se primis modis, alij aiunt esse quatuor, quidam tres, nōnulli duas tantum. Primæ opinionis fuit Ioannes Gandauensis in secundo Metaphysicæ q. 10. dicentis, in eodem indiuiduo tot esse formas, quot sunt prædicata vniuoca, quę de eo dicuntur in primo modo dicendi per se, adeo vt in Alcibiade, tum Alcibiadis, tum hominis, tum animalis, tum intermediorum, ac generis supremi inueniantur formæ: formam tamen Alcibiadis nō aiunt substantiam, sed accidentia propria, quæ indiuiduum constituunt. Nititur hoc colligere ex Arist. qui in 2. Metaphysi. cont. 10. ostendens in formis non dari progressum in infinitum, loquitur de prædicatis & partibus definitionis, magis vel minus communibus, in quibus cum non datur progressus in infinitum, colligit non dari progressum in infinitum in formis, quod inaniter fecisset, nisi putasset singulis prædicatis, proprias respondere formas; Id ipsum colligitur ex primo Phys. cont. 28. nec non ex secundo de Gener. Animal. c. tertio, quo loci inquit, non simul gigni animal & equum, quod verum non esset, nisi eis distincta forma responderet, & pro hoc comprobando varias affert rationes, quas vnicuique apud eum legere licet. Hāc opinionem minime approbandam puto, nam quamuis nonnunquam distinctis prædicatis respondeant formæ variæ, id tamen non est semper, frequenter enim ex eadem forma per varios abstractionis gradus, varia eliciuntur prædicata, quę vera sunt de multis, & sunt natura vna, non numero, nec specie, sed genere, vel minus vel magis communi. Nam si prædicatis singulis per se in eodem indiuiduo formæ variæ responderent, tunc cum ignis, sit & ignis, & corpus inanimum, & corpus, & substantia, non esset simplex, sed compositus ex formis variis. Similiter, albedo non esset forma simplex, sed & albedinis, & coloris & qualitatis patibilis, & qualitatis formas includeret; Id ipsum contingeret de quatuor primis qualitatibus, quæ tamen, & primæ, & simplicissimæ statuuntur, & Aristoteles sub initio secundi libri de Ortu & interitu, constituens ordinem inter principia, pro constitutione Elementorum, ait primam esse materiam, eam sequi qualitates, tertio succedere Elementa, eam intermediam formarum multitudinem nunquam excogitauit. Præterea, omnis forma substantiæ, est natura, omnis natura est principium motus, si itaque Elementa sunt prædita pluribus formis, etiam erunt prædita multiplici natura, & multiplici principio motus; quæ si quis inficiatur esse absurda, nescio quid erit illud, quod ei absurdum videri valeat, solum frequenter dixit Philosophus media contrariorum constare ex extremis, aut extrema, vt albedinem & nigredinem constare ex variis formis nunquam enunciauit, nec indicauit. Et confirmatur: quia illæ subordinatæ formæ in albedine & nigredine, vel cadunt sub sensum, vel ne, si non, nec mente percipientur, nil enim sensilium apprehenditur mente, quod non cadat sub sensum; dicere autem quod sensum moueant, aduersatur experientiæ,

Euersio.

dum

dum enim intuemur albedinem nil in ea inspicimus nisi formam eius; de attinentibus autem ad sensum, sensui adhibenda est fides. Nec difficile est aduersa fundamenta euertere. Et pro notitia considerandum, quod in accidentib. semper, in substantiis vt plurimum prædicata eiusdem communiora, & minus communia, eliciuntur per rationem ex eadem forma, communius & minus cõmuniter considerata, nam artificiosissima est natura, quæ nunqnam superuacaneis abundat: at Mens est quæ constituit vniuersitatem in reb. eliciendo ex minus communibus communiora, vt ait Auerroes 12. Metaphys. com. 4. nec ob id ea communiora iudicãda sunt entia rationis, cum ex forma eliciantur eiq; respondeant, hoc indicauit Aristot. in 7. Metaphys. cont. 43. inquiens: Si genus non est præter eius species, aut si equidem fuerit, est vt materia, vox enim generis materiam denotat, differentiæ vero species & Elementa ex hac faciunt, &c. Conspicue affirmat Philosophus genus nonnunquam non esse præter species, & non indicare formam distinctam, nonnunquam vero indicare formam antecedentem, se habentem perinde ac materiam vltimæ formæ. Idipsum indicare voluit Arist. in 1. Phys. 28. disputans aduersus Parmenidem, & ex multitudine partium definitionis colligens multitudinem eorum quæ sunt, nonnunquam enim genus & differentia ex distincta forma eliciuntur & quamuis frequenter ex eadem forma, semper tamen multitudinem indicant, quoniam genus non esset genus, nisi rebus forma distinctis cõpeteret. Nec differentia contraheret & distingueret, nisi darentur res variæ quæ genus habent commune, & per differentias distinguuntur: ex quo etiam patet nostræ sententiæ minime id aduersari quod dicitur in secundo Metaphysicæ cont. 10. quo loci ostensurus Philosophus in formis non dari progressum in infinitum, transfert sermonem ad prędicata per se in primo modo, nam iure id efficit, vt ratione à maiori ad minus ostendat in formis non dari progressum in infinitum: si enim non datur in prædicatis per se, longe minus dabitur in formis, quæ pauciores sunt; insuper id facit, quoniam prædicata primi modi quamuis non sumantur ex distincta forma, denotant tamen formam ratione, & modo concipiendi distinctam, ita ostendit nedum in formis omnino distinctis, verum neque etiam in distincto earum concipiendi modo dari progressum in infinitum, in qua significatione etiam Auer. in secundo Phys. 28. ait, cum genus tum differentias esse formas.

Diluuntur rationes aduersæ.

Aristot.

Cap. IIII.

De numero formarum in eodem indiuiduo opiniones aliæ.

DECVRSIS attinentibus ad primam opinionem, occurrunt alii qui in homine quatuor statuunt formarum gradus, primo enim inueniri aiunt gradum formarum mixtorum, vt carnis, neruorum, & ossium, secundo animam nutrientem, essentia distinctam à sentiente, quarto Mentem. Quod autem anima nutriens distinguatur à sentiente ostẽditur, tum quia fœtus prius incipit nutriri quam sentiat, tum quia modus operandi eius est valde distinctus, operatur enim per naturam, sentiens vero per cognitionem, tum demum, quia prodit ex principio vario, inquit enim Arist. in secundo de Gen. Animalium, c. 4. necnon libro tertio cap. 7. vim nutriendi produci à fœmina, vim autem sentiendi à solo mare; hinc Plantæ quamuis non distinguantur in marem & fœminam, tamen generant, cum solum producant facultatem nutriendi. Hanc opinionem quamuis iudicem probabiliorem prima, non tamen approbãdam existimo. Ratio est, quoniam alibi patefeci formam disponentem pro subsequente materiata forma

Opinio 2.

Euersio.

suscipere magis & minus, quod animæ nutrienti non competit, non enim potest remitti per aduersam formam nutriendi, vt formæ Elementorum, cum ei huiusmodi oppositum non competat, neque per formas antecedentes ex quibus consurgat, vt formæ mixtorum consimilium per formas Elementorum ex quibus consurgunt, non enim anima nutriens ex antecedentibus mixtorum formis consurgit, sed eis superuenire dicitur. Insuper, inquit Arist. in secundo de Anima 31. vegetalem esse in sentiente, vt figuram trium laterum in quadrata, at quadrata non sunt duæ distinctæ formæ sed vna. Insuper, in primo de Anima 58. absurdum iudicat Arist. in eodem multas esse animas, ideo inquit similiter etiã absurdum est Animam esse rationem mixtionis, non enim eadem est ratio per quam caro & per quas os efficitur, eueniet igitur corpus totum multis animis esse præditum, &c. Præterea, in secundo de anima loquens de anima mortali apta diuidi ob extensionem, ait esse vnam actu in toto viuente, potestate vero multas, nec multas esse animas, sed partes, vt patet ex contex. 20. solum de Mente inquit aliã esse rationem. Demum quod maioris momenti esse iudico, est, quia nisi in animali nutriens, & sentiens essent forma vna, non valeret nutriens esse principium generationis animalium, nil enim agit vltra propriũ gradum, & propterea nutriens non posset producere formam sentientem, quod tamen recte seruatur statuendo earum vnicam essentiam. Rationes aduersæ facile diluuntur: dicebatur primo, fœtum prius incipere nutriri quam sentiat, respondeo, tunc vel nutriri per animam & instrumenta animæ matris, vel cum primo producatur gradus nutrientis confusus, & inchoatus, deinde absoluitur, & perficitur per eductionem gradus sentientis in quo, præcedens includitur facultate, & virtute, vt lumen diminutius in clariore. Addebatur, earum facultatum distinctum esse modum operandi. Respondeo, id euenire ob instrumenta varia, & quia materiatarum formarum sequens valet efficere id quod antecedens, & eminentiore modo, veluti forma mixti dicitur mouere per Elementum præpotens. Dicebatur tertio, eos animæ gradus gigni per varia principia. Respondeo, quamuis fœmina in productione valeat extendi vsque ad productionem virtutis nutrientis, vt patet de Plantis, tamẽ dum in eodem etiam inuenitur vis sentiens, vterque gradus ex sentiente prodit, includente facultate & virtute etiam nutrientem, & hoc patet, quia Arist. negat fœminæ competere semen prolificum, & solum ait fœminam præbere materiam, & eam posse concipere sine effusione sui inchoati seminis. Propterea, est opinio tertia, quod in homine solum duo formarum gradus inueniantur, nimirum gradus formæ mixtorum, vt carnis, & ossium, & gradus animæ, quæ sit essentia vna variis facultatibus prædita; quæ opinio vt pertinet ad animam verissima est, vnica enim in homine est Animæ essentia, creata & infusa à Deo in ortu singulorum, at Aristot. hanc veritatem non cognouit, sed duplicem in homine excogitauit animæ essentiam, vnam ex materia prodeuntem, & mortalem, alteram, nimirum Mentem immortalem, & æternam, quæ sola extrinsecus aduenirer, vt dixit in secundo de Gen. Animalium, ca. 3. ideo in secundo de anima 21. eam nuncupauit genus aliud animæ, & solam dixit seiungi posse, vt æternum à mortali; & eiusdem sententiæ etiam fuit Plato, qui caput dixit sedem partis æternæ, pectus vero mortalis. Propterea præsupposita semper veritate absoluta, cui constanter adhæreo, dicendum puto, in homine tres inueniri formarum gradus, primus est formarum mixtorum, secundus animæ egentis organis, tertius Mentis, Gradus primus est principium constitutionis. Hominis, alter mediũ, tertius finis, & postrema perfectio, Gradus primus est

Diluuntur rationes aduersa. (margin, beside "Rationes aduersæ facile diluuntur")

Opinio 3. (margin, beside "inchoati seminis. Propterea, est opinio tertia")

Sententia absolute vera. (margin, beside "sentia, creata & infusa à Deo")

Opinio 4. Arist. (margin, beside "qui caput dixit sedem partis æternæ")

est multitudine prȩditus, vt carnium, ossium, neruorum & similium, secundus praeditus est non multitudine in eodem, sed extensione, est enim anima ex materia educta pars in parte & tota in toto, tertia vbi est, tota est, & extensione caret, primus gradus est formarum quae sunt infra instrumenta, alter formarum egentium organo, tertius est formae formarum supra instrumenta collocatae, cuius imperio caeterae subiiciuntur, primus ab altero mouetur, medius mouetur & mouet, Mens solum mouet & dirigit; primus operatur per Temperamẽtum, alter per instrumenta, Mens sua sola conditione & essentia; primus solum inseruit, medius praecipit & inseruit, Mens solum imperat & libertate est praedita, adeo, vt quemadmodum Natura plurima absoluit numero ternario, vt enunciauit Aristoteles in tertio Meteorum, loquens de Iride; in primo de Coelo, cont. 3. loquens de trina dimensione, necnon in secundo de partib. animalium, cap. 1. loquens de trina corporum compositione, ita pro hominis absolutione tres formarum gradus conspirant, hominemque omni ex parte perfectum constituunt. Confirmatur idem ternarius numerus ex trino ordine Qualitatum, nimirum corporis, vt colores, animi vt virtutes in more positae, & Mentis vt habitus eius. Insuper ex ordine motuum, nam corpus sua grauitate descendit. Animus mouet illud ad omnem differentiam positionis, Mens constituit motum artificiosum, sic in Elementis tamquam in principiis cȩterorum corporum vnica est forma, in viuentibus omni ex parte mortalib. tamquam in medio est forma duplex, in homine vt in fine collocatorum sub Coelo reperitur finis ternarii numeri. Primus gradus consurgit ex mixtione, alter ex semine. Tertius extrinsecus accedit, primus gradus interit per putredinem, secundus per mortem, tertius ab interitu est immunis, hanc ego puto fuisse opinionem Aristotelis de numero formarum in eodem indiuiduo.

CAP. V.

Proponuntur & diluuntur tria dubia, ad ea quae dicta sunt pertinentia.

DECLARATA de numero formarum in eodem indiuiduo opinione Aristotelis, pro variarum difficultatum resolutione, tria declaranda supersunt, primum quomodo ex variis formis vnum constituatur, alterum quid sit dicendum de formis partium: Tertium quomodo forma inferior in superiore includatur, vt principium nutriendi in eo sentiendi ordiens à primo, inquiũt nonnulli viri docti ex subordinatis formis tamquam ex partib. vnam consurgere formam, vt dum senario additur vnitas, absoluitur vna cũ aliis septenarii forma, sic totum & suę partes simul sumptae, & forma in indiuiduo est posita, quia consurgit ex ea indiuiduorum connexione; nec fit, quia in eo indiuiduo est constituta ꝙ ex productione postremae formae cõsurgit. Ideo Simplicius in 2. Phys. t. 1. inquit formã ignis in aggregatione coloris, siccitatis, & leuitatis esse positã, & dum additur vltima regula, dicitur consurgere forma domus, & in 5. Phys. com. 9 inquit, formã momento fieri. Hanc opinionẽ approbandam non puto. Nam forma omnis est simplex essentia, variae subordinatae formae non sunt simplex essentia, non itaq; sunt vna forma. Prȩterea, si forma vna ex eis variis cõsurgit, vel ea forma vna sunt illę met formae variae vel est aliud eis superueniens, vt forma septenarii est alia ab vnitatib. Non hoc secundũ dici potest, quia vnitates illae sunt materia numeri septenarii, subordinatae autẽ illae formę nequeunt dici materia superuenientis, sed

Quomodo ex variis formis eodẽ constituatur. Opinio 1.

Simplicium.

Euersio.

postrema differentia & forma dicitur totum id quod res est, vt patet ex 7. Metaphys. 43. Nec potest dici primum, quia formæ illę non sunt vna natura, vno modo mouens & operans, sed distinctæ. Insuper, tunc in substantia proprie esset ordo, quod reiicitur ab Arist. in 7. Metap. 43. Præterea, si id esset, tunc explicaturi quid sit homo, teneremur explicare cunctas subordinatas formas, ex quibus forma hominis consurgit, alioquin vniuersam eius essentiam non explicaremus, quod tamen definientes non facimus. Præterea Arist. solum manifestauit consurgere formam vnam, vel ex variis gradibus eiusdem rationis, vel ex formis oppositis dum remittuntur, vt in mixti cōstitutione, at ex subordinatis formis nunquam. Confirmatur: quia si vna consurgeret forma, antecedens non resisteret subsequenti, nec moueret distincto motu, vt resistere, & mouere percipimus formas carnium, & ossium antecedentium. Præterea, si vna consurgit forma, quid est nectens eas distinctas formas? non aliud quid ab eis, cum nil aliud adsit, si nectuntur ex se, igitur vna erit tanquam potentia & materia, altera vt actus & forma, ex quib. non vna forma consurgit, sed ea postrema dicitur absolute forma. Exemplum de numeris non est simile, quia illæ vnitates non sunt variæ subordinatæ formæ, sed sunt materia intelligibilis numerorum. Sententia etiam Simplicii non est approbanda, non enim ex affectionibus ignis consurgit forma eius, vt in lib. de Elementis patefeci. Non itaque dicendum puto & subordinatis formis, formam vnam consurgere, sed rationi magis consentaneum iudico, existimare formas antecedentes disponere & constituere materiam proximam sequentis, quæ sola absolute forma dici mereatur. Nam quamuis materia sit apta recipere formas omnes, non tamen æquè primo & proxime, & requiritur ordo nedum ex parte formarum, vt multi censent, verum insuper ex parte materiæ, cum enim materia & forma sint ad aliquid, & alterius formæ altera sit materia, vt dicitur in secundo Physicorum vigesimosexto, est necesse, vt ordo requiratur ex parte vtriusque; Hinc ab Aristotele in quarto de Cœlo trigesimoseptimo, materia dicitur quadruplex, quatenus primo dicitur prædita quatuor facultatibus respicientib. quatuor formas Elementorum, quas solas est apta primo recipere: nec educuntur sequentes formæ, nisi materia antecedentibus fuerit prædita & parata forma; itaque postrema ea est, quæ absolute est rei forma, de his loquendo, quæ formant, & hæc per differentiam vltimam explicatur dum non latet, ex composito autem antecedente elicitur genus proximū quod materiam significat. Ex primæ difficultatis resolutione facile elicitur, quid de tertia sit dicendum, quomodo inquam forma prior in subsequente contineatur, nam quadruplex potest fieri comparatio; Prima inter formas Elementorum, & eam mixti, & quoniam ex illis hæc consurgit, quæ seruat facultates earum, ideo Aristoteles in primo de Ortu & interitu ait seruari & contineri potestate. Altera comparatio fieri potest inter formas mixtorum, nempe carniū, ossium, & similium, & animam, & hæ non dicuntur includi in anima quia seruantur distinctæ & solum parant pro anima, quibus cum superueniat anima dicitur actus corporis, & recipi in proprio & definito subiecto, vt dicitur in secundo de Anima, vigesimosexto. Tertia comparatio vertitur inter animam nutrientem & sentientem, de qua Aristoteles in secundo de Anima trigesimoprimo, ait vegetatiuum esse in sensitiuo, vt triangulum in quadrato, quadratum autem est figura vna includens facultate triangulum, quare similiter gradus vegetandi est in sensitiuo, vt in essentia pręstantiore, in qua includatur imperfectior, de qua dicere valemus, quod sit in eminentiore, vt senarius in septenario, cum tamen septenarius sit forma simplex.

Opinio propria.

Quomodo forma antecedens includatur in sequēte.

Quotuplex comparatio

Prima.

Secunda.

Tertia.

simplex. Quarta comparatio versatur inter Phantasiam siue sensum, & mentem de qua ex sententia Aristotelis dicendum est, perinde se habere, ac de perspicuo relato à lumine à quo perficitur, & seruatur ab eo distinctum. Declaratis cæteris superest considerandum, quid sit dicendum de formis variis partium eiusdem animalis. Et quia partes sunt duplices quædam consimiles, vt caro, ossa, & nerui, aliæ dissimiles, quæ membra dicuntur, vt pes, manus, & oculi, partes huius secundi generis non constituuntur per formam aliquam substantiæ propriam, distinctam ab anima, sed constituuntur per connexionem variarum partium consimilium, & superuenientem animam, ideo iure in obitu omnino æquiuocè seruari dicuntur, longe magis quàm partes consimiles, vt dixit Aristoteles in calce quarti Meteororum. Pro notitia autem partium consimilium animaduertendum est, in animali duplex considerari Temperamentum, vnum totius, vigens in corde, cui anima superuenire dicitur in corde residens. Alterum est temperamentum consimilium partium, quod variarum varium est, vt carnis, ossis, & neruorum, cui respondet propria forma mixti, & in animali tot sunt huiusmodi formæ, quot sunt partes consimiles, quæ postremam perfectionem recipiunt ab anima, per quam omnes nectuntur, redduntur vnum, & in specie constituuntur, in specie enim constituitur id quod totum, & perfectum est. Huiusmodi igitur partes consideratæ secundum vltimam formam, vnum sunt, & specie non distinguuntur, consideratæ verò secundum formam propriam, sunt variæ & distinctæ speciei, at minus propriè. In obitu animalis seruari valent huiusmodi formæ, & tunc in propria specie constituuntur, sunt enim vnaquæque totum aliquid, seiunctum ab altero, non enim interitui animæ succedit forma aliqua, eas partes nectens, ideo Aristoteles in calce primi de anima dixit magis animam continere corpus, quam vice versa, recedente enim anima corpus dissoltur, dicitur autem interitus animalis, ortus alterius, quatenus variatur totum, & formæ quæ prius rem in specie non proprie constituebant, re vera constituunt, quæ partes seruatæ per formas proprias sunt eadem vniuocè, at per formam postremam æquiuoce, & potius dicūtur seruari æquiuocè, quàm vniuocè, quia postremam perfectionem recipiunt ab anima, minus tamen seruantur æquiuoce, quàm membra ob formam propriam mixti, quæ, vt dixi, non ita competit membris.

Quarta cōparatio.

De formis partium.

Cap VI.

Diluuntur rationes cum multitudine formarum pugnantes.

OSTENDEBATVR in eodem seruari non posse plures formas, quia vnius rei vnica est natura, & essentia, soluitur per Aristotelem in septimo Metaphysicæ, dicentem postremam differentiam esse id totum quod res est, cæteras parare ad eam, adeo vt postrema natura & essentia vnica sit. Dicebatur secundo, ex multis, quæ sunt actu, non fieri vnum. Respondeo cum Aristotele in calce quarti Meteororum dicente, solam postremam formam esse absolute formam, & actum, intermedias verò esse formas, & materias: nam quatenus ad sequentem parant, dicuntur potestate & materiæ. Addebatur tertio, aduenientia ei quod actu sit, esse accidentia. Respondeo id esse verum, dum absolutè fuerit actu, at nondum fuerit partim actu, partim potestate: Aristoteles id obiicit veteribus Philosophis sub initio primi de Ortu & interitu, quia pro materia statuebant vnum quatuor Elementorum, forma enim vnius Elementi non parat pro altera, sed pugnat cum ea, quia sunt eiusdem gradus in ordine formarum. Simi-

Diluitur ratio 1.

2.

3.

liter forma corporis coæterna materiæ nō recipiens magis,& minus,non disponit ad formam mortalem, ideo Auerroes in primo Physicorum, id obiicit approbantibus formam illam corporis, at de formis mixtorum in tertio de Cœlo, septuagesimoseptimo, secus se habere affirmat, quo loci multitudinem formarum concedit. Dicebatur quarto, multitudinem formarum varia sequi absurda: primum erat, quia euerteretur definitio generationis, non enim esset mutatio totius. At hoc non sequitur, quia variata postrema forma, vt sæpe dixi, variatur totum,& subiectum proximum accidentium sub sensum cadens non seruatur idem. Nec sequitur aliud absurdum, quod vnius ortus non sit alterius interitus,quia semper variatur species rei, vt dixi; His accedit,quod dum Aristoteles defini generationem, non resolutionem, & compositionem considerat, sed mutationem vnius eiusdem gradus in alterum, vt ignis in aërem, sanguinis in carnem,& similium. Addebatur,quod idem numero pluries esset substantia, & corpus, hoc non sequitur, quia per antecedentes est substantia & corpus, per formam postremam est substantia talis, & tale corpus, eius speciei quod patefecit Aristoteles in secundo de Anima, context. decimo, inquiens, ex Pupilla & virtute videndi constitui oculum, ex corpore autem & anima animal. Neque etiam sequitur,quod eductio sequentis formæ sit motus, quia non fit in subiecto,quod maneat actu idem sub vtroque termino, sed totum variatur, nec amplius eadem definitio & nomen ei competit. Quod autem cuncta sine multitudine formarum seruari nequeant, iam patefeci, dum necessitatem huiusmodi

Diluitur Formarum manifestaui. Instabatur sexto, quia termini à quo,& ad quem, simul

6. seruari nequeunt. Respondeo, terminum à quo, non esse formam anteceden-

7. tem, sed priuationem ei iunctam, quæ petit adueniente forma. Instabatur septimo, quia si in viuente seruaretur multitudo formarum, partium consimilium, tunc pereunte, vel recedente anima, partes illæ seruarentur eodem vniuoce, cùm tamen Aristoteles dicat solum seruari æquiuocè; Hoc solutum est per ea, quæ dixi in calce præcedentis capitis. Similiter patefactum est, quomodo figura trium laterum includatur in quadrato, & facultas nutriens in sentiente, insuper est declaratum, essentiam in indiuiduo esse positam, non autem in ea seruari ordinem, cum forma postremò formans sit totum id quod res est, vt in eo context. 43. enunciat Aristoteles. Præterea dum Auerroes in cap. de substantia orbis, ait vnius rei vnicam esse formam, se declarat in tertio de Cœlo, 67. manifestans id esse verum de forma postrema, quæ est essentia rei, per quam in specie constituitur. At vrget adhuc D.Tho. ratio, prima Summæ q.76. secundo contra Gentes cap.58 Opusc.3. cap.91.92.& sæpe alibi, quia data formarum multitudine, adeo vt genus & differentia non ex eadem, sed ex distincta forma sumantur, vt corpus & sensitiuum, siue animal. Tunc superius non per se in primo modo diceretur de inferiore, vna enim forma non dicitur de altera per se primo modo, sed huiusmodi prædicata sunt eadem cum subiecto, vt dicitur in septimo Metaphysicæ, context. 20. Respondeo, in prædicatione per se primi modi accipi pro subiecto, inferius constitutum per formam postremam, præsupponentem formas alias modo declarato, de quo postremo non per se dicuntur formæ, vel formata formis partium, non enim dicimus hominem esse carnem, sed solum prædicantur, vt seruant conditionem totius, nimirum vt omnes constituunt substantiam & corpus, adeo vt animal dicatur corpus, quatenus ad eius constitutionem, & corpus & anima conspirat & prædicatur, non vna forma de altera, sed subordinatæ formæ, cum conditione totius, de constituto ex eis, &

hac

hac ratione dicuntur non distingui à subiecto, quia includuntur in eo de quo dicuntur. Sed vna superest diluenda difficultas: nam ego dixi in animali duos solum reperiri gradus formarum mortalium, partium scilicet, & Animæ. Aristoteles in secundo de gener. Animalium cap.3. videtur concedere plures, inquit enim non simul gigni Animal & equum, quare in equo cum animalis, tum equi inuenientur formæ, quæ animæ mortales sunt. Respondeo, Aristotelem tunc præsertim considerasse attinentia ad hominem, cuius dedit exemplum, quod tamen in Græco codice deest, & ob id statim de mente loquitur, ac insuper attinentia ad actum secundum animæ, ea enim primo communia quædam opera exercet, vt nutrire, & confuse sentire, mox verò propria suæ speciei, ea tamen communia ex eadem essentia prodeunt, at minus distincta & dearticulata, qua consideratione in primo de Anima vigesimoquarto, dixit, mentem non competere singulis hominibus, hanc ego puto de numero formarum fuisse opinionem Aristotelis quæ eatenus solum à me approbatur, quatenus decretis Theologorum non aduersatur.

* *
*

FINIS.

FRANCISCI
PICCOLOMINEI
SENENSIS,
IN ACADEMIA PATA-
VINA, PHILOSOPHI
PRIMI,

Librorum ad Scientiam de Natura attinentium:

PARS QVARTA:

In qua Meteorologica explicantur, & connexa cum eis.

Ad Serenifs. ALPHONSVM II. Ferrariæ Ducem
Principem Heroicum.

SERENISSIMO
ALPHONSO II.
FERRARIAE DVCI,
PRINCIPI HEROICO
Domino colendiss.

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS PERennem precatur felicitatem.



VEMADMODVM *communi populorum opinioni apprimè aduersum, ita veritati summopere consentaneum iudicaui semper, constanterque censui, vniuersam hominis perfectionem, rectamque constitutionem in legitima eius, liberaque seruitute esse collocatam, & iure optimo perfectò, nam seruitus seruientium animos conuertit ad supera, cum imperium vice versa eos deflectat ad infera, hinc populos tunc rectè institutos iudicamus, dum seruando Leges sui legitimi Principis, ei libenter famulantur, & seruiunt; & quid dico de Populis? cum ipsi quoque Principes, eorum curæ destinati eatenus, præsertim cæteris præstent, quatenus eminentius, & proximius inseruiunt Principi vniuersi, eiusque mandata, iura, & leges seruant, à quibus dum recedunt, in tyrannidem, & deterrimam feritatem dilabuntur, solus Deus ille est, qui cum ex alio non pendeat, sed ex se sit ipsum bonum, ipsaque perfectio, superiore Domino non eget, cui seruiendo perficiatur; Propterea ego Principes omnes, virtute regia insignes, vt Dei eminentiores ministros, & tanquam proximos Deos, summopere semper sum veneratus & colui, & te præsertim* (Heroice Princeps) *quem iam diu & Regiæ familiæ lumine, & propriarum virtutum splendore, tanquam proximum sydus fulgere inspexi, vniuersamque Eu-*

ELENCHVS PRINCIPALIVM CAPITVM LIBRI METEORORVM.

Libri de generatione Mixtorum.

Libri de Putredine.

De Ortis ex Putri.


De concoctione.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

METEORORUM LIBER UNUS, IN quo lucidè & breuibus de illis agitur, quæ ab Aristotele in tribus Primis Meteororum Libris explicantur.

CAP. I.

Institutum Authoris.



UBLIMIA & multiformia Naturæ opera, quę sensibus nostris se offerunt, & modo vario & recondito ex latentibus causis prodeunt, insignem in ingenuis animis excitant admirationem, ex qua oritur desiderium sciendi, quod ortum crescit, auctum nos excitat ad causarum indagationem, & expletum sapientiam parit: Meteora, inter cætera eximiam pariunt admirationem, cum sint insignia, continenter noua, conspicuè sensus excitent, modoq; latenti ex communibus causis prodeant, veluti Fulgura, Tonitrua, Terræmotus, Cometæ, Venti, & similia. Propterea Iris, inter Meteora formosissima, Taumantis, hoc est admirationis fertur filia, quia non sine admiratione se nobis offert, desideriumque philosophandi in nobis parit. Hinc suo trino colore, triformem inspectricis Philosophiæ conditionem nobis indicat, nimirum Physicæ, Mathematicæ, & Diuinæ, quæ solo admirationis stimulo, sublimium ingeniorum acumine excogitatæ, & formatæ fuerunt. Iure optimo igitur sermo de meteoris gratus est omnibus, & præsertim ingenuis animis, plurimumque delectat & prodest: de quibus ego nonnulla breuibus, & lucidè explicaturus, à nomine ordiar, & inde institutum philosophi, in libris Meteororum eliciam. Meteoron Græcè, Latinè eleuatum, sublime, in sublimiq; pendens dici potest, quo nomine illa denotantur, quæ ex Elementis prodeunt aliquid passis, dum per intermedios halitus inuicem permutantur, vel ad mixti cōstitutionem tendunt, & proprio aliquo nomine, distincto ab eo Elemētorum designantur; dicuntur autem sublimia, tum quia halitus, ex quibus prodeunt in sublime ferri nati sunt, quamuis nonnumquam in visceribus terræ violentia aliqua detineantur, tum insuper, quia magna ex parte in sublimi fiūt, tum tertio, quia tamquam sublimia, & insignia se nobis offerunt, ad suiq; contemplationem inuitant, tum demum, quia ex superis communibus causis per lumen, & motum, satis proximè ortum ducunt, earumq; ordinem sequuntur. Ex quo elicere valemus, quodnam fuerit institutum Aristotelis in libro Meteororum, & præsertim in tribus primis: nam de Subiecto eorum librorum sententiæ sunt variæ, & prætermissis illis, qui cum Alberto aiunt Corpus mobile simplex, tendens ad mixtionem, vel vt alii, Ens mobile, esse Subiectū, Philoponus, & Olympiodorus, pro Subiecto statuere videntur affectiones Elementorum, ex principiis externis prodeuntes, dum à sua natura recedunt, vel pro mutua permutatione vel pro constitutione mixti;

Meteora eximiam pariunt admirationem.

Meteorū quid.

Institutū Aristo. in libr. Meteororū.

De subiecto libri Meteororum opiniones variæ.

mixti; quæ sententia est dubia, quoniam Meteorum est aliquid compositum, non autem est sola affectio, & affectiones ostenduntur de subiecto, non autem sunt subiectum. Propterea alij tantum verbis recedêtes à primis, inquiunt, subiectum esse mixtum imperfectum, quorum nonnulli nomine eo intelligi volunt duplex genus halituum, quorum cætera de quibus agitur, aiunt esse affectiones; At duplex halituum genus ab Aristotele in primo Meteoror. statuitur commune principium, & materia Meteororum, non autem subiectum, de quo Meteora, vt affectiones considerentur. Et confirmatur, quia Aristoteles affectiones considerat non halituum, sed pluuiarum, incensionum, maris, iridis, terræmotus, & similium. Alij autem nomine mixti imperfecti intelligi volunt, cùm halitus duos, tum insuper quę ex illis efficiuntur; Quæ opinio etiam est dubia, quia communia principia in scientiis distincta sunt à subiecto earum, quare cùm duo halitus ab Aristotele in primo libro statuantur principia Meteororum, non rectè iudicari possunt species subiecti, alioquin essent principia suimet. Ideo alij nomine mixti imperfecti solum aiunt denotari ea imperfecta mixta, quæ ex halitibus ortum ducunt; quæ opinio etiam dubitatione non caret, tum quia pluuia absolutè denominatur aqua, non autem mixtum imperfectum, nam quamuis non sit sincera, nihil refert, quia Elementa omnino pura nõ inueniuntur, sed solùm concipiuntur animo, tum insuper, quia duplex halitus est corpus imperfectè mixtum, magisque pluuia, & flamma; tum demum, quia iris, & prodeuntia ex reflexione, non sunt mixtum imperfectum distinctum à vapore. Similiter venti, & terræmotus. Propterea prætermissis aliorum opinionibus putarem ego esse dicendum, subiectum libri Meteororum, nil aliud esse, nisi ipsummet Meteorum, intelligendo & nomine omne, quod vel ratione principiorum, quæ sunt duplex halitus, est aptum fieri in sublimi, vel magna ex parte in sublimi producitur, eique competit nomen aliquod proprium, distinctum ab eo Elementi, & duplicis halitus, ita pluuia, venti, cometæ, & similia, quamuis non sint magis mixta, quam halitus, & sæpe non sint magis mixta quàm Elementa, quæ inueniuntur, nomine meteori denotantur, & ab Aristotele tanquam species subiecti considerantur. Ex quo constat, quomodo inscriptio sit, vt eam sumere consueuit Aristoteles ex genere subiecto, de quo agitur, circumscriptio per locum, in quo aptum est fieri, & per sublime intelligere debemus non Cœlum, sed vniuersum interuallum, quod à nobis, vsque ad Cœlum extenditur, qui etiam locus sursum dicitur, in quem feruntur leuia; Nonnulli tamen veterum Philosophorum, putarunt meteora nonnulla etiam in Cœlo produci, non enim existimarunt id esse distinctæ naturæ ab ea Elementorum. At ex sententia Aristotelis solum sub orbe Lunæ apta sunt fieri, vt solum sub orbe Lunæ duplex halituum genus reperitur. Meteorum itaquę in ea significatione sumptum, in qua explicatum nuper est, statuatur subiectum libri Meteororum, & definiri potest quod sit halitus, vel aliquid ex halitu proximè genitum, conditione aliqua sibi propria præditum, per quam distincto nomine ab eo Elementi, & halitus designatur. Cuius prima capita quatuor sunt; vel enim consistunt in motu, vt venti, & terræmotus, vel in permutatione halitus in aliud, vt incensiones, vel in congregato ex motu, & permutatione, vt pluuia, & fulgur, vel in radiorum reflexione, vt iris.

Opinio propria.

Meteorũ quid.

Quatuor capita Meteor.

Cap. II.

Dubia nonnulla attinentia ad subiectum, & explicatio quarundam eius denominationum.

APPARVIT Subiectum libri Meteororum nil aliud statui debere, nisi ipsummet Meteorum, hoc est omne magna ex parte aptum per intermedios halitus fieri in sublimi, cui nomen proprium comperat, distinctum ab eo Elementorum, & halituum. At oritur dubitatio: quia tūc mixtum imperfectum nullibi consideraretur vt subiectum. Insuper, non constat, quid de quarto Meteororum sit dicendum, in quo de mixtis perfectis sermo est; De prima difficultate dico, mixta imperfecta patere, tum ex declaratione mixtionis, tum ex consideratione Meteororum, tum demum ex declaratione mixti perfecti, perfectum enim est regula, & mensura cum sui met, tum imperfecti, vt rectum sui, & obliqui: nec imperfectum, vt tale est, exposcit considerationem distinctam ab ea perfecti. De quarto Meteororum alibi patefaciam, librum illū ex parte principiorum necti cum secundo de Ortu & interitu, ex parte autem rei, de qua agitur, necti cum tribus Meteorologicis, vt finem eorum, quatenus in eo consideratur mixtum consimilium partium, quod est finis præcipuus Meteororū, nam via, & finis eiusdem sunt considerationis, & præsertim quia modo aliquo ex duplici halitu gignitur, vt patet de metallis & fossilibus. Huiusmodi Meteora, de quibus est sermo, nuncupantur ab Aristot. in proœmio Meteororum circularia, quæ denominatio eis competit, primo, quia sunt communia, apparentia cunctis hominibus & nationibus, communia autem sæpè Circularia dicuntur; Secundò, quia sequuntur Cœli reuolutiones; Tertio, quia quatuor anni temporibus magna ex parte per Circulum fiunt, & variātur; Quarto, quia multa Circuli formam seruant, vt iris, corona, grando, turbo, & similia; Demùm, quia plurimorum generatio circulum seruat, quatenus fiunt ex vaporibus sursum eleuatis, qui mox frigore cōdensati, in locū inferum redeunt, de quo circulo loquens Aristot. in 1. Meteor. c 9. inquit: Fit autem huiusmodi circulus, imitans circulum Solis, simul enim ille ad latera permutatur, vt hic sursum & deorsum. Insuper, eadem Meteora, in eodem proœmio dicuntur fieri secundum naturam quidem inordinatiorem, tamen primi Elementi corporum. Quæ sententia explicari potest, primo intelligendo nomine primi Elementi corporum, materiam primam, ex qua mortalia corpora constituuntur, nam plurima Meteora, ex necessitate materiæ prodeunt, & ex materia habent, vt ordinem frequenter desetant, quæ expositio defendi posset: rectius tamen puto dicendum, nomine primi elementi corporum denotari corpus cœleste, quod est primum inter corpora, quæ elementa mundi dicuntur, de quo sub initio tertij de Cœlo, loquens Aristoteles dixit, se de primo Elementorum verba fecisse, mitto eos, qui nomine primi Elementi putant denotari ignem, dicuntur autem Meteora fieri secundum naturam cœlestis corporis, quatenus ex eo satis proximè pendent, agente in hæc mortalia, Lumine, & motu, operantibus secundum naturam, & cœlo per naturam competentibus, dicuntur tamen fieri secundum naturam inordinatiorem, non quia Cœlo duplex natura competat, quarum vna sit ordinatior altera: sed id intelligi debet per relationem ad alia, quæ ex Cœlo pendent, quæ in tres gradus sunt distributa; nonnulla enim necessariò fiunt, vt ordines temporum, ortus stellarū, varietates dierum & noctium, de quibus etiam est scientia; Alia hæc sequun-

Dubitatio. *Solutio.* *Cur Meteora dicantur Circularia.* *Cur dicantur fieri secundum naturā inordinatiorem.*

sequuntur vt plurimum, veluti ariditates, pluuiæ, sterilitates, vbertates, & similia, quæ multis varietatibus sunt obnoxia, & huius generis sunt Meteora: nonnulla demum casu, & forte fortuna eueniunt, quæ non dicuntur euenire secundũ naturam. Ex quo patet, quæ & quomodo valeat Astronomus per stellas præ noscere, & prædicere, nam quæ sunt primi ordinis, constanter scire valet, quæ sunt secundi ordinis valet prædicere, tanquam ventura, vt plurimum, postrema verò solum ex accidenti, & hæc omnia sunt opera, ex natura prodeuntia, illa autem, quæ ex nostra libertate proficiscuntur, vt talia sunt, non subiiciuntur Cœlo, Meteora dicuntur inordinationi obnoxia, primo, ex parte temporis, in quo fiunt, vel seruantur, quod non est definitum; Secundò, ex parte figuræ, nam incensiones variis figuris se offerunt formatæ; tertiò, ex parte magnitudinis, & vehementiæ, vt patet de terræmotu, pluuia, ventis, & aliis, Demùm ex parte modi quo producuntur, vt incensiones non fiunt eodem modo, nonnunquam enim fiunt per motum, aliquando per lumen, & sæpè vna incensio producit alteram: ita quoque varientur loco, in quo fiunt: at cum attinentia ad particularia varientur, vniuersalia tamen prædicta sunt principiis suis, ex quibus & non ex aliis prodeunt, ob quæ de illis scientia Physica est.

Quæ valeat prædicere Astronomus. Meteora cur ordinationi dicantur expertia.

CAP. III.

Ordo considerationis Meteororum.

QVONIAM vt in sententia, ita in ordine sequendum Aristotelem mihi proposui, ideo ordine ab Aristotele seruato de Meteoris verba faciam; Ordo considerari potest, primo in toto libro, mox in partibus eius; Vt pertinet ad librum totum Meteororum, consentiunt omnes, post octo libros Physicorum, quatuor de Cœlo, & duos de Ortu & interitu, sequi quarto loco libros quatuor Meteororum. Cuius ordinis ratio ex rerum natura petitur, primò enim corpus Physicum vniuersè est considerandum; secundò, mundus totus, de quo primo dicitur corpus Physicum, absoluendo explicationem partis æternæ eius, nempe Cœli, per quam multa competunt mundo; tertiò, declaranda sunt communia mortalibus, absoluendo explicationem quatuor Elementorum, sine quibus nulla fit generatio, & interitus, vt dicitur in secundo de Ortu & interitu, context. primo; quarto, declaranda sequuntur illa, quæ Elementis competant, ex eisque fiunt, dum à sua natura recedunt, & huiusmodi sunt Meteora, vt patet ex dictis in præcedentibus: quorum Meteororum cõsideratio vltima est inter attinentia ad considerationẽ naturæ infra animam collocatæ: nam Meteororum consideratio tanquam finem, includit etiam considerationem mixti perfecti, de quo agitur in 4. Meteor. Hunc ordinem nobis patefecit Philosophus, cùm in prooemio librorum Meteororum, tum in calce libri 4. in procemio, dum Epilogo colligens dicta in præcedentibus libris, addidit: Remanet autem aliquid huius Methodi, quod omnes veteres Meteorologiam nuncuparunt; Cùm dixerit, eius Methodi solum superesse Meteorologiam, non valuit nomine Methodi denotare vniuersam naturalem scientiam, alioquin falsum esset, quòd sola superesset pars Meteorologica, sed denotauit considerationem naturæ, infra animam positę, quam sequitur consideratio animæ, & viuentium, quæ mox à Philosopho explicanda referuntur. Hinc vniuersa Philosophia de Natura secatur in partes duas, in quarum prima declaratis communibus, agitur de Natura infra Animam constituta; in altera, de Natura ad animam extensa. Eundem ordinem patefecit Philosophus in calce quarti Meteororum, dum

Ordo libri Meteoror.

Diuisio principalis scientia de natura.

declaratis attinentibus ad naturam infra animam positam, ait agendum esse de attinentibus ad viuentia. Hinc cùm liber Meteororum sit terminus primæ partis naturalis scientiæ, iure Aristoteles tanquam in medio cōstitutus, in eius proœmio colligit dicta omnia in præcedentibus, & dicenda proponit. Et hęc de ordine vniuersi libri. Vt verò pertinet ad ordinem partium eius, diuiditur cōsideratio Meteororum in quatuor libros, in quorū primo explicantur quatuor præcipua capita, agitur enim de ordine corporum collocatorum sub Cœlo, vt pateat locus generationis Meteororum materia eorum, & causæ à quibus producuntur; Secundò, sermo est de sublimibus incensionibus, quales sunt stellæ cadentes, cometæ, via lactea; Tertiò descenditur ad ea, quæ in media aëris regione gignuntur, & agitur de pluuia, niue & grandine, & etiam descenditur ad rorem, & pruinam. Quartò, agitur de fluuiorum, & fontium ortu. In secundo libro agitur de mari, de ventis, de terręmotu, de tonitruis & fulgure. Nectitur autem cum primo libro, ob maris & fontium connexionem. In tertio absoluitur sermo de tonitru, fulgure, & connexis, ac etiam sermo est de illis, quæ ex radiorum reflectione apparent, vt de iride, halo, virgis, & similibus; in cuius postrema parte descendit ad metalla, & fossilia, tanquam ad finem eorum, quæ ex duplici halitu ortum ducunt. Nectitur liber tertius cum secundo, quia in calce secundi sermo est de terræmotu, & initium traditur considerationi tonitru & fulgurum, quæ absoluitur in tertio libro: Fulgura autem cum terræmotu ratione principiorum, satis iuncta sunt. Cùm autem in calce tertij libri descendisset Aristoteles ad perfectè mixta, tanquam ad finem principalem Meteororū, vt constaret modus generationis eorum, & paterent communia, ad eorum notitiam pertinentia, agit in quarto libro, de Mixtorum generatione, de putredine, de coctione, & de communibus mixtorum affectionibus: quæ consideratio conspicuè nectitur cum declaratis in calce tertij libri. In horum ordine seruauit Aristoteles ordinem naturæ, nam ortus est à Meteoris simplicioribus, quæ ex vno halitu fiunt, vt ab incensionibus, & pluuia, mox descendit ad ea, quæ ex complicatis prodeunt, vt ad tonitrua, & fulgura; Insuper orditur ab incensionibus, vt præstantioribus, & superioribus, descendens ad pluuias & niues, orditur à mixtis imperfectioribus, descendens ad perfectiora, & minus simplicia, orditur ab illis, quæ magis sunt Meteora, & à quibus præsertim sumitur nomen libri, descendens ad minus Meteora, & à quibus præsertim sumitur nomen libri descendens ad minus Meteora, orditur ab illis Meteoris, quæ verius sunt, vt incensiones, descendit ad ea, quæ potiùs apparent, vt iris. Cùm itaque ordo ab Aristotele seruatus rectæ rationi sit consentaneus, ergo Aristotelem sequens, ab eius ordine non recedamus.

Ordo partiū libri Meteororum. *De quib. agatur in 1. libro.* *De quib. in 2.* *De quib. in 3.* *De 4. lib. Meteor.* *Qualis sit ordo seruatus ab Aristot.*

CAP. IIII.

De ordine partium vniuersi, & præsertim mortalis Orbis.

ORDO ex Dei prouidentia prodiens, est natura rerum, & vniuersi orbis est forma, decus, & ornamentum, caput ordinis corporum sunt separatæ mentes, caput ordinis separatarum mentium est Deus; Ordo corporum duplex est, vnus versatur inter simplicia & mixta, alter inter simplicia ad inuicem, cuius ordinis caput, & custos Cœlum est. Plato quinq; considerauit prima subordinata corpora, quorū supremum, quod Cœlum dicitur, ignem nuncupauit, id enim constare dixit ex eminentiis quatuor Elementorum, & præsertim ex igne, sub Cœlo collocari dixit æthera, quo nomine subtiliorem, & calidiorem

Ordo Vniuersi. *Plato.*

Aeris partem denotauit, id autem ab Aristotele, fomes incensionis nuncupatur: sub Aethere Aerem, sub Aere Aquam, sub Aqua Terram reperiri enunciauit, vt conspicue elicitur ex appendice Legum, dum quinque numerat Animalium genera, Ignea, Aethorea, Aerea, Aquea, & Terrea. Necnon ex Timæo, inquo Aerem secat in partem puriorem, eamque dicit Aethera, & densiorem, quam Aeris nomine absolutè denotat. Verum dimisso Platone, & explicatione sententię eius, Aristotelem sequēs, dico, supremum Corporum esse Cęlum, quod Quinta dicitur Essentia, quatenus est distinctæ naturæ & conditionis, ab ea quattuor Elementorum, nam Architas, & Aristoteles fuere primi, qui (referente Porphyrio in libro do abstinentia ab esu carnium) essentiā Cœli ab ea quattuor Elementorum distinctam existimarunt. Sub Cœlo est Ignis, omnium Elementorum leuissimus, & purgatissimus: sub Igne aer, sub aere Aqua sub Aqua Terra, in medio Vniuersi collocata, Hæc quinque subordinata simplicia Corpora, sunt Elementa corporea Mundi, quatenus sunt prima inter corpora, quæ suo ordine Mundum constituunt, & in duo genera rediguntur, quorum vnum, nempe Cœlum, immune est ab omni contrarietate, & permutatione interna, tum Substantiæ, tum Quantitatis, tum materiatæ Qualitates, maximè tamen mobile est motu secundum locum, & modo aliquo secundum receptionem luminis, vt patet de Luna: reliqua autem simplicia corpora sub Cœlo posita, & contrarietatibus: & permutationibus omnibus sunt obnoxia. Corpus Cœleste, se habet vt forma, reliqua vt materia, id propria figura est terminatum, hęc figuram ab eo recipiunt, id eminentē viuit vitam, hęc quas habēt vitales vires, ex Cęlo hauriunt, id non eget alieno corpore seruante, hæc seruantur ab eo, id ab alio Corpore non recipit perfectionem, hæc a Cœlo perficiuntur, & tanquam spiritum inde recipiunt, ideo iure dicitur a Philosopho in primo Meteorum; necesse esse, mundum mortalem, supetis lationibus esse continuum, vt omnis eius facultas inde regatur; regitur autem, seruatur, & perficitur instrumento Luminis, & Motus, regitur tanquam a causa communi cuncta fouente, & regitur primo esse, quia dempto Cœlo, mortalia Elementa abolerentur, nec gignerentur, non Sol accessu, & recessu, est causa generationis, & interitus rerum, vt dicitur in secundo de Ortu, & interitu. Secundo regitur pro cōseruatione, quia per Cœli motum æternum, seruatur æterna permutatio mortalium, vt declaratur in octauo Physicorum. Tertio, regitur pro opinione, nam primo non mouēte, cætera mouere nō valent, vt in eodem octauo Physicorum ostenditur. Quarto pro ordine, ex Cęlo enim & motoribus eius pendet ordo mortalium Corporū, & dum dicimus a Cœlo regi virtutem omnem mortalium, nomine virtutis denotamus naturam vniuscuiusq; Corporis, nam loquēdo de libera Hominis voluntate, dicendum est, eam considerari dupliciter; Primo, vt libera est, & conditionem mentis sequitur, qua consideratione Cœlo præest, eique dominatur & Astris, Secundo vt est functio muneris Hominis, & exequutio eius, quod præeligimus, & ita cum Cœlum conspiret ad Hominis generationē, & conseruationem etiam conspirat ad actiones eius omnes, opem ferendo, pro quauis parte media præeligantur, sic latione Cœli, quæ est supra naturā, reguntur motiones mortalium secundum Naturam, violentæ autem sunt recessus ab eis; Ita variis Animalibus, Plantis, Metallis, Elementis, Membris, & Aetatibus varii dicuntur præesse Planetæ, cum tamen omnes vniuersè ad ferendam omnib. opē conspirent, Meteora non fiunt in orbibus Cœli, sed sub Cœlo, & præsertim in Aere, pro quorum distinctiorē notitia; considerandum est, quod cum magna sit Ae-

Arist.

Elementa Mundi.

Cœlum.

Quomodo mortalia regantur a Cœlo.

Varia distinctio regionum aeris.

ris altitudo, medians inter aquam, & ignem, ea à variis, in varios gradus distribuitur: vt tamen instituto nostro inseruit, in tres congruenter, tanquam regiones diuiditur, in supremam, mediam, & infimam, quæ diuisio per relationem ad Cœlum, & secundum distantiam ab eo, & centro singulis Elementis competit, at in aere præsertim consideratur, & secundum distantiam, & secundum Qualitatem, & dispositiones eius dum consideratur secundum distantiam, dicimus supremam eius partem accedere ad naturam ignis, infimam ad eam aquæ, mediam magis seruare conditionem, & naturam aeris, quæ est, vt sit calidus, humidus, & medioriter leuis, at dum cősideratur secundum varietatem Qualitatum, & dispositionum eius, dicimus supremam aeris regionem esse eam, quæ super altissimos Montes est collocata, mediam descendere vsque ad culmina mediocrium Montium, infimam vsque ad Valles, siue aquam, adeo, vt media, & infima regio aeris, hac secunda consideratione, sint portio quædam exigua infimæ regionis primo modo consideratæ, nam eleuatio maiorum Montium parum superat mensuram decem milliarium, cum tamen mensurantes interuallum à terra, ad Orbem Lunæ dicant esse centum, & nouem millium, & triginta septem milliariorum, vt existimat Gauricus, vel secundum Eratostenem, nonaginta septem millium, & quingentorum milliariorum, cuius tam magni interualli portio, apprime exigua est eleuatio supra terram maiorum Montium, vt cőspicuum est; quod etiam est verum, si id consideretur, quod nonnulli referunt, nempe in Tenariffa, vna ex septem Insulis Fortunatis, vltra columnas Herculis, Montem reperiri per sexaginta milliaria eleuatum, ex quo constat eorum error, qui nituntur ostendere aerem, sui natura esse frigidum, dicentes, talem esse aeris propriam Qualitatem, qualis est aer in media regione: at in media regione, in qua nubes congelantur, est frigidus, quare aer sui natura frigidus est; Maior huius Rationis est vera, de medio secundum distantiam à Cœlo. Minor de eo falsa est, & solum est vera de medio in secunda consideratione: dum enim aer hac secunda consideratione in regiones distribuitur, dicimus in suprema gigni Incensiones, in media Congelationes, nempe Pluuias, Grandines, & Niues, in infima Rorem, Pruinam, & similia, & quælibet earum regionum latitudine aliqua est prædita, adeo vt genita in eis, modo sublimius, modo inferius gignantur. In sphæra etiam ignis, huiusmodi varietates inueniuntur, quarum infima similior est aeri, & halitus recipit humidiores, media est purior, ad quam halitus magis exsiccati, & iam in ignem versi eleuantur, suprema est omnium purgatissima, satis similis conditioni Cœli, à quo seruatur; Aristoteles infimam aeris regionem appellat aquam disgregatam, sphæram ignis, nuncupat fomitem incensionis, quod præsertim est verum de infima eius parte, in qua plurimi halitus, Incensioni aptissimi reperiuntur.

Interuallum, & distantia Terra à Cœlo.

Reiicitur ratio ostendentium aerem frigidum.

CAP. V.

De duplici Halituum genere, & communibus causis Meteorum.

CVM Cœlum Stellis ornatum velocissimo perenni, & continuo motu, reuoluatur, suo lumine, & motu agens, in globum ex Terra, & Aqua conflatum illumque calefaciens, & attenuans eleuat ex eo duplex halituum genus, quod communi nomine à Græcis ἀναθυμίασις dicitur; nam ex partibus aridioribus eleuat fumosum halitum, qui ἐκφλογώσεις nuncupatur, & est halitus calidus, & siccus,

Duplex genus halituum.

& ſiccus, ex aridiore parte eleuatus, aptus facilè inflammari, qui ſua leuitate ei a Sole, & Stellis tributa, ſurſum tendens, ad mediam, & ſupremam Aeris Regionem aſcendit, & aliqua ex parte ad eam vocati Ignis quo loci incenſus, pro varia eius diſpoſitione, & forma varia offert ſpectra, quæ ignita Meteora nuncupantur. Hæc cum præſertim in ſuprema aeris Regione fiant, puto tamē nonnumquam etiā fieri in ſphęra nuncupati Ignis, & ſaltem in infima, cum ille non proprie ab Ariſtotele dicatur eſſe Ignis ſed potius fomes quidam incenſionis, vt patet ex quarto capite primi Meteorum. Meteora, ex huiuſmodi fumo genita, variis denotantur nominibus, nonnumquam enim abſolutè dicuntur Aereæ, vel ſuperæ Flammæ, nonnumquā vero ignitæ affectiones, inflammationes Aereæ, incenſæ imagines, & ſpectra ignita nuncupantur, Arabes eas appellant Aſſub. Aliud genus halituum, quod ex Aqua, & humidiore terræ parte, eleuatur, vapor eſt, qui a Græcis ἀτμὶς dicitur, & eſt halitus ſui natura frigidus, ob humorem Aqueum, extrinſecus tamen calidus virtute pro ducentis, producitur enim virtute Solis, & Stellarū calefacientium. at ita excalefactus, & leuis redditus, eleuari valet vſque ad Aeris mediam Regionem, in qua a frigore coarctatus, primo in nubem vertitur, mox in Pluuiam, Grandines, & Niues, & cum fuerit calidior, & leuior, eleuatur etiam aliquando ad ſupremam Aeris Regionem, in qua tamen non in nubem vertitur ob calorem, & motum eius Regionis, ſed diſgregatus trāſit in Aerem, vel cum halitu ſicco permiſcetur Hi duo relati halitus, hoc habent commune, vt a calore luminis, & motus Cœlorum producantur, & eleuentur. Differunt tamen, primò, quia halitus ſiccus eleuatur ex parte magis Terrea, humidus ex Aquea. Inſuper, primus eſt calidior, cū calor in eo nectatur cum ſicco, ſiccitas autem acuit calorem. Tertio differūt, quia halitus ſiccus magis ſeruat calorem, humidus verò minus, cum humor aqueus calorem ſuffocet, & extinguat. Quarto differunt, quia halitus ſiccus eſt leuior, & facile aptūs incendi, humidus verò non ita ſe habet: at cū natura, & conditione diſtinguantur, nunquam tamē omnino ſeparati ſubſiſtunt, ſed modo magis modo minus permixti ſunt; Halitus calidus, & ſiccus, ſemper aliqnid humoris includit, alioquin non incenderetur, humor enim eſt materia incenſionis, & cōſumpto humóre, extinguitur flamma, quæ continenter ex humore reficitur; Similiter halitus calidus, & humidus, inſertas habet partes quaſdam ſiccas actione caloris productas, & hoc nobis indicant Corruſcationes, & fulgura, quę ex nubibus prodeūt, genita ex halitu ſicco, incluſo in nubibus. Similiter id nobis indicat portio Terrea, quæ apparet in Aqua, in quam Grando & Nix reſoluuntur, hinc ex ea halituum permixtione, multę Meteorum varietates ortum ducunt. Quomodo autem à Sole, & Stellis non calidis, lumine, & motu mortalia corpora calefiant, & à Cœleſti calore duo halituū genera producantur, in libro de Cœlo cumulatè patefeci, propterea id non repeto. Hoc ſolum ſupereſt declarandum, quomodo media Regio Aeris dicatur frigida, adeo vt eius frigore vapores coarctentur, & vertantur in nubes, cum tamen Aer ſui natura ab Ariſ. dicatur calidus, & nil violentum, valeat eſſe æternum, vt legitur in ſecundo de Cœlo, 38. Cui difficultati reſpōdens, dico Regionem frigidam Aeris dici mediam, non ſecundum diſtantiam, cum ita potius ſit portio infimę Regionis, ſed ſecūdum varietatem diſpoſitionum Aeris, & eorum, quæ in aere producuntur, ea autē eſt frigida ex accidenti, non ex propria natura, & conditione, id frigus ortum ducit partim ex priuatione conſeruationis caloris, partim ex præſentia cauſarum refrigerātium: ex priuatione primo, quia calor huius eſt conditionis, vt ob ſui præſtantiā, maxime

Differentia halituum.

Quomodo media Aeris Regio ſit frigida.

egeat causa conseruante, maxime enim ex Cœlo pendet, seruatur autem lumine, & Motu; At Regio illa aeris, cum sit infra altitudinem maiorum Montium, motu Cœli parum agitatur, & cum per aliquot milliaria distet à cōuallibus Terræ, Radii à Terra repercussi, nedum redduntur debiles, ob distantiam à loco repercussionis, verum insuper ob distantiam Radii descēdentis ab ascendente, qui angulum in Terra constituentes, quo magis ab angulo recedunt, eo magis distant ab inuicem. Insuper, ea Regio est frigida, ob causam refrigerantē, quoniam vapores ex Aqua eleuati, quamuis excalefacti sint, tamē ob humorem aqueum, seruant conditionem aquæ, ideo à radiis derelicti, redeunt in propriam constitutionem, vt aqua feruens apud nos, remoto calefaciente, frigus proprium recuperat; Et ad instantiam, quia nil violentum est æternum, dicendum est primo, id non penitus esse violentum, cum sit secundum ordinem Vniuersi, per causas operantes secundum naturam, vt patuit. Insuper, Elementa per naturam in mixti constitutionem tanquam in finem vlteriorem, & præstantiorē diriguntur; Addendum secundo, nil esse violentum in tota specie, & in partibus eius: in hoc mortalium orbe semper aliquid violenti reperitur, seruatur ea dispositio aeris præter propriam naturam successione quarundam partium eius, non autem in

Communes causæ Meteorum. eadem aeris portione. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, facile est colligere communes causas Meteorum. Nam ordiendo à materia, proxima Meteorum materia, sunt duo genera halituum, remotior, sunt Elementa, ex quibus eliciuntur, & præsertim Terra, & Aqua, dico præsertim, quoniam etiam ex aere, & igne

Materia Meteorum. constitui possunt. Ratio est, quoniam omnia Elementa sunt apta inuicem permutari, vt in secundo de Ortu, & interitu ostenditur, permutatio extremorum, est per media, mediant autem halitus, ideo ex aere refrigerato, & condensato, gigni possunt nubes, quæ sunt tanquam vapor frigore condensatus. Similiter ex ignis condensatione, per humorem, vel frigus, medium gigni potest alicui halitui simile, magis proprie tamen dicuntur halitus, dum corpus ex densiore fit ra-

Efficiens. tius; Loquendo de efficiente Meteorum, efficiens commune est Cœlum, suo lumine, & motu, proximum autem sunt Qualitates primæ, calefacientes, refri-

Forma. gerantes, humectantes, vel desiccantes materiam proximam. Forma Meteorum duplex considerari potest, vna quæ sit Substantia, alia accidens, forma, quæ Substantia sit, propria Meteoris non competit, quia sunt mixta imperfecta, quæ huius sunt conditionis, vt noua forma non prodierit, ideo forma Substantialis non est distincta ab ea Elementorum, vel magis, vel minus pura, præterquam loquendo de Metallis, & fossilib. quę cum sint finis imperfecte mixtorum, propria forma sunt prædita, forma, quæ sit accidens variorum Meteorum, varia est, & sunt figuræ, magnitudines, colores, motus, & variæ imagines quæ per re-

Finis Meteorum. percussiones repræsentantur. Demum loquendo, de fine, hic multiplex est, vnus generationis, & est forma Meteorum, alius rei genitæ, & hic vel est communis, vel proprius: finis cōmunis ratione mutuæ permutationis Elementorū, est conseruatio æqualitatis Geometricæ eorum, Elementa enim secundum quandam virtutem, & congruentem rationem, ad inuicem debent esse æqualia, ne vnum valeat alterū destruere, ratione verò conspirationis ad mixtionem, finis est mixtum perfectum, quæ omnia in mundi perfectionem diriguntur, Loquendo aūt de finibus propriis, & vtilitatibus quas præbent, hi variorum Meteorum, varii sunt, vnus tamen apprime cōmunis est expurgatio eius Elementi, in quo Meteora fiunt, veluti per conuersionem nubium in pluuias, expurgatur media Regio aeris, per incensiones expurgatur Regio supera, insuper pluuiis irrigatur Terra,

crescunt plantæ, contemperatur Aer, vt in eo fœlicius viuant Animalia, & præsertim Homo, qui cum sit finis mortalium omnium, etiam est finis eorum, quę in eis, vel ex eis generantur. Mitto vtilitates varias, quas præbent, & Fontes, & Venti, & alia huius generis, cum sint conspicuæ.

CAP. VI.

Diuisio Meteorum, ac eorum in ordinem distributio.

QVONIAM pro distincta explicandorum notitia, expedit vt primo capita eorum referamus, in ordinemque redigamus, ideo a Meteorum ordinata serie ordiar, quæ cum proximè, ex duplici halituum genere prodeant, ideo ex halituum distinctione, & ordine eorum quoque distinctio, & ordo refulgebit. Omnis halitus, vel est calidus, & siccus, ex parte Terrea, aliquo humore prædita eleuatus, & dicitur fumus, & fomes incensionis, vel est calidus, & humidus, ex parte magis Aquea productus, & dicitur Vapor humidus, Vapor Aqueus, & Aqua disgregata; si fuerit siccus, & Terreus, aut superiora petit, aut ob aliquam Terream conditionem, siue quia in visceribus Terrę sit productus, intra viscera Terræ clauditur; si ad supera tendit, vel ascendit ad sublimem Aeris regionem, vel ad mediam, vel ad infimam tantum; si ascendit in sublimem, tunc si fuerit copiosus, ordinatus, & causam in Cœlo habuerit conseruantem gignitur Via Lactea; Si verò fuerit portio aliqua minor, ordine carens, satis crassa, pinguis, & calida, vel sub Stella aliqua posita, vel seorsum, ita tamen vt iuncta alicui Stellæ videatur, gignitur cometes, hoc est Stella Crinita, siue stella Barbata prædita, siue prædita cauda, nam hæ dicuntur tres eius principaliores varietates; Si verò halitus nulli stellę apparuerit iunctus, nec adeo fuerit densus, & pinguis, & incendatur, tunc ex varia eius constitutione, figura, & motu, variæ prodeunt incensionum formę: inde enim ortum ducunt Columnæ, Pyramides igneę, Faces, Capræ saltantes, Ardentes stipulæ, Stellæ labentes, vel fluentes Dali, hoc est Torres, siue Titiones ardentes, Lampades, Lanceæ ardentes, siue Trabes, & huius generis incensiones, quæ etiam in infima Regione Sphęræ nuncupati ignis aliqua ex parte gigni possint, cum ad eam quoque huiusmodi halitus valeat eleuari. At si huiusmodi fumus, & halitus siccus, in mediam Aeris Regionem ascenderit, tunc vel intra Nubem clauditur, vel infra subsistit: si clauditur, & erūpit, vel erumpit incensus, vel sine incensione, si erumpit incensus, vel id facit cum scissione, pulsione, & strepitu, & oritur Tonitruum, & corruscatio, si erūpit incensus, & sine strepitu, vel solum prope effunditur, & dicitur simplex corruscatio, siue fulgetrum: vel infera petit, & per Aerem terrę proximū effunditur & dicitur Pręster; si autem erumpit ex Nube sine incensione, vel erumpit totus simul sine pugna cum partibus Nubis, & dicitur Procella. Vel erumpit complicatus, cum partibus nubis, & cum eis pugnās, & gignitur Turbo; At si ex aduerso intra nubem non clauditur, sed potius infrà subsistit, cum adeo fuerit calidus, & leuis, tunc vel est copiosus, nō facilè aptus incendi, & à frigore mediæ Regionis deorsum repellitur, cum tamen sui conditione nitatur tendere sursum, & consurgunt Venti. Vel est exiguus, & tunc si deorsum repellitur, & incenditur, gignitur Stella cadens, vel Lampas quædā alteram accēdens, vel Draco volans, vel illuminatio alia consimilis igneumque spectrum nobis proximum. Verum si huiusmodi halitus, in media Aeris Regione persistat, & per radios Solis, vel Stellarum colorem recipiat, aut etiam incendatur, tunc si in medio fuerit crassus, & amplus, in ambitu subtilior, consurgunt Voragines, Hiatus, Foueæ, &

Meteorum primæ capita.

Via Lactea

Cometes.

Incensiones variæ.

Tonitruū.

Corruscatio.

Præster.

Procella.

Turbo.

Venti.

Stella cadens.

Lampas.

Voragines.

Ignes cruenti. Si tertio huiuſmodi halitus ſiccus, aſcendens ad ſolam infimam
Chauma. Aeris regionem eleuatur, tunc æſtiuo tempore gignit Chauma, hoc eſt incenſionem quandam Aeris prope nos exiſtẽtis, inficit terram & plantas, & deſcendens in mare, id reddit ſalſum; At ſi ex aduerſo huiuſmodi halitus in viſceribus terræ includatur, tunc vel pugnat cum vapore humido in cauernis, terreq; voraginibus clauſo, & exitum quærit, & prodeunt ſpecies Terræmotus, quæ ob varietatem effectuũ, vario modo denominantur. Vel mouetur ſub terra, & miſcetur cum aqua, vel cum vaporibus aqueis, & prodeunt balnea; vel Thermæ, & cũ ſtrepitu ebullientes, turbidæ aquæ; Aut demũ, non miſcetur cum aquis, vel aqueis vaporibus, ſed vel ſui motus velocitate, vel per antiperiſtaſim, vel à præexiſtente igne incenditur, & inde prodeunt ex voraginibus terræ incenſiones, erumpentes flammæ Ætnæ. Tartarei nuncupati Ignes, & per aerem inſperſi cineres, & ſimilia. Et hæc ſunt Meteora, quæ ex halitu calido, & ſicco ortum ducunt. Verum ſi altera ex parte halitus fuerit calidus, humidus, & aqueus, hic vel ſupera petit, vel in terræ antris & viſceribus clauditur: ſi petit ſupera, vel petit mediam aeris regionem, vel reſidet in infima, ſi mediam, vel ſublimius in ea eleuatur ad partem calidiorem, vel in medio eius requieſcit, vel infra medium detinetur: ſi in medio reſidet, ibi per frigus ambiens condẽſatus vertitur in nubem, ex qua gignuntur Pluuiæ & imbres, ſi infra medium detineatur per frigus; vertitur in nubem, & cùm frigus ſit vehementius, ea nubes condenſata congelatur, & in Niuem vertitur, ſi tertio ad ſublimiorem, mediæ regionis partem eleuatur, in qua magis viget calor, tunc fiunt ea, quæ ob contrarij caloris ambitum ex vehementi frigore prodeunt, nam vel à frigore, cito Nubes in aquam vertitur, & gignuntur Nimbi, qui ſunt præcipites quædam, & repentinæ pluuiæ, vel ob vehementiorem frigoris actionem, nedum nubes cito in guttas vertitur, verum inſuper, guttæ aqueæ congelantur, & fit Grando; Si verò vapor, infimam aeris regionem non pertranſit, quoniam ea vt cæteræ, prædita eſt latitudine, ideo, vel magis in ea, vel minus aſcendit, ſi eminentius eleuatur, & copioſius fuerit, ac inſuper roridus, & ferè in guttulas aquæ commutatur, redditur tanquam ſpeculum ſoli, & per radios in eo repercuſſos, tricoloratum arcum nobis repræſentat, qui dicitur Iris. Si verò multus fuerit, minus roridus & rarior, ſolique à latere aſſideat, conſurgit ex radiorum ſolis receptione, tanquam alter Sol in Nube, vt in ſpeculo apparens, & ex receptione radiorum Lunę, tanquam altera Luna: Dum verò ea nubes à latere poſita, fuerit magis rorida, & inæqualior, gignuntur Virgæ, Færulæ, & ſimilia, ob varietatem nubis recipientis, & repręſentantis radios, & lumen. Si autem Vapor fuerit paruus, nec ita pluuialis, & roridus, ſed craſſior, & diſſimilis, & ſub Sole, vel Luna poſitus, conſurgit Area, ſiue Corona & eſt tanquam circulus albus, in eius extremitate nigrior ambiens tanquam centrum Solem, vel Lunam, vel aliam fulgentem ſtellam. At ſi ex aduerſo vapor non eleuatur ad ſuperiorem infimæ regionis partem, ſed ſubſidet in ea, vel eſt multus, & copioſus, adeo vt à frigore condenſetur, in pluuiam autem conuerti nequeat, conſurgit Nebula, ſiue caligo. Si verò vapor non fuerit multus, & prope terram, à frigore ſuperuenientis noctis refrigeretur, tunc vel vehementer frigeſcit, adeo vt congeletur, & conſurgit Pruina, tanquam exigua nix, vel diminutius frigeſcit, & fit Ros, vel eius ſpecies aliqua, veluti Manna, & Mel. Demum ſi vapor nõ in aerem eleuatur, ſed in terræ antris, & voraginibus includitur, ex eo gignuntur Flumina, riui, fontes & paludes. Hæc ſunt capita Meteorum, de quibus breuiter & lucidè in hoc libro mihi agendum propoſui.

Terræmotus. *Thermæ* *Tartarei Ignes.* *Pluuia.* *Nix.* *Nimbi.* *Grando.* *Iris.* *Sol geminum.* *Virga.* *Area.* *Nebula.* *Pruina.* *Ros.* *Manna.* *Mel.* *Flumina.*

CAP. VII.

De incensionibus, & flammis nonnullis in sublimi apparentibus.

EXPLICATIS cõmunibus, ad Meteorum notitiam attinentibus, ad propria descendens, iure optimo, à sublimioribus incensionibus ordiar. Hæ namq; magis Meteorum conditiones seruant, cum sint sublimiores, magisq; cum Cœlo, & eius motu sunt iunctæ, ac insuper quodammodo sunt simpliciores, gigni possunt halituum incensiones. primo per celerem eorum motum, secundo per radios directè repercussos, tertio per sphæram ignis aeri proximam, illumq; magis excalefacientem, quarto per violentas partium ignis inspersiones in aerem, quinto per antiperistasim, vt in nubibus per frigus ambiens, fumus inclusus incenditur, cum Meteorologicarum incensionum quinque valeant esse causæ. Antiperistasis tamen, siue frigoris ambitus, & radiorum repercussio præsertim id efficiunt in partibus aeris nobis propinquioribus, celeritas motus, & connexio cum sphæra ignis, in sublimioribus, inspersio autem violenta partium ignis, in intermedio. Cum igitur fumi sui conditione calidi & sicci, per radios solis, & sua leuitate in sublimiorem aeris regionem ascenderint, per celerem reuolutionem, conspirante calore eius regionis, nec non cõditione fumi, facile apti incendi, in flammam vertuntur, & ex varia eorum figura, motu, magnitudine, & constitutione, variæ prodeunt incensionum formæ, & Meteorum genera: Nam si fumus fuerit amplus, satisque extensus, non tamen valde pinguis & densus, & incensio per varias eius partes progrediatur, prodeũt illæ, quæ ardentes stipulæ nuncupantur. Si verò fumus sola lõgitudine fuerit prẹditus, & aliquantulũ densus, ac cõsimilis, dũ incipit vna ex parte incendi, & ob densitatẽ incensio satis firma apparet, & per partẽ incensam, reliqua portio fumi illustratur, tũc inspicientib. se offert, tanquã fax, vel candela incensa, vel torris, siue incẽsus titio, Græcè λαμπάς; Si autẽ fumus secundũ vniuersam longitudinem ardeat, apparebit vel tanquã trabs, vel colũna, vel lancea, vel pyramis flãmea; at si non in longitudinem fumus fuerit extensus, sed potius in orbẽ redactus, & incipiat incendi in medio, illustrando reliquas ambientes partes, apparebit tanquã lampas incensa; Si autẽ fumus, & latitudine, & multiplici partiũ inordinata varietate fuerit præditus, & incipiat incendi, eius incẽsio, ob fumi inordinatã dissimilitudinẽ, sine ordine, & dissimiliter videtur moueri partim celeriter: partim tardè, & inde prodeunt ea Meteora, quæ Capræ saltãtes nuncupãtur, cuius animalis motus, apprimè est expers ordinis; Si demũ fumus solũ in longitudinẽ sit extensus, nec valde pinguis, & densus fuerit, sed facile & citò aptus cõburi, & sit consimilis, tunc incipiens incendi, ex vna parte, decurrit incensio per vniuersam fumi longitudinẽ, & præseferre imaginẽ stellæ volantis, siue decurrentis. Huiusmodi incensiones magna ex parte in suprema aeris regione gignuntur, modo sublimius, modo terræ proximius, nec ob id inficior eas nonnunquam in infima sphæræ ignis regione gigni posse, cum ad eã quoq; huiusmodi fumi eleuẽtur, vt affirmat Arist. accidit tamen frequenter, vt citius incendãtur, quàm ad eã peruenerint: Insuper, dum ad eam fuerint eleuati, adeo redditi sunt sicci, & rari, vt incẽsio nec appareat, nec seruetur: Incensio.n. nõ seruatur sine humore, qui eius est fomes. Incensa itaq; huius generis Meteora, sunt fumi ad superam aeris regionem, magna ex parte eleuati, loci calore, celeriq; motu incensi, ob varietatẽ dispositionis, Figuræ, magnitudinis, & motus, variarũ rerum præ seferentes imaginem, & ob id, variis nominib. designati; Dicuntur autem fumi incensi, quia flamma ab Aristotele dicitur fumus ardens: at similiter etiam dici possent incensiones fumorum.

Quomodo halitus incendantur.

Stipulæ ardentes.

Fax.

Trabs.

Lampas.

Capræ saltantes.

Stellæ volantes.

Definitio incensorum Meteorum.

dignitatis fautori, in vrbe Roma templum erigi, sacrificiaque offerri iussit. Hæc de Cometa sententia est Arist. de quo varij, varia dixere, nam Democritus, Leucippus & Anaxagoras existimarunt, Cometas esse connexiones duorum errantium syderum, luminisque eorum conspirationem; Pythagorei putarunt, præter septem Planetarum stellas, octauam reperiri, ex se coma præditam, quæ cum perinde, ac Mercurius frequenter Soli sit proxima, rarò appareat, dum tamen ab eo congruenter distat, à nobis inspicitur. Hippocrati, eiusque discipulo Eschilo tribuunt, quod putarint vnam ex stellis Cœli reperiri, quæ sua natura, & conditione halitus traheret, & Cometem tunc gigni, & apparere, dum radij nostrorum oculorum per eos halitus versus Solem reperouterentur, aliæ quoque cum veterum, tum recentiorum Philosophorum de Cometis fuere sententiæ, quas vt minus probabiles, silentio prætereo, neque etiam in reijciendis relatis immorabor, cum breuitati potissimum studeam. Poetæ quoque de Cometis varia eleganter finxerunt, quæ non sine delectatione apud eos legi possunt. *Democr. Leucippi, & Anaxagora sententia. Pythagorei. Hippocr. sententia.*

Cap. IX.

De Via lactea.

CONSPICVVM, admirabile, & cum apud Philosophos, tum apud Poetas apprimè celebre est Meteoron illud, quod Via Lactea dicitur, de qua Ouidius primo Metamorphos.

Est via sublimis, cœlo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso,
Hac iter est superis, ad magni tecta Tonantis.

Hæc via ob albedinem, à Lacte nomen duxit, & dicitur obliquus Lactis Circulus ex Lacte Iunonis, vel Opis productus, vt Poetæ fingunt. Insuper, dicitur Via, in qua Apollo aduersus Gigantes pugnauit. Circulus virturibus dicatus, Via Animarum, Sedes Heroum, Circulus Beatorum copia refertus, & via ad diuum Iacobum ducens: hæc est non Circulus, sed Zona latitudine prædita, secans Cœlum in duo hemisphæria, per signa Geminorum: & Sagittarij. Quamplurimi non aliquod Meteoron, sed portionem Cœli iudicarunt: Aristoteles tamen inter Meteora Viam Lacteam numerat, & ex halitu calido, & sicco, in supera Aeris regione gigni affirmat; Quæ sententiæ conciliari debent, quoniam in vniuerso non reperitur effectus sine sua causa, nec contra, causa, cui per Naturam proprius non respondeat effectus, & propterea si datur in octaua Cœli sphæra Via ob densitatem, & Stellas in ea positas, lucidior reliquis Cœli partibus, & per Lucem eleuantur halitus, & incenduntur, est necesse, vt etiam ex huiusmodi ætherea Zona, tanquam causa pendeat Zona alia fumorum in Aere, tanquam effectus suæ causæ respondens, ac etiam vice versa, si datur Via Lactea in aere, ita ordinata, & seruata, est necesse, vt reperiatur in Cœlo alia eam seruans, & in ordinem redigens. Hinc Via Lactea, pro triplici vsurpari potest, & pro cœlesti tantum, & pro sola Meteora, & pro congregato. Aristoteles in libro Meteorum, præsertim eam pro parte Meteora considerauit, tanquam magis pertinente ad illum locum, nec ob id siluit cœlestem, sed eam vt causam indicauit, inquiens, Circulum, in quo Lac aspicientibus apparet, esse maximum, & ita dispositum, vt Tropicos excedat, & locum illum esse præditum Astris maximis, & fulgentissimis, quæ Sporades, hoc est, sparsæ, & sine ordine effusæ videntur, à quibus continuè sicci halitus trahuntur, *Via Lactea.*

& congregantur, & vbi copiosior est huiusmodi stellarum numerus, ibi quoque apparet duplari Via Lactea, adeo, vt causę accretionem, & diminutionem, sequatur accretio, & diminutio rei effectę. Id quod pertinet ad viam Lacteam æthercam, est consimile semper, id tamen, quod attinet ad Meteorologicam, multis varietatibus est obnoxium; Sed cùm detur Via Lactea Ætherea, & Aerea, videndum primo, quid sit ea Ætherea, secundo, quæ Aerea, ex quibus refulgebit, quid sit congregatum ex vtrisque. Vt pertinet ad Æthercam, Theophrastus, referente Macrobio, de somnio Scipionis, existimauit eam esse Zonam densiorem Cœli, & esse compagem duorum hemisphæriorum; Nonnulli dixere, illum esse locum transpirationis mundi, ne ignis extinguatur, & vt mundus expurgetur, Philoponus putauit, esse colorem proprium illius partis Cœli, cuius causam assignare non valemus. Alij esse multitudinem exiguarum stellarum, quarum lumen nobis tantum, non proprius color, & figura appareat. Alij multitudinem stellarum illuminantium, vna cum densitate eius partis: quæ sententia verior est. Aristoteles inquit, Pythagoreorum nonnullos putasse, hanc viam productam fuisse à stella aliqua deserente locum suum, eo tempore, qua Phaeton male duxit currum Solis. Alios dixisse Solem per hanc viam aliquando fuisse progressum, mox iter illud exustum vel consimili perpessione affectum dereliquisse. Anaxagoræ autem, & Democrito idem Philosophus tribuit, quod existimauerint, viam Lacteam esse lumen proprium, quarundam stellarum, quæ à Sole sub horizonte existente non inspicerentur, & illustrarentur. In quibus opinionibus reiiciendis non morabor, sed breuissimè cum Aristotele dico, Viam Lacteam æthercam esse lucidarum stellarum copiam simul, & eius partis maiorem densitatem, vt enim stella est densior pars Orbis, ita rationi consonum est, partem Orbis maiori stellarum copia præditam, densiorem esse, & quia est densior, cum lumine proprio, tum eo intensius à stellis recepto, apparet magis alba. Via itaque Lactea ætherea, est Zona octauæ Sphæræ, diuidens eam in duo hemisphæria per signa Geminorum, & Sagittarij, ob dispersarum stellarum vel apparentium, vel non apparentium copiam, & eius partis densitatem, intensius lumen recipientis, coloremque album aspicientibus offerentis; At perpendamus, quomodo per Viam Lacteam æthercam, constituatur Aerea. Dixere nonnulli, aeream viam Lacteam nobis apparere per reflexionem radiorum visui inseruientium, à vaporibus ibi existentibus ad Solem. Quam sententiam nonnulli adscribunt Hippocrati, & eam reiicit Aristoteles variis rationibus. Alii, vt Diodorus, referente Macrobio, dixere esse Ignem coaceruatum, in vnam curui limitis semitam. Alii, esse reflexionem Luminis stellarum ættheræ viæ à vaporibus sub ea existentibus. Alii demum, esse Lumen productum ex incensione halituum ibi existentium, non secus ac Cometes sit incensio illa lucida, sub aliqua stella posita. Quam sententiam approbauit Aristoteles, & ideo dixit Viam Lacteam, perinde se habere, ad vniuersam illam Zonam Cœli, ac Cometes se habet ad stellam vnam: & definiens, dixit Viam Lacteam esse comam maximi circuli, ob halituum copiam. Cùm autem de Via Lactea, aerea, varia probabiliter dicantur, puto ego non vnam esse causam eius efficientem adæquatam, sed conspirationem multarum, nam eius materia profectò est halitus magna ex parte calidus & siccus, non tamen humore omnino carens; Causa in genere formæ est figura, & color, per quem visui offertur. Causa efficiens principalis est; Via Lactea ætherea, pro qua cōstituenda varia conspirant, vt dixi; Causa minus principalis, minus

Via Lactea ætherea.

Opiniones variæ.

Aristot.

Opinio verior.

Definitio Via Lacteæ ætherea.

Via Lactea aerea.

Hippocr.

Diodor.

Opinio Arist.

Definitio.

nus necessaria, minusque firma, est incensio partium eius copiæ halituum, illuminatio ab huiusmodi incensionibus, & illuminatio à Sole, dico illuminatio, quoniam in Via Lactea radij non omnino repercutiuntur, cùm halitus non sit densus, sed recipiuntur, franguntur, & lumen redditur tanquam proprium, non secus ac id fiat in Area, siue Corona, & seruatur ea Via æterna, & consimilis per causam principalem Æthercam, variatur in parte ob alias. Insuper, seruatur æterna, non in eadem parte Aeris, vel halitus, sed in variis consimilibus, sola successione æternis, vt media etiam Aeris Regio semper friget, & vaporibus abundat; Est itaque Via Lactea Aerea, halituum siccorum copia, in sublimi Aeris Regione in Zonam redacta, incensionis particeps, sub Ætherea posita, ab eaque seruata, quæ per Lumen præsertim Ætheræ, & alterius illustrantis causæ, magnæ, & candidæ Viæ imaginem nobis offert. Ex distincta definitione vtriusque Viæ Lacteæ, conspicuè elicitur, quid sit congregatum ex vtrisque. Est enim simulacrum magnæ, & candidæ Viæ, secans vniuersum in duo hemisphæria, transiens per Sagittarium, & signum Geminorum, sedem principalem habens in octaua Sphæra, originem ducens ex multitudine stellarum, & densitate eius partis, proximè tamen apparens in supera Aeris regione, in halituum copia, per partem æthercam eleuata.

Definitio Viæ Lacteæ.

Definitio congregati.

Cap. X.

De variis figuris in Aere sublimi apparentibus.

CONVERSI in Cœlum frequenter in Aere sublimi, inspicimus Colores varios, varias Figuras, Centauros, armatos Equites, Montes, Dracones, Foueas, Voragines, & similia, quorum causæ ex præassumptis principiis facile elici possunt. Nam ex Lumine vario, modo vario, repercusso, vel recepto, & fracto, in halitibus, densitate, copia, cōditione, & positione distinctis, hæc omnia ortum ducunt, pro quorum distinctiore notitia, de colorum varietate, aliquid breuiter est dicendum. Color, qui nobis se offert, vel est verus, & propriè sumptus, & hic consurgit ex temperamento & actione primarum quatuor Qualitatum, in mixto perspicuo, & terminato, de quo in libro de Sensu, & Sensili sermo est, vel est color apparens, qui vel solum apparet ob depravationem instrumenti visus, & perturbationem spirituum eius, vt accidit vehementi febre, vel morbo alio graui correptis, & delirantibus. Vel apparet ob Lucem, & Lumen, cum tamen à Lumine non sit specie distinctius, & hic instituto nostro inseruit: qui Color, vel apparet ob conditionem corporis Lucidi, vel per externum aliquod, ob primum inspicimus stellas varias, variis coloribus præditas, & Astronomi variis Planetis tribuunt Colores varios, & Fumi varij incensi, ob maiorem vel minorem densitatem, & portionem terream, vel æream, Flammam pariunt distincti coloris. Similiter incensiones in Aere productæ, varios nobis colores offerunt, variisque figuris præditos, ob varietatem figuræ fumi ardentis. Si autem Colores per externum aliquod variantur, id externum, vel mediat inter oculos videntis, & lucidum, vel à latere est positum, si mediat, vel est coloratum, vel non, si fuerit coloratum, vt dum radij transeunt per vitrū viride, vel rubeum, apparet lumen eodē colore infectū. Si non fuerit coloratum, vel tale medium est purum, & radiis liberū dat transitum, & tunc colorem non parit, imò nec in eo lumen apparet, nisi repercutiatur ab opaco aliquo, & dum per tale

Coloris distinctio.

cerum medium inſpicitur, corpus lucidum, videtur parum a nobis diſtare, quia potenter, & ſine varietate mediorum nos mouet. Si verò id medium fuerit denſius,& fuerit vapor aliquis, vel conſimilis, vel diſſimilis, tunc in eo radii frangũtur quę fractio eſt quędam imperfecta repercuſſio, per quam fractionem lumen redditur, tanquam proprium eius corporis, in quo fit fractio, & ſe offert nobis, vel Album, vel Rubeum, vel Puniceum, ſecundum varietatem eius, in quo frangitur & recipitur. Si verò corpus, per quod, vel in quo inſpicitur Lumen, nõ mediat, ſed fuerit a latere poſitum, tunc ſi fuerit terminatum, & parum leue, adeò, vt ſolum Radios repercutiat, non figuram, tunc ſolum apparet lumen, quod vel magis vel minus fulget, ob varietatem repercutientis, nam ſi corpus repercutiens fuerit album, ſplendidius redditur lumen, obſcurius verò ſi fuerit nigrum. Ratio eſt: quia Album plus ſplendidæ conditionis includit, quæ per radios manifeſtatur: Hinc dum parietes domus dealbantur, redditur domus lucidior; Si verò id Corpus non repercutiat tantum, ſed ob eius perſpicuitatem Radios recipiat, per denſitatem verò cum aliquo humore Aqueo iunctam, eos frangat, tunc Coloratum apparet Colore, vel obſcuriore, ſi fuerit denſius, & magis Terreum, vel clariore, ſi fuerit vel rarius, vel a Terreo immunius. Nonnunquam etiam accidit, quod pars denſior, dum Terrenæ fæcis fuerit expers, Lucidior, & magis Alba apparet, quia intenſius recipit Lumen, vt euenit de partibus Lunæ. Prodeunt itaque apparentium Colorum varietates, vel ex varietate corporis lucentis, vel ex varietate medii, per quod inſpicietur, vel ex varietate oppoſitorum repercutientium, ſiue frangentium; Prodire etiam poſſunt ex poſitione varia, & diſtantia, vel repercutientium, vel recipientium repercuſſiones, vt patebit de Coloribus Iridis: his demum addendum eſt, Colores varios variam quoq; nobis offerre diſtantiam, eleuationem, & depreſſionem: nam obſcuri, quia debilius mouent, magis diſtare videntur, & ideo nobis repræſentãt Foueas, Cauitates, & Voragines; Alibi verò, quia oculos mouent vehementius, videntur proximiores, & elatiores, qua colorum varietate vtuntur Pictores & perſpectiui, pro repræſentandis eleuatione, depreſſione diſtantia, & aliis ſimilibus. Ex his itaque eliciuntur Cauſæ variorum Colorum, Diſtinctarum Imaginum, Cauitatum, Vouearum, & Voraginum, in Aere apparentium; Et quoniam huiuſmodi Cauſæ facile, & cito mutantur, ideo etiam ſpectra huiuſmodi citò apparent, & facilè variantur. Sunt igitur huiuſmodi Meteora ſpectra ex halitibus præſertim humidis in Aere apparentia, per radios Lucidi corporis formata, Splendore, Magnitudine, Colore, Figura, & diſtantia, varia, facileq; variabilia, ob varietatem poſitionis, & conditionis principiorum, ex quibus pendent.

Paries albus Lucidiorem reddit domum.

Concluſio dictorũ.

Definitio.

Cap. XI.

De Pluuia, & Niue.

Decvrsis Meteoris, quæ in Suprema Aeris Regione refulgent, ea ſequuntur explicanda, quæ gignuntur in media, nempe in ea Aeris parte, quæ inter ſublimes, & mediocres Montes poſita eſt; Dum halitus per Radios Solis ſurſum eleuantur, illi qui ſunt humidiores, & grauiores, vel ſupra mediam Aeris Regionem non aſcendunt, vel ſi aſcenderint, ob Calorem, & motum ſuperioris Regionis diſgregantur, nec valent in Nubes verti, magna tamen ex parte mediam non pertranſeunt, in qua a Radiis derelicti, necnon ab halitu calidiore, qui ſuperam Regionem petit, a frigore eius Regionis condenſantur, conſpi-

conspirante ad id conditione propria eorum halituum, qui ex humido Aqueo & frigido educti, alienum calorem facilè extinguunt, condensati autem per media in Nubes transeunt, quæ mox exactius refrigeratæ, densantur magis, & vertuntur in guttas Aquæ, non secus ac in operculo Lebetis, in quo ferueat Aqua, inspicimus Vapores eius iterum in guttas, & aquam redire, adeo, vt Circulus quidam ex aqua per medios Vapores in aquam constituatur, & quoniam guttæ illæ aquę sunt grauiores aere, ideo per naturam descendunt, & inde oritur Pluuia, ὑετὸς à Græcis dicta, cui competunt, & nomen commune pluuiæ, & nomina quædam propria: Nam si nubes dissimilis fuerit, & parum fœcunda, tunc exiguæ, & raræ guttæ gignuntur, quæ descendentes, à Græcis dicuntur Pscades, quasi irrorationes, & guttæ exiguæ, Rori simillimæ; Si autem nubes fuerit spissior, & copiosior, fiunt imbres: & si eueniat, vt Nubes aliqua, ob eius dispositiones, & causas vehementer alterantes, ferè tota simul vertatur in Aquam, ac impetu quodam descendat, tunc gignuntur Nimbi, & pluuiæ illæ, quæ à Græcis dicuntur Labrorera, hoc est immodicæ, impetuosæ, & vehementes, quæ frequenter fiunt tempore æstiuo per antiperistasin, vt grandines; Est itaq; Pluuia, Aqua, ex Nube in aeris media Regione genita, in guttas distributa, descendens pro Elementorum æqualitate seruanda, Plantisque nutriendis. Pro notitia autem finis, animaduertendum, Empedoclem, Epicurum, & veteres Philosophos putasse, pluuiam gigni non propter finem, sed per quandam materiæ necessitatem, Aristoteles in secundo Physicorum ait gigni, vt crescant messes. Alexander inquit gigni pro seruanda æqualitate Elemenrorum, & mundi ordine, quæ non seruarentur, si aqua in halitus resolueretur, qui mox vice versa in aquam non rediret; At pro concilio dicendum, æqualitatem Elementorum, & mundi ordinem, esse finem principalem, accretionem vero messium, & vtilitatem, quam præbet viuentibus, secundarium; Insuper addamus, æqualitatem illam esse finem conuersionis absolute, vaporem in aquam, accretionem vero messium esse finem modi, & loci eius generationis: nam secus etiam posset ea æqualitas seruari. Si autem eueniat ob vehementius frigus, vt nubes condensata antequam vertatur in aquam congeletur, gignitur nix, quæ est congelata nubes, rara perinde ac lana, nec non alba, ob lucidos spiritus, qui in nube præfuerunt, cum frigido humore permixtos, qui albedinem pariunt, veluti etiam spuma alba est: Producitur nix, in media quidem aeris regione, sed aliquantulum infra locum, in quo magna ex parte gignuntur pluuiæ. Accidit etiam nonnunquam, vt nix descendens à calore aliquo aeris liquescat, & vertatur in pluuiam, adeo, vt quæ in altioribus locis est nix, in inferioribus fit pluuia: veluti nonnumquam degentibus in conuallibus pluit, in montibus verò nix apparet. Similiter accidere potest, quod homines, in sublimibus montibus degentes, vel iter per eos facientes, infra se in conuallibus inspiciant pluuias, ipsi verò in lucido, & sereno aere sint constituti, quod mihi contigit per alpes, & Apenninum iter facienti: illæ tamen sunt exiguæ pluuiæ. Nix itaque est densa nubes, in inferiore mediæ Regionis aeris parte, à frigore congelata, & ob lucidos spiritus cum Aqueo humore permixtos albedine prædita.

Pluuia. *Nimbi.* *Definitio Pluuiæ.* *Finis pluuiæ.* *Nix.* *Definitio Niuis.*

CAP. XII.
De Grandine.

QVOTIESCVNQVE Vapores illi Aquei crassiores, magisque Terrei fuerint, & per frigus mediæ Regiones in Nubes transeunt, & Nubes in gut-

ras aquæ, si per antiperistasim, hoc est contrarii alicuius ambientis caloris circumstantiam, frigus proprium earum simul iunctum redditur potentius, & validius operatur, tunc guttæ illæ citissime congelantur, & in corpora rotunda congelatæ aquæ vertuntur, quæ Grando à Latinis dicitur, à Græcis verò χάλαζα. Fit autem id nonnunquam in superiore mediæ regionis parte, quæ calidior sui conditione est, nonnunquam verò in inferiore parte eiusdem mediæ regionis, includente plurimum caloris, à radiis Solis producti, & dum gignitur per antiperistasim in parte supera, descendit cum maiori impetu, & strepitu, hinc frangitur; & rotundior, ac minor redditur: dum verò in inferiore, minorem parit strepitum, est inæqualior, & maior, quia partes per exiguum interuallũ descendentes, non mutuo se frangunt; Et putandum est, congelationẽ aquæ in Grandinem, fere simul tempore fieri cum cõuersione Nubis in aquam, alioquin non apparerent portiones Grandinis adeo magnæ, vt frequenter apparuerunt: nam portiones inspectæ sunt ponderis vnius libræ, non autem tam magnæ inspectæ sunt guttæ descendentis aquæ. Insuper putandum est, nonnunquam conuersionem quoque illam nubis in aquam, fieri per ambitum contrarii caloris, adeo, vt cum productio antecedentis aquæ, tum congelatio eius in Grandinem, ex contrarii caloris circumstantia ortum ducat, quæ sensim crescat, & reddatur potentior. Ex his elicitur ratio, cur Grandines, potius vere, & præsertim in principio, & fine æstatis gignantur, quam tempore hiemis: nam cum & præsertim in principio, & fine æstatis gignantur, quam tempore hiemis: nam cum præsertim fiant per antiperistasim, tempore hiberno plurimum adest materiæ, sed abest ambientis caloris oppositio: in principio & fine æstatis adest vtrumque, in medio autem, parum materiæ pro gignenda Grandine in aere reperitur: at si eueniat, vt etiam materia, per ventos delata adsit, gignuntur Grandines celerius, & cum maiori strepitu, & impetu. Hinc quoq; elicitur ratio, cur in Æthiopia, & partibus terræ calidiorib. vel non pluat vel pluat tẽpore æstiuo, & cum impetu vehementi. Ratio enim est: quia ex illis terræ partibus aridis, vapores pro gignenda pluuia non eleuantur, & qui eleuantur, à vehementi calore sensim consumuntur; At si eueniat, vt per ventos illuc vapores deferantur, illi à contrario calore circumprehensi, citissimè per internum frigus vertuntur in aquam, & nimbos pariunt. Conducit etiam pro facili congelatione vt vapores illi, & nubes à calore tunc & ibi vigente fuerint præcalefactæ: nam aqua præcalefacta facilius mox congelatur, & id accidit, nedum ob relatam antiperistasim verum etiam, quia per præcalefactionem redditur rarior, & penetrationi frigoris paratior. Est itaque Grando ex parte materiæ nubes densior, & aqua, ex parte formæ glacies, & congelatio; fit autem à frigore per se, à calore ex accidenti, & gignitur præsertim tempore veris, & in principio, & fine æstatis. Insuper, gigni potest in supera, media, & infera mediæ regionis aeris parte, & cum inclusos habeat plurimos halitus terreos, ideo aqua, in quam liquefacta resoluitur, valde apparet impura, terrea, potui non apta. Definitio Grandinis hæc esse potest; Grando est aqua, in media aeris regione, per ambientis caloris pugnam, à frigore congelata, in rotundasque portiones diuisa, in terram cadens; Et animaduertendum, quod nonnunquam circa finem Februarii, vigente Borea, descendit nix quædam exigua, aquea, quæ à frigore ambientis aeris magis congelata, vertitur in exigua quædam grana Coriandri Zaccaro cooperti formam seruantia, & sunt medium quoddam inter niuem, & Grandinem, nam extrinsecus sunt Grando, intus nix, & vulgo dicitur Grandula, siue Gragnola.

Aqua per antiperistasim.

Aqua præcalefacta facilius congelatur.

Grando quid sit.

Definitio Grandinis.

Grandula.

Cap. XIII.

De Pruina, Rore, & Glacie.

VT fœcundæ sunt duæ Aeris superiores Regiones pro gignendis variis Meteoris, ita infima non est sterilis, sed in ea quoque & Pruina, & Ros, & alia multa gignuntur; Cũ enim interdiu per Solis Radios quotidie Vapores quidam exigui, in infimam Aeris Regionem eleuentur, euenit vt Sole recedente, superuenienteque Nocte, eius frigore condensentur, & cõdensati, si frigus fuerit exiguum, vt tempore Veris, & Æstiuo, necnon regnante Austro, gignitur Ros, qui est tanquam exigua quædam Pluuia, irrorans faciem Terræ, & a Græcis dicitur δρόσος, cuius guttæ quędam in foliis plantarum apparent; Si verò frigus fuerit validius, tunc Vapor magis frigescit, & congelatur, & inde oritur Pruina, Græcè πάχνη, quæ tanquam exigua, quædam Nix, in pratis, & plantis inspersa apparet. In horum generatione non antecedit conspicua Nubes, vt in generatione Pluuiæ, & Niuis, sed fiunt Aere sereno; putandum est tamen, quod antecedat aliquid, loco Nubis, nam vapores illi dum primo condensantur; antequam vertantur in Rorem, & Pruinam, obtinent locum Nubis, At quia sunt exigui, & per Aerem effusi, serenitatem non pertubãt: & quamuis Ros gigni dicatur regnante Austro, Pruina potius regnante Borea, non propterea putandum est fieri eo tempore, quo spirant, & Aerem agitant, tunc enim impediunt congregationem Vaporum, sed cum spirare desierint, vel leuissimè spirant. Insuper, gignuntur sereno Aere, non nubiloso, quoniam dum in Aere sunt Nubes, partim Vapores illi, cum Nubibus connectuntur, partim ob copiam eorum Vaporum non facilè ab Aere, cum quo sunt permixti secernuntur, & permutantur, vt accidit nobis, dum crudorum humorum copia abundamus, qui cum difficultate secernuntur & expurgantur. Præterea etiam frigus, tunc impotentius operatur. Insuper, gignuntur tempore vespertino, & matutino: vespertino quidem, quia tunc a Radiis Solis derelicti, frigescunt, & decidunt, matutino verò, quia accedẽte Sole liquescit Aer, & decidunt humores Aquei, & frigidi eius, hinc diluculo, Sole prope ortum existente, maius quoddam frigus percipimus, & libentius dormimus. At dubium est, cum in hoc infima aeris Regione gignatur Ros, qui est exigua quædam Pluuia, & Pruina, Nix exigua, cur etiam nõ gignitur aliquid Grandini simile? Cui difficultati respondens, dico, Grãdini apud nos glaciem respondere, vt etiam dixit Plato in Timeo, quæ tamen non in aere, sed supra Terram, & in aqua gignitur, in hoc proximo aere nil gignitur grandini respondens, quia Vapor cum sit exiguus, & extensus, dominante frigore, facile congelatur, antequam vertatur in aquã; & fit Pruina: cum autẽ fuerit in aquam conuersus, quia ea in aere non est in guttas congregata, sed per aerem, tanquam humor effusa, non potest cõgelari, & in grandinem verti, accidit tamẽ, vt nonnunquã in frondibus redacta, in guttas congeletur, nec etiam id potest fieri per antiperistasim. Aere existente tepidiore, quoniam in vapore exiguo, frigus includitur exiguum, nec valet vehementer resistere, & operari, sed facile cedit, & superatur; Glacies autem ex aqua gignitur, supra terram existente, & ea respondet aliqua ex parte grandini, quatenus ambo sunt aqua congelata; Differunt tamen, quia grando magna ex parte fit per circumsistentiam caloris, cum distinctione guttarum in aere, dum Nubes, in aquam transit. Hinc propriè est aliquod Meteorum, cum glaciei nil horum competat, vt conspicuum est, Hinc etiam minus propriè inter Meteora numeratur, cum non tam proximè ex halitibus ortum ducat:

Ros. *Pruina.* *Dubitatio.* *Solutio.*

numerari tamen poteſt inter Meteora, quatenus eſt affectio quædam Elementorum, nec gignitur ſine aliqua halituum conſpiratione: nam glacies gignitur à frigore ambientis, conſpirante propria conditione aquæ, ad frigus propenſæ, cum permixtione frigidorum, & terreſtrium halituum, & extruſione caloris vna cum tenui humore; hinc dum glacies liqueſcit, in aquam vertitur, quæ eſt

Definitio Roris. craſſa, & terrea. Ros itaque eſt vapor exiguus, per infimam aeris regionem effuſus, à modetato noctis frigore, in aqueum humorem verſus, terram, & plantas irrorans, proportione pluuiæ reſpondens.

Definitio Pruinæ. Pruina, eſt vapor exiguus, per infimam aeris regionem ex enſus, à vehementi frigore congelatus, & perinde, ac exigua nix, ſupra terram, & plantas effuſus.

Definitio Glaciei. Glacies eſt aqua, à frigore ambientis congelata, conſpirante propria conditione aquæ, ad frigus propenſæ, cum permixtione frigidorum, & terreſtrium halituum, & exacta caloris, cum tenui humore extruſione. Ita glacies dicitur via quædam ad terram.

Cap. XIIII.

De Manna, Melle, Ladano, & Nebulis.

Vapor ille, qui interdiu, ex humida terra, à radiis Solis elicitur, & in proximam aeris regionem extollitur, ſemper ſicci aliquid includit, vel magis, vel minus, ex qua permixtione, varietas quædam Temperamenti halituum conſurgit, & ſi eueniat, vt vapor ſit pinguis, & craſſus, ob mixtionem aquæ, aeris, & terræ, & à calore ambientis congruenter coquatur, ac ſuperuenienti nocte, à frigore moderato condenſetur, ſupraque terram, & plantas deſcendat gigni-

Manna. Mel. tur Manna, & Mel: nam Manna Græce μάννα, eſt ſpecies quædam Melliti Roris, quæ primo eſt liquida, mox redditur durior, & ſe habet ſacchari inſtar, ſuper plantas effuſi, Mel Græce μέλι, δροσόμελι, ἀερόμελι, eodem modo gignitur, differt tamen à Manna, quia eſt mollius, & magis liquidum, reuera tamen ſpecies quędam Mannæ iudicari debet, & ambo mox ſpecies Roris, ad quorum productionem conſpirant, & conditio propria vaporum nedum ex terra, & aqua, ſed etiam ex plantis, frugibus, & floribus hauſtorum. Inſuper temperies aeris, calor coquens congruens, & etiam Qualitas eius plantæ, & corporis, in quo recipitur, potiſſimum enim ex Orno, & Fraſſino colligitur: ideo huiuſmodi Manna, & Mel, non in quauis terræ parte, tempore, & regione producitur, in frigidioribus enim ob frigus, & intemperiem aeris non gignitur, in Italia parum eius gignitur, & colligitur præterquam in Calabria, ex qua defertur optima, copioſius autem colligitur in Oriente, quo loci aer eſt purior, calor potentior, & conſtitutio cunctorum accommodatior. Nec gignitur quouis anni tempore, ſed in principio æſtatis ante dies Caniculares, & debet colligi ante ortum Solis, alioquin à radiis eius, partes magis tenues reſoluuntur, & id remanet, quod eſt de-

Definitio Mannæ. terius, & magis Terreum. Eſt itaque Manna liquor roridus, & dulcis, in infima aeris Regione ante ortum Caniculæ genitus, ex vaporibus, in quibus humor cum ſicco ſit congruenter mixtus, & à calore moderato coctus, qui mox frigore Noctis aliquantulum coagulatus ante ortum Solis ſupra terram, & folia cadens, primo liquidior eſt, mox redditur durior, & nonnullis tamquam granis præditus.

Mel roridum. Mel autem roridum, eſt idipſum, ſed mollius, & ſolum lentore quodam præditum; numerant nonnulli inter ſpecies Roris, etiam liquorem illum ſuaui odore præditum, quem Ladanum appellant, qui tempore Veris, in regionibus calidioribus, & præſertim in Cypro ex foliis Ladani, tamquam ſudor prodit.

Ladanus autem est planta, quæ dicitur species Cisti, quã Arabes Chasum nuncupant, & quoniam hirci, & Capræ ea depascuntur, barba, & pilis inguinum plurimum illius liquoris colligunt, ideo pastores, ex pilis caprarum, huiusmodi pinguedinem eliciunt, quam mox colant, purgant, condunt, & vendunt; quæ vt odoris est suauissimi; ita etiam vtilitates varias præbet, vt legere licet apud Medicos. At reuera, Ladanum numerare non debemus inter species Roris in aere geniti, sed putandum, potius esse liquorem, qui tamquam sudor pinguis, ex foliis Ladani tempore Veris exuberet, cum tantum ex eius plantę frondibus eliciatur; colligitur autem Ladanus, nedum eliciendo pinguem illum humorem ex pilis caprarum, verum etiam funiculis quibusdam agitando folia Ladani. Demum in aere nobis proximo, caligines, & Nebulæ apparent, & sunt duplices, vel enim sunt reliquiæ, & tamquam partes steriles nubium, ex quib. pluuiæ sunt genitæ, adeo vt id, quod superest, tamquam sterilis portio nubis ex media, in infimam regionem aeris descendens, nebulam generet, & hæc proprie dicitur nebula & signum est futuræ serenitatis; vel secundo gignitur nebula ex copia vaporum, qui ex debili & imbecillo calore ex conuallibus, & paludibus eleuati, in infima aeris regione derelicti, ob copiam non valent in Rorem, vel pruinam verti, & ideo caliginem pariunt, quæ frequenter futuræ pluuiæ est origo, frequenter enim vapores illi multiplicantur, attolluntur magis, & in nubes vertuntur, hinc non iniuria dicitur, nebulam descendentem indicare serenitatem, ascendentem verò futuram pluuiam: prima est propriè nebula, & sterilitas nubis, altera est Caligo, quæ nisi dissoluatur à Sole, semen est futuræ pluuiæ. Est itaque nebula, vapor copiosus, & densus, infimam aeris regionem obumbrans, quæ est vel residuum præcedentis nubis, vel initium sequentis.

Ladanum. *Nebula.* *Definitio nebulæ.*

CAP. XV.

De nonnullis, quæ in aere non sine insigni admiratione genita leguntur.

QVONIAM genitorum in aere quæruntur causæ, & multa in eo leguntur genita, quorum causa latet, ideo de modo generationis eorum occurrit differendum. Liuius libro primo. Decade prima, refert pluisse lapides, & libro tertio, Decade prima ait, pluisse carnes. Plinius, libro secundo Naturalis Hist. cap. 56. refert pluisse & lapides, & carnes. Cicero in libro de Diuinatione, inquit, sanguinem pluisse, Senatui enunciatum est, & in Topic. sæpe lapidum, vel sanguinis, vel lactis imber effluxit. Suessanus in primum Meteorum, testatur se vidisse Suessæ pluere sanguinem. Similiter Auerroes, prope calcem secundi Meteorum loquens de fulmine, inquit, & narrauit Auicenna, id quod contigit ex terrea conditione huius exhalationis, in terris Casaam & Tutch: inuenitur in eis locis, in quæ decidunt Fulmina, corpora nonnulla similia Ferro, & aeri, & ipsum laborasse, vt ea liquefaceret, vel incenderet, nec valuisse, quia dissoluebantur, & conuertebantur in ignem, id tamen in terris nostris inspectum non fuit, nec aliquis ex secta Peripateticorum id enunciauit. Insuper, narrauit Auicenna, quod in Corduba cecidit die sereno lapis magnus præditus odore sulfuris, quẽ testatur se vidisse, & hoc non est remotum; Similiter referunt nonnulli, in Saxonia pluisse lapidem pondere 300. librar. quem aiunt adhuc Ensisemii in templo seruari. Albertus Magnus refert, nedum pluisse Sanguinem, & Lapides, verum etiam Carnes, & Ranas, & Vitulos, quod approbat auctoritate Aui-

Liuius. *Plinius.* *Cicero.* *Suessanus.* *Auerroes* *Albertus Magnus.*

cennæ, de ranis, quod cum pluuiis decidant, & de lapidea sagitta quæ cum fulgure descendere indicatur, est opinio popularis, & approbata, adeo, vt si id inficiemur, conspicuè cum approbata experientia, & communi sententia pugnare videamur. Hæc nonnulli viri docti renuunt penitus, alii omni ex parte approbant, nonnulli se medios constituunt, quædam renuunt, alia concedunt, cum quibus ego sentiendum puto; & prætermissis miraculis, quæ ego in dubium non verto, loquens per principia naturæ, dicendum puto, lapidem 300. librarum non potuisse in aere gigni: non enim ex halitu sicco in aerem eleuato, in eodem loco tantum Terrei simul congregari potest, vt lapidem tam magnum constituere valeat, & præsertim, quia eius generatio quietem aliquam exposcit, qua in aere caret. Ideo dicendum puto, cum Aristotele in primo Metheorum, cap. de Cometis, hæc enunciante, quando in Ægopotamo, ex aere cecidit lapis à spiritu eleuatus cecidit, &c. Sic itaque à vento, qui turbo dicitur, valuit magnus ille lapis eleuari, & mox alibi cadere. De Vitulo, absolutè dicendum puto, in aere non posse gigni, tum quia Vitulus non ex halitibus proximè gigni potest, sed ex semine: tum insuper, quia eius generatio, tempus, & locum proprium exposcit, tum demum, quia generatio viuentis exposcit humorem rectè coctum, in quo vitalis facultas recipiatur, quæ congruens humoris coctio non fit in aere, sed in locis, in quibus humor crassus inueniatur, & propterea Ranas quoque in aere produci non existimo: neque etiam puto, eas statim, ex guttis in terram cadentibus gigni, nam tempus exposcit earum generatio, pro disponenda & formanda materia, sed puto huiusmodi ranulas prius ex propriis principiis in terra fuisse genitas, & latere in rimis & cauitatibus terræ, & superueniente pluuia eis salutari, exire, & saltare, quare si Vitulus cecidit, alibi à vento fuit eleuatus, vt à vehementi vento eleuatos ferunt mulos, etiam salma grauatos. Similiter quod dicitur etiam de carnibus, verum non puto in aere fuisse genitas, caro enim est pars Animalis, quæ non ex halitibus, sed ex sanguine gignitur. Nec generatur Caro seorsum ab aliis partibus Animalis. De ferro, & lapideis sagittis, minus impossibile indico, nam hæc proximè ex halitibus producuntur, propterea exiguas quasdam eorum moles in aere gigni posse existimo, & præsertim in regionibus calidioribus, ob siccorum halituum copiam & imperium caloris, citissime operantis, veluti in Arabia & etiam Corduba, in finibus Hispaniæ posita, non autem in regionibus Polo proximioribus. Demum de pluuia sanguinea primo dico, propriè sumptum sanguinem pluere non valuisse, ille enim non seorsum, sed in solo Animali gignitur, virtute cordis, vel Hepatis: sed si id contigit, ea erat aqua, rubeo sanguinis calore prædita, qui color ortum duxit ex permixtione sicci Terrei, cum vapore, ex quo aqua genita fuit, ex qua permixtione varia prodeunt, veluti etiam gignitur Mel, Aereum & Manna, quod præsertim fit in regionibus calidioribus, dummodo humor non desit, & fit non in media, sed potius in infima aeris regione, in qua maior halituum est permixtio, & fit, dum pluuia est tenuis, & exigua, quoniam exigua portio facilius permutatur, faciliusque recipit alienos colores: & pluuia in infima aeris regione genita, semper exigua est, nam est tanquam Ros copiosus, & abundans. Hæc sunt, quæ de his ego dicenda puto, me semper sapientiorum iudicio subiiciens.

Opinio propria. *Quid referat Aristot.* *De Vitulo.* *Rana.* *De carnib.* *De ferro & lapideis sagittis.* *Pluuia sanguinem.*

Cap. XVI.

De Fluminibus.

HACTENVS eorum Meteorum explicatæ sunt causæ, quæ & in media, & in infima aeris regione ex vaporibus ortum ducunt: & quoniam ex eisdem etiam in visceribus Terræ prodeunt Flumina, ideò de Fluminibus quam breuissimè verba faciam. Inspicimus in omni terræ regione, ex visceribus eius per fontes varios, varia prodire flumina minora, & maiora, quæ in ingenuis animis, & de rerum cognitione solicitis, non exiguam excitant admirationem, non enim appatet, vnde prodeat, vndeque ortum ducat, tam magna aquæ copia, quæ diu, noctuque vberrimè ex fontibus manat. Plato in Phedone ait, terræ globum perinde, ac animal quoddam Magnum, variis cauitatibus, & vasis esse præditum, tamquam venis, in quibus tamquam eius humores magna aquæ copia, partim purior, partim impurior reciperetur, & per quæ in varias partes, vel cum maiori, vel cum minori impetu effunderetur; Originem autem aquarum, & fundamentum dixit esse Tartarum, de quo Homerus cecinit: *Flumina.* *Plato.* *Homerus de Baratro.*

Longe nimis Baratrum stat sub Tellure profundum.

Ex Baratro autem, siue Tartaro, quatuor principalia flumina fluere dixit, nempe Oceanum, Acherontem, Pyriflegetontem, & Stygium flumen, siue Cocytum, ex quibus, ac etiam ex Baratro, alia minus principalia ortum ducerent. Sententia Platonis in parte est similis sententiæ nostrorum Theologorum, dum ex Terrestri Paradiso quatuor principalia effluere Flumina affirmant. Hinc eo loci Plato de Terra pura, locoque fœlici verba facit, tanquam de Paradiso Terrestri. At ex Platonis verbis, recta ratio conseruationis flumium non elicitur, neque etiam consentaneum est naturæ Elementorum, quod maior aquæ copia in visceribus terræ sit collocata, cum ea dicatur tanquam leuior ambire. Sententia autem nostrorum Theologorum differt ab ea Platonis, & à me semper commendatur. Nam Plato subobscure, & imperfecte solum tetigit nonnunquam ea, quæ leguntur in Genesi, propterea dixere alii, in terra plurimos meatus, & voragines reperiri, in quibus pluentes aquæ congregarentur, & ex quibus congregatæ effluerent, fluminaque parerent; Quorum sententia etiam non satisfacit, tum, quia experientia docet, flumina per pluuias crescentia, citissime decrescere, & quæ per pluuias fluunt, cito desinere: tum insuper, quia in regionibus, vt in Africa, in quibus vel raro, vel nunquam pluit, flumina plurima, & magna vberrimè fluunt, tum demum, quia experiẽtia docet, Fontes ex montibus ortum ducere, Aquæ autem pluuiatiles, non in montibus, sed in conuallibus congregantur, Propterea dicamus, cum Arist. in terræ partibus à centro distantioribus, & præsertim, in montibus, à Sole magna ex parte eleuatis, & conseruatis, constantibus ex impuriore, & rariore terra, meatus, voragines, antra, & cauitates varias reperiri, in quibus vaporum magna copia includitur, qui partim sunt geniti ex aere illo, qui attrahitur, dum meatus oriuntur, ne detur vacuum, qui mox à frigore terræ condensantur, partim producuntur intra terram à radiis Solis, quorum vis effunditur, & meat etiam per terræ cauitates, ex huiusmodi vaporibus, deinde magis à frigore condensatis, aqua gignitur, non secus ac gignatur in media aeris regione, & gignitur diuisa in exiguas partes in variis montium cauitatibus, quæ mox descendens, in loco aliquo communis congregatur, ex quo ortum ducit Fons qui per continuatam illam partium Aquæ *Flumina ex Baratro.* *Opinio Aristot.* *Fontes.*

generationem & congregationem conseruatur, & fluuium parit, continenter fluentem, pro cuius accretione etiam conducunt pluentes aquæ, illæ tamen præter essentiam fluuii iudicari debent, pluuiatiles enim Aquæ, ex Montibus in Valles descendentes, Torrentes pariunt, non propriè dicta flumina. In quorum fluminum generatione primo considerare debemus, quod vt in media aeris regione, vapores, & nubes, magna ex parte eleuantur à radiis Solis; non autem ex aere fiunt, ita contra, in Antris, & cauitatibus terræ, magna ex parte à frigore terræ, ex aere attracto gignuntur, cum radii Solis potius vapores trahant sursum. Secundo dignum est cõsideratione, quod vt in media aeris regione, parum aquæ æstiuo, plurimum hiberno tempore gignitur, ita vice versa, in visceribus terræ, plurimum æstiuo, minus hiberno tempore generatur. Ratio est: quia ob caloris ambientis circunsistentiam, æstiuo tempore viscera terræ sunt frigidiora, adeo vt dicere valeamus, dum æstas viget in aere, in terra vigere hiemem, & vice versa. Similiter tertio considerandum est, quod in illis regionibus, in quibus viget calor, & raro pluit, plus aquæ in visceribus terræ gignitur, & flumina sunt vberiora, & potiora, quam in illis, in quibus frigus potius in aere dominatur, cuius varietatis ratio ex dictis conspicua est. Hinc refulget mutua munerum naturæ recompensatio, rerum reciprocatio, eximiaque prouidentia Principis vniuersi flumen itaque Græce ποταμός, est aqua copiosa, per alueum vberrime, & continenter fluens, ex vno, vel pluribus Fontibus, per riuulos ortum ducens, influens in flumen aliud, vel demum in Mare. Riuus Græce ῥύαξ, est exigua portio aquæ, vel ex cauitate Montis, vel ex fluuio aliquo, aut natura, aut arte deriuata, & continenter fluens. Torrens Græce χάμαῤῥος, est aqua copiose fluens ex pluuia, & niuibus accretionem recipiens, magna ex parte æstiuo tempore fluere desinens. Fons est tanquam caput fluuii, & est principium ex quo aqua in visceribus terræ, primo diuisim genita, mox collecta, extrinsecus fluit, & riuum, vel flumen generat. Fontes, vel apparent in collibus, quibus altiores Montes superfint vel in radicibus Montium, nam in Montium cauitatibus aqua gignitur, hinc experientia docet, ex altioribus Montibus maiora flumina erumpere, & vice versa, flumina omnia, ex Monte aliquo ortum ducere. Dantur etiam deinde Paludes, stagna, & lacus, Lacus Græce λίμνη, est aqua multa, & profunda, in latitudinem extensa, eo loco orta, & perennis, ex qua riui, & flumina prodeunt. Stagnum Græce λίμνη, est copia aquæ effusa, & stans magna ex parte, ex fluuiis collecta, & non perennis: sumitur tamen nonnunquam pro aquæ copia, ex mari, vel flumine aliquo, in depressum locum effusa, ex quo non effluat, sed in eo quiescat, & à flumine, vel mari seruetur perennis, vt se habet de Stagno Orbetelli, & aliis multis, Mari proximis. Palus Græce ἕλος, est aquæ copia parum profunda, plurimumque extensa, magna ex parte non perennis, dicitur etiam de magna, plurimumque extensa aqua, prædita suis scaturiginibus, & riuis, ex qua flumina ortum ducunt, vt se habet de celeberrima palude Meoride, in quam Thanais flumen influit, quod in Asia, ex monte Parnasso ortum ducit.

Torrentes. *Primum considerandum.* *Alterum considerandum.* *Tertium considerandum.* *Definitio fluminis.* *Definitio riui.* *Definitio torrentis.* *Definitio fontis.* *Definitio lacus.* *Stagnum quid sit.* *Palus quid.*

Cap. XVII.

De permutatione partium terræ, & fluxus fluuiorum.

QVEMADMODVM omni ex parte, consimile seruatur Cœlum, ita Orbis Elementaris, sub eo positus, omni permutationum generi est obnoxius, quæ

quæ permutatio præsertim, refulget in globo, ex terra & aqua conflato, tanquam solidiore, magisque sub sensum nostrum cadente: nam reliqua duo elementa, vt magis fluentia Cœloque proximiora, consimiliorem seruant partium ordinem, & dispositionem, Terra igitur, quæ Aquæ iuncta, vnum globum constituit, collocata in medio Vniuersi, percussa à radiis Solis, eosq; repercutiens, quamuis lumini non sit peruia, tamen in partibus exterioribus, quæ rariores sunt, eos intra se recipit, multiplicique repercussione frangit, à quibus excalefit, modisque variis permutatur, & quemadmodum farinam, cum aqua mixtam, à calore permutatam, inspicimus intus rariorem reddi, meatibus affici, & in parte aliqua extolli, in alia deprimi, idipsum putandum est euenire de terra, cum humore aqueo iuncta à radiis solis excalefacta, nam ex ea excalefactione pēdet, vt partes non longe à superficie distantes reddantur rariores, attollantur, nonnullæ aliæ depressæ remaneant, & inde quoque ortum ducunt halitus varij, à radiis & terra humida geniti, qui in cauitatibus terræ inclusi, per eas deferuntur, nec parum conducunt pro variorum meatuum productione, montiumque eleuatione, & conseruatione, & quoniam huiusmodi causæ multis varietatibus sunt obnoxiæ, ideo etiam cuncta, quæ ex illis pendent, multipliciter variantur, nam eleuati montes, progressu temporis redduntur aridiores, minusq; aptæ ad gignendam aquam, ideo sensim illi decidunt, valles eis iunctæ attolluntur, & montes alij consurgunt, & cum terra, quæ solidior est, varietur, longè magis permutatur aqua ei iuncta, adeò, vt modo partem vnam terræ inundet, modo alteram, nunc crescat in loco aliquo, in eodem mox decrescat, ex quibus permutationibus, ortum ducunt permutationes habitationum: Nam partes terræ primo inhabitabiles, redduntur habitationi aptissimæ, & vice versa. Similiter inde ortum ducunt permutationes cursus fluminum, tum eorum, qui supra terram fluunt, tum subterraneorum, nam cùm mutentur montes, nec semper æquè sint apti gignere aquam, mutantur etiam fontes, & consequenter flumina; Insuper obstruuntur sæpe meatus, per quos aquæ transeunt, replentur aluei harena, & cœno, mutantur valles, ideo etiam mutantur cursus fluminum, & crescunt, atque decrescunt; Hæ tamen tam magnæ permutationes non exiguo, sed longo temporis cursu, & sensim fiunt, adeò, vt tempus, quo absoluuntur, ætatem superet multorū hominum, & propterea nos magna ex parte latent. Fiunt huiusmodi permutationes, nedum natura, modo iam explicato, verum insuper violentia, & arte: Violentia, vt dum per terræ motus vehementes aperiuntur montes, attolluntur valles, & vis fluminum variè obstruuntur: arte verò, vt terræ partes incidendo, attollendo, fodiendo, & inundantem aquam ex vno loco in alium deducendo, ita mortalium omnium est vicissitudo, nil enim est æternum, quod aufertur ab vno, tribuitur alteri, qua vicissitudine natura refulget vberior, mundus formosior: & Dei prouidentia admirabilior; At iure optimo quæret aliquis, cùm per naturam plurimæ terræ partes inundentur, num euenire etiam possit, vt simul per exuperantem pluuiarum copiam, vniuersa terra cooperiatur aquis, & fiat inundatio vniuersalis? Nonnulli audent id affirmare, nam cùm fiant in partibus, inferunt id posse fieri in vniuersa terra: quos minus rectè sentire existimo, tum, quia per vniuersi naturam partes nonnullæ terræ debent seruari aridæ. pro multorum animalium conseruatione, & ortu: tum quia nimium variaretur congruens ratio, quæ inter elementa seruari debet, nam etiam si aqua duplo redderetur maior, vniuersam terram non inundaret, ob vallium, & decliuium locorum amplitudinem, tum demum, quia non

Montium generatio.

Vicissitudo habitationum.

Cur nos lateant magnæ mutationes terræ.

Mortalium vicissitudo.

De inundatione vniuersa.

inundaret, ob vallium, & decliuium locorum amplitudinem, tum demum, quia non valent per naturam, tot in media aeris regione congregari nubes, vt id efficere aptæ sint. Propterea dicamus, vniuersalem inundationem, de qua legitur in Genesi, non natura, sed absoluta Dei potentia & miraculo fuisse factam, per naturam verò, solum putandum est, inundationes quasdam partium fieri posse, veluti tempore Deucalionis, & Myrræ, legitur inundatam fuisse Græciam, tempore Ogigis, Achaiam, & Beotiam, nam conspirare possunt per naturam causæ, quæ sint satis pro inundatione partis terræ, at non pro inundatione vniuersæ.

Cap. XVIII.

De Mari, & attinentibus ad illud.

MARE vt amplum est, & profundum, ita indagantibus causas conditionum eius, Mare magnum difficultatum offert, ego tamen de paucissimis, breuibus & lucide verba faciam. *Mare.* Mare Græcè θάλασσα, est copia aquæ maxima, cuius portio principalior, & maior est Oceanus, reliqua verò maria sunt portiones minores, minusque principales, quæ ratione varietatis littorum & regionum, quas attingunt, nominibus variis denotantur, vt Arabicum, Persicum, Britannicum, Germanicum, Indicum, Scythicum, Ibericum, Balearicum, Ligusticum, Tuscum, siue Tyrrhenum, & sic de cæteris. *Maris diuisio.* Diuiditur mare in Oceanum, & Mediterraneum: nam Oceanum dicitur vniuersam terram ambire, Mediterraneum verò per medias terras, in varias partes effundi, & diuidi. *Mare omne Mediterraneum.* Experientia tamen docuit, Mare omne esse Mediterraneum, quatenus non datur Mare, quod sine intercisione facta à partibus Terræ, vniuersum eius globum amplectatur, & ambiat, vt vetustiores existimarunt, plurimæ enim terræ partes inuentæ sunt habitationibus aptissimæ, quæ inundatæ aquis à veteribus iudicabantur; dici tamen potest, Oceanum vniuersam terram ambire per comparationem, quia magna ex parte, & magis quàm cætera maria eam ambit, aqua maris non manat ex fonte aliquo, & effunditur, non enim ex fonte, tam magna aquæ copia prodire posset: insuper, si id esset, flueret more fluminum, & dulcis esset, cum tamen mare extra non fluat, sed intra proprium locum coerceatur. Fluxum quendam, & refluxum, in seipsum recipiens, quare putandum est, vt cæterorum elementorum, ita aquæ dari locum quendam principaliorem, in quo elementum vniuersum sit congregatum, quod mox per partes varietur, distinguatur, variaque suæ conseruationis principia sortiatur, & si eueniat, vt in nonnullis marium partibus, fontes ex terra manare videantur, id est ex accidenti, non autem quod fontes illi sint principia propriarum aquarum maris. Insuper, quamuis continenter flumina varia, vberrima, & regia in mare influant, non tamen ob id crescere videtur, quia ex aduerso, plurimum eius per radios Solis in vapores dissoluitur, plurimum desiccatur à terra, qua de re multa eleganter Lucretius protulit, quæ apud eum legatur. *Definitio maris.* Est itaque mare elementi aquæ præcipua congregatio, intra locum proprium septa, constituta, & salsedine prædita, non extra fluens, sed in seipsum fluxum quendam, & refluxum suscipiens; Ex quo patet, quid sit mare. Sed duo se offerunt consideranda, quorum in definitione facta est mentio: primum est, vnde salsedinem recipiat. Alterum quomodo fluat & refluat. *De salsedine.* De salsedine variæ fuerunt veterum opiniones, nõnulli, vt Empedocles, dixere mare esse tanquam sudorem terræ, sudor autem salsus percipitur. Quæ sententia vera non est,

tum

tum quia Mare non Terræ sudor est, sed Elemĕtum ita principale vt Terra, tum quia ex Terra, tam copiosus sudor manare non posset, cum sui natura sit sicca, & minor quam Aqua, tum demum, quia fontium Aqua, ex cauitatibus Montium descendens, longe magis, quam ea Maris, videtur esse sudor terræ, cum tamen ea dulcis sit. Alii Vt Plato, in Timæo dixere aquam Maris recipere saporem ex Terra, per Aquã transit. Nonnulli dixerunt in Mari Montes sales reperiri, ex quibus salsedinem recipiat, quæ sententia etiam approbanda non est, præsertim quia sal, ex Aqua salsa gignitur super Terram effusa, & excalefacta, effectus autem non rectè sumitur pro principio suæ causæ. Insuper, ex eo non appareret, cur similiter Aqua fluuiorum salsa non sit. Propterea Aristoteles in secundo Meteorum, causam salsedinis Maris ait esse permixtionem exhalationis Terrestris calidæ, & siccæ, cum Aqua. Pro cuius sententiæ latiore explicatione accipiendũ primo est, quod cum Elementa, vna cum Mundo ex falsa sentẽtia Aristotelis sint æterna, affectionis eorum potius causa consetuans, quam absolutè efficiens, assignanda est. Accipiendum secundo, salsedinem ortum ducere ex sicco Terreo combusto, & cum humore permixto, quod nedum existimauit Aristoteles, verum etiam Plato, qui in Timeo loquens de generatione salis, dixit gigni ex mixtione humoris Aquei, cum tenuioribus Terræ partibus, Ignis acumine deficcatis. Idipsum patet experientia: nam Aqua salsa est densior dulci, quare non nisi ob mixtionem cum Terreo aliquo talis reddi potest, hinc si percoletur, & purgetur a Terreo, redditur dulcis. Accipio tertio, Elementa pura in Vniuerso non repetiri, vt suo loco patefeci, hinc quamuis mare, maiorem Aquæ porionem includat, ea tamen pura non est, sed cum Terreo præcalefacto permixta, ideo Aristoteles in tertio de Generat. Animalium, capit. 11. scriptum reliquit, Aquam Maris humidam, multoque corpulentiorem esse potulenta, atque sua natura calidam, vt particeps omnium partium sit videlicet humoris, Aeris, Terræ. Considero quarto, iure optimo Dei prouidentia ordinatum esse, vt maxima Aquæ copia non fluens sit salsa, nam si salsa non esset, cum non fluat, putresceret, salsedo autem pręseruat eam a putredine. Insuper ita redditur aptior, pro ortu, nutritione, & conseruatione piscium, & præsertim maiorum, cum sit calidior, & crassior, ac etiam pro nauigationibus. Accipio quinto, Aquam fluuiorum, & cæteras ex vaporibus productas, esse tanquam Aquas ex sublimatione & purgatione ortas, & propterea, non salsas esse sed dulces, vt etiam Aqua Maris arte per sublimationem, & dum percolatur redditur dulcis. His pręassumptis, dico, Salsedinem esse affectionem Aquæ maritimæ, ex sicco Terreo præcalefacto, & cum humore permixto prodeuntem, vt magna Aquæ copia non fluens incolumior a putredine seruetur, & pro multorum viuentium ortu, & conseruatione esset aptior, & quamuis in Mare contineretur magna copia, Aquæ dulcis per flumina ingrediatur, seruatur tamen salsedo, quia ex aduerso per solem innumeri vapores eleuantur, qui ex portione dulciori, & leuiori educuntur, remanente portione salsa, tanquam excremento, & parte minus cõcocta, qualia sunt excrementa Animalium, adeo vt adsit mutua recompensatio. Et si quis obiiciat, quia salsedo non videtur affectio Aquæ Maris, cum non competat omni, & soli: nam Materia Arabiæ dicuntur dulcia, & alia nonnulla; Similiter ait Aristoteles in secundo Meteorum, in Palistina stagnum repetiri adeo amarum, & salsum, vt in eo nullus piscis orietur, nimia enim salsedo, ita eis obest, vt temperata prodest. Huic obiectioni respondens, dico, Maria Arabiæ magna ex parte dulcia videri, ob ingentia flumina, & magnam

Plato.

Aristot.

Primũ quod accipitur.

Alterum quod accipitur.

Tertium quod accipitur.

Quartũ quod accipitur.

Quintũ quod accipitur.

Definitio Salsedinis.

Dubitatio.

Solutio.

Aquæ eorum copiam, repellentem aquam salsam crassiorem, & grauiorem, ad medium, & fundum maris: nam flumina omnia dum ingrediuntur mare, reddunt id in ea parte dulce: Stagna autem si fuerint amara, talia sunt, vel quia ortum ducunt ex mari, & cum eo nectuntur, vel quia eorum aqua fuit præcalefacta, & permixta cum terra exusta, & Mineralibus nonnullis, vt accidit de aqua Thermarum, adeo, vt ex accidenti solum amara fit. Hinc Aristoteles in secundo Meteorum inquit, exusta Terra, vel magis vel minus, omnimodas recipit varietatas saporum, & colorum, Aluminis enim & Calcis, & aliorum similium facultatibus afficitur, per quas meantes aquæ cum sint dulces, permutantur, & nonnullæ redduntur acetosæ, adeo, vt incolæ aceti vice eis vtantur, vt in Sicania Siciliæ, &c. Patet itaque ex dictis, quid sit Mare, & quæ causa salsedinis eius.

Arist.

Cap. XIX.

De motibus Maris.

QVAMVIS Mare non more fluminum fluat, sed perinde, ac Princeps Aquarum in sua sede resideat, & à fluminibus tributa recipiat, quatuor tamen motuum genera in eo inspiciuntur; Primus est motus adæquationis, secundus agitationis, tertius fluxus, quartus fluxus, & refluxus. Quod ad primum motum pertinet, quia varia, & ingentia flumina vberrimè in mare influunt, & in vnum mare, magis quàm in alterum, & Aqua sui natura in decliuia fluit, ideo, pro æquatione, pars vna maris, recipiens aquam, fluit in sibi proximam, & mare vnum, in aliud sibi iunctum, ita Mœotis ob æquationem in Pontum fluit, Pontus in Aegeum mare, quorum motus in angustiis, & prope littora patet, vt in secundo Meteorum testatur Philosophus. Et maria Septentrionalia, in Meridionalia, tanquam decliuiora fluunt, quod præsertim accidit, quia in Septentrione plus aquæ gignitur ob frigus eius regionis, in Meridie plus eius consumitur ob calorem aeris. Alter est motus agitationis violenti, competens aquæ maris, dum agitatur, vel per Terræmotus, vel à Ventis, vel à Remis, & consimilibus. Tertius est motus fluxus. Nam quamuis maria non ita fluant, vt flumina, tamen eis ex accidenti, & secundum partem fluxus, aliquis competere potest, vel quatenus ob fluminum copiam mare vnum fluit in aliud, vel quatenus ex accidenti alicui parti maris iuncti sunt fontes, ex quibus scaturiens aqua fluit in partes alias; Verum hi non sunt propriè fluxus, sed ad motum æquationis rediguntur, & mari solum ex accidenti competunt. Quartus autem motus ille est, qui propriè mari competit, & dicitur fluxus & refluxus, & adeo est obscurus, vt fluxum patiat opinionum, & ingenia hominum mirum in modum agitet, & extorquear. Pro cuius explicatione accipio primo, fluxum maris dupliciter vsurpari, vel pro eius motu ex Oriente in angelum Meridiei, ex hoc, in angulum Occidentis, tertio, in angulum mediæ noctis, quarto, ex hoc, in angulum Orientis, & id absoluitur tempore viginti quatuor horarum, tribuendo vnicuique quartæ horas sex, adeo, vt mare, dum in nostro littore decrescit, crescat in opposito. Secundo, vsurpatur fluxus maris, pro quodam aquarum eius æstu consimili nostræ inspirationi, & exspirationi aeris, quo æstu aqua modo inflatur, & eleuatur, modo contrahitur, & deprimitur. Nonnulli tribuerunt mari motum primum tantum, alij secundum. Recentiores, in mari magis versati, ei tribuunt vtrumque. Nam in Oceano duplex apparet motus, vnus ab Ortu, in Occasum continue, ob quem recedentes

Motus maris. *Motus adæquationis.* *Motus agitationis.* *Motus fluxus.* *Fluxus et refluxus.* *Primum quod accipitur.* *Aestus maris.*

à Nerito promontorio Hispaniæ, & petentes Angliam, tardius ad eam perueniunt, quam reuertantur. Similiter ex Hispania soluentes, ad Insulas à Columbo repertas in Occidente, citius perueniunt ad eas, quam reuertantur, vno mense accedant, tribus redeunt; Alter est motus ille qui dicebatur Æstus alicubi adeo est conspicuus, vt in Flandria inspiciantur aliquando Flumina retrorsum in Fontes redire, & in Anglia Flumen Tanais; Hi motus, etiam apparent in Mari Mediterraneo, at non adeò conspicuè æstus Maris apparet. Alter quoque motus redditur motus: nam qui nauigant in Adriatico propè Istriam, Dalmatiam, & Albaniam, percipiunt motum Aquæ versus Occasum, quæ accedens ad Venetorum littora, vertitur versus Meridiem, inde versus Apuliam, hoc est Orientem, adeo, vt Circularis appareat motus Maris Mediterranei: nam ab Hellesponto tendit in occasum, inde ad columnas Herculis, & cum reuertatur per costam, & littora Africæ, & Ægypti, tendit in Syriam, & Ortum. Cum itaque hi duo motus in Mari appareant, quorum causa latet, vtriusque inquirenda, & tradenda est. Qua de re nil distinctè profert Arist. Nam veteres attinentia ad Mare magis latebant. Ait Strabo, in principio primi libri, dixisse Homerum, ter in die Mare emittere vndas, & ter eas contrahere, cum tamen non ter, sed bis id efficiat. Plato vniuersam causam huiusmodi agitationum elicit ex cōditione Tartari, hoc est Barathri, siue Voraginis in medio Terræ, in qua tanquam in vase pensili, maxima Aquæ copia cum spiritibus mixta reperiatur, & ob id, vt in respirantibus, Flatus continenter emittitur, & recipitur, sic & ibi spiritus vna cum humore elatus, vehementes ventos excitat, & humor fundamento carens, & indifferens ad omnem differentiam positionis, modo sursum, modo deorsum mouetur, & re fluit. Hæc sententia, nequaquam videtur consentanea rationi, primo, quia aquæ locus non est medium vniuersi, vt alibi fatetur Plato. Secundo, quia motus, ordine, & mensura præditi, causa assignari debet ordinem eminenter includens, fluxus Maris seruat ordinem, cuius ordinis nulla per dicta à Platone refulget ratio, solum ex ea interna Aquæ à spiritibus agitatione, posset elici ratio continuatæ, & perennis agitationis quarundam aquarum, quæ alicubi continenter feruere videntur, cum tamen sint frigidæ. Propterea multi viri docti inquiunt, æstum Maris fieri per excalefactionē pendentem ex motu, & lumine Lunę, sed hoc mihi dubium, & mirabile videtur, quomodo Luna quæ parum lucet, & exiguum parit calorem, valeat suo lumine, tam magnam Aquæ molem rarefacere, & agitare, & præsertim, quia sæpè Nubes impediunt transitum Radiorum eius, & facies Lunæ versa ad Mare, lumine caret, adeo vt hæc causa, conspicuè varietur, cum tamen non varietur æstus Maris.

Strabo. *Plato.* *Euersio.* *Opinio quorundam.*

CAP. XX.

De Fluxu, & Aestu Maris.

LOQVENS de Fluxu Maris, cum causa summopere lateat, aliorum opiniones non damno, sed solum de illis dubito, & cum nil certi proferre valeam, id dicam, quod rationi, & principiis Aristotelis summopere mihi videtur consentaneum. Iactis primo fundamentis nonnullis, quorum primum id est, quod sub initio primi Meteororum ab Aristotele profertur, nempe, mortalem Orbem, necessario necti cum superis lationibus, & inde virtutem eius omnino gubernari. Accipio secundo, per cœlos, & communes causas in huius mortalium

Fundamentum primum pro resolutione. Secundū fundamentum.

orbis, & partium eius permutatione, primo gigni halitus, tanquam communia semina & principia cæterorum, & propterea huiusmodi halitus, mirum in modum cum lumine, & motu cœli iuncti sunt, adeo, vt facilè sequantur quamlibet mutationem eius: & hinc præsertim oritur mira Sympathia, & Antipathia partium Mundi mortalis inter se: & cum cœlo. Accipio tertio, id quod dicitur ab Aristotele in primo Meteororum capitulo septimo, de Comete loquente, nempe, quod dum à Stella aliqua eleuatur, & trahitur halitus quispiam, tunc halitus ille reuoluitur, & sequitur motum illius Stellæ. His quarto addo, Mare cum sit apprimè permixtum, plurimos includere halitus calidos, & siccos, lumine præsertim Solis, & Lunæ productos, & conseruatos, ac ob id mirum in modū, cum cœlo, eiusq; lumine, & Motu esse iunctum, cōducente ad hoc etiam, quod Mare locum obtinet Elementi aquæ, suo ordine mundum constituentis, & propterea sequitur maximè conditionem motus totius vniuersi: motus autem totius, est motus diurnus, vt sæpè testatur Philosophus, quo motu primo mouetur supremum mobile, mox orbes Planetarum, tertio, Mundus totus Elementaris, præter terram, quæ cum eo motu non moueatur, inseruit tamen ei loco Centri immobilis, circa quod cælum reuoluitur. Demum, accipio cœlum in mortalia agere lumine, & motu, non ita tamen, vt Lumen, & Motus causæ sint principales, sed causa principalis est cælum, Lumen autem, & Motus sunt instrumenta, & propterea etiam modo vario operantur, vt variorum Syderum sunt Lumina, & motus: Experientia autem constat, Lunam nobis propinquiorem, etiam per conditionem eius propriam miram cum humoribus mortalium habere connexionem, adeo vt ex eius coniunctione cum sole, vel oppositione, conspicua refulgeat humorum commotio, & præsertim in ægris tanquam debilioribus, & exuperantiam alicuius humoris includentibus; His assumptis, ordiens à motu Maris ab ortu in occasum, qui in Oceano maior, & liberior apparet, in Adriatico obscurior est, & ob litorum impedimenta imperfectior, dico, hunc esse motum Aquæ Maris, tanquam partis vniuersi, qui ei secundū naturam totius competit, & originem ducit ex primo motore, & mobili, proximè autem ex Luna qui intermedios halitus, partim extrinsecus mare ambientes, partim in eo inclusos, vt pars hæc cum suo toto conformetur, suamque perfectionem conseruet. Pro notitia huius Definitionis, considerandum primo, motum diurnum, singulis Elementis competere, præterquam Terræ, & esse secundum naturam, non propriam eorum sed totius Vniuersi, qui motus, cum competat Igni, Aquæ, & Aeri supra montes posito, etiam competere debet infimæ aeris Regioni, quæ mobilior est, quam Aqua, in eo tamen minus apparet, minusque ordinem seruat, tum ob distantiam, tum ob impedimenta Montium, tum etiam, quia Venti in eum habent magnum imperium. Insuper animaduertendum, quod cum huiusmodi Motus competat aquæ per Lunam, vt propinquiorem, & sua proprietate & conditione, cum humore coniunctiorem, quemadmodum Luna singulis diebus regreditur à motu diurno, per duodecim fere gradus, per quos suo motu ab occasu fertur in Ortum, ita putandum est, hunc regressum competere motui Maris, veluti Aristoteles in primo Meteororū dixit se habere de Cometæ alicui Planetæ iuncto, cui vt Planetæ, competit regressus. Loquendo vero de altero motu Maris, qui æstus dicitur, & refluxus, hic profecto cum sit inflatio, ac elatio quædam Aquæ, & contractio, ex alio proximo principio, quam ex halitu, & spiritu quodam prodire non potest, quia cum aqua, & ei iuncta Terra sit commixtus: hinc qui hunc æstum accuratè scrutarunt, perceperunt à fundo, & infima

Tertium fundamentum.

Quartū fundamentum.

Motus totius.

Quintum quod accipitur.

Definitio Fluxus.

Motum diurnum esse motū totius.

Regressus Cometarum Æstus.

& infima Aquæ parte initium sumere, ac inde per alias extendi, & eleuari, huiusmodi spiritus, cum maximè producantur à Sole, maximè etiam cum eo connexionem habent, & sympathiam, & propterea putandum est, præsertim à Solis radiis excitari, regulam tamen, & ordinem recipere à Luna, quia cum humore Aqueo sunt iuncti, adeo, vt ad hunc æstum producendum conspiret Motus diurnus primi Mobilis, conspiret Sol suis radiis eo motu reuolutus, conspiret Luna, sua proprietate connexa cum humore, conspirent spiritus effusi, per aerem permixti cum aqua, & iuncti cum Terra propterea non quia illi halitus, à Luna excalefiant, vel refrigerentur, ita excitantur, sed quia sua conditione, cum ea sunt iuncti, sympathiamque habent: & quia moto neruo mouentur, iuncta cum eo, & exigua facta permutatione in principio, fit maxima in pendentibus ex eo, ideo iure optimo, elatio, & excitatio eorum spirituum sequitur, & æmulatur pro facultate, motum suorum principiorum, & præsertim Lunæ. Est igitur æstus Maris elatio, & contractio aquarum eius, proxime pendens ex cómotione spirituum permixtorum cum aqua, sequentium, & æmulantiũ pro facultate Motum diurnum receptum in Luna, tanquam principium eorum, ob consensionem, quam habent cum eo, initium suscipiens à parte infima aquæ, vt pro viribus, in motu cum Vniuerso conformetur; Hoc motu potius mouetur aqua Maris, & Salsa, quam aqua fluminum, tum quia magis cũ halitibus est permixta, tum etiam, quia magis Maria seruant cõditionem totius Elementi Aquæ, quam flumina: quod si dari dicuntur Flumina, quæ refluant, vt dicitur de Fluminibus Flandriæ & Britanniæ; putandum est, id eis competere in ostiis, ob connexionem quam habent cum aqua Maris à cuius fluxu coguntur sæpe regredi & in principia redire. Similiter vice versa, si Maria sub Æquatore carent Fluxu, vt fertur, putandum est, fluxum eis cõpetere exiguum, & fugientem sensum ob amplitudinem Circuli sub Æquatore positi, ob copiam Fluminum limpidorum in ea ingredientium, & maiorem eorum puritatem, & præsertim quia à calore vehementi illius Zonæ, halitus secernuntur ab Aqua, & dissoluuntur. Similiter in Mari Tyrrheno, neque apud Ligures, neque apud Gallos, æstus apparet, ob varietatem profunditatis positionis, & aspectum. Demum, cum in Mari, duo illi motus appareant, putandum est, eos ex parte principiorum esse coniunctos, quoniam illi met spiritus, qui excitati æstum patiunt, etiam vt magis cum Vniuerso conformentur, Mare mouent ab Oriente, in Occidentem, vt mouentur prima, & communia eorum principia. His adeo, quod si quæ dantur Maria, quæ vt legitur solum singulis Mensibus semel ęstuant, adeo vt vsque ad plenilunium crescant, mox contrahantur, putandum est, quod cum non valeant ob imbecillitatem spirituum æmulari principium primum, nempe motum diurnum, ęmulantur proximum, nempe motum Lunæ.

Definitio Æstus Maris.

CAP. XXI.

De Ventis, quid sint.

VENTORVM consideratio, vt est vtilis, & iucunda, ita per spiritum in quo versatur, varias excitat nobisque offert difficultates, de quibus loquẽs, tria præsertim considerabo, primo quid sint, secundo quomodo, & à quo moueantur, tertio, quot sint, & quomodo diuidantur. Dum primo quæritur quid Ventus sit, inquit Vitruuius lib. 1. cap. 6. Ventum esse vndam currentis Aeris, cum incerta redundantia moti, excitata ab actione caloris in humorem, dum vis ca-

De Ventis tria consideranda. *Quid Venti sint.* *Vitruuius.*

Stoici. caloris exprimit vim spiritus flantis. Stoici dixerunt Ventum omnem esse impetum fluentis aeris, qui ob locorum varietatem, variis nominibus denotaretur. Anaximander. Anaximander existimavit, Ventum esse fluxum Aeris crassioris, cuius subtiliores humidioresque partes Sol consumpserit Metrodorus Chius, censuit Metrodorus. Aristot. Ventos gigni ex humido halitu, ex Aqua per Solem eleuato, à Soleque excalefacto, & desiccato, veluti ex pituita excalefacta, flatus in nobis gigni experimur. Sed dimissa variarum opinionum relatione, ad Aristotelem veniamus, qui in secundo Meteororum, de Ventis loquens, eam sententiam reiicit, quod Ventus sit Aer motus: nam potest Aer per varia agitari, & moueri, vt experientia patet, cum tamen Aer ille motus, non nisi per metaphoram dicatur Ventus, vt per Metaphoram Flabello dicimus ventum excitari, & fieri. Similiter damnat sententiam dicentium, Ventum ex vapore illo gigni, ex quo fiunt pluuiæ, modo tamen vario, adeo, vt per eius motum constituantur Venti, per concretionem vero, pluuiæ; Ex propria autem sententia affirmat Ventum gigni ex halitu sicco, præcalefacto, eleuato ex Terra per calorem Terræ insitum, & per Radios Solis, dum enim huiusmodi halitus, non ascendit ad superam, nec ad mediam Aeris regionem, sed infra mediam coercetur, vel quia à frigore mediæ Regionis repellitur, vel quia densior, crassior, & minus calidus est, & impetu quodam mouetur, Ventum constituit, quæ sententia comprobatur, tum; quia venti desiccant, tum insuper, quia velociter mouentur, quod est proprium siccorum spirituum, tum demum, quia nubes, quæ sunt halitus humidi, quamuis in media aeris Regione sæpe moueantur, non tamen dicuntur Ventum constituere, sed Venti sicci. agitari à vento: Sic itaque Venti sui conditione sicci sunt, non tamen consimiliter, sed vel magis, vel minus: etsi nonnulli Venti dicuntur humidi, vt qui flant ab Austro, id eis competit, vel quia ad nos deferunt nubes, vel quia minus cæteris sicci sunt; Similiter Venti dicuntur calidi, vel magis, vel minus, quia huiusmodi halitus, à calore excitantur, & cum sint sicci sunt apti facile incendi: & cum dicimus Ventum gigni ex halitu calido, & sicco, id intelligi debet, non absolutè, sed secundum imperium: nam duo halituum genera, non pura, sed permixta semper sunt, vel magis, vel minus, & huiusmodi permixtio, præsertim competit halitibus Ventorum, tum quia suo motu cum aliis miscentur, tum quia Terræ sunt Halitus Ventorū valde permixti. proximi, quo in loco, omnia halituum genera confusa inueniuntur, tum demum, quia proximi sunt principio, ex quo eliciuntur, & per secretionē non sunt adhuc expurgati, Hinc Ventorum alij dicuntur calidi, & sicci, alij calidi, & humidi, nonnulli frigidi & sicci, quidam frigidi, & humidi: quod verum est, vel facta inter eos comparatione, vel ob conditionem loci ex quo spirant, vel ob vapores quos ad nos deferunt, cum tamen sui conditione omnes sint calidi, & sicci.

Dubitatio. Solutio. Et si quis instet quia Venti nos refrigerant, & hyberno tempore congelant Aquas: Dicendum est, id accidere triplici de causa: nam refrigerant, vel secum deferendo halitus frigidos, vel repellendo à nobis Aerem ambientem, à nostris spiritibus præcalefactum, & afferendo non præcalefactum: vel tertiò, quia quamuis illi halitus sicci, primo sint calidi, cum sint à calore vel terræ insito, vel Solis producti, tamen quia ea siccitas est Terrea, & facile calorem deserit, & cum frigore sui conditione nectitur, ideo facile refrigerantur, & præsertim à frigore mediæ Regionis aeris, à quo repelluntur, refrigerati autem cum sint tenues, sicci, & mobiles, maxime per intima meant, & vehementer refrigerant; dicuntur tamen Venti absolute calidi, & sicci, cōsiderando principium generationis eorum: nam illi halitus, à calore producuntur, & venti non spirant sine præcurrente

currente aliqua agitatione facta à calido, vt in sequenti cap. latius patebit. Adhuc instabit aliquis, quoniam vt dicebatur, pituita in nobis flatus gignit, pituita autem humidos, non siccos parit halitus. Insuper, Vitruuius loco supra relato experientia ostendere nititur, Ventum fieri per actionem caloris in humorem, percipimus enim vasa Ænea, aqua semiplena, desuper prædita ore angusto, ignique apposita, statim quod Aqua feruere incipit, emittere per angustum os magno impetu flatum quasi ventum: quod etiã percipimus fieri in cadis vini, dum vina recentia ebulliunt: Ad hæc dico, primo, agitationẽ, & motum, variis quidem halitibus competere posse, non tamen omnem esse Ventum, sed agitationem magnam, vehementem, & in Aere factam, quæ per halitus efficitur magis tenues, & mobiles; Addo secundo, Aristotelem inspexisse id quod accidit, vt plurimum, nam vt plurimum ventus fit per spiritum tenuem & siccum à calore excitatum, euenire tamen potest, vt etiam fiat per vaporem humidum, vel dum præcalefactus, per angusta loca exitum quærit, vel dum à frigido aliquo corpore, cui occurrit repellitur, id tamen nunquam fit sine mixtione, cum aliquo spiritu sicco, & tenui, hinc iure venti dicuntur spirare, & spiritus nuncupantur.

Alia dubitatio.

Solutio.

CAP. XXII.

A quo moueantur venti.

DECLARATA materia, & essentia Ventorum, quæ in halitu calido, & sicco modo est posita, nõ leuis se offert dubitatio, à quo, & quo pacto moueantur, nam halitus illi Ventum constituentes, vel mouentur secundum naturam, vel præter naturam: non secundum naturã, quia cum sint mixti, moueri debẽt motu Elementi dominantis, Elementa autem per naturam motu recto, non in obliquum mouẽtur, si dicitur moueri violentia, dubium est, quid tam magnam eis inferre valeat violentiam, vt per tam magna interualla, tanto impetu moueantur: Augetur dubitatio, quia motus violentus in progressu remittitur, & redditur tardior. Venti in principio leuiter spirant, vt ait Aristoteles, & experientia docet, in progressu autem vehementiores reddũtur, Auer. in 8. Physic. 36. inquit motum Ventorum esse secundum naturam, & moueri ab interno, vt etiam ferrum per Qualitatem à lapide Herculeo receptam, ad illum mouetur, quæ sententia est dubia, nedum ob rationem iam relatam, verum insuper, quia idem non mouetur per naturam motibus variis, at Ventorum valde varij, dissimiles, & sine ordine, & regula sunt motus, quod naturæ maxime aduersatur. Arist. inquit, Ventos materiam recipere ex Elementis inferioribus, nempe ex Terra, & Aqua, moueri autem desuper, & id confirmat, inquiens id ex eo constare, quia antequã Venti spirent, si Nubes, vel Caligo in Aere fuerit, apparent moueri, & earum motus est signum futurum Venti: At quid sit hoc desuper mouens, adhuc non patet, num sit Sol excitans, & agitans suo Lumine spiritus, vel cœlum suo motu in Orbem, vel media Aeris Regio; quæ vel suo frigore repellat spiritus, vel sua reuolutione impediat halituum ascensum. Theophrastus id retulit ad cõditionem halituum, qui cum sint sicci, iuncti cum humore, sunt parrim graues, partim leues, & ob id, nec ascendunt, nec descendũt penitus, sed medio quodam modo mouentur: aduersus quam sententiam varia possunt afferri, quibus prætermissis, pro Solutione dico, pro motu Ventorum varia conspirare, ex quibus consurgit completa causa motus eorum. Nam conspirat mutua actio caloris, & frigoris, quæ variorum motuum est origo, vt legitur in libr.

De motu Ventorũ.

Auerr.

Aristot.

Theophr.

Sententia propria.

Conſpirā tia varia pro motu Ventorū. de motu animalium, Conſpirat Sol, qui ſuis Radiis excitat, & diſſoluit ſpiritus, dum excitat mouet eos, dum reſoluit etiam diſſoluit ventos, hinc vigente ſummo frigore, & ſummo calore, venti non ſpirant; Conſpirat motus cœli: cum enim cœlum moueatur in orbem, reddit qnodammodo ſingula Elementa præter terram procliuia ad eundem motum ſecundum naturam totius, conſpirat proximius media Regio Aeris, quæ partim ſuo frigore halitus calidos, & ſiccos à ſe repellit deorſum, partim ſua reuolutione impedit multorum halituū aſcenſum, & motum rectum, conſpirat Terra, quæ cū repulſo ſpiritui tranſitum prohibeat, eſt cauſa vt in obliquum moueatur, ventus enim illuc non tendit, vnde exitus ei non patet. Demum, conſpirat propria conditio ſpirituum, qui cum ex parte dominantis ſint Aerii, Aer eſt huius conditionis, vt recepto aliunde principio motus, ex ſe deinde eo motu moueatur, vt docet Philoſophus in 4. de Cœlo, & in 8. Phyſ. loquens de motu proiectorum, qua poſtrema ratione, & *Auerr.* conſideratione dixit Auer. in 8. Phyſ. 36. motum Ventorum eſſe ſecundum naturā; Ratio addita à Theophraſto, cum hac poſtrema connectitur, & motui illi aliquam affert opem, quamuis nec tota, nec principalis cauſa ſit, Auer. principalem tetigit. Horum principiorum motus, quædam ſunt communiora, quædam magis propria & proxima, mouentur autem ad varias differentias poſitionis ratione varietatis loci, ex quo halitus eliciuntur, & differentiæ poſitionis eius, à quo fit repulſio, nam repulſio fit in oppoſitum eius, à quo fit pulſio. Præbent Venti varias vtilitates, vt conſpicuū eſt, vna tamen earū ad Vniuerſi perfectionem, & conſeruationē pertinens hæc eſt, ne Aer terræ proximus ſua quiete putreſcat, & reddatur locus non ſaluber, nec aptus pro conſeruatione Viuentium. Ariſt. definiens Ventum, dixit eſſe copiā ſicci halitus, ex Terra prodeuntis, circa Terram moti. quam definitionē latius explicantes, cauſaſq; externas addentes, ita dicere volumus. Ventus eſt copia ſicci halitus, ex Terra per calorē prodeuntis, circa Terram, ad varias differentias poſitionis moti, per agitationem prodeuntem ex actione caloris in humidum frigidum, & repercuſſionem a media Aeris Regione frigida, vt Aer Terrā ambiens incolumior à putredine ſeruetur.

Cap. XXIII.

De numero Ventorum.

Ariſtot. Vētiduo. De numero Ventorum variæ ſunt opiniones; Inquit Ariſtoteles in quarto, de Rep. c. 3. priſcos diuiſiſſe Ventos in duos, nēpe in Boreales, & Auſtrales, cæteros putaſſe eſſe portiones horū, & receſſus ab eis. Alii mox diſtinctius *Quatuor* eos conſiderantes, diuiſerunt in quatuor, ita Poetæ quatuor circumſcribunt Ventos, reſpondentes principalibus punctis Horizontis, nempe Orienti, Occidenti, Septentrioni, & Meridiei; Sed quoniam hi quoq; magna latitudine ſunt *Octo.* præditi, ideo alij ſingulos eos diuidentes in duos, Octo numerarunt, addendo eos, qui ſpirant à pūctis interſectionis Tropicorū, & Horizontis. Inſuper, quoniam adhuc inter Tropicos, & Polos, ſatis magnum eſt interuallum, ideo alios *Duodecim.* quatuor addiderunt flantes à punctis deſignatis per Polos Zodiaci, & ab oppoſitis. Nautæ quia maximè vtuntur beneficio Ventorum, & diſtinctio eorum maximè eis eſt vtilis, ideo Vniuerſum Horizontem, in triginta & duas partes *Triginta duo.* diuidunt, & triginta duos ſeruant Ventos, quos etiam exactioris diſtinctionis *Conciliū.* gratia, in portiones minores diuidunt. Et cum tam variæ appareant de Ventorum numero opiniones, non propterea pugnant inter ſe, quia ex omni Terræ parte eleuantur halitus, & in orbem ex omni eius differentia ſpirare valent,

magis

magis tamen ex vna, quam ex altera, ob maiorem, & minorem copiam halituum, ei parti competentium; Circulus autem, & in plures, & in pauciores partes diuidi poteſt: conſiderando tamen eorum Temperamenta, & puncta principaliora, quatuor principales ſtatuendi ſunt Venti; Inquit Ariſtoteles plures, & copioſiores ſpirare ventos ex parte Boreali, quam Auſtrali, tum quia nos incolæ ſumus partis Borealis, & eos magis percipimus, tũ inſuper, quia in ea parte plus humoris reperitur, ex quo eliciuntur halitus. Hinc Ariſt. 10. ponit Ventos quorum ſex ait ſpirare ex parte Boreali, quatuor ex Auſtrali, mox 11. addit; Vt autem diſtinctio, numerus, & nomina, clarius appareant, duæ ſubſcribuntur Figuræ, quarum prima ad Philoſophos, altera ad Nautas pertinet.



Quidam vtuntur his carminibus, aut minus recte in parte.
Sunt ſubſolanus, Vulturnus & Eurus Eoi,
Circius, Occaſum, Africus, & Zephyrus afflant,
Aduenitnt Aquilo, Septentrio, & Chorus ab Arcto
Atque die Medio Auſter, Africus, Nothus, Euro, Auſter.

Nautæ hac Deſcriptione vtuntur.

Tramontana.
Ponente 4° à Mro.
Maeſtro à Ponente.
Maeſtro 4° à Ponente.
MAESTRO
Mrō 4° à Tramontana.
Tramontana à Maeſtro.
Tramontana 4° à Maeſtro.
Leuante.
Tramontana 4° à Greco.
Greco à Tramontana.
Greco 4° à Tramontana.
GRECO
Greco 4° à Leuante.
Leuante à Greco.
Leuante 4° à Greco.
Mezzodi.
Leuante 4° à Scirocco.
Scirocco à Leuante.
Scirocco 4° à Leuante.
SCIROCCO.
Scirocco 4° à Mezzodi.
Mezzodi a Scirocco.
Mezzodi 4° a Scirocco.
Ponente.
Mezzodi 4° a Garbino
Garbino á Mezzodi.
Garbino 4° a Mezzodi.
GARBINO.
Garbino 4° à Ponente.
Ponente à Garbino.
Ponente 4° à Garbino.

Principales octo Ventos maiuſculis deſignatos, lineis nigris pingunt, & nuncupant principales, octo alios, inter principales in medio poſitos, nuncupant medios, eoſque lineis viridibus deſignant, ſexdecim reliquos intra eos poſitos nuncupant intermedios. & quadrantes, lineiſque rubeis ſignant: addunt in deſcriptionibus nonnunquam lilia & cruces, lilium ſignant verſus Septentrionem, crucem vero verſus Orientem.

Horum Ventorum, illi dicuntur oppoſiti, & contrarii, qui per Diametrum maximè diſtant, & hi dicuntur non ſimul ſpirare; non quia aliquando ſimul non ſpirent, ſed quia ſimul ſine pugna, & impedimento, & in eadem parte Aeris ſpirare, & ſeruari nequeunt, & dum ſimul ſpirant, & pugnant, ingens fit ſtrepitus, magnaque plantarum, & ædificiorum euerſio, & qui potẽtior eſt, demum repulſo oppoſito, victor, & tanquam triumphator decurrit per Aerem; pro exactiori notitia horum Ventorum, accipiendum eſt, quod cum quinque ſtatuantur & Cœli, & Terræ Zonæ, & duæ præſertim dicantur habitationi hominũ aptiſſimæ, illæ nempe, quæ mediant inter Tropicos & duos circulos per Polos Zodiaci conſtitutos, quarum vna vergit ad Polum Auſtralem, cuius incolæ dicuntur nobis Antipodes, altera ad Verticem, ſiue Polum Borealem, in qua nos degimus, qui Septentrionales dicimur; Diſtributio explicata Vẽtorum, intelligi debet, & vera eſt, vt monet Ariſtoteles de Ventis ſpirantibus in hac Zona, non in altera: nam Ventus qui ſpirat à Polo Arctico, & Boreas dicitur, non tranſit Zonã Torridam, & apud Meridionales raro ſpirat, & tenuis eſt, vt neque vice verſa qui flat à Polo Antarctico, peruenit ad nos, & qui à nobis nuncupatur Auſter, non à Polo Antarctico ſpirat, ſed à parte Meridionali, vergente ad illum, non enim per tam magnum interuallum extenduntur Venti, & præſertim, quia agitatio non tam magnam habet vim, vt vniuerſum Aerem agitare valeat. his accedit quod media Regio ſua caliditate ſpiritus diſſoluit, & cum Ariſtoteles dicat Auſtrum & Boream frequenter ſpirare, quia flant à partibus per quas non tranſit Sol, cum tamen tranſeat per noſtrum Meridianum, dicendum eſt, quod non tranſit continuato curſu per Meridianum verſus Polum, vt ab Ortu ad Occaſum, ſed ſolum obiter attingendo partem noſtri Meridiani inter tropicos incluſam. Putandum tamen eſt in altero quoque hemiſphærio, vltra Æquatorem alios ſpirare Ventos, qui cõſimiliter in quatuor principaliores, & mox in minus principales diuidi poſſint, quod experientia conſtat: Nautæ enim, qui vltra Æquatorẽ nauigãt, alios ſeruant Ventos, & nominibus diſtinctis eos appellant: qui Venti, dum comparantur cum his noſtri hemiſphærij, dici poſſunt Auſtrales, vt noſtri omnes comparati cum illis, Septentrionales. Inſuper, Venti, qui vni Regioni ſunt ſereni, alteri frequenter ſunt Nubiloſi, & Nimboſi; nam in ea parte, ex qua ſpirant ſereni ſunt, repellendo ab ea Nubes, niſi ſua frigiditate prius eas cõdenſent, quam repellant; Inſuper, niſi eis id accidat, quod Cæciæ, qui dicitur in ſe nubes conuoluere, & trahere: cum enim prope terram ſpiret, & montibus occurrat, in ſublime tollitur, & in ſe conuertitur. Inſuper flans prope Terram, nubes è media Regione Aeris non repellit, ſed potius eas ibi congregat repellendo Vapores à Terra; In ea verò parte, in quam Venti tendunt, Pluuias pariunt, pellendo in eam Nubes. Præterea, Venti Orientales ſunt calidiores Occidentalibus: quia diutius ſub Sole ſpirant; Quod Meridionales ſint calidiores. Inſuper Venti, qui Eteſii, hoc eſt Anniuerſarii, & certo anni tẽpore ſpirantes denominantur; ſunt Aquilonii, vel vt ait Strabo lib. 3. ſunt Subſolani qui (vt ait Ariſtoteles) poſt Solſtitium Æſtiuum, & circa ortum Canis

Venti cõtrarii.

In altero Hemiſphærio alios ſpirare Vẽtos putãdum.

Cæcias trahens Nubes.

ſpirant,& ſpirant interdiu,nocte autem ſpirare deſinunt, non ſpirant in Solſtitio Æſtiuo,quia tunc Sol nobis proximus,citius deſiccat humores Terræ,quam ex eis halitus eliciat,cum autem aliquantulum ab eo receſſerit, calor eſt moderatior,adeò, vt aquæ congelatæ liqueſcant, & terra tum proprio,tum Solis calore exſiccata, fumum & halitum emittat, noctu autem deſinunt flare, quia congelata à noctium frigore,deſinunt liquari,& halitus ſuppeditare, inquit Ariſtoteles,& cum eo Theophraſtus. Hos alii quidam Venti,ſimiliter Boreales, certis diebus percurrunt,tanquam prænuncii,qui ob id prodromi, hoc eſt præcurſores denominantur, de his tamen non leues ſunt difficultates, quas vt à præſenti inſtituto alienas miſſas facio;Inſuper, Venti vnde incipiunt flare,exigui ſunt,in progreſſu creſcũt,vt de Fluminib. accidit, quæ ob nouæ Aquæ concurſum, augentur. Hinc Boreas prope Polos vnde flare incipit,exiguus eſt, nobis autem aliquantulum diſtantibus eſt vehemens, in fine tamen Venti minuuntur,adeo,vt vigor eorum ſit in medio. Actio Solis Ventos excitat, & ſedat:excitat,producendo halitus, & ſuo calore agitando frigus,& humidum: ſedat autem, diſſoluendo halitus, & conſumendo humores: hinc duo dicuntur ventos ſedare,frigus vehemens, & calor.

Vẽti præcurſores.

Vigor Vẽtorum in medio.

Cap. XXIIII.

De Turbine & Procella.

INTER ventos numerari poſſunt etiam Turbines & Procellæ, quæ cum habeant connexionem cum fulguribus,poſt fulgurum explicationem in principio tertii Meteororum ab Ariſtotele declarantur. Procellæ,quas Græci ἐκνεφίας, hoc eſt, ex Nubibus extruſas appellant,duplices ſunt, vel propè, vel ſecundum ſimilitudinem dictæ: Procellæ propriè ſumptæ,fiunt,dum in Nubibus includitur ſpiritus calidus, & ſiccus,qui à nubibus in parte ſupera condenſatis violentia deorſum extruditur,& frequenter id fit vna cum Pluuia. Secundum ſimilitudinem vero fit,dum Venti aduerſi, vnus poſt alterum, vel ambo ſimul Nubem in partes oppoſitas agitant,mox deorſum partim ob mutuam pugnã, partim ob Nubem repellũtur,adeò, vt ex Nube prodire videantur:nam Venti inuicem pugnãtes,vel vigent prope Nubes,& tunc à Nubibus repelluntur deorſum,vel vigent magis propè Terram, & tunc cum quadam reuolutione repelluntur à Terra ſurſum, & ſecum eleuant Corpora prope Terram eis occurrentia: quod etiam nonnunquam efficit Turbo, qui cum primo deorſum à Nube fuerit expulſus,mox à Terra repercutitur ſurſum: Ventus,qui Turbo dicitur,& à Græcis τυφων appellatur, eſt tanquam ſpecies Procellæ, cum ipſe quoque ex Nube excutiatur pro cuius, & cæterorum ei coniũctorum notitia conſiderandum eſt,quod cum vapore frigido,& humido,in media Aeris Regione conſtituto ſemper eſt permixta portio aliqua halitus ſicci,& calidi, qui halitus dũ fuerit magis tenuis, calidus, & in partes diuiſus, extruſus à Vapore, qui condenſatur,& incenſus, Fulgura generat: dum vero fuerit denſior, ſimul iunctus, & à Vapore diſtinctus,tunc excuſſus cum violentia à Vapore frigido, qui condenſatur,totus ſimul celeriter,ſine partium eius interciſione tendit deorſum,& generat Procellam,idque fit potiſſimum Autumno,& nonnunquam Vere, quæ Procella cito deſinit: Si autem ille halitus magis fuerit in partes diuiſus, minuſque à Nube ſeiunctus, tunc cum mutua pugna inter partes Nubis, & partes illius halitus extruditur, ex qua mutua partium pugna, conſurgit primo reuolutio quæ-

Procella.

Turbo.

tio quædam in Nube, mox halitus ille, ita reuolutus vna cum aliqua Nubis portione permixtus, versus Terram sine incensione descendit, & Terram attingẽs, ab eaque repercussus; sua reuolutione, & vi euellit Plantas, Ædificia, & varia Corpora, eaque in Aerem eleuat, & hic est τύφων, qui Turbo dicitur, & vt inquit Aristoteles, est tanquam Procella non concocta, quia halitus illum generans non est à Nube secretus: At si ille halitus fuerit calidior, & magis tenuis, & ob id incendatur, totusque simul deorsum à Nube excitatur, gignitur πρηστήρ, hoc est Incensio, quæ est tanquam Ventus Igneus Aerem illustrans, & descendens in Terram, comburit nonnunquam Syluas, & alia ei occurrentia, non sine ingenti spectantium terrore. Si autem quarto eueniat, vt maior sit Vaporis copia, citiusque apta in aquam verti, tunc fere tota simul in Aquam transit, & velocissime in Terram cadens Imbrem producit, Græce ὄμβρον, quæ est Pluuia vehemens, cum impetu, & desinens, & per Metaphoram dici posset Procella aquea. Reuolutiones autem ventorum, quæ prope Terram fiunt, ex variis possunt ortum ducere, primo ex extrusione cum pugna ex Nube inter partes Nubis sicci halitus, vt dictum est de Turbine. Secundo, ex pugna oppositorum Ventorum. Tertio ex dispositione partium Terræ, partim subsidentium, partim elatarum. Quarto, ex pugna halituum, prope Terram existentium, partim humidiorum, & frigidiorum, partim sicciorum, & calidiorum, vicissim pugnantium, mutuoque se alterantium, & agitantium; Est itaque Ecnephias, siue Procella, spiritus calidus, & siccus, aliquantulum densus, qui à densiore, & frigida Nube desuper condensata, totus simul excutitur, & directe deorsum tendens, sine incensione, & cum impetu Terram petit; Turbo verò est, spiritus calidus, & siccus, non incensus, cum partibus densioris Nubis complicatus, cum quibus pugnans, in orbem reuoluitur, & cum eis iunctus, descendens in Terram, varia euellit, & eleuat. Prester, siue incensio, est spiritus calidus, tenuis, & siccus, qui totus simul, ex Nube extrusus, ob motus velocitatem, & causas alias excalefacientes, incenditur, & incensus Aerem illustrat, & nonnunquam vsque in terram descendit. Imber est Aqua citissimè, & ferè tota simul ex Nube genita, quæ magno impetu in Terram cadens, cito desinit.

Incensio. *Imber.* *Reuolutiones Ventorũ.* *Procella quid.* *Turbo.* *Prester.* *Imber.*

Cap. XXV.

De Terra motu.

TERRA MOTVS Græce σεισμός, tãquam rei immobilis, & Centri Vniuersi motus, vt vehementer Corpora nostra concutit, ita animos perterrefacit, & ad latentis causæ indagationem excitat, & impellit, de qua Veterum Philosophorum variæ fuere sententiæ, quibus silentio obuolutis, in verioris causæ explicatione morabor. Apparuit duplex esse genus halituum, qui ex Terra & Aqua, actione caloris eliciuntur, vnum humidum, & potius frigidum, quam calidum, alterum siccius, & calidius: primum est crassius, minusque mobile, alterum magis tenue, & mobilius; Quod duplex halituum genus, vt extra Terram in Aere apparet, ita quoque in Visceribus, in Antris, & cauitatibus Terræ reperitur, cum enim Terra, tanquam spongia & pumex, variis voraginibus, & cauitatib. sit prædita, & non detur inane, necesse est, vt sint plenæ, vel Aqua, vel halitu aliquo humido, vel sicco. His assumptis, dum Terra concutitur, quia ex se ea non ita mouetur, est necesse, vt moueatur vel ab aliquo extrinsecus ambiente,

Terra motus.

vel ab aliquo in eius cauitatibus incluso: primum dici non potest, quia nil externum valet concutere Terram, non aqua fluens super eam, vt conspicuum est, non Venti, quia vt plurimum, ac etiam vehementiores Terræmotus fiunt Aere extrinsecus existente tranquillo, nec aliud aliquid externum id efficere potest, & præsertim, quia si externum aliquod concuteret Terram, non partem, sed Vniuersam agitaret, cum Terræ continuatæ sint, cōtinuus autem motus est vnus, vt dicitur in quinto & decimo Metaphysicæ: at in Terræmotu, non Terra tota, sed partes agitantur, quare cogimur fateri, Terræmotum fieri ab aliquo, in eius visceribus incluso, ita enim vehementius partem, in qua includitur, concutere poterit, cum intimius nectatur cum ea, magisque ei dominetur: id autem inclusum agitans, non est anima Terræ, cum ea careat, non aliquid Terram quasi humeris detinens, quia à nullo detinetur, sed per suam naturam in medio requiescit. Quare erit, vel aqua, vel vapor humidus, vel Halitus siccus: non duo prima, quia minus sunt mobilia, minusque apta ad mouendum, quare tertium illud est, nempe, Halitus calidus, & siccus, ex quo fiūt Venti, & Tonitrua, quod Terram concutit, & agitat: idque multiplici ratione, & signo confirmatur, primo, quia id Terram concutit, quod ad mouendum aptissimum, & validissimum est: huiusmodi sunt spiritus calidi, & sicci, sine quibus nulla fit pulsio vehemens, nullusque motus præter naturam velox, & cum impetu, per quos solos inspicimus vehementissime, & summis viribus moueri, & eleuari Corpora, vt patet de Tormentis bellicis, de fulgure, & de Cuniculis, siue nuncupatis Minis, per quas etiam oppida euertuntur. Præterea experimur in nobismet, in quibus Meteorologica varia secundum similitudinem gignuntur, dum ex improuiso nonnunquam concutimur, & dum pulsu agitantur arteriæ, id solum fieri actione spirituum in nobis inclusorum. Insuper experientia apparuit, frequēter post Terræmotus, vehementes, erupisse impetu quodam ex Terra huiusmodi spiritus, per quos agitabatur, quasi flatus quosdam. & nonnunquam in eatu fuisse ab illis partes quasdam Terræ eleuatas, nonnullas depressas, montes scissos, lapides magno impetu euomitos, cineres per magnum interuallum effusos, & alia huius generis facta, quę ex alio principio, quam ex spiritu prodire non valuerunt. Similiter, dum gignūtur Terræmotus, audiuntur nonnunquam soni, tanquam mugitus Terræ, producti à spiritibus egredientibus cum impetu, & percussione, ex angustis meatibus, qui soni etiam nonnunquam sine Terræmotu audiuntur, dum illi spiritus faciliorem habent exitum, & valent sua percussione producere sonum, non autem concutere Terram. Præterea, idipsum confirmatur considerando conditionē temporum, in quibus fiunt Terræmotus, gignuntur enim dum imperium obtinent, agitariq; incipiunt huiusmodi spiritus, veluti tempore Veris, & Autumni, quo tempore etiam in Aere plurimi Venti vigent, nam vehemens calor, & frigus, huiusmodi spiritus, vel dissoluit, vel extinguit, & condensat, ideo Æstiuo, & Hyberno tempore minus sentiuntur Terræmotus. Insuper, eadē ratione præsertim vigent Terræmotus tempore matutino, dum per eleuationem Solis huiusmodi spiritus excitantur, & magis etiam fiunt nocte, quam die, quoniam nocturno tempore ob Antiperistasim ambientis frigoris, huiusmodi spiritus potentiores redduntur, & si Terræmotus fiunt interdiu, præsertim fiunt circa Meridiem, dum Sol potentior reddit Aerem serenum, & halitus repellit in Viscera Terræ. Simili quoque ratione vigent, & vehementiores gignuntur Terræmotus, dum Aer extrinsecus serenus, & tranquillus est, indicans Vniuersam spirituum copiam intra Terram esse inclusam, qui etiam si nonnun-

Motor Terræ, halitus calidus & siccus.

Mugitus Terræ.

nonnunquam fiunt flante Vento, minores persentiuntur, cũ minor intra Terram tunc vigeat copia spirituum; ob eandem quoque causam, frequentes sunt Terræmotus, dum præcesserunt Anni constitutiones aridæ, abundantes spiritibus calidis, & siccis. qui etiamsi gignantur nonnunquam temporibus pluuiosis, id accidit, quia tunc per copiam aquæ in cauitatibus Terræ receptæ, spiritus sicci, in angustum repulsi, contrahuntur, & vehementius exitũ quærunt. Præterea, considerando conditiones partium Terræ in quibus fiunt, idipsum elicere valemus. gignuntur enim Terræmotus in partibus Terræ aridioribus, spongiosis, prædiis ciuitatibus, ita tamen, vt Terra cum aliqua densitate resistat, exitumque impediat, non autem sit Arenosa, & gignũtur frequenter in locis maritimis, vbi Mare in angustum desinit, & spiritus siccos impellit, & in angustum redigit, gignitur tamen potius in Terra finitima Mari, quam in insulis exiguis, in medio aquarum constitutis, quia copia aquarum, vel impedit eorum spirituum productionem, vel productos obtundit, impotentioresque reddit; Nec ob id inficior in eis quoq;, & in Medio Mari sentiri posse Terræmotus, ob connexionem partium Terræ, concussarum cum mari. Hinc nautæ affirmant, etiam in medio Mari, se Terræmotus persensisse: Demum comprobatio eiusdem sententiæ, ex eo conspicue elicitur, quia nonnunquam dum in Terræmotu spiritus ex Terra erumpunt, eiiciunt cineres, lapides adustos, & alia similia, patefacientia causam Terræmotus esse calidam, & siccam, quales sunt spiritus, ex quibus in Aere Venti, & in Nubibus Tonitrua generantur.

De conditionib. Terræ.

CAP. XXVI.

Quomodo Spiritus in cauitatibus Terræ inueniantur, à quo moueantur, & quot modis Terram concutiant.

APPARVIT Terræ partes per inclusum Spiritum calidum, & siccũ concuti; at quomodo huiusmodi Spiritus in cauitates Terræ ingrediantur, à quo moueantur, & quot modis Terram agitent, adhuc non patuit; Propterea dico, duos esse modos, per quos Spiritus in cauis Terræ partibus inueniuntur: vel enim in visceribus Terræ gignũtur à calore Terræ, & Solis, vel extrinsecus geniti in eam ingrediuntur, quod accidit, vel quia ab externo frigore per Antiperistasim intus pelluntur, vel flantibus oppositis Ventis, vnoque eorum dominante, alter cedens, in cauas Terræ partes, per occurrentes meatus ingreditur, vel ob egressum aquæ ex fontibus, & consumptionem humidorum vaporum ab ipsa attrahuntur, ne detur vacuum, vt frequenter mingentibus accidit, dum exeunte vrina, Aer externus frigidus ingreditur, & tremorem patit; Nonnunquam etiam huiusmodi spiritus repelluntur à Mari, & cum non valeant in Aerem exire, in cauas Terræ partes ingrediuntur, mox exitum quærentes, Terram concutiunt, idque efficiunt, nõ inclusi in medio, vel prope medium Terræ, ibi enim Terra apprime est solida, cauitatibus carens, præterquam exiguis, & si etiam ibi caua esset, & adessent Spiritus, illi non essent apti Terram concutere ob magnitudinem, & grauitatem superuenientis molis Terræ, quæ concussioni obsisteret; Neque etiam id efficiunt spiritus collocati in cauitatibus superficiei Terræ proximis, quia facile exeunt, & varias habent transpirationes: sed hi potius efficiunt Ventos quosdam subterraneos, quos ex cauis Terræ partibus exire experientia docet, vt splendidè, & non sine sublimium ingeniorum admira-

Quomodo in cauitatibus Terræ Spiritus inueniãtur.

tione apparet in Illustri Palatio Couoli nomine, inter Patauium, & Vicentiam Vrbes splendidissimas posito. Similiter huiusmodi spiritus non longe à superficie Terræ distantes, iuncti cum aliquo humore Aqueo, eleuant, nonnunquam exagitant aquam, adeo, vt feruere videatur, quamuis frigida sit: exemplo nobis esse potest præter cæteras, insignis Vorago illa prope olim nuncupatum Corsignanum, nunc vero Pij secundi Pontificis nomine Vrbem Pientiã, ex qua Voragine, & hiatu in circulum redacto, continentur extolli, & efferuescere, non sine strepitu inspicitur aqua frigida, & impura, tanquam cum calce, vel cinere mixta; Nonnunquam etiam hi sublimiores subterranei spiritus exeuntes, pariũt sonos, sine concussione Terræ; Insuper incensi, & iuncti cum humore, in Mineris, & locis Sulphureis Aquas excalefaciunt, generant Thermas, & Balnea varia producunt, saluti hominum conducentia; Quare colligẽdum est, Spiritus concutientes Terram, inclusos esse in cauitatib. mediis, propinquioribus tamen superficiei Terræ, quam Centro: hi violentia intra Terram, in locis angustis detenti, quærentes exitum, Terram concutiunt. Sed dubium est, à quo tam vehementer, & tam ingenti impetu moueantur, cum enim sint Corpora inanima, non ex se mouentur, & præsertim eo motu, qui non est rectus, nec eis per naturam competit, Pro notitia considerandum est, multa posse cõspirare ad eorum motum, nam primo à Ventis à tergo repellentibus impelli possunt, insuper à Mari vrgentibus aquis, in locis angustis, nonnunquam præter naturam comprimuntur, & per naturam vitant pro viribus violentam illam constitutionem: similiter nonnunquam à frigore coarctati, per Antiperistasim vires accipiunt, & locum sibi naturalem quærunt; Principale tamen principium motus eorum hinc petendum puto, accipiendo, nullum reperiri violentum motum, qui non supponat motum secundum naturam ex quo pendeat. Insuper accipiendo huiusmodi omnes Spirituũ motus, qui omnino secundum naturam non sunt, originem ducere ex alteratione, nempe ex calefactione, & refrigeratione, vt in lib. de motu Animalium docet Philos. nam calefactionem sequitur raritas & pulsio, refrigerationem densitas, & tractio: pulsionem autem, & tractionem, sequũtur mox alij motus. Hoc denotare voluit Arist. in 7. Phys. cont. to. inquiẽs, omnem motum secundum locum esse congregationem, & disgregationẽ, hoc seruatur in motu Spirituum, expugnat enim inter calidum, & frigidum, vna ex parte agentes, & humidũ, & siccũ, ex altera patientes, oritur agitatio, & motus Spirituum, qui cum sint calidi, fugiunt frigus cum sint sicci, expelluntur ab humido, & crasso, cum sint leues, & præter naturam infra terram collocati, quærunt locum superum, cum sint tenues, & præter naturam in locis angustis coarctari, per naturam quærunt locum ampliorem, & dum nonnunquam vt furentes agitari incenduntur, maiori impetu exitum quærũt, ac ita insignibus viribus Terram quatiunt, & dum plurimi fuerint, & exitus non pateat, nõ semel, ac bis terram concutiunt, sed multoties, & per plures dies: id enim faciunt nonnunquam per dies quadraginta, nonnunquam etiam per biennium. Modi autem quibus huiusmodi spiritus concutiunt Terram, varii sunt, qui tamen ad duo prima capita rediguntur, quæ vt pateant, & per nobis nota, in eorum notitiam ducamur, considerandum est, quod cum Homo sit paruus Mundus, in quo vt cætera, ita varia Meteorologica locum habent, & præsertim similia Terræ concus. sioni, duo in eo percipiuntur fieri à Spiritu concussionum genera, vnum est pulsus arteriarum, aliud est violenta quædam concussio repente facta à spiritu aliquo externo per meatus ingresso, vt accidere dixi post Vrinæ exitum; His recta ratione

Pientia Vorago.

Dubitatio.

Conspirãtia pro motu Spirituum.

Principale principiũ motus Spirituum.

Modi cõcussionũ Terræ.

ratione respondent in Terra duo agitationis modi, vnus similis Pulsui, aliter similis Tremori: similis pulsui est dum Spiritus fuerit angustior, & magis secundum longitudinem, quam secundum latitudinem extensus, qui ita constitutus, nititur eleuare partem Terræ supra se positam, non secus ac Spiritus eleuat arteriam; Similis autem est Tremori dum copia Spirituum, magis secundum latitudinem extensa est, & Spiritus fuerint plures, & hoc secundum genus Terræmotus frequentius fit, quam primum, quia frequentius Spiritus mouentes, magis secundum latitudinem extensi, & effusi sunt, quam solum secũdum longitudinem, ac insuper ita se habentes magis valent terram concutere, magisque ei dominatur, & præsertim, cum sint copiosiores. In quouis autem horum duorum generum, multæ varietates inueniri possunt, prodeuntes ex maiori, vel minori copia Spirituum, ex varietate figuræ cauitatum, in quibus reperiuntur, ex maiori, vel minori distantia à superficie Terræ, ex varietate Temperamenti Spirituum, vel magis, vel minus calidorum, ex varietate partium Terræ, quæ agitantur, ex varietate modi, quo ex terra erumpunt, & ex aliis similibus. Hinc Terræmotuum quidam dicuntur scindere partes Terræ, alij percutere solum, nonnulli perforare, alij euertere, quidam Tremorem efficere, nonnulli pulsare, alij vehere partes Terræ, nonnulli eas eleuare, vel deprimere, alij repellere, quidam cum mugitu desinere, alij cum incensione erumpere. Sed pulchra se offert dubitatio, an dari possit Terræmotus, per quem non pars sola, sed Vniuersa terra concutiatur? apparet id contingere posse, quia Terra est corpus vnum continuum, continui autem vnus dicitur esse motus, vt patet ex quinto Metaphysicæ contextu octauo, nec non ex decimo, contextu primo. Ex aduerso id fieri posse non videtur, cum ratione causæ, tum ratione effectus: non ratione causæ, quia Spiritus, qui comparatus cum Vniuersa Terra, exiguus est, nec est positus in Centro eius, non valet Vniuersam Terram vincere, & superare, neque etiam ratione effectus; quia si Vniuersa Terra concuteretur, tota simul præter naturam esset disposita, & Cœlum circa firmum, & immobile non reuolueretur, quod etiam experientia patet: quia Terræmotus, qui percipiuntur in vna Regione, non percipiuntur in altera; Et dum dicitur continui motum esse vnum, id debet intelligi per se, dum continuum mouetur, vt continuum, non autem dum diuiditur in partes, per virtutem mouentem innatam vni parti, & non alteri. Colligamus itaque, per naturam non posse Terram simul totam concuti, id tamen posse fieri per absolutam, & immensam Dei potentiam, & talem putandum est fuisse Terræmotum illum magnum, qui legitur in sacris literis factus in Passione Domini, & Resurrectione, vt etiam tunc Eclipsis Solis absolute fuit Eclipsis, & Vniuersalis. Terræmotus itaq; per principia naturæ genitus, est concussio partium Terræ à Spiritu calido, & sicco, in angustis Terræ cauitatibus, præter naturam incluso, exitumque sui natura quærente.

Duo modi agitationis.

Varietates motuum Terræ.

Terræmotus Vniuersalis.

Definitio Terræmotus.

CAP. XXVII.

De Tonitruo, Coruscatione, & Fulmine.

QVEMADMODVM Elementa sunt salubèrrima, & iucundissima Homini dum tranquilla fuerint, & recte cõstituta, ita ex aduerso, dũ fuerint turbata, & irritata, vrbes euertũt, Homines perdũt, & vniuersos Populos perterrefaciũt: hoc facit Terra per Terræmotus, aqua per inũdationes, Aer per pestilẽtias,

Ignis per Fulmina, quæ singula adeo vehementia sunt, vt in dubium vertatur, quid eorum magis perturbet animos & perterrefaciat. Verba feci de Terræmotu, sequitur, vt de Tonitru, Coruscatione, & Fulmine loquar. De his opiniones Veterum fuerunt variæ; ego tamen solum sententiam Aristotelis, quam veriorem iudico explicabo: Apparuit duplex genus halituum, dictumque fuit, non inueniri pura, sed semper inuicem permixta, vel magis, vel minus, ac insuper latitudine Temperamenti & tenuitatis esse prædita, adeo vt vel magis, vel minus calida, humida, & tenuia sint. Dum itaque in media Aeris Regione, inueniuntur Nubes cum quibus copia Spirituum siccorum & calidorum sit permixta, incipit deseri Nubes à calore, in parte superiore tendente ad sibi familiare calidum, & ideo nubes remanens frigida, primo in parte superiore condensatur, ac ita frigida, & condensata repellit impetu quodam, & violentia spiritus calidos, & siccos deorsum, qui spiritus ita expulsi, dum fuerint crassiores, & minus calidi, liberumque habeant exitum, tunc sine strepitu, & incensione deorsum tendunt, & producunt Ecnephias, siue Procellas, necnon Turbines: incensi vero pariunt Presteres, de quibus in capite de Ventis verba feci: At si fuerint calidiores, magis tenues, magisque cum Nube permixti, tunc à parte supera Nubis, quæ ob relatam causam primo incipit condensari, violentia quadam repelluntur, qui cum Nube permixti, cum sint calidi, & tenues, cum humido, & frigido pugnant quæruntque exitum, & enitentes à Nube liberari, huc & illuc, tanquam furentes tendunt, & ob id incenduntur, impetumque faciunt in Nubem, quam frangentes, strepitum & Tonitruum pariunt, & dum spa[i]si, & pauciores exeũt, pariunt Coruscationem: copiosiores autem, & coniuncti impetu quodam infera petentes, generant Fulmina, adeo, vt generatione primum sit Tonitruum, hoc sequitur Coruscatio, tertio succedit Fulmen. Sonum intra Nubes parit non extinctio præexistentis Ignis, vt multi Veteres existimarunt, & præsertim Empedocles, Anaxagoras, & Pythagoras, sed Spiritus calidi, & sicci, cum Nube inæqualium partium permixti, à superiore Nubis parte expulsi, ac per Antiperistasim, & motum incensi, impetum in partes Nubis inæquales facientes, easq; frangentes, veluti apud nos accidit, dum Castaneæ, vel ligna, super Ignem posita, vehementer & cito excalefiunt, & per internos spiritus incensos, cum strepitu, partes ligni exitum impedientes, frangunt, & cum percussione & sono in externum Aerem erumpunt, adeo, vt sonum pariat, non extinctio, tunc enim magis incenduntur, sed fractio, & percussio: & quamuis prius fiat, Tonitruum, quam Coruscatio, prius tamen Coruscatio nobis apparet, quia Lumẽ spiritale in momento effunditur, sonus vero, quia motum habet connexum exposcit tempus, gigni autem potest Coruscatio sine Tonitruo, dum spiritus inclusus in Nube rarior fuerit, similiter Nubes fuerit facile cedens fumo erumpenti, & tunc splendor apparens, minus fulget, minusque Aerem illustrat: hinc distincto nomine, à nonnullis nuncupatur, & dicitur Fulgetrum. Similiter gigni potest Tonitruũ sine Coruscatione, dum spiritus Nubem percutit, & agitat & intus frangitur, exire tamen non potest, vel si exit, non est ita incensus; vt Aerem illustret, Coruscationem quoque, non semper, sed raro sequitur fulmen, hoc est spiritus incensus, Terram petens, quia frequenter spiritus Coruscationem pariens effunditur, permiscetur cum Aere proximo, & extinguitur, dum autem fulmen gignitur, & erumpit, ei semper antecedit, ac etiam sequitur spiritus aliquis non incensus, prius ex Nube exiens, vel etiam vna cum eo: hinc euenit, vt ait Aristoteles, quod qui à fulmine percutiuntur prius sentiunt motum

Tonitruum, Coruscatio, Fulmen.

Coruscatio cur prius appareat.

Fulgetrum.

cum aliquem Spirituum, qui etiam ab incenso spiritu expelluntur, gignũtur autem Tonitrua,& fulgura, præsertim tempore Veris, & Autumni, quibus temporibus,tanquam mediis,magna in Aere reperitur duorum halituum inuicem pugnantium permixtio,nam dum frigus viget,exigui,& impotẽtiores sunt si'i ticus calidi,& sicci,dũ vero viget calor,nubes,& vapores humidi,& frigidi pauci sunt,& impotentiores,adeo, vt nec violentia repellere, nec resistere valeant spiritib. calidis præpotentibus Æstiuo tempore, & præsertim sub Canæ, gignitur Chauma in Aere,& circa Terram, hoc est fomes quidam incensionis, quia plurimi halitus calidi & sicci reperiuntur cum Aere permixti, eleuati ex Terra à Radiis Solis à quibus etiam halitus humidi per noctem eleuati desiccãtur, & in calidos,& siccos permutantur, adeo vt aer appareat tanquam fumus quidam, fere incensus, mirum in modum nos calefaciens. Est igitur Tonitruum sonus in Nube,productus à spiritu calido, & sicco, à Nube quæ in supera parte incipit condensari expulso,impetumq; faciente in partes Nubis,quæ ei obsistunt, easque frangente. Coruscatio est fulgor repente in media Aeris Regione apparens,& delinens prodiens ex spiritu calido,& sicco,incenso,non multo,& sparso,ex Nube à qua repellitur exeunte. Fulmen est spiritus igneus,tenuis, copiosus,simulque iunctus eximia quadam violentia à Nube expulsus,magna celeritate,& impetu Terram petens, & quoniam huiusmodi incensi spiritus varietate sunt præditi, & inter se distinguuntur,vel copia,vel incensione, vel tenuitate,vel motu,inde prodeunt varia genera fulminum, quæ præsertim in quatuor capita redigi possunt: Nam vel directe petunt Terram, dum per Nubem permixtam,& obsistentem minus impediuntur, vel eam petunt oblique, & cum aliqua reuolutione,dum per obsistentem Nubem, tale principium motus susceperint:vel constant ex spiritibus acutioribus qui facile transeunt per meatus corporum,& solum densa scindunt,& lædunt: vel constant ex spiritib. crassioribus, prima occurrentia corpora,quamuis minus densa lædentibus. Quæ duo postrema genera, ab Aristotele referuntur: hinc ait fulmen magis tenue resistentia adurens, a Græcis Poetis nuncupari ἀργῆτα, siue Argetẽ, aliud verò ψολόεντα, quod tamen ab aliis nuncupatur κεραυνόν, & id, quod directè tendit dicitur σκηπτόν, quod autem oblique ἑλικίαν, Helicium. In libro de Mundo ad Alexandrũ de his quatuor fulminum generibus mentio fit, principalia tamen ea duo sunt, quæ ex distinctione spirituum prodeunt; quæ vero sumuntur & distinctione motuum, sunt varietates eorũ. Et Ouidius tertio: Metamorphea duo principalia fulmina circumscribens,dixit.

Definitio Tonitrui. *Quid Coruscatio.* *Quid Fulmen.* *Quatuor genera Fulminum.*

Nec qua centimanum deiecerat igne Typhea;
Nunc armatur eo,nimirum feritatis in illo est,
Est aliud leuius fulmen,cui dextra Cyclopum,
Seuitiæ,flammæque minus,minus addidit iræ,
Tela secunda vocant superi.

At iure dubitabit aliquis, num vera sit vulgatis opinio quod fulmen sit Corpus lapideum,sagittæ,cum cuspide, & dentibus formam habẽs, quod inter homines circumfertur, & sagittæ fulmineæ nomine denotatur? Aristoteles de eo nullam fecit mentionem,& iure profecto,nam huiusmodi corpus vel in fulmine reperitur,vel non, si non reperitur, negligatur: si reperitur,id est ex accidenti,quia essentia fulminis non est ille lapis,sed spiritus igneus,& tenuis incendẽs,

Dubitatio. *Solutio.*

& deficcans corpora, diuisus in partes varias, & simul per eas scindens & incendens Corpora varia. Solũ remanet dubitatio, num huiusmodi lapis possit in nube per spiritus illos gigni. Multi id negant, ego tamen non puto id nõ posse fieri, cum enim spiritus ex Terra, & Aqua eleuentur, seruant aliquid sicci, & humidi, quod calore decoctum redditumq; densius & crassius, potest vi quadam efficaci citissime in Lapidem verti, exiguum, & solidissimum, & tunc dum huiusmodi tela cum spiritu Igneo descendunt, consimilia sunt plumbeæ pilæ, quæ per tormenta bellica admirabili impetu, & magna cum strage impelliтur, puto tamen, id rarissime accidere, & lapides. qui pro huiusmodi sagittis circumferuntur in Terra, non in Aere magna ex parte gigni.

Cap. XXVIII.

De Iride, Halo, siue Area, siue Corona de Parelijs, siue geminato Sole, & Virgis.

IRIS, siue Cœlestis, & Iunonis Arcus, tam formosa, & admirabilis se nobis offert, vt iure dixerit Plato ñliam esse Taumantis, hoc est admirationis, ob insignem admirationem, quam in aspicientium Animis parit. De hac nobis modo disserendum occurrit, & simul etiam de Halo, quæ est tanquam Area, & Corona quædam, necnon de Parelijs, quæ sunt tanquam Soles duplicati. & de Virgis, de his enim simul est agendum, cum ex eadem causa oriantur, nempe ex repercussione Radiorum in Nube, & fractione. De quibus verba faciens, primo nonnulla accipiam in eorum notitiam nos manuducentia; secũdo, quæ eis competũt referam, quorum tertio nitar quam breuissimè, vna cum Aristotele causas tradere. Accipio primo de attinentibus ad visum, tres esse principaliores opiniones, nonnulli aiunt nos videre per solam Radiorum ex nostris oculis emissionem; alii per solam receptionem actionis rerum visibilium in oculo; quidam per vtrunque, tertiæ opinionis fuit plato, Aristoteles secundæ. Alij nonnulli primæ, vt in lib. de Visu patefeci. Accipio secundo: quod dixi de modo quo videmus etiã debere intelligi de repercussione, & reflexione in speculis per quę videmus, nam primi aiunt reflecti Radios oculorum, secundi actiones visibilium, tertij congregatum ex vtrisque. Accipio tertio, quod in assignanda causa Iridis, & connexorum, nil refert, siue vtamur reflexione Radiorũ oculi, siue actionnm rei visibilis. Tempore Aristotelis vulgatissima erat Mathematicorum opinio, qui Radios oculorum reflecti dicebant, ideo in lib. Meteororũ, cum adhuc eam sententiam non reiecisset, quod facit in libro de Sensili, vtitur populari aliorum sententia. quod sæpe facere consueuit, dum extra proprium locum de re aliqua verba facit, & præsertim, quia vt inquit Alexander, nil refert, pro causa assignanda. Hinc capit. tertio tertii libri Meteororum ait Aristoteles, nil refert permutari quod videtur, aut permutari visum, vtroque enim modo idem euenit. Similiter putandum est nil referre, siue dicamus reflecti vnum, siue alterum. Accipio quarto, quod dum speculum non est vnum, & continuatum, sed multa parua, & prope posita, tunc ea non repræsentant figuram rei visibilis, sed solum colorem: figuram unam, non simul repræsentant, cum sint multa, nec valent tot repræsentare, quot sunt, ob parvitatem, quod experientia patet, dum speculum in partes multas frangitur, quæ mox

Ordo seruandus. *De modo quo videmus.* *Primũ, quod accipitur.* *Alterum, quod accipitur.* *Tertium, quod accipitur.* *Quartũ, quod accipitur.*

iuxta positæ aliquid repræsentent. Et ratio est: quia partes exiguæ fere indiuisibiles apparent, figura autem exposcit varietatem partium, color vero nequaquam: hinc figura in exiguo apparere non potest, color autem non exposcit partium varietatem. Insuper, potest color sine figura repræsentari, quia est sensile proprium, quod primo mouet, figura verò est sensile commune, quod non sentitur sine proprio, hoc seruatur in Nubibus, nam antequam condensentur, non repercutiunt Radios, sed recipiunt, & franguntur, dum verò condensantur, quia disponuntur ad innumeras aquæ guttas, euadunt tanquam innumera specula exigua, iuxta se posita, hinc colorem aliquem non autem figuram solis repræsentant. Insuper accipio, quod quamuis omne corpus solidum, aliqua opacitate præditum repercutiat, veluti etiam Terra Radios Solis repercutit, non tamen id ita facit, vt visui appareat; ratio est: quia cum non sit planum, Radios partim in se recipit, partim repercutit, adeò vt non simul eos tanquam vnum sensibile repercutiat, nam vt fiat exacta repercussio visui consentanea, præter medii perspicuitatem, octo requiruntur, primo soliditas speculi, secundo lenitas, tertio aliqua externa perspicuitas, quarto vt speculum careat colore proprio, quinto congruens magnitudo, sexto opacitas in parte intima, septimo conueniens distantia, octauo conueniens positio, quorum ratio conspicua est: his addi potest quies. Accipio sexto non leuem esse controuersiam de conditione colorum apparentium in Nubibus, an sint re vera Colores, an solum appareant. Quidam aiunt lumen in medio habere esse Reale, & esse Qualitatem in Subiecto, etiam putant eos vere esse colores, distinctos tamen specie à coloribus ex mixtione Elementorum consurgentibus: At cum ego existimem, vt suo loco patefeci, lumen in medio solum spiritualiter reperiri, & solum esse imitationem, & repræsentationem corporis lucidi, ideo dico, eos esse colores non materiatos, sed spiritales, qui appareant non per solam deprauatam imaginationem, & Sensum, vt delirantes ob ægritudinem se varios videre colores affirmant, qui tamen sanis non apparēt, sed vere sint eo modo, qui rei spiritali competit, nempe per imitationem, repræsentationem, & actionem spiritalem, per medium momento delatam, adeo vt illi colores non sint distincti à lumine vario modo recepto, fracto, & repercusso. His præassumptis, addo insuper, ob varietatem Densitatis, Magnitudinis, Positionis, Figuræ, & aliorum similium, cum Nubis, tum Corporis lucidi, varias, & multiformes in Aere fieri repercussiones Radiorum, ob quas variæ distinctarum figurarum, & colorum se nobis offerunt imagines, præcipuè tamen quatuor sunt, ex quarum notitia in cognitionem cæterarum facile ducimur; Ea autem sunt, Iris, Halo, Parelia, & Virgæ, Græci ἶρις, ἅλως, παρήλιοι, ῥάβδοι, principalissima harum est Iris, siue Cœlestis arcus, triplici colore insignis, puniceo, viridi, & purpureo; Hæc præsertim à Sole producitur, nonnunquam etiam produci potest à Luna dum fuerit Lumine plena. Insuper apparet in Aqua Maris noctu agitata remis, apparet circa lucernam Aere existente humido, & dum inspergitur nonnunquam Aqua, de ea tamen Solis est agendum, ex cuius notitia cæteræ, quæ sunt imagines eius, redduntur notæ. Magna ex parte vnicus apparet cœlestis arcus, nonnunquam tamen apparent duo, quorum vnus interior, alter exterior est, plures duobus Aristoteles ait nō apparere: nonnulli tamen affirmant, se tertium quoq; vidisse, sed valdè obscurum. Apparet huiusmodi arcus in Nube opposita Soli, & matutino, & vesper-

Quintum quod accipitur.

Requisita pro exacta repercussione.

Sextum quod accipitur.

Prodeuntia ex repercussione Radiorum.

tiuo tempore apparet maior portio arcus, sed circuli minoris, circa meridiem verò apparet portio minor, sed circuli maioris, nunquam autem apparet maior semicirculo, nec propterea putandum est, quod à Sole producatur circulus totus in Nube, & à nobis non videatur vnquam plus dimidio, frequenter autem minus. Nam huiusmodi Arcus gignitur in Nube proxima Terræ, & nobis, quę non ambit Terram Vniuersam, & si etiam eam ambiret, non ad eam vndique radii peruenire possent ob vmbram Terræ. Insuper, post Æquinoctium Autumni, dum breuiores sunt dies, omni hora diei apparere potest, diebus autem Æstiuis, in Meridie nō fit, & potius apparet in Occasu solis, quam in Ortu. Colores Iridis ita sunt dispositi, vt principalioris, & inclusæ Iridis arcus superior sit puniceus, medius sit viridis, tertius, & infimus purpureus: ex connexione autem arcuum punicei, & viridis, consurgit color quidam rubeus, adeò, vt colores quatuor quodammodo esse videantur, & dum apparet Iris duplicata, duo Arcus ita se habēt, vt vnus sit maior altero, & amplectatur alterum, ambo tamen consimilibus coloribus sunt præditi, ordine opposito dispositis, adeò, vt Iris maior minorem ambiens in parte intima sit punicea, in rubeum desinens, in media viridis, in suprema purpurea: & huius secundæ Iridis colores sunt aliquantulum obscuriores coloribus primæ. Addit Aristoteles hos esse colores quos solos ferè non valent pictores exprimere, quoniam hi sunt simplices, pictores autem cum permixtione aliorum colorum eos imitantur. Cum ab Aristotele dicantur simplices, inquiunt nonnulli, eos non ita esse simplices, vt album, & nigrum, cum saltem oriantur ex permixtione nigri, aut fusci cum luce. Sed qui hoc dicunt, non exactè percipiunt sententiam Aristotelis & differentiam colorum Iridis, à coloribus pictorum, nam colores Iridis, non distinguūtur specie, à luce, & omnes sunt lux intensius, vel remissius, suscepta, & repræsentata & ita omnes sunt simplices, non consurgentes ex mixtione cum contrariis, & hoc quoq; debet intelligi de consimilibus coloribus apparentibus in Nubibus. Ideo Aristoteles addidit ferè hos solos esse, &c. Et hęc de historia Iridis. Alo, quæ & Corona, & Area dicitur, est Circulus, qui sępe integer apparet circa Solem, & Lunam, & Astra splendidiora, dicitur apparere frequenter integer, quia nonnunquam etiam incompletus, & concisus apparet. Insuper, præsertim apparet circa Lunam, & apparere potest omni hora, cum diei circa Solem, tum noctis circa Lunam, & Sydera, præsertim tamē apparet, dum corpus lucidum sub quo reperitur, fuerit prope Circulum Meridianum: Iris potest duplicari, & nō fit sub lucido corpore, sed in parte opposita, & tricolor est. Corona verò nec duplicari potest, nec est tricolor, sed vnius coloris, vel magis, vel minus cōspicui, & lucidi, nec fit in parte opposita, sed sub corpore lucido, adeo, vt medie inter aspicientem, & corpus lucidum; Parelia, hoc est iuxta Solē, siue Solis imaginem prę se ferentia sunt multiplicati Soles, qui à latere solū gignuntur, non in parte opposita, vt Iris, neque sub, vt Corona: hinc solum apparent interdiu, non autem noctu, & solum iuxta Solem, vt nomen denotat, non iuxta alia Sydera; Plinius tamen refert, idipsum noctu apparuisse de Luna, & trinas fuisse Lunas inspectas, ea autem non fuere Parelia, hoc est Solis imagines, & iuxta Solem, sed imagines Lunæ, quæ tamen dum plena est, fit æmula Solis, & solum id ei competit in plenilunio, dum oritur, vel ad Occasum tendit: Parelia apparent, vel ascendente, vel descendente Sole ad Occasum, raro autem fiunt Meridie, quamuis etiam ea hora apparuerint: Nam inquit Aristoteles in

Dispositio colorum Iridis.

Colores Iridis simplices.

Alo.

Parelia.

Plinius.

les in Bosphoro duo Parelia simul cum Sole orta per totum diem apparuisse. Vt pertinet ad numerum, vt plurimum solum apparent gemini Soles, vnus verus, alter imago eius, nonnũquam tres, adeo, vt verus Sol, inter duas eius imagines, mediet, plures non legitur fuisse inspectos, quamuis nonnulli referant, ante Papię bellum sex Soles fuisse inspectos, quod ob congruentem Nubium, tanquam speculorum cõstitutionem potuisse contingere, putandum est. Color Pareliorum est color similis ei Solis, cum sint imagines eius. Virgę cum Pareliis multa habent communia, nam apparent à latere Solis, & solum iuxta Solem fiunt, & Oriente Sole, eoq; tendente ad occasum, raro circa Meridiem, differunt tamen numero, quia Virgarum numerus non est definitus, nam multæ apparere possunt, quę sunt tanquam Virgæ, lumine Solis coloratę. Insuper differunt colore, quia apparent coloratæ ferè triplici illo calore, quo colorata est Iris. Et hæc de historia. *Virga.*

Cap. XXIX.

Afferuntur causa dictorum, de Iride, Corona, Pareliis, & Virgis.

CVm retulerim attinentia ad quæstionem quia est, Assignanda modo est causa, vt appareat propter quid, & oriatur sciẽtia. Ea omnia, quę relata sunt hoc habent commune, vt ex reflexione Radiorum corporis lucidi oriãtur, differunt tamen vel modo quo fiat reflexio, vel varietate lucidorum, quorum Radii reflectuntur, vel varietate Vaporum, à quibus fit reflexio: Pro quorum notitia considerandum, quod ea, quæ à nobis inspiciuntur, vel inspiciuntur directè, vt dum per medium exactè, perspicuum aliquid in se ipso intuemur, vel inspiciuntur cum reflexione, quæ reflexio, vel est absoluta, & siue fractione, siue effusione radii, qui inspicitur, vt dum per rectè paratum speculum fit reflexio, vel est cum fractione quadam, & effusione Radij, & hoc contingit dupliciter, vel ita, vt reflectens è regione apponatur rei visibili, & videti, vt dum per oppositam Nubem, cum aliqua fractione radij Solis ad nos reflectuntur, vel ita, vt flectens, & frangens mediet, vt dum per Nubem mediam inspicimus aliquod lucidum quę nubes primo origine recipit, & frangit Radium, sua humida & dẽsa conditione, mox ita fractum illum ad nos reflectit, non enim fit ea fractio, & effusio sine aliqua reflexione: & Arist. vno reflexionis nomine, cum absolutam reflexionem, tum eam cum fractione iunctam, denotauit: ideo dixit ea omnia esse reflexionem, i mmo in omnib. vnà cum reflexione connectitur etiam quædam fractio, vel maior, vel minor, ob humorem nubis, nã id accidit de Radio recepto in Nube, quod de attramento recepto in carta humida, quod ob recipientis humiditatem per eam effunditur; immo addo, quod nisi luminis in Speculo fiat fractio aliqua, non apparet in eo color à lumine genitus, color enim propterea in Speculo apparet, quia lumen fractione reddiditur quodammodo proprium eius, & ita euadit tanquam eius color, ut etiam se habet de lumine in Luna recepto. His assũmptis, facile modo est causas relatorum explicare; Et ordiar ab Halo, siue Area Stellæ lucidiores, & præsertim Sol, & Luna, sua luce halitus eleuauit, qui sequuntur motum eleuantis, tanquam sui parentis, ideo si sub Luna Sole, vel Stella aliqua splendidiore Vapor reperiatur, medians inter Sydas, & nos, qui Vapor sit æqualis, & minutatum partium, tunc ob Ra- *Causa attinentium ad Arcum.*

dios Syderis transeuntes per huiusmodi Vaporem, refulget in eo Lumen, tanquam color Syderis, & Vaporis, qui Radii cum recipiantur, & frangantur in ea Nube, & inde ad nos transeant, dicantur modo aliquo reflecti & nobis repræsentare tanquam Aream, & Coronam Syderis, quę rotunda est, cum Sydus, cuius est imago, fit rotundum, & est consimilis coloris, in medio tamen clarioris, in ambitu nigrioris, quia Nubes est consimilis; est aut color, vel splendidior, vel minus splendidus, vt Nubes Rarior, vel densior fuerit, & cum sit minutarũ partium, iuxta se consimiliter positarum, apparet color, non autem figura Syderis, adeo, vt Halo, siue Area, sit Corona apparens in Nube densa, consimili minutarum partium, sub aliquo splendido Sydere, in qua non figura Syderis, sed color consimilis appareat, in medio tamen clarior, in ambitu nigrior, præsertim autem fit Halo sub Luna, quia Sol potentior, magis Vapores dissoluit, Sydera alia impotentiora sunt, pro attrahendo Vapore, Luna medio modo se habet, & dum inspicimus eam Coronam densari, & ad nigrum vergere, ea concretio, & is color, futuram pluuiam si generat dum emarcescere, & consumi, præsagimus serenitatem, dum verò dissipari, Ventum; Eam Corona, vt plurimum integra apparet, nonnunquam tamen ob inæqualitatem cõcretæ Nubis solum eius apparet portio aliqua, non integer Circulus, vt etiam ob aliquam Nubis inæqualitatem, color clarior, & obscurior apparere potest. Insuper, ea Area in medio candidior apparet, in ambitu nigrior, quia mediũ directè subiicitur Syderi, ideo potentius illustratur, & virtute Radiorum magis attenuatur, magisque Sydus repræsentat, circulus ambiens videtur nigrior, tum ob oppositas causas, tum insuper, ob candorem medii iuxta positi, & coniuncti. Inqnit Aristot. huiusmodi Coronam fieri circa Terrã magis, quia locus ille à Vento est liberior, quib. verbis denotat, Coronam fieri in suprema parte infimæ Regionis Aeris, quæ dicitur liberior à Ventis, quatenus Venti magis vigent suprà mediocres colles Terrę, quam infra, quod experientia patet, dum enim supra mediocres colles eleuamur, semper ventum aliquem spirantem percipimus, & hæc de Corona. Iris autem apparet, non sub Sydere, sed in parte Aeris ei è Regione opposita, adeo vt videns medient, & fit dum Nubes incipit densari, & iam ferè in Aquę guttas verti, quæ est tanquam congregatũ ex plurib. exiguis coniunctis speculis, quæ cum figuram non valeant repræsentare, repræsentant colorem, ex Radiorum reflexione apparentem, varium ob varietatem graduum reflexionis, nam ea Nubes, cum Aquea sit, & ante Pluuias sit via ad eas, post vero seruet reliquias pluuiæ, atra est, & distat à Sole. Hinc præ se fert colorem nigriorem quã Area, quæ pendet ex Nube proximiore Astro, & minus parata, vt in Aquã vertatur, propterea in Iride Radius candidus, & splendidus receptus in nube nigriore, primo in parte, quæ proximius occurrit, & per quam validior fit repercussio, parit colorem puniceum, nam talis color apparet, dum splendor candidus cum nigro permiscetur, vt patet exemplo Flammæ apparentis in fumo lignorum viridium, ac ita refulget ambitus maior, & extimus Iridis puniceus, mox cũ repercussio fiat debilior, consurgit ambitus medius viridis, qui color est proximior nigro, quã puniceus, ex quorum duorum colorum iuxta positione, apparet color quidam rubeus, qui mediat inter puniceum altiorem, & viridem nigriorem: demũ primo cum repercussio ad hoc fit debilior, producitur tertius, & infimus ambitus purpureus; magis inclinans in nigrum; cæteræ repercussiones inferiores, cum apprimè sint debiles, delitescunt, & ideo soli tres relati colores apparent, mox verò solum


Definitio Coronæ. *Iris.* *Colores Iridis.*

rò ſolum nobis ſe offert color proprius Nubis. Et ſi fiat ſecunda Iris, tunc principalis iudicanda ea eſt, quæ eſt interior, in qua etiam colores viridiores apparent; colores autem ſuperioris Iridis apparent languidiores, & præpoſtero ordine diſpoſiti, adeò, vt intimus ſit puniceus, medius viridis, ſuprem' purpureus. ratio autẽ huius oppoſiti ordinis, duplex eſſe poteſt; vna, quia ſecunda Iris conſurgit ex repercuſſione prioris, repercuſſio autem ita fit, vt in parte ſpeculi propinquiore id repercutiatur, quod propinquius eſt: hinc in ſpeculo oculus noſter dexter, videtur ſiniſter & ſiniſter dexter, vt conſiderauit Plato in Timeo; Altera cauſa eſt, quia ſi Iris interior eſt principalis & in arcu maiori validior, fit repercuſſio (vt ait Ariſtot.) & ob id conſurgit color puniceus. Similiter, in intimo Arcu ſuperioris Iridis, qui proximior eſt, extimo inferioris, idem color debet apparere, cum fiat in eo repercuſſio illius validioris repercuſſionis. Vltra ſubordinatas duas Irides, tertia gigni nõ poteſt, quia nimium debilis euadit repercuſſio, quamuis dicant nonnulli, ſe tertiã Iridem vidiſſe, quod fortè ob congruentiſſimam Nubium diſpoſitionem, & poſitionem Solis cõtingere potuit, cum Iris etiam à Luna fieri poſſit, dum lumine eſt plena, raro tamen fiat, & Ariſtot. annis ſupra quinquaginta ſe bis tantum referat eam obſeruaſſe, non tamẽ putandum eſt, ſimul à Luna duas Irides gigni poſſe, ob imbecillitatem Radiorum eius. Inſuper Iris à Luna producta magis alba apparet, quoniam vt ait Ariſtot. in Nube atra, & noctu fit, propterea vt Ignis Igni additus, ita nigrũ, iuxta nigrum poſitum, efficit, vt quod remiſſe album eſt, quale eſt puniceum, album appareat.

Iris ſecunda.

In ſpeculo oculus dexter videtur ſiniſter.

Tertia Iris.



Cur Iris rotunda. Iris iure optimo figuram circuli recipit, cum enim producatur à lucido sphęrico, vndique effundente Radios suos, undiq; consimiliter fit repercussio, ex qua consimilitudine, & consimili distantia, à corpore lucido, vt à Centro, rotunda figura consurgit, & nunquam Iris apparet maior Semicirculo, quia Centro corporis lucidi, è regione opponitur centrum Iridis per diametrũ progredientem à Centro Solis per Centrũ Mundi, versus quod præsertim radios Sol effundit, arcum constituentes, & per Centrum Iridis, ideo si Corpus lucidum fuerit in Oriente, & horizonte, Centrum Iridis erit in horizonte, ex parte Occidentis, & tunc poterit apparere Semicirculus. At dum corpus lucidum, supra horizontem eleuatur, quo magis accedit ad meridiem, eo magis Centrũ Iridis deprimitur sub horizontem, & Diameter transiens à Sole per Centrũ Mundi, & Iridis ex parte Solis eleuatur, ex parte autẽ Iridis deprimitur, & ideo minor portio circuli Iridis, supra Terram remanet, & inspicitur: Hinc iure dictum est, quod quo lucidũ corpus magis fuerit eleuatũ, eo apparet minor portio Circuli Iridis, quamuis ea sit portio Circuli maioris; Quod autẽ portio sit maioris Circuli, ex eo accidit, quia dum Astrum est magis eleuatum, centrũ Iridis magis est depressum, & quamuis magis sit depressum, tamen distantia terminorũ Arcus ab inuicem seruatur eadẽ, & ideo redditur arcus maioris Circuli, & præsertim cum magis distet à suo Centro. Hæc ostẽduntur ab Arist. Mathematicis ostensionib quę à variis explicantur, in quib. tanquã in re ab aliis acta non morabor, & præsertim, quia de his breuissime mihi agendum proposui; Ex his quoq, elicitur Ratio, cur post Æquinoctium Autumnale diebus breuioribus, quacunq; hora diei fieri possit Iris, cum enim tunc Sol parum eleuetur supra horizontem, & non accedat ad verticem horizontis, semper portio circuli Iridis remanere potest supra horizontem, quod non accedit, dum Sol eleuatur ad verticem horizontis, nam tunc Circulus oppositæ repercussionis totus sub horizõte deprimitur, cum eius Centrum vergat ad oppositum verticis nostri capitis.

Dubitatio 1. Sed quæritur, dum apparent duo Irides, cur Aer medius inter eos non apparet *Altera dubitatio.* colore aliquo alieno præditus, sed solum proprio. Insuper, an verum sit quod Iris nunquam appareat maior Semicirculo: De prima difficultate, prætermissis *Solutio 1. dubitationis.* variis quæ dicuntur ab aliis, dico ego, id euenire, quia secunda, & superior Iris non est principalis, nec primogenita à Radiis lucidi corporis, sed est imago primæ, & consurgit ex secunda repercussione Radiorum, quẽadmodum Radii in vno speculo repercussi, mox repercutiuntur in opposito, quę secũda repercussio, non fit in id quod est cõiunctim, sed in oppositum primo speculo, ideo exposcit aliquam distantiam, & propterea medium, vt remanet immune à receptione radiorum repercussorũ, ita immune remanet ab alieno colore. De altera *Sol. 2. dubitationis.* difficultate dixere nonnulli, referẽte Auerroe, se vidisse Circulum Iridis supra horizontem perfectum, vel fere, quod si contingit, & verum est, dicendũ erit, vel contigisse ob rectam constitutionem nubium, congruentemq; earum Soli oppositionẽ, cum fuerint magis in Aere eleuatę, magisq; congregatę non effusæ valde supra Terram, & propterea apta suscipere, nedum colores Iridis, verũ insuper figurã circularem Solis, vt accidit de Pareliis, ac ita sententia Arist. erit vera, vt plurimum, erit vera ex relatione suorum antecedentium, qui aliter eam non inspexerunt, & demum erit vera de veriore, & simpliciore Iride, non de ea, quæ ob Nubis congruentem constitutionem, etiam Parelũ conditionẽ aliquam seruat. Iris itaq; est tricolor Arcus, ex reflexione vel prima, vel secunda Radiorum Solis, aut Lunæ ab opposita Nube ad nostros oculos cõsurgẽs,

non

non maior ſemicirculo, ſed eo minor, quo ab Aſtro magis ſupra horizontem e-leuato producitur Parelia, & Virgæ: ſimiliter ex repercuſſione radiorum Solis ortū ducunt, ſed hæc non ſunt ſub Sydere vt Corona, nec è regione, vt Iris, ſed à latere fiunt, non alterius Syderis ſed Solis tantum, nam quotieſcunque Soli, vel à dextris, vel à ſiniſtris, vel vtraque ex parte nubes aſtiterint, quæ ſint inæquales, & ſatis denſæ, & proximæ, vt in guttas aquæ mutentur, tunc ob inæqualitatem, & multitudinem, & paruitatem ſpeculorum, non apparet in eis figura Solis, ſed tantum color, & propterea radii Solis, in ea repercuſſi ob candidum, cum atro mixtum, colores varios repræſentant, & puniceum, & viridem, & purpureum, vt dictum eſt de Iride, & illæ nuncupantur ῥάβδοι, ſeu Virgæ, quæ ſunt tanquam directæ, & inordinatæ Irides, à Solis latere collocatæ, & tales quoque apparent nubes proximæ Soli, dum inſpiciuntur in aqua, quamuis directè nubes aſpicientibus ita coloratæ non videantur; Eſt itaque Virga apparitio variorum colorum conſimilium coloribus Iridis, in nube inæquali denſa, & per particulas plurimas, fere in aquam commutata, conſurgens ex refractione radiorum Solis in ea, vt in ſpeculo à latere Solis, in mediocri diſtantia collocato, cuius numerus non eſt definitus: nam Virgæ, & plures, & pauciores eſſe poſſunt. Dum vero nubes fuerit rarior, non tam proxima aquæ, & fuerit conſimilis, & à latere Solis collocata, mediocriter diſtans, tunc in ea vt in ſpeculo vno, etiam figura Solis apparet, ideo conſurgit Parelium, quaſi Sol alter, iuxta primum apparens, & nonnunquam cum à dextris tum à ſiniſtris apparet imago Solis, adeo vt videantur eſſe tres Soles, quorum qui medius eſt, verè eſt Sol. Eſt itaq; Parelium, imago Solis, & tanquam Sol alter apparens in nube rara, & conſimili à latere Solis poſita, conſurgens ex repercuſſione Solis lucidi in ea tanquam in ſpeculo mediocriter diſtante; At iure dubitabit aliquis. Cur Parelia, & Virgæ, vt fiunt à latere Solis, non ſimiliter fiunt in nube per aliam loci differentiam Soli oppoſitam? Cui difficultati, cum Ariſt. reſpondendum eſt, dum nubes anterius fuerit collocata, ſi diſtat valde non apparet figura, ſed lumen tantum apparet, conſurgit Iris: Si fuerit proxima Soli, dum fuerit rara, facile diſſoluitur virtute radiorum Solis, ideo non apparet Sol alter, ſi fuerit denſa, & proxima, vt vertatur in aquam, celeriter per Antiperiſtaſim in aquam vertitur, & non apparent Parelia, ex dictis de Pareliis, & Virgis, etiam elicitur ratio, cur Virgæ magis indicent futuram pluuiam, quam Parelia? Virgæ enim apparent in nube denſiore, per varias particulas, fere in aquam commutata. Parelia verò in rariore. Ariſtot. de multiplicatione Lunæ, nil dixit, quia fortè ante eius tempora inſpecta non fuit. Pontanus eam explicauit inquiens:

Definitio Iridis. *Parelia & Virgæ.* *Quid Virga.* *Definitio Parelii.* *Dubitatio.* *Solutio.*

Sæpe etiam duplicem in tenebris eſt cernere Lunam.
Nube nouam referente aliam ſub imagine formam.

CAP. XXX.

De Metallis, & Foßilibus.

DECVRSA hactenus, ea omnia ſunt, quæ fiunt, vel apparent in ſublimi, & quæ ſimpliciora, minuſque perfectè ſunt mixta: ſequitur vt eorum explicatio abſoluatur, quæ fiunt in viſcerib. terræ, & tanquam finis cæterorum perfectionem aliquam mixtionis includunt: huiuſmodi autem ſunt Metalla, & foſſilia; Cum enim in lib. Meteorum, imperfectè mixta conſiderentur, quorum principia ſunt duplex genus halituum, conſentaneum eſt rationi, vt etiā mixtum

perfectum declaretur, ne via careat suo termino, & imperfectum, sua perfectione, & præsertim quia tale mixtum ex iisdem principiis ortum ducit. Pro breui autem, & facili eorum explicatione, ordiendo à communibus Meteorum principiis, accipiẽdum id primo est, quod duplex reperitur halituum genus, inuicem tamen maximè permixtum, & denominatum nomine exuperantis, ex quo duplici genere ortum ducunt Metallum Græce Μεταλλεῖον, & Fossile Græce ὀρυκτὸν, quæ nomina, quamuis latè sumpta communia sint, tamen vsurpantur tanquam propria, & metallum id dicitur, quod ex halitu humido, & aqueo oritur, Fossile vero, quod ex halitu sicco, & calido, metallum est corpus mixtũ consimile, quod ex terra eruitur, aptum liquescere, & duci, ex halitu secundum imperium humido genitum, ope caloris miscentis, & coquentis, & frigoris congelantis: Liquescunt metalla omnia, sed quædam facilius, vt plumbum quædam difficilius, quia plus terræ includunt, vt Ferrum. Similiter omnia duci, siue extendi possunt, maxime autem, & in tenuissima folia ducitur aurum mox argentum, plumbum minus ducitur, hinc quædam dicuntur Fossilia, quia facilè funduntur, quędam Ductilia, quia facile ducuntur: metallorum quædam sunt simplicia, alia mixta, simplicia præsertim sunt sex, aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum nigrum: nonnulli addunt argentum viuum, id tamen potius videtur via ad metalla, quã metallum perfectum, est enim tanquam vapor condensatus, ex quo nituntur Chymistæ aurum; & argentum efficere, cum tamen per naturam longe secus producantur. Nonnulli addunt etiam plumbum cinereum, Ammonius censuit alia quoq; metalla inueniri nobis ignota. Metalla mixta sunt electrum, constans ex auro, & argento, stannum ex argento, & plumbo nigro, Orichalcum, quod circumfertur simplex non est sed mixtum, & arte factum; An autẽ detur simplex; & per naturam genitum, dubium est Ex aduerso Fossile est corpus mixtum consimile, quod ex terra eruitur, ex halitu sicco terreo dominante genitum, beneficio caloris contemperantis, & coquentis; Fossiliũ tria statuuntur genera, vnum dicitur terra, aliud Succus concretus, tertium lapis. Quorum varię sunt species: nam terra, vel est simplex, vt ea, quæ Ochra dicitur, vel est mixta, & ea quę mixta est, vel miscetur cum sicco, vt melia aluminosa, vel cum aliquo metallo; Huius generis Fossilium, variæ sunt differẽtiæ, & denominationem magna ex parte recipiunt ex locis, in quibus producuntur, vt terra Samia, Lemnia, & ita de cæteris; Aliud genus, quod succus cõcretus dicebatur, diuiditur in pinguem & macrum: Succus pinguis, qui ob pinguedinem facile comburitur est Sulphur, Bitumen, Auripigmentum, & Sandaracha; Succus macer est Nitrum, Alumen, succus aeris, nomine proprio carens, Atramentum, sutorium, Erugo, Ferugo, Sal, Chrisocolla. Tertiũ generis Fossilium, nempe Lapidum, quatuor numerãtur genera, vnum carens nomine proprio, & denotatum communi est, vt Lapis Herculeus, lapis Ætites, lapis Hematites; Aliud genus lapidum sunt Gemmæ, quæ sunt corpora mixta, solida, nitentia, pellucida, vario colore prædita. Tertiũ est Marmor. Quartum, Saxa, & lapides, ex quibus ædificia conficiuntur. Inter metalla, & fossilia mediant nonnulla mixta, quę cum valeant liquefieri, & conspicuum humorem aliquem includant, ad conditionem metallorũ accedunt, vt vero apparent terrea, cum Fossilibus nectuntur, & dicuntur lapides liquabiles, vt Pyrites, & lapides illi, è quorum particulis vitrum conficitur; Similiter putandum est, Christallum ancipitis cuiusdam esse naturæ, necnon corallum, conspicuè enim includunt conditiones vtriusque halitus. Hæc itaque sunt Fossilium, & metallorum genera, quorum communia principia, nempe duplices halitus explicat Aristot.

in.

Definitio metalli.

Omnia metalla liquescũt & ducũtur.

Metalla simplicia & mixta.

Metalla mixta quæ sint.

Definitio Fossilis.

Genera Fossilium tria.

Terra.

Succus.

Lapis.

Media.

in calce tertii Meteorum, nam per id cum Meteoris sunt iuncta, & sunt, tanquam finis eorum, considerationem autem distinctam, eorum secundum speciem, missam facit, vt magis attinentem ad particulares artifices, qui in eis, vt in propria materia versari debent. Albertus tamen Magnus, Georgius Agricola, & alii viri docti, distinctius, & cumulatius de illis loquuti sunt.

CAP. XXXI.

Sententia Platonis cum ea Aristot. comparatur, & dubia nonnulla diluuntur.

ARISTOTELES, loquens de metallis, & fossilibus, quamuis in parte videatur cum Platone de illis in Timeo loquẽte pugnare, tamen reuera non dissentit; ambo affirmant, metalla, & fossilia, ex duplici halitu ortum ducere, quamuis Plato obscurius, ambo inquiunt ex halitu humido terræ, secreto à terra gigni pruinam & rorem, ex eo verò incluso in cauitatibus terræ, & præsertim in Venis lapidum, gigni metalla. Hinc Plato dixit aurum florescens per petram compactum esse, ambo affirmarunt metalla fundi. Videntur tamen dissentire, quia Plato metalla ait esse fusiles aquas & esse aquam aliquid passam, Aristotel. verò vtrumque negat, inficiatur enim metallum esse aquam, sed ait esse genitum ex vapore Aqueo, & ita non esse aquam aliquid passam, sed humidũ quoddam productum ex passione, & permutatione vaporis: At lis est in verbis: nam Plato ea nuncupauit aquas, quia latè sumpsit aquæ nomen, & tria statuit aquæ genera, quorum vnum est metallum, quod dicitur aqua, quia humor Aqueus in eo imperium obtinet, iureitaque Proclus Calcidius, & Olympiodorus affirmant, Platonem, & Aristotelem de materia metallorum idem sentire; At huic communi amborum sententiæ varii viri docti aduersantur, & præsertim Georgius Agricola, libro quarto de causis subterraneorum, nam quod halitus humidus non sit materia metallorum ostendere nituntur, tum quia dum metalla liquescunt, non in halitum, sed in aquam resoluuntur: tum insuper, quia non videtur rationi consonum, tot vapores in cauitatib. Lapidum, & Terræ includi, vt tam magnam Metallorum copiam producant. Quod etiam Fossilia, & Lapides ex halitu sicco produci non valeant, nituntur ostendere: tum, quia si ex huiusmodi halitu generarentur, magna eorum copia in supera Aeris regione produceretur, cum ea sit sedes propria, huiusmodi halitus, non viscera Terræ, tum insuper, quia ex halitu adeo tenui, & sicco, nequit effici Corpus tam densum, solidum, durum, & compactum, & præsertim, quia vt fatetur Aristotel. in secundo de Ortu, & interitu, 49. sine humore nil solidum gigni potest: at Lapides adeo sunt duri vt vix frangi queant. Propterea nonnulli Aquam aiunt materiam Metallorum, non vaporem; Alii inquiunt, Calcem, & Lixiuium esse materiam eorum, vt ait Albertus Magnus: Nonnulli Calcem & Cerusam. Chymistæ fere omnes, inquiunt ex halitibus primo gigni Sulphur & Argentum viuum, mox à Sulphure, tanquam artifice ex viuo Argento vt ex propria materia gigni Metalla. Similiter de materia Fossilium varii varia dicunt, putat Auicenna, materiam Lapidum esse Lutum lentum, vel Aquam compactam; Albertus Magnus ait esse speciem quandam Aquæ, & Terræ eorum generationi accommodatam. Georgius Agricola Lutum statuit materiam Lapidũm & præsertim succum eius, qui vehementi frigore congelatur; Sed hæc & alia huiusmodi, quæ Aristoteli obiiciuntur, leuissima sunt, & plurimi eorũ decipiuntur: quia ea consi-

Consensio Plato. & Arist.

Dissensio eorũdem apparens. Conciliũ.

Georgius Agricola.

Opinio quorundam.

Auicenna.

Defenditur opinio Aristot.

derant, per quæ inaniter nituntur arte Chimica generare metalla, nam ipsi per ea progrediuntur, quæ longe distant à principiis naturæ, recta ratione à Platone, & Aristotele consideratis, valde enim distat via, per quam natura progreditur, ab ea per quam progredi nituntur Chimici, & ideo mirum non est, si in eundem finem non perducuntur. Ratio, & experientia nos docet, quod ex Elementis simplicibus in halitus medios, & ex eis in prima mixta, qualia sunt Metalla, & Fossilia datur transitus, nec est necesse, vt primo sulphur & argentum viuum producantur, cum in cauitatib. variis terræ, sæpe producantur, in quibus nil sulphuris, vel argenti viui reperitur; Propria itaque metallorum materia, est vapor humidus, non sicco penitus destitutus, sed portionem eius, vel maiorem, vel minorem includens, ob quam ferrum rubiginem edit. *Parens metallorum.* Parens metallorum est calor Cœlestis, congruenti mensura in cauitatib. Terræ, & præsertim lapidum inclusus, non igneus, nec sulphureus; Proprius locus generationis eorum non sunt ollæ vitreæ quib. vtuntur Chymistæ, sed cauitates terræ, & ea, quæ fodina *Quid minera siue fodina.* vena, & minera metallorum vulgo dicitur, quæ est terræ sinus congruenter Cœlo subiectus, à quo cum distincta mensura, facultatem recipit, per conuenientia instrumenta, halitus primo genitos, in metallum commutandi. *Diluuntur aduersæ rationes.* Rationes, quę aduersus sententiam Platonis, & Aristotelis afferebantur facillimè diluuntur. Instabatur primo, quia dum metalla liquescunt, nō in halitus, sed in aquam vertuntur; Hoc nullius est roboris: quia liquor metallorum non est aqua, sed aqueus, qui si dissolueretur, primo in vaporem, mox in Elementa rediret, nec etiam magna copia vaporum, quæ requiritur pro metallorum generatione, sententiam approbatam euertit: quia vt continenter noua metalla, ita cōtinenter, & facilius noui halitus gignuntur, & suppeditantur, facilior enim est halituum, quam metallorum productio: & quamuis metalla dicantur gigni ex vapore humido, non ob id inficiatur Aristoteles pro eorum constitutione etiam requiri Terram, imò id affirmat, & ostendit, inquiens in calce tertii Meteorum, idcirco, & omnia metalla igniuntur, & terram continent, cum contineant siccam exhalationem. Aurum autem solum non ignitur, & cum dicat aurum non igniri, non ob id negat, terram includere, cum enim sit mixtum perfectum constat ex omni Elemento, at terra, quæ in eo est, purgatissima est, & cum aqua exactissimè mixta; Hinc Auerroes 4. Cœli, 28. ait, Aurum non est grauius argento, nisi quia constat ex partibus plurib. terræ. Similiter etiam inanes sunt rationes, quæ aduersus materiam fossilium relatæ sunt: nam locus mixtionis, & productionis lapidum, & corporum grauium, & solidorum, non est supera aeris regio, sed terra; & quamuis in ea aeris regione, magna halituum copia reperiatur, non tamen adsunt cætera, quæ pro grauium generatione sunt necessaria, ideò raro solum, & exigua quædam fossilium corpora, eo loci gigni putandum est. Addebatur, ex sicco, & tenuissimo halitu compactos, dentes & graues lapides gigni non posse. Quæ ratio solum ostendit ex solo sicco halitu eos non posse confici, at ex eo permixto, & iuncto cum humido, per varias permutationes optime gigni possunt. Aristoteles censuit, ex eorum halituum permixtione, metalla, & fossilia gigni: dicuntur tamen ex vno, vel ex altero ratio fieri, quatenus vel vnus, vel alter, in mixtione, & proxima materia imperium obtinet; *De præstantia metallorum & fossilium.* Contendunt inuicem de præstantia metalla, & fossilia, cum ambo preciosa sint, prę ualent tamen fossilia cum temperamentum calidum, & siccum præstat frigido, & humido, vt etiam ignis præstat aquæ. Hinc præstantissima fossilia, vt gemmæ, preciosiores sunt auro, & maioris virtutis. Et quamuis fossilia sint magis

terrea,

Terrea, Metalla autem aquea, & Terra sit vilior, quàm Aqua, tamen quia cum sicco terreo plus ignis permiscetur, quàm cum vapore aqueo, ideo præstantissimum Fossilium antecellit præstantissimo Metallorum, per præstantissimum autem iudicatur vniuersum genus, vt in Topicis, & in primo de Cœlo nos docet Aristoteles. At non ob id tanti ab homine mei entur fieri, quanti fiunt, natura enim hæc subiecit pedibus nostris, nos autem ea nobismetipsis præ f.cimus, & tanquam Idola colimus, propterea id desiderium præter naturam iudicari debet. Varia de Metallis & Fossilibus occurrerent dicenda, at quia longè absunt à præsenti instituto, ea missa faciens, ad Dei laudem & gloriam finem impono.


FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Mixtorum ortu,

LIBER VNVS.

CAP. I.

Proponitur agendum de generatione Mixtorum, & varij gradus considerationis generationis referuntur.



QVONIAM Natura pro facultate expetit, & quærit, Esse, quod rebus Physicis per Ortum competit, ideo cum ortu summoperè est complicata, & Ortus dicitur opus maximè consentaneum Naturæ, & ea quæ supra ortum sunt posita, etiam supra naturam dicuntur collocata. Propterea Aristoteles in Scientia de Natura accuratissimè ad ortum & interitum rerum attinentia, considerauit. Septem sunt gradus considerationis generationis. Nam primo occurrit consideranda vniuersè, quatenus pendet ex communibus & internis principiis eius, & hoc fit in 1. Physicorum. Secundo, vt habet commune aliquid cum omni motu, & ita definitione communi definitur in tertio Physicorum. Tertio, vt contradistinguitur à propriè sumpto motu, quod efficitur in 5. Physicorum. Quarto occurrit consideranda generatio vniuersè cõpetens contentis sub Luna, quatenus generatio simpliciter contradistinguitur à generatione in parte, quæ est ea accidentium, qua consideratione definitur in primo de Ortu & interitu, quod sit mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente. Quinto, occurrit consideranda generatio, quæ est vnius ex multis, & dicitur mixtio: de qua in eodem libro de Ortu & interitu sermo est. Hunc sequitur generatio eorum, quæ Meteora dicuntur: sed quoniam ea sunt inchoata, & non adepta postremum finem & formam, ideo gradum generationis non constituunt. Sed sexto loco occurrit consideranda generatio Substantiæ mixti consi-

Natura cum ortu summopere innexa.

Septem gradus considerationis ortus.

milium patrium, quatenus ex non Esse ducuntur ad Esse, per mutuam oppositionem Qualitatum, quarum vna formantis & transmutantis, altera formati & patientis officio fungitur, quæ generatio propriè & præsertim competit partibus viuentium, & absoluitur per mediam coctionem cui interitus ille opponitur, qui putredo dicitur, qua consideratione definitur & explicatur ab Aristotele in principio quarti Meteorum. Datur Septimo generatio viuentium, quæ ex parte principij generantis nempe animæ nutrientis consideratur in secundo de anima, ex parte membrorum & instrumentorum ei inseruientium, in lib. de partibus animalium, ex parte demum modi, & requisitorum pro generatione, quatenus generatio est affectio viuentiũ, & præsertim Animalium, de ea sermo est in libris de generatione animalium, adeo, vt Aristoteles accuratissime, & nostro ordine per omnes gradus progrediens, singula explicauerit ad ortum & interitum Physicum attinentia. Ego autem Aristotelem sequens, loquens de generatione, in sexto considerationis gradu versabor, & eam considerabo generationẽ, quæ putredini opponitur. De qua cum agatur in quarto Meteorum, ideo pro lucidiore notitia cum generationis, tum sententiæ Aristotelis, tum attinentium ad illum librum, verba quoque Aristotelis explicabo.

CAP. II.

De connexione quarti libri Meteorum cum antecedentibus.

CVM in quarto Meteorum sermo sit de perfecta mixti generatione, quę non est aliquid Meteorologicum, iure optimo ambigunt interpretes omnes, quomodo liber ille inter Meteorologicos numeretur, & sibi locum illum vẽdicet, & varii varia dixerũt. *Opinio Alexandri.* Sententia est Alexandri in procemio illius libri, quartum Meteorum necti cum secundo libro de Ortu & interitu, quam ita intelligunt multi, vt putauerit Alexander librum illum debere sequi secundum de Ortu & interitu, & præferri libris tribus Meteorologicis. Sed errant, quoniam conspicue Alexander in calce quarti Meteorum vna cum Aristotele ait, quarto Meteorum succedere libros de animalibus, adeo, vt conspicue eos postposuerit libris tribus Meteorologicis. *Opinio alia.* Propterea alii dicunt, mixtum imperfectum qualia sunt Meteora, & mixtum perfectum, consideratum in quarto Meteorum, esse species æque positas sub genere mixti, inter species eiusdem generis, non datur Ordo, & propterea vt tres libri Meteorum proxime sequantur secundum de Ortu, & interitu, ita quartus Meteorum, & hac consideratione aiunt Alexandrum dixisse, quartum Meteorum necti cum secundo de Ortu & interitu, quæ sententia deterior est priore. *Euersio.* Nam apprimè absurdum est dicere, Mixtum perfectum & imperfectum non subordinari, & æque poni sub genere mixti: de omnibus verum est, imperfectum antecedere, esse viam ad perfectum, & ordinari ad illud. *Alia opinio.* Neque etiam quorundam aliorum sententia est approbanda, dicentium, quartum Meteorum esse librum seiunctum a Meteorologicis, & malè nuncupari Meteorologicũ, sed inscribi debere de mixtis, vt cẽsuit & Suessanus. Veluti etiam non est approbanda opinio Lucilli Philaltei in procemio lib. de Cœlo, dicentis librum nuncupatum quartum Meteorum, debere iudicari primum de Mineralibus, idque elici de verbis ab Aristotele prolatis in calce tertij Meteorum. *Euersio.* At horum opinio manifestissimè pugnat cum vulgatissima inscriptione illius libri, nam inscribitur quartus Meteorum, & cum verbis Aristotelis in procemio primi Meteorum, quo loci cum philosophus proposuisset explicanda

plicanda Meteorologica, addit: His explicatis speculabimur vt valemus, eodem modo de animalibus, & plantis, cum vniuersè, tum singulatim, &c. ex quo elicio hanc rationem; Illi libri, quos sequuntur libri de Animalibus inter Meteorologicos sunt numerandi, vt patet ex verbis relatis: at quartum Meteorum sequuntur libri de Animalibus, vt dicitur in calce eius libri, quare & sententia Aristotelis liber ille inter Meteorologicos numerandus est. Et prætereiens varia, quæ ab Olympiodoro, Philopono, Ludouico Boccaf. Pomponatio, & aliis viris doctis hac de re dicuntur, breuibus dico, quartum Meteorum dupliciter considerari posse, primo ex parte principiorum, ex quibus pendent, declarata in eo libro, secundo ex parte rei, de qua agitur, secundum primam cõsiderationem nectitur ille liber cum secundo de ortu & interitu, ideo Aristoteles in eius limine repetit ea, quæ de primis qualitatibus in secundo de ortu, & interitu declarauerat, ex quarum actione pendent. Generatio putredo coctio, & cuncta de quibus in eo quarto libro est sermo. At ex parte rei consideratæ, quia agitur de mixto perfecto, quod est finis, & terminus mixtorum imperfectorum, qualia sunt Meteora, sequitur tanquam finis, tres libros Meteorum, & quoniam præsertim libri ordinem recipiunt, ex re considerata, ideo iure Arist. illum constituit quartum Meteorum: est itaque liber ille Meteorologicus, quia est de fine, & termino ad quem Meteorum, nectitur cum secundo de ortu & interitu per principia, at secundum ordinem rei consideratæ sequitur tres libros Meteorum. Nec est absurdum, vt idem liber per varia nectatur cum variis, veluti se habet de duodecimo Metaphysicæ, qui ex parte æternitatis motus nectitur cum octauo Physicorum, vt dicitur in cont. 43. ex parte verò rerum, de quibus agitur, est duodecimus Metaphysicæ, hoc pacto etiam diluitur controuersia in Alexandro apparens, qui modo nectit quartum Meteorum cum secundo de ortu & interitu, vt in procemio quarti Meteorum, modo postponit tribus Meteorologicis, & præferr libris de Animalibus, vt in calce eiusdem libri. De hac itaque mixti perfecti generatione, quæ est finis imperfectorum mixtorum, agit Aristo. in 4. Meteor. cuius sententiam mihi explicandam propono.

Sententia propria.

Cõtrouersia in Alexandro.

CAP. III.

Definitio simplicis generationis.

DEFINITVR proposita generatio in principio quarti Meteor. hunc in modum. Est autem simplex & naturalis generatio mutatio ab his virtutibus, nempe primatum Qualitatum, cum rationem susceperint ex subiecta materia vnicuiq; naturæ. Id quod definitur, est generatio, quæ tum quia est affectio, tum præsertim, quia pendet ex efficiente secundum esse, & conseruationem, definiri debet nedum per causas internas, verum etiam per externas, quod seruat Aristoteles in hac definitione: cum enim generatio dicatur mutatio, indicatur communis forma, cum dicatur à primis qualitatibus, indicatur id quod proximè permutat, & agit, per id quod additur, cum rationem susceperint ex subiecta materia, indicatur materia proxima, & tum demum additur vnicuique naturæ, indicatur finis, illa enim congruens ratio eatenus dicitur congruens, quatenus respondet formæ rei producendæ, quæ est finis generationis. Ita accuratè Philosophus pertinentia ad omne genus causæ patefecit. At exactius singula perpendamus. Ordiens à re definita ea est generatio, non quælibet, sed substantiæ, non simplicis, sed mixtæ similium partium, non vi aut arte, sed natura elaborata.

Definitio.

De re definita.

Opinio quorundam. Hæc substantia ex quorundam sententia est ea sola, quæ est corpus cõsimile, & est pars viuentis, vt caro, neruus, & similia, id nituntur suadere per verba Arist. qui ante quam definitionem illam tradat, inquit: Primo igitur vniuersè simplex generatio; & naturalis mutatio harum facultatum, nempe primarum Qualitatum est opus, & oppositus interitus, secundum naturam, & ea quidem, & stirpibus competunt, & animalibus, & partibus eorum, &c. manifestè Philosophus eam generationem ad viuentia refert. Similiter idipsum elici posse videtur ex calce quarti Meteorum, quo loco Philosophus ait: his explicatis, similiter corpora dissimilium partium explicare oportebit, indicans hanc generationis explicationem ad viuentia dirigi. *Euersio in parte.* Hæc opinio partim vera, partim falsa est, vera quidem vt pertinet ad principale institutum Philosophi, & principale subiectum definitæ generationis, falsa tamen vt pertinet ad institutũ & subiectum adæquatum, nã si principale inspicimus, cui hæc generatio competit, proculdubio est id corpus mixtum consimile, ex quo viuentium corpora constituuntur, est enim mixtum præstantius cæteris consimilibus, in cuius generatione distinctius, & magis propriè refulgent huiusmodi Qualitatum actiones, & mos fuit Aristot. in *Mos Arist.* rerum consideratione præsertim id inspicere, quod præstantius est, vt per id cætera clarius refulgeant, hinc de stirpibus, & animalibus distinctam mentionem fecit, nam vires per maximum mensurantur quod possunt, & in calce libri hanc considerationem ad viuentia direxit, quia iam pertinentia ad inanima, qualia sunt Metalla, & Fossilia absoluerat, cùm de illis vniuersè disseruisset, nec sibi proposuisset ad singula descendere, sed aliis negotium id dereliquisset, vt patet ex calce tertij Meteorum. Est itaque generatio partium viuentium principale subiectum generale, quæ definitur, adæquatum tamen est generatio mixti perfecti vniuersè sumpti, hoc ostenditur primo: quia definiri debet communis finis, & proximus mixti imperfecti, hoc autem est mixtum omne perfectum, alioquin Aristoteles partem finis Meteorum dereliquisset; Confirmatur, quoniam in progressu quarti libri sermo est de attinentibus ad Metalla, Fossilia, & alia mixta animæ expertia, at ratio ordinis exposcit, vt primo id declaretur, quod commune est omnibus, alioquin Aristoteles ex definitione generationis partium viuentium, transiret ad non viuentia, mox ad viuentia rediret, quæ esset magna confusio & peruersio ordinis. Idipsum comprobatur per definitionem relatam, quæ vniuersè competit omni generationi mixtorum perfectorum; Insuper, comprobatur per oppositam putredinem, quæ omni mixto apta est competere; Præterea per ipsummet Aristot. qui generationem hanc, & putredinem ei oppositam, etiam ad non viuentia extendit, & putredinem inquit competere elementis omnibus præterquam igni; Hæc generatio mixtorum consimilium nuncupatur generatio simplex, & naturalis, simplex dicitur, vt indicetur esse substantiæ, & distinguatur ab alterationibus prodeuntibus ex huiusmodi Qualitatibus primis; præterea dicitur simplex, quia est substantiæ perfectæ, qualia sunt mixta, quæ dignitate præstant elementis. Demum simplex dicitur, vt indicetur propria mixti generatio, cui opponitur absoluta putredo, vt contra distinguitur à non propria generatione, & impuritate elementorum, cui opponitur putredo dicta secundum partem, prima verè est secundum naturam, cum pro termino habeat formam mixti, quæ natura est, altera non sic se habet.

CAP. IIII.

Explicatio partium definitionis Generationis.

APPARVIT quæ generatio definiatur, explicandæ supersunt partes definitionis, pro genere sumitur mutatio, & iure; nam cum sit generatio substantiæ, ea non est motus, sed mutatio, ex quinto Physicorum. Mutatio potest considerari dupliciter, & pro via siue fluxu, & pro termino qui acquiritur: Aristoteles definiens considerauit viam cum termino iunctam, & pro aggregato definiuit, ideo dixit esse mutationem; indicando fluxum & viam, & est tanquam forma communis contrahenda per differentias; Addit secundo, ab his facultatibus, hoc est primis Qualitatibus, & præsertim à calore contemperato per frigus, indicando causam efficientem proximam, non quidem principalem, sed organicam à principali directam, & hanc accipit, quia conspicua est, & per eam fit alteratio, quæ est via in formam substantiæ; calor per se vt causa principalis calefacit, at si generat substantiam, id facit vt instrumentum causæ principalis, non enim accidēs propria facultate valet substantiam efficere. Additur tertio id quod attinet ad materiam dum dicitur, cum rationem habuerint ex subiecta materia, indicando materiam proximam constitutam per humidum & siccum, nam ex congruente ratione qualitatum agentium cum patientibus, cōsurgit actio consentanea formæ mixti producendæ: hæc ratio dicitur sumi ex subiecta materia, quia vniuscuiusque actus in proprio & definito subiecto recipitur, & quamuis calor alterans fuit consimile, ex eo tamen ob varietatem recipientium, varia inspiciuntur produci. Præterea assumpto aliquo primo, semper ratio dicitur sumi ex subsequente, vt si assumpsero octo, varia ratio cæterorum ad octo, consurgit ex varietate eorum, ita de causa octo ad quatuor esse rationem duplam, ad duo quadruplam, ad vnum octuplam, ita in Qualitatibus assumptis agentibus, ratio vari apendet ex patientibus, & ex eis dicitur summi. Et animaduertendum inter primas Qualitates quadruplicem posse cōsiderari rationem, vna versatur inter qualitates contrarias ad inuicem secundum gradus earum, quatenus vna per per alteram contemperatur, vt inter calorem & frigus. Altera inter contrarietates ad inuicem, qualitatum agentium, & patientium; Tertia, inter quatuor omnes qualitates ad inuicem, vt ex eis consurgit temperamentum, quartum: inter huiusmodi temperamentum, & formam mixti generādi, omnes istæ rationes locum habent in generatione mixti, Aristot. tamen duas tetigit principaliores, nempe secundam inter agentes & patiētes, dum dixit: cum rationem susceperint ex subiecta materia, & quartum, dum addit vnicuique naturæ, nam variæ mixtorum formæ varia exposcunt temperamenta, & cum dicat Philosophus, cum agētes Qualitates rationem susceperint ex subiecta materia, per materiam subiectam denotat qualitates patientes non seorsum à materia, sed cum materia iunctas, quę est materia proxima, & est materia nō formę mixti, vt multi exponunt, sed transmutationis ab efficientibus prodeuntis, nam proxima formæ mixti materia, non est constitutum per solas duas qualitates patientes, sed præditum temperamento omnium quatuor, vt asseritur sub initio secundi de partibus animalium. Demum addit Philosophus, vnicuique naturæ, communis expositio est, vt hoc connectatur cum materia, quasi dicat Philosophus, cum rationem susceperint ex ea, quæ est materia vnicuique naturæ; Hinc Remigius capit. 4. de putredine inquit, per naturam debere intelligi, nō propriam cuiuslibet mixti formam, sed cōmunem & primam: at errat, quoniam communis forma

Mutatio.

Ab his facultatib.

Cum rationē habuerint ex subiecta materia.

Quotuplex ratio primarū qualitatum.

Quid per subiectā materiā denotetur.

Vnicuique natura.

mixtorum prior propria non datur, non enim in mixtis similium partiũ duæ illæ formæ inueniuntur, & præsertim in metallis & lapidibus, quorum ille mentionem facit, & longe minus subscribendum puto sententiæ quorundam aliorum, qui cum Aristoteles dicat ἑκάστῳ, hoc est vnicuique, siue singulorum, aiunt debere intelligi πάντων, hoc est omni, nam ita non indicaretur varia ratio qualitatũ, quæ pro varia mixti forma requiritur. Propterea dicamus connectendam esse rationem cum natura, nempe, vt ex proxima subiecta materia, constituta per qualitates patientes, relatas ad agentes, sumatur ratio congruens pro vniuscuiusque mixti natura, quatenus pro varia natura, & forma mixtorum varia requiritur ratio, nam humidum & siccum vniuersè sumptum, est commun s materia transmutationis, ex agentibus prodeuntis, quæ var o modo se habent, & distincta ratione prædita redditur materia propria transmutationis pro variis formis. Insuper, cum Philosophus dicat, vnicuique naturæ, expressit Philosophus, vt dixi, finẽ mutationis, adeo, vt definiatur generatio, quatenus est mutatio iuncta cum termino ad quem, & iure: nam à Physico ita considerari, & definiri debet, seruando semper relat onem ad corpus Physicum. Et cum hæc definitio constet ex causis omnibus, iure dici debet definitio sola partium positione à demonstratione seiuncta, & demonstratio ita formabitur. Quod efficitur à qualitatibus efficientibus pro vniuscuiusque mixtorum natura, est mutatio rationem suscipiens ex subiecta materia, Generatio simplex mixtorum fit à qualitatibus efficientibus pro vniuscuiusque mixtorum natura, igitur est mutatio rationem suscipiens ex subiecta materia.

Propria expositio.

Demonstratio ex definitione.

Cap. V.

Quatuor proponuntur, & diluuntur dubia ad definitionem Generationis pertinentia.

Sex dubia.

EX tradita, & explicata Generationis definitione, sex emergunt dubia, quorum quatuor quæ sunt leuiora primo diluam, mox reliqua maioris ponderis exactius explicabo. Dubitatur primo, quia Arist. definiens, sumpsit instrumenta, & prætermisit causam principalem generationis, cum tamen instrumẽta non sint sumenda in definitione eorum, pro quibus sunt instrumenta. Respondeo, ob tres causas id fuisse factum: prima est, quia huius communis generationis, non datur vnum commune proximum generans, sed solum dantur hæc communia proxima instrumenta. Secunda ratio est, quia huiusmodi qualitates nedum operantur vt instrumenta, sed etiam, vt agentia per se, sunt enim per se principia præcurrentis alterationis, hinc Aristoteles in lib. de Sensu & sensili dixit ignem agere non vt ignem, sed vt calidum, quia calefacit proxime vt calidus est. Tertia ratio est, quia definitur, vt dixi, generatio pro fluxu iuncto cum termino, ideo explicandus fuit modus quo fit fluxus ille. His accedit quod Aristoteles hæc instrumenta sumpsit, vt nobis nota, indicando per ea id, quod illa dirigit, in definitionibus non sunt sumenda instrumenta externa, non remanentia in re genita, nullo pacto operantia per se, & non circumscribentia principale agens, in quorum genere non sunt huiusmodi qualitates. Altera dubitatio est, quia omnis generatio est alterius interitus, quare si pro generatione qualitates efficientes, & præsertim calor dominatur, pro interitu autem vincitur & superatur, simul efficientes qualitates vincent & vincentur, & patientes superabuntur & superabunt. Respõdeo qualitates efficientes superantes, vel esse distinctas ab efficientibus, siue terminantib. superatis, vt in conuersione alimenti in Chylum,

1.

2.

Solutio.

lum, calor superans & generans est calor ventriculi, calor superatus est ille alimẽti. Vel si sunt eædem, superant pro vno, superantur pro altero, vt in vermium productione & putredine, nam humor & frigus superant pro interitu rei putrescentis, superantur autem à calore pro generatione vermium; De hoc latius alias. Tertia dubitatio est, an hæc definitio competat generationi animalium, & plantarum, videtur enim debere eis cõpetere, nam Aristoteles inquit, at ea quidem & stirpibus competunt & animalibus, & partibus eorum. Respondeo viuentia dupliciter considerari primo, vt viuentia, nempe vt constantia ex anima & corpore, qua consideratione definitio eis non competit, non enim definitio generatio pro termino ad quem habet animam, ita enim definitur in libro de morte & vita, quod sit prima participatio animæ nutrientis in calido, vita vero eius mansio & conseruatio. Secundo consideratur viuens, & eius generatio ex parte formatum mixti ab anima suppositarum, cum enim in viuente duplex sit formæ gradus, vnus mixti, alter animæ: duplex consideratur gradus generationis, definitio modo tradita cõpetit primo gradui, quæ pro termino proprio habet formam mixti, nam ab vniuerso calore seminis & geniture, alteratur & coquitur materia humida prolis, & ob variam partium rationem, varia in eo mixta producuntur consimilium partium, ex quorum conspiratione, & connexione fœtus consurgit, & hac ratione Aristoteles inquit eam generationem competere animalibus, & partibus eorum. Quarta dubitatio est, si definita generatio est ea, quæ pro termino ad quem habet formam mixti consimilium partium & ea forma est terminus ad quem mixtionis, non videtur hæc genere à mixtione distingui, transmutatio enim ex termino ad quem, conditionem & nomen recipit, vt dicitur in secundo & quinto Physicor. quare si terminus idem, transmutatio eadem erit, iam enim patefeci mixtionis internum & proprium terminum esse, non temperamentum, vt aiunt nonnulli, sed formam mixti, ideo dico mixtionem ex parte termini à quo, & ex parte viæ & modi, valde distingui ab hac generatione, & esse origine priore, & iure ab Aristotele primo declaratam, nam mixtio dicitur, vt consurgit ex quatuor elementis, & ab Auerroe nuncupatur generatio vnius ex multis, hæc generatio non consideratur, vt ex multis fit vnum, nam frequenter ex vno fit, vt ex Chilo sanguis, ex sanguine caro, insuper mixtio dicitur, vt ex mutua actione & remissione primarum quatuor qualitatum fit vnum, generatio vero vt patientes qualitates formantur & terminantur, agentes formant & terminant, generatio supponit mixtionem, & potest fieri ex mixto sine noua mixtione, mixtio autem non fit sine aliqua generatione, mixtioni opponitur resolutio generationi putredo, cum resolutio, tum putredo est interitus mixti, sed distincta ratione. Et dum instatur, quia nomen & conditio transmutationis sumitur ex termino ad quem, sine fine, respondeo peti ex fine secundum propriam rationem considerato: nam quamuis sit idem pro absoluto, est tamen distinctus ratione.

3. *Solutio.* *4.* *Solutio.*

CAP. VI.

Quomodo frigus ad opera naturæ concurrat.

QVALITATES efficientes, quarum beneficio mixta cõsimilium partium gignuntur, dicebantur esse calor, & frigus, calorem per se prodesse, permutare & formare fatentur omnes, de frigore autem non leuis est dubitatio, an per se, vel solum ex accidenti ad mixtorum generationem conspiret,

Frigus per se conspirare.

Aristoteles nonnunquam indicat id per se efficere, cum id accipiat in definitione, inquiens esse mutationem ab his virtutibus, hoc est calore & frigore permutantibus; ex definitionibus autem ea, quæ sunt ex accidenti, explodenda sunt. Et confirmatur: quia sæpe pro complenda rerum generatione necessaria est connexio per congelationem ex frigore pendens, vt pro generatione Metallorum, & adipis, quæ demũ congelantur, similiter necessaria est connexio diuersorum, quæ per se à frigore connectuntur, vt in formandis membris animalium. Ex aduerso in quarto Meteorum capitulo 5. inquit Philosophus, efficiens autem frigus est tanquam corrumpens, vel ex accidenti, vt dictum est prius, aliquando enim & comburere dicitur frigus & calefacere, non vt calidum, sed quia congregat, & ambit calidum, &c. manifestè Philosophus ait frigus, vel corrumpere, vel ex accidenti prodesse. De proposita difficultate opiniones duæ sunt inuicem pugnantes. Conciliator difficult. sexagesimo primo, inquit frigus prodesse, nedum ex accidenti, & contemperando, verum etiam per se, & tanquam principale. Confirmatur, quia cum omnia quatuor elementa per se conspirent ad opera naturæ, & mixti constitutionem, & quædam eorum constituantur per frigus, cogimur fateri etiam frigus per se concurrere. Præterea omnis forma corporis Physici per se operatur à natura, & per se prodest pro fine naturę, frigus est forma quædam & affectio corporis Physici, quare pro fine naturæ, per se prodesse debet. Insuper Saturnus, Luna, & aliæ quædam stellæ ex sententia Conciliatoris refrigerant, & quoniam eorum officium non ex accidenti, sed per se expetitur, ideo etiam frigus & eius opus per se expeti putandum est. Similiter opera aquæ & terrę per se operantur à natura, ac etiam officium Cerebri, quod est refrigeratio, Galenus in libro de simptomatum causis, ait frigus non parum ad famem excitandam conducere, demum ad temperamenti constitutionem omnia contraria per se concurrunt, & medium dicitur esse commune & particeps, non ex accidenti, sed per se extremorum. Quod si Aristoteles nonnunquam ait frigus conducere ex accidenti, respondent qui sunt huius opinionis, id debere intelligi pro viuentium generatione, vel facta comparatione cum officio, & beneficio caloris, quod absolutè est præstantius, & magis expetitur. Ex aduerso alij inquiunt frigus solum conducere pro operibus naturæ ex accidenti, id eliciunt ex verbis Aristotelis in quarto Meteorum prius relatis. Hinc Auicenna ait calorem esse amicum naturæ, frigus vero aduersum. Confirmatur ratione, nam generatio, de qua est sermo, fit coctione, per se concoquit non frigus, sed solus calor, quare vt ad institutum pertinet, frigus non per se conducit, hinc Auerroes in proœmio quarti Meteorum inquit, generationem fieri à calore, quoniam commistio non fit nisi per calorem, generatio autem fit per commistionem, & si frigus conducit, id est modo aliquo, indicans esse ex accidenti.

Confirmatio. *Ex aduerso.* *Opiniones.* *Conciliator.* *Galenus.* *Opinio aduersa.*

Cap. VII.

Resolutio difficultatis, an frigus per se conducat pro operibus naturæ.

Actio quatuor qualitatũ ad sex refertur.

VT appareat resolutio propositæ difficultatis, perpendere primo tenemur, in quo præsertim ea sit posita, pro notitia animaduertendũ est, actionem quatuor primarum Qualitatum, ad sex posse referri, primo ad actionem propriam & per se, earum. Secundo, ad actionem, quæ per se operatur, non autem

autem proxima est nec propria. Tertio ad constitutionem Elementi. Quarto ad constitutionem temperamenti. Quinto ad productionem formæ mixti consimilis. Sexto ad generationem viuentium, si referatur ad opus proprium & per se, tunc vt calor per se calefacit, ita frigus dicitur per se refrigerare: si referatur ad actionem per se non propriam, explicatam in definitione primarum Qualitatum, similiter dico, vt calor per se nectit consimilia, & dissimilia secernit, ita frigus per se omnia connectit, quamuis non primo, nec proxime. Tertio si referatur ad constitutionem Elementi, vt calor per se constituit ignem, ita frigus terram, & aquam, per se dico in proprio genere. Quarto dum refertur ad constitutionem temperamenti, omnis qualitas per se concurrit, & ambo extrema per se conducunt pro medii constitutione, quamuis id, quod est præstantius frequenter dicatur concurrere tanquam forma, & mensura.. De his quatuor gradibus non est dubitatio; Ex quo patet Solutio variarum instantiarum, quæ non faciunt ad rem. Dubitatio præcipua est de quinto gradu, nempe de modo quo conducit pro perficiendo mixto, & educenda eius forma, & etiam modo aliquo de gradu sexto. De quibus loquens, accipio in eis duo considerare, vnum principale, alterum connexum cum principali & necessarium pro eo, veluti in productione mixtorum principale est eductio formæ mixti, quæ natura eius est, minus principale & requisitum pro eo, siue connexum cum eo est, vt congelatio in metallorum constitutione, similiter in productione viuentium, principale: est id per quod anima educitur & connectitur cum corpore, minus principalia sunt congelatio siue retentio, condensatio aliqua partium, appetitio alimenti, & similia. His assumptis, tres profero conclusiones; Prima est, vt pertinet ad quatuor primos gradus actionum, & quatuor primas relationes, frigus per se conducit pro operibus naturæ. Altera est, loquẽdo de quinto & sexto actionis gradu, considerando id quod principale est, solum calor per se conducit, frigus ex accidenti, vel contemperando, vel detinendo calorem. Tertia est, si consideramus connexa cum principali, etiam frigus per se conducit. Prima conclusio nota est ex dictis, nam vnumquodq; vt se habet ad esse, ita ad operandum, id enim cuius est opus, est gratia operis; vt dicitur in secundo de Cœlo decimoseptimo; Secunda conclusio etiã ex assumptis satis est conspicua, nam productio, & eductio formæ mixti per se, pendet ex officio caloris, cuius munus est coquere, formare, & perficere, secernendo excrementa connectendo vtilia, hinc Faber mixtionis dicitur; similiter generatio Animalium & viuentium omnium quæ dicitur prima participatio animæ in proprio & naturali calore, proculdubio fit beneficio caloris genituræ, seminum, & ambientis. Tertia cõclusio ex assumptis etiam est nota, nam in generatione mixtorum, & viuentium, varia reperiuntur quæ per se ex frigore pendent, vt coagulatio, condensatio, dissimilium connexio, appetitus alimenti, & similia. Si igitur vtraq; sententia vera est, frigus solum ex accidẽti, & frigus per se conduceret pro operibus Naturæ. Et ex his eliciuntur Solutiones aduersarum rationum. Dum Aristoteles dixit Frigus ex accidenti conducere, inspexit finem, & opus principale; at ostendebatur frigus per se conducere etiam pro fine principali, quia sumitur in definitione generationis. Respondeo, sumi implicite, non cum explicatione, nam dicitur fieri ab his virtutibus, hoc est facultatibus primarum Qualitatum, sed quomodo fiat in definitione non explicatur; ex progressu autẽ explicatio petenda est, & includitur in definitione, quia etiam includitur in agente principali nempe in calore contemperato per frigus. Addebatur frigus nonnunquam per se conducere pro complenda generatione, Re-

De prima relatione. *De secunda.* *De tertia.* *De quarta.* *De quinta.* *Prima conclusio.* *Secunda.* *Tertia.* *Diluuntur diuersa rationes.*

spondeo, conducere per se pro connexis, at non per se pro educenda forma. Dicebatur Cerebrum refrigerare. Respondeo id facere contemperando calorem Cordis: cæteræ rationes per iam dicta solutæ sunt. At summopere laborant viri nonnulli docti pro diluenda instantia, sumpta ex homine, vel ex quouis alio viuente à frigore per congelationem perempto, nam dum plantæ, & animalia per congelationem pereunt, quia vnius interitus, est alterius generatio, necessario tunc id gignitur, quod perempto succedit, eius autem generatio, non potest tribui calori, quia in congelato non adest, & si quis adest, non dominatur, quare tribui debet frigori, & quia id quod gignitur est mixtum, inferendum est frigus nonnunquam per se conducere pro fine principali, & eductione formæ mixti. Missa facio quæ de hac difficultate à Ludouico Boccaf. & aliis viris doctis dicuntur, & breuibus dico, eos difficultatem magnifacere, quæ exacte considerata inanis est penitus, nam interit animal, & superest cadauer, non est putandum id totum formari noua forma, per quam cadauer constituatur, sed putandum est, id quod superest non amplius esse corpus vnum per formam vnam, sed esse corpora varia colligata, ideo inquit Aristoteles in primo de Anima contex. nonagesimo, potius Animam continere corpus, quam contra, quoniam recedente Anima corpus dissoluitur. Est itaque cadauer corpora varia, per ligamenta iuncta, quæ corpora sunt mixta consimilium partium, seruantia propriam mixti formam, & cum in viuente constituerentur in specie per animam, quæ erat forma postrema, recedente anima sunt in specie per formam propriam mixti, & hac sola consideratione interitus Animalis, est alterius generatio, absolute tamen, & proprie ea regula est vera de permutatione inter ea, quæ sunt eiusdem gradus, vt inter ignem, & aerem, inter venam, & sanguinem, non de resolutione in componentia nisi modo iam dicto.

De interitu per congelationem.

De cadauere.

CAP. VIII.

An mixtum omni ex parte qualitates dominantis sit calidum.

EX resolutione præcedentis difficultatis, altera obscurior, maiorisque momenti emergit, dictum est calorem esse fabrum mixtorum, & per eius imperium mixta omnia gigni, quo concesso in hoc labimur, quod absurdum videtur, omne mixtum ex parte dominantis esse calidum, nam genitum suo genitori redditur simile. Quod autem id sit absurdum, testantur varii viri docti, & experientia nos docet, mixtorum Temperamenta esse varia, quædam calida, alia frigida, nonnulla humida, vel sicca, vt compertum est de plantis variis refrigerantibus, & de variis Animalium partibus, vt de neruo, cerebro, membranis, ossibus, & aliis quæ Temperamento frigida sunt. De proposita difficultate tres sunt præcipuæ opiniones, prima est quorundam dicentium dari mixta, & viuentia, & non viuentia, nedum calida, verum etiam frigida, hinc nouem statuunt Temperamenta, quatuor Simplicia, quatuor composita, & nonum æquale, & Temperatum. Hæc opinio confirmatur primo: quia Mundus est vniuersum quauis perfectione præditum, & in attinentibus ad eius plenitudinem, esse & posse non distinguuntur, quare cum nouem considerentur temperamenta, quæ nil repugnat dari, putandum est dari mixta illis prædita, simili ratione vtitur Aristot. in secundo de Ortu & interitu pro comprobando numero Elementorum, nam quot modis cõplicari possunt quatuor primę Qualitates, tot colligit esse Elementa. Prætcrea, dum loquimur de attinentibus ad sensum, magis sensui, quam rationi credendum est, temperamenta ad sensum pertinent, & omni

An mixtum omne sit calidum.

Tres opiniones.

Prima.

Confirmatio.

sensu percipimus ea cuiuslibet generis inueniri, quare, ne mentis videamur inopes, tenemur ea concedere, sensu enim tactus mixta varia frigida indicamus, vel humida, vel sicca, id ipsum per sapores percipimus gustatu, per colores visu, ideo Opium, Mandragora, & alia suo frigore obstupefacere, & necare dicuntur. Hoc tanquam communi principio vtitur vniuersa ferè medendi Ars, & labentia ad vnum extremum, docet curari per labentia ad aliud; confirmo id authoritate Theophrasti in sua Metaphysica, dicentis cor omnium membrorum maximum esse temperamentum, si inspicimus temperatum æquale secundum gradus, quare cum cætera membra eo sint frigidiora, magis frigida quam calida erunt iudicanda. Præterea mixta principalia super terram posita magna ex parte sunt Terrea, & Aquea, vt dicitur in secundo de Ortu & interitu, hæc autem sunt Elementa frigida, & qualia sunt Elementa dominantia, talia sunt iudicanda temperamenta. Præterea, inquit Gal. in secundo, de temperamentis cap. primo, nedum inania corpora, & partes quasdam viuentium esse frigidas, verum insuper animalia nonnulla, vt formicas, apes, culices, muscas, & præsertim animalia exanguia, quæ hiberno tempore ob frigus dominans, cum difficultate viuunt, quæ si nonnunquam dicentur calida, ait id solum esse verum, facta comparatione cum Plantis, vel cum corporibus inanimis, vel cum seipsis defunctis. Et iure videtur dicendum mixta ex parte graduum potius esse frigida, quam calida, quia calor in actione nimium est efficax & comburens. Rectè itaque plurimi Medici, & Lud. Boccaf. & Pomponat. & aliorum plurimi, inquiũt dari temperamenta ex parte dominantis, nedum calida, verum etiam frigida, humida & sicca; Ex aduerso alii reperiuntur, ex quorum numero est Gentilis in primam Fen. primi Can. Auicennæ, qui inquiunt, omne mixtum perfectum ex parte dominantis esse calidum & humidum, & aiunt hoc esse verum cum de mixtis inanimis, tum de viuentibus, idque attendi potest primo, sumpta ratione ex definitione Generationis, inquit Philosophus tunc mixta gigni, dum Qualitates efficientes dominantur patientib. quare nullum mixtum erit siccum, vel humidum, sed erit calidum; aut frigidum, non frigidum, quia generatio efficitur coctione quæ ex calore pendet, Præterea, id ostenditur ratione sumpta ex putredine generationi opposita, quæ cum sit interitus proprii caloris, cõspicue indicat conditionem mixti in calore esse positam; Insuper mixtum omne præsertim gignitur virtute Cœli, Cœlum primo, & proprie suo lumine & motu calefacit, suoque calore generati: Confirmatur, quia contemperans non debet vincere contemperatum, frigus conducit vt contemperans, quare vincere non debet. Præterea, hoc patet considerando generationem metallorum, quæ cum maxime videantur gigni à frigore, quo condensantur & congelantur, tamen re vera à calore gignuntur, cum per calorem eis competat coctio & eductio formæ, hinc sulphur dicitur pater metallorum, cuius temperamentum apprime est calidum, frigus conducit non pro educẽda forma, sed pro congelando metallo genito, ideo Chymici igne vtuntur pro permutandis metallis: patet itaque mixtum omne ex parte agentis & formantis esse calidum, ex parte vero materiæ humidum. Hoc quod vniuerse de omni mixto est ostensum, maxime refulget in viuentibus, quæ gignunt vel ex semine per spiritus calidos qui reddunt illud fœcundum, vt dicitur in secundo de Generat. Animal. cap. tertio, vel ex materia putri beneficio caloris, & spirituum in ea existentium, qui calor pro materia & fundamento humorem habet, adeo, vt semper calor & humor sint principia præsertim constituentia corpus viuens; Id patet ex alimento, cum enim alimentum proximum

Theophr. Galenus. Gentilis.

debeat esse simile ei quod alitur, alimentum autem proximum sit sanguis coctus qui est calidus, & humidus, vel aliquid ei proportione respondens, elicimus corpus viuens præsertim calidum, & humidum esse, hinc omnia viuentia in principio sui Ortus sunt calida & humida, vt patet de pueris. Hanc sententiam frequenter visus est Aristoteles approbasse, veluti in secundo de partib. anim. cap. tertio, inquiens: coctio alimenti non nisi per caloris vim agitur, ideo viuentia omnia principia caloris sunt prædita, & in libro de vita & morte ait, generationem esse primam participationem animæ nutrientis in calore naturali, insuper, in lib. de Iuuentute, & Senectute: inquit vniuersum corpus animaliũ præditum est calore quodam naturali, & ob id viuentia videntur calida, defuncta vero frigida; & in lib. de respiratione ait, animam nobiliorem maiorem exposcere calorem, & ob id egere refrigeratione, huic opinioni adhæret Auerroes in proœmio quarti Meteorum, nec non in secundo suarum Collectionum, cap. 1. inquiens, mixtum omne vt declaratum est in quarto Meteorum, consurgit ex imperio partis calidæ efficientis, & humidæ patientis, quibus fit mixtio & coctio. Hæ duę opiniones extremæ efficacissimis munitæ rationibus, coegerunt nonnullos viros doctos se medios constituere. Propterea Iacobus de partibus, & Vidus Florentinus Medici sua tempestate celeberrimi, tertiam enunciarunt sententiam, nam dixerunt. vel cõsideramus mixta inanima, vel viuentia, si de inanimis loquimur, ea valent esse prædita omni genere temperamenti, vt ostendunt rationes primæ opinionis; si vero loquimur de viuentib. aiunt eis duplex competere temperamentum, vnum partium consimilium dum considerantur vt mixta sunt: Aliud totius viuentis, competens vniuerso corpori munere caloris infusi à Corde, cuius temperamenti fundamentum est Cor, & spiritus eius. Hoc totius temperamentum semper calidum est, defunctorum vero frigidum, temperamentum vero partium potest esse cuiuslibet generis, vt etiam temperamenta cæterorum mixtorum, ob duplex hoc temperamenti genus valemus dicere Cerebro competere temperamentum calidum inspiciendo commune & infusum, frigidum vero inspiciendo temperamentum proprie: ita aiunt rationes secundę opinionis vim habere de temperamẽto infuso viuentium. Hæc tertia opinio etiam non caret difficultate, primo, quia rationibus secundæ opinionis vniuerse ostendebatur de omni mixto, debere esse calidum, cum omne fiat per coctionem. Præterea aduersus id quod dicunt de duplici temperamento Cerebri insurgit Thomas de Garbo, in sua summa medicinali, quia Cerebrum ita refrigerat Cor, vt habet esse in viuente, at in viuente habet esse vna cum calore infuso, alioquin non viueret, quare vna cum calore infuso refrigerat, & propterea vt præditum eo calore, adhuc frigidum iudicari debet. Præterea, frigiditatem Cerebri indicat tactus, dum scisso capite tangitur, indicant excrementa eius, pituitam patefacientia, hæc competunt Cerebro vna cum calore infuso, quare cerebrum vna cum eo frigidum est, confirmatur ratio: quia frequenter in fundo maris, & in niue gignuntur mixta, quæ per imperium caloris non videntur vllo pacto posse gigni, res itaque est satis dubia.

Aristot. *Opinio media.* *Dubia.* *Thomas de Garbo.*

Cap. IX.

Resolutio difficultatis, an mixtum omne sit calidum.

CVm viri celebres de proposita difficultate inter se pugnent, putandum est eam esse arduam & obscuram, cui tamen vt lumen aliquod præbeam, & pro resolutione viam facilem parem, quatuor accipio summopere conducentia. Primum est quod imperium Qualitatũ in mixto duplex esse potest, vel graduum, vel facultatis agendi, nam cum calor vehementer agat, frequẽter quamuis gradu sit remissior, facultate tamen mouendi est potentior: & dum Philosophus ait in constitutione mixti agentis dominari facultatem agendi considerat, non gradum, facultas agendi respondet gradui dum cætera fuerint paria. *Primum quod accipitur.* Accipio secundo, quod aliud est loqui de imperio qualitatis pro rei productione, aliud pro Temperamento constituto, nam pro mixtorũ generatione vehementior reperitur calor. Hoc nobis ostendunt ea quæ arte sublimandi, & Chymica fiunt, pro quibus conficiendis vtimur igne, cum tamen mixtum genitum non sit ignis. *Alterũ.* Accipio tertio, quod elicitur ex secundo de partib. animalium, cap. 2. Qualitates mixtorum esse duplices, vel actu, vel facultate, & virtute, vt Calx, Piper, Zinziber, & similia actu sunt frigida, facultate vero, & virtute calida. *Tertiumi.* Dum dicimus agentes debere dominari, facultatem & virtutem pręsertim consideramus, nam mixta operantur per formam propriam vt per agens principale, per Temperamenta tamquam per instrumenta, vt elicitur ex prima part. Probl. 40. 41. & 42. His quarto loco addo in viuente duplicem reperiri calorem, vnum Temperamenti partium, alterum totius, & infusum, cuius sedes est Cor, & in spiritibus vitalibus viget, qui est calor mitis, & continenter veluti flamma alitur humore. *Quartũ.* Hi duo calores quamuis absolutè sint eiusdem speciei, ob connexa tamen dicuntur ex accidenti distingui specie, & dum in eodem subiecto conincidunt, in vnum veniunt, nam duo accidentia, solo numero distincta in eodem subiecto esse non valent, vt plurimum tamen sunt in subiecto distincto, vnus in substantia partium mixtarum, alius in spiritib. & est calor Temperamenti eorum, adeo, vt absolute omnis calor viuentium sit Temperamenti, at variorum. Ex his quatuor quæ assumpsi variarum difficultatum solutiones elici possunt, vt autem ad præsentem pertinet, tres profero conclusiones: prima est, pro mixtorum generatione semper requiritur imperium caloris: secunda est, in mixti constitutione omnis qualitas secundum gradum valet dominari: tertia, omne viuens, vt viuens, est calidum. Prima conclusio ostenditur per rationes secundæ opinionis, illæ enim hoc ostendunt, mixta semper gigni imperante calore, & coquente, in qua significatione ea secunda opinio vera est. *Prima conclusio.* Altera conclusio ostenditur per rationes primæ opinionis, & in ea significatione vera est opinio Galeni. *Secunda.* Tertia conclusio ostẽditur per rationes tertiæ opinionis, attinentes ad eam partem, quod omne viuens ex parte Temperamenti totius, sit calidum, adeo vt omnes illæ opiniones aliquid veri includant: damnandi tamen sunt earum fautores, quia cum debeant cuncta considerare, & distinctè de illis sententias proferre, sine distinctione absolute loquuntur. *Tertia.* Vt etiam prolatæ conclusiones refulgeant clariores, distinctius nonnulla ad eas attinentia sunt explicanda. Dicebatur primo, pro mixtorum generatione semper requiri imperium caloris, id imperium non requiritur, vt semper sit in gradu, sat est vt sit in facultate agendi, & permutandi: insuper non requiritur vt sit actu, sat est vt saltem sit in facultate *Pro prima conclusione.*

operandi, nam requiritur imperium pro eductione formæ, hoc autem in actione, & permutatione est positum. *Pro secunda.* Vt pertinet ad secundam conclusionem, ea erat in mixto constitutio omnem Qualitatem secundum gradum posse denominari, hæc approbatur nedum à Galen. verum etiam ab Aristotele, qui in secundo de partibus Animalium capitulo secundo, ait dari mixta calida, frigida humida, & sicca, similiter ab Auerroe in secundo suarum Collectionum, cap. primo, quæ conclusio etiam est vera de actione in aliud, dantur enim mixta quæ nos vel refrigerant, vel desiccant, & sic de cæteris, quod patefaciunt cibi, syrupi, & medicamenta, dico tamen id esse verum secundum gradum, quia secundum virtutem terminantem humorem & attinentem ad esse absolutum mixti, secus se habet, semper enim calor terminare dicitur humorem, & imperium in illud obtinere, quod manifestissime elicitur ex definitione putredinis, quæ cum sit interitus naturæ, & conditionis rei, dicitur interitus proprii & naturalis caloris.

Pro tertia. Tertia conclusio ex dictis est conspicua, & quoniam vt de efficientibus loquendo calor se habet ad frigus, ita loquendo de patientibus, humor se habet ad siccum, ideo conclusiones de calore prolatæ, etiam de humore sunt veræ, nam mixtum, si gradum inspicimus, non semper est humidum, neque si vim consideramus agendi in aliud: at si id consideramus quod pro mixti constitutione coquitur, & terminatur, & in quo præsertim consistit essentia rei, id humidum est, & præsertim in viuentibus, hinc vita in calido, & humido dicitur posita, ex dictis facile est elicere solutiones omnium pugn.n ium rationum, cum relatarum in præcedentibus, tum quæ afferri possent: tres solæ supersunt quæ aliquam videntur seruare difficultatem, vna est de Cerebro, quod quamuis agat, *Dubitatio de cerebro.* tanquam constitutum in corpore viuente, & præditum calore vitali, tamen adhuc refrigerat; Hæc instantia ob tria fundamenta, approbatæ sententiæ non *Solutio.* obest, primum est; quia concedo dari mixta ex parte graduum, & facultatis agendi in aliud frigida; secundum est, quia cerebrum quamuis sit præditum calore infuso, tamen seruat gradus sui frigoris, per quos refrigerat, nam calor infusus, est ei quodammodo externus, & aduena, non destruens temperamentum Cerebri, sed seruans; tertium est, quia quamuis Cerebrum propriu temperamento secundum gradus sit frigidum, tamen id quod terminat humorem eius, & præsertim attinet ad constitutionem naturæ eius, calor est. Altera dubi- *De Mandragora.* tatio est de Mandragora, opio, papauere, & similibus valde refrigerantibus, in quibus calor nulla ex parte videtur imperium obtinere. Respondens, dico primo, ea non refrigerare vt viuentia, sed suo temperamento directo à forma mixti eorum. Addo enumerata non esse adeo frigida, nec dari mixta apta putrescere adeo sicca, quæ ex parte Qualitatis terminantis, & disponentis proxime *De genitis in niue.* pro esse non sint calida, & ex parte Qualitatis terminatæ non sint humida. Tertia dubitatio, est de genitis vel in aqua, vel in niue. Respondeo nullibi gigni mixta, & præsertim viuentia, quin ibi reperiatur aliquid caloris, coquens, terminans, & proxime disponens pro esse mixti, nam ait Aristoteles in tertio de Gener. anim. capitu. vndecimo, humor est in terra, spiritus in humore, & omnia sunt plena Anima, hoc est facultate quadam gignendi viuentia, & nonnunquam frigus ambiens per Antiperistasim auget vim inclusi caloris, vt accidit de vermibus, quos ait Aristoteteles gigni in niue qui rubei sunt.

Cap. X.

An simile gignatur à simili.

LOQVVTI hactenus sumus de modo, quo primæ quatuor Qualitates conducunt generationi mixtorum similium partium, sed quia Qualitates non sunt agentia principalia generationis substantiæ, sed instrumenta, & exacta cognitio præsertim pendet ex notitia causarum principalium, ideo etiam de illis aliquid est dicendum, quod vt fiat, id explicandum occurrit, an simile tanquam ab agente principali fiat à suo simili: ad cuius explicationem, vt parati accedamus, accipio primo simile vsurpari dupliciter, vel proprie, & ita constituitur per Qualitatem, vt æquale per Quantitatem, idem autem, & diuersum per substantiam, & essentiam, vel vsurpatur late pro eodem, in qua significatione modo de eo est sermo. Insuper, idem quinque modis esse dicitur, vel numero, vel specie, vel genere, vel Analogia, siue ab vno & ad vnum, vel demum virtute, & eminentia quadam, vt Sol virtute dicitur calidus. Dubitatio est de simili specie, vt homo generat hominem. Tertio accipio quod cum generatio sit duplex, vna substantiæ, altera accidentium, de vtraque est dubitatio, præsertim tamen de ea substantiæ. Demum accipio ea quæ fiunt dupliciter gigni, vel per se, & primo, vt homo generat hominē, vel secundario & per consecutionem, vt secundæ Qualitates prodeunt ex actione, & Temperamento primarum, sermo est de illis quę per se & primo gignuntur ab aliquo. Quæritur itaque an ea quæ per se fiunt, siue sint substantiæ, siue accidentia fiant a simili specie. De proposita difficultate ab Aristotele variis in locis varia dicuntur, in primo de Ortu, & interitu, cont. 30. inquit, quæ gignuntur fieri à simili, vel specie, vel genere, vel actu, in septimo Metaphysicæ, cont. 30. ait quæcunq; non ex accidenti fiunt, ab vniuoco gignuntur, siue fiant Natura, siue Arte: in 12. Metaphysicæ, cont. 13. ait substantiam omnem fieri ab vniuoco, mox in con. 18. addit, artificiosa quoq; fieri à simili, nam Ars medendi est recta ratio sanitatis, alibi quoque alia profert quæ in cursu considerationis referentur. Dubitatio profecto vt est insignis, & vtilis, ita difficultate non caret, & à viris sapientibus varia de ea dicuntur: Academici apprime necessariam putarunt similitudinem generantium, & genitorum, eamque requiri existimarunt in causis proximis, mediis, & primis, hinc dixerunt Menti opifici Mundi competere ideas, Animæ rationes, Naturæ semina, per quæ tanquam per similia, mox Physica omnia producerentur, formas autem in materia existentes, quas dixerunt imitationes, & participationes idearum, iudicarunt esse non causas primas generationis sed instrumenta earum, in quibus tamen etiam seruarent similitudo. Hæc opinio à Peripatetico reiicitur, vt enim pertinet ad ideas, frequenter exploduntur ab Aristotele. Præterea, illæ sunt causæ remotæ, nunc sermo est de proximis, insuper sunt æternæ, æternum autem, & mortale sunt distincti generis, non autem similia. Vt pertinet ad rationes, & semina, etiam ad rem non faciunt, quia modo quæritur similitudo proximi, & totius generantis, vt homo generans, est similis genito, rationes & semina, non sunt huiusmodi. Demum, quia vniuersa ea series idearum, rationum & seminum, à Peripatetico reiicitur. Similiter id non probatur quod formæ in materia existentes sint instrumenta generationis, illę enim sunt causæ propriæ & primæ, nam quod hic qui generatur sit homo, ille sit Leo, ex alio non pendet, nisi quia hic ab homine, ille à Leone gignitur, alia itaque via progrediendum est si recte seruare cum Aristot. cupimus simile fieri à simili, Theophrastus referēte Simplicio in 8.

An simile fiat à simili. *Simile duplex.* *Quidem quintuplex.* *Quid quæritur.* *Arist.* *Academici.* *Euersio.*

Physic. 40. redigebat ea quæ fiunt, in tria capita, nam dicebat cuncta fieri, vel a simili, vt Leo a Leone, vel a contrario, vt ab hiberno frigore calor viscerum Terræ, vel ab actu, vt a Sole calor, a ferula vibices. Hæc sententia est dubia, primo, quia facta a contrario dicuntur fieri ex accidenti, de quibus non est sermo. Præterea, ex ea resolutione non patet, quæ sint illa quæ a simili fiunt: Simplicius eo in loco inquit, quæcunque per se fiunt, fieri a simili, quæ vero ex accidenti, nequaquam, id ipsum enunciatur ab Aristotele in septimo Metaphysicæ, dicente, quæcunque non fiunt ex accidenti, ab vniuoco fiunt. Insuper, idem Simplicius in secundo Physicorum 27. & 71. solués instantiam de Sole generăte hominem, cum tamen Sol non sit homo, ait seruari similitudinem ex parte communis generis, quatenus corporeum & materiatum, fit a materiato, & quoniam hoc est similitudo nimium remota & tenuis, addit, nisi & agens agat per rationes quæ sunt in eo. Demum inquit, quod fit, fieri a simili, loquendo de agĕte per naturam & proximo, adeo vt hęc sit sententia Simplicii, si agens est Physicum proximum & per se, est simile specie, si fuerit commune & remotum, est simile genere, & per rationes proprias respondentes rei genitæ. Hæc resolutio non caret difficultate, primo enim dum dicitur agens Physicum, proximum & per se, est simile specie, dubium est ob genita ex putri, quæ non a simili specie fiunt, vt dicitur in secundo de anima, 34. cum tamen prædita sint causa efficiente proxima & per se, nam ait Auerroes octauo Physicorum 46.7. Metaphysicæ 22. & secundo Metaphysicæ 15. nullam speciem esse casu, & ex accidenti. Præterea, quod dicit de Sole materiato esse similem homini, dubium est, tum, quia æterna, & mortalia distinguuntur genere, & ex decimo Metaphys. 26. tum insuper, quia Cœlum est expers materiæ mortalium. Demum quod dicit Solem esse similem, confugiendo ad rationes, profecto principiis Platonis est consentaneum statuentis seriem Idearum, & rationum, non autem Aristotelis. Propterea Auerroes 12. Metaphysicæ, 24. ex sententia Alexandri ait, regulam illam simile fieri a simili, esse veram tribus seruatis, primum est, vt sit agens principale non instrumentum. Alterum vt sit proximum non remotum, tertium vt sit per se non ex accidenti, per hæc soluit instantias de virga efficiente vibices, non sibi similes, de serra secante, nam hęc sunt instrumenta, sectio autĕ, & vibices sunt in imaginatione, & appetitu agentis principalis, per quas producit similia. Hãc resolutionem sequitur D. Th. Zimara autem Theot. 16. inquit, si absolute seruare volumus simile fieri a simili, dicendum cum Auer. 12. Metaphysicæ, 18. similitudinem hac ratione semper seruari, quatenus agens semper est tale facultate, & virtute, quale secundum formam est id quod efficitur, si vero seruare volumus fieri a simili specie, tunc afferendæ sunt limitationes illæ tres ab Alexandro approbatæ, eisque addendum, regulam esse veram de substantiis perfectis, non de accidentib nec de Elementis, quæ etiam a non simili gigni possunt. Hæc resolutio non est approbanda, nam primo, vt attinet ad explicationem sumptam ex Auer. 12. Metaphysicæ, 18. potius debuisset ad fontem confugere, nempe ad Aristotelem in primo de Ortu & interitu 30. dicentem, omne quod fit, fieri a simili vel specie, vel genere, vel virtute. Vt vero pertinet ad limitationes Alexandri ab Auerroe relatas, conspicue errat, primo, quia illæ non sunt reuera limitationes, sed est ipsamet regula recte explicata. Præterea, manifeste ab Auerroe recedit quem sequi nititur, quoniam ex sententia Auerrois dum illa tria seruantur, regula & de accidentibus & de omnibus est vera, hinc Auerroes per dicta soluit instantias de vibice, sectione, & dolore, quæ accidentia sunt. Præterea, cum dicat Elementa non

Marginalia: *Dubitatio.* — *Simplicius.* — *Auer. & Alex.* — *D. Tho.* — *Zimara.* — *Aduersus Zimaram.*

non semper fieri à simili, quia ignis ob sui imperfectionem ita fit à motu, vt ab igne, hæc est conspicua deceptio, dum enim ignis producitur per motû, non seruantur illæ tres conditiones, quia non fit à motu primo & per se, sed per consecutionem, nec tanquam ab agente per se & proprio, sed tanquam ab instrumento causæ communis, & quamuis Auerroes 12. Metaphys. 18. dicat ignem fieri à motu vt ab igne, non tamen per id denotat motum esse causam propriam & principalem, sed solum denotare voluit ignem eiusdem speciei ab vtrisque fieri, at non ob id eodem modo, imò Auerroes vult seruatis illis conditionibus, regulam nedum de elementis, verum de accidentibus quoque esse veram. Insuper metalla quamuis sint præstantiora elementis, tamen minus fiunt à simili, quàm elementa. Præterea addit Zimara, regulam non esse veram de causa in genere materiæ, quia quod fit ex contrario fit, quæ limitatio primo est redundans, quia regula profertur de causa efficiente: secundo, contrarietas non pertinet ad materiam, sed ad terminos transmutationis, materia enim dicitur eadem. His accedit, quod vt dixi, illæ tres non rectè dicuntur limitationes regulæ, sed inclusæ in regula rectè sumpta & intellecta, & cum dicantur tres, tamen in vnam rediguntur, dicendo denotari causam rei summam denotatam ab Aristotele in secundo Physicorum 38. quæ cum sit summa, est etiam propria, vt ars ædificandi ædificiorum. Est itaque dubitatio satis obscura, & quæ præsertim difficultatem pariunt, sunt orta ex putri, Metalla, Fossilia, Qualitates secundæ ex primis prodeuntes, quæ à simili specie non videntur gigni. *Quæ præsertim pariunt difficultatê.*

CAP. XI.

Resolutio difficultatis an simile fiat à simili.

VT de proposita difficultate dicam quod sentio. Assero, vel volumus regulam proferre de omnibus quæ gignuntur, veram, vel volumus cum contractione manifestare, quæ fiant à simili specie: si primum efficere cupimus, tûc cum Aristotele in primo de ortu & interitu, 30. dicendum est, cuncta quæ fiunt, fieri à simili, vel specie, vel genere, vel facultate & virtute. Si volumus regulam proferre de genitis à simili specie, tunc dicendum, omne quod fit, dum fit ab agente per se primo fit à simili specie, nomine agentis per se primi intelligendo agens summum, & proprium, de quo Aristoteles in secundo Physic. 38. dixit quærendam semper esse causam summam, & 27. dixerat, tunc nos scire, dum causam primam nouerimus, propter quam res est, & cum hoc dicatur, includuntur ea tria, quæ minus rectè nuncupantur limitationes. Rectè sumpta regula, tria videnda sunt, primo fundamentum eius, secundo, quæ sint principia, per quæ proximè simile fiat à simili. Tertio, an ea regula rectè sumpta de omnibus vera sit. Vt pertinet ad primum, fundamentum regulę hoc est, quia omne agens per se, primum, & proprium, agit cum sui reduplicatione, vt calor calefacit, vt calor, agens cum sui reduplicatione, quia agit vt est, nô potest nisi id agere quod est, id autem quod res est, ad speciem pertinet, ideo simile specie producit, hinc forma rerum naturalium ab Aristot. in secundo Physicor. 28. dicitur exemplar, quatenus, vt dicebat Alexander, ad sui similitudinem aliud generat, & animaduertendum hoc semper debere intelligi de eo, cui propriè generatio competit, non de illis, quæ sunt generatio quædam, vt se habet de motu, nam motus non dicitur gigni, sed generatio quædam, ideo motus non debet gigni à motu. Perpendendum secundo, quænam sint ea principia, per quæ aliquid per se primo,

Regula vniuersè vera.

Quæ à simili specie.

Regula rectè sumpta.

Fundamentum regulæ.

Principia producendi simile. aliud producit. Hæc principia duo sunt, vnum est anima nutricis, quæ est principale, & proprium principium veriores generationis, aliud est qualitas prima, nam per primas qualitates proxime corpora inuicem permutantur, vnum pertinet ad substantiam, aliud ad accidentia, præter hæc non inueniuntur alia in agentibus per naturā, hinc Aristoteles in primo de ortu, & interitu, inquiens simile fieri à simili, dedit duo exempla, vnum de homine generante hominem, denotando primum principium, alterum de calido calefaciente denotando secundum. De viuentibus hoc explicauit Aristoteles in secundo de anima, 34. inquiens generare simile esse opus naturæ maxime consentaneum. De elementis, quibus quatuor qualitates primæ competunt, id patefecit in secundo, de ortu & interitu, loquens de mutua eorum permutatione; Ex his elicitur resolutio difficultatis, quæ hæc est: ea per naturam genita dicuntur à simili fieri, quibus per se primo competunt, vel principale principium generationis, vel principalia instrumenta permutationis, hæc autem sunt, & viuentia, & elementa, & hæc ea sunt, quibus proprie competit agens per se primum, & proprium, de quo profertur regula. Ex his elicio maxime eos decipi, qui elementa ob imperfectionem minus cæteris inquiunt fieri à simili, cum tamen contra, ob instrumenta generationis, magis quàm metalla, & Fossilia, quæ sunt præstantiora, fiant à simili. *Dubitatio.* Dubitationem afferre possunt ea, quæ fiunt per proprietates, quæ quamuis habeant principium per se primum, & proprium, vt ridere, latrare, tamen non fiunt à simili, non enim risus fit à risu, quamuis animal rationale, vt tale est, sit principium ridendi, per quod risibilitas demonstratur, & sic de cæteris actionibus proprietatum, cui difficultati respondens dico, has esse actiones, non res proprie genitas, actionibus sat est, vt respondeat facultas, nam ridere *Solutio.* pendet ex facultate ridendi, latrare ab ea latrandi. Hæc quæ hactenus dixi, vera sunt de agente per naturam. At si loquimur de agente per cognitionem, vt de *De arte.* artifice, tunc adest principium tertium producendi simile, & est notio rei producendæ in Phantasia & mente agentis, quæ est tanquam regula, imago, & originalis forma eius quod gigni debet, & ex his patet resolutio difficultatis.

CAP. XII.

Dubia varia ex resolutione difficultatis prodeuntia.

VT lucidius pateat, quæ sint ea, quæ à simili fiunt, difficultates nōnullæ sunt *Dubitatio.* diluendę, prima dubitatio emergit ex prima parte resolutionis, nam si dicimus ea, quæ fiunt, fieri à simili vel specie, vel genere, vel virtute, tunc etiā quæ fiunt à casu, ex accidenti, & à contrario, dicentur fieri à simili, quatenus virtute & *Solutio.* facultate; in eo agente continentur. Respondeo, continere virtute & facultate contingit dupliciter, vel per se, vel ex accidenti, quæ fiunt à contrario, & casu, solum ex accidenti continentur in agente, ideo absolutè non dicuntur fieri à simili, nos autem ea, quæ sunt, per se considerare tenemur. *2. Dubitatio.* Altera dubitatio est de artificiosis, an fiant in simili specie. *Solutio.* Respondeo, ea fieri partim à simili specie, partim à simili virtute, partim à simili secundum partem. Fiunt à simili specie per rationem, notionem, & repræsentationem, nō autem per eundem modum existendi, nam ars cum sit recta ratio effectibilium, est exemplar rei efficiendæ, cui pro facultate opus efficitur simile, Hinc Aristoteles duodecimo Metaphysicæ decimooctauo, inquit etiam artificiosa fieri à simili, & id ipsum affirmat septimo Metaphysicæ, 30. inquiens: constat ex dictis cuncta quodammodo nisi

fiant

fiant ex accidenti, fieri à simili, vt res Physicæ, aut aliqua ex parte tali, vt domus à domo, aut à mente, est.n.ipsa ars forma, aut ex parte, aut ex habente aliquã partẽ, & in cont.31. inquit: sperma generat, vt quæ ab arte fiunt, habet enim sperma facultate formam, id autem ex quo decidit sperma, vniuocum est, &c. Sic itaque sanitas relata ad artem sanandi fit a simili specie per repræsentationem, relata ad exercitium fit a simili facultate, relata ad calorem prodeuntem ex exercitio. fit a simili secundum partem, calor enim pars est sanitatis, vt dicitur septimo Metaphysicæ, cont. 30. Tertia dubitatio est de ortis ex coitu distinctorum specie, vt de mulo, & licisca, an fiant à simili. Respondeo, hæc carere principio proprio, & per se primo, & ob id non fieri a simili specie, sed genere, vt dicitur ab Aristotele septimo Metaphysicæ, 28. affirmante Generationem muli esse præter naturam, & a simili genere proximo nuncupat eam præter naturam, quia per institutum propriæ naturæ, nec asinus, nec equus expetunt muli generationem, sed sui similis. Quarta dubitatio est de ortis ex putri: de his quæritur quomodo fiant à simili, de his similiter dico, non habere causam principalem & propriam, à qua per se primo fiant, & propterea inquit Aristoteles in secundo de Anima, 34. non fieri à simili specie, nam solum fiunt à simili facultate & virtute, fiunt enim à Cœlo per lumen & motum eius, vt a causa communi, proxime verò fiunt a definita mensura caloris, existentis in spiritu putris materiæ, proportione respondente calori & spiritibus seminis, ideo vt semen non est causa principalis, cui competat similitudo in specie, ita nec spiritus & calor putris materię, sed Cœlum supplet vices agentis principalis, ideo dixi carere causa principali & propria, & quemadmodum ab Aristotele septimo Metaphysicæ, 31. semen dicitur simile virtute, ita dixi genita ex putri fieri a simili virtute & ob id non dicuntur fieri casu. Quinta dubitatio est de Metallis & Fossilibus, quomodo fiant à simili: dixere nonnulli, vt Calabet in suis Metaphysicis disputationibus, ea solum fieri a simili specie, quamuis enim pro gignendis Metallis varia conducant, tamen ea nec aurum sine auro, nec argentum sine argento efficere valent, hinc Chymici pro eorum generatione semper aliquid auri, vel argenti permiscent, quorum facultate, & virtute cætera operantur. Hanc opinionem veram non puto, nam id cui competit vir⟨t⟩us producendi simile, etiam præditum est instrumentis pro eo efficiendo, natura enim non largitur facultatem sine instrumentis, at metalla, & fossilia carent huiusmodi instrumentis, & si operantur, non per aliud proxime agunt, nisi per qualitates primas sui temperamenti, per quas non ita alterant alia corpora, vt valeant illa in sui naturam permutare. Præterea, dum aliquid est aptum per naturam generare simile, quo fuerit purius & secretius ab aliis, magis id valet efficere, vt ignis purior magis valet comburere ligna, at aurum purum iunctum alteri corpori, id non permutat in aurum. His accedit, quod metalla a sulphure, vt a patre, a viuo argento vt a matre dicuntur habere ortum, non autem a simili specie. Dico itaque fossilia & metalla etiam carere causa principali, & propria, a qua per se primo & proxime fiant, sed fieri munere Cœli, vt communis causæ per definitam mensuram caloris ex eo pendentis recepti indefinita, & congruente materia in cauitatibus Terræ, tanquam in naturæ ollis, per duplex genus halituum Meteorologicorum, congruentibus qualitatibus præditum, nam si ex congruente mensura caloris in materia putri gignuntur animalia, longe magis ex eadem ita mensura cœlestis caloris, poterunt per duplices halitus in visceribus terræ gigni fossilia, & metalla, hinc recte Auerroes in calce digress. in quartum

3. Dubitatio. Solutio.

4 Dubitatio. De ortis ex putri.

5. Dubit. De Metallis.

Euersio.

Auerr.

Meteorum, ait, nos non egere ponere pro generatione metallorum, & pro causis efficientibus eorũ, nisi elementa, & corpora cœlestia, vt dictum est, &c. Et si quis quærat, ea vis proximè generans metalla, ob quam dicuntur gigni à simili virtute, quidnam est, num substátia, vel accidens? dico, quod est spiritus, & substátia, includens formam mixti, & temperamentum congruens, per quod vt per instrumétum Cœli, operatur, & præsertim id efficit per calorem ex Cœlo pendentem, & cum huiusmodi spiritus, & definita cœlestis caloris mensura, non sit posita in manu & facultate artificum, propterea inanitet laborant Chymici, pro efficiendo vero argento, & auro, & permiscendo aliquid, vel auri vel argenti, id conducit pro tribuendo colore, vt cum verum aurum efficere non valeant, saltem efficiant aliquid aureum, quo semetipsos consolentur, & alios decipiant. Hinc Arist. in calce tertij Meteorum dixit, metalla & fossilia ex duplici halitu gigni, non autem aurum ab auro, vel argentum ab argento, vnius autem speciei vnus est generationis modus, vnaque materia propria. Sexta dubitatio ex dictis oriens est, quia falsum videtur id, quod dixi genita ex putri, ex coitu animalium distinctæ speciei, metalla & fossilia, carere efficiente proprio, à quo per se & primo producantur, nam omne quod per se in vniuerso gignitur, & de quo est scientia huiusmodi principio debet esse præditum, scire enim est cognoscere causam summam, & propriam, propter quam res est, vt sæpe dicitur ab Arist. ea autem sub scientiam cadunt, & per se non ex accidenti tantum gignantur. Respondeo, habere causam efficientem, à qua per se primo aliquid fiat contingere dupliciter, vel secundum formam, & propriam, & ita eam non habent, vt dixi, vel facultate, & communem, per definita temperaméta contractam, & ita dico eis competere, & propterea dicuntur fieri à simili virtute, non forma, & cum de illis scientiam quærimus, inuenientes naturam spirituum, mensuram caloris eorum, & conspirationem Cœli, iudicamus nos scientiam assequutos. Vt autem simile fiat à simili specie, requiritur vt habeat caussam efficientem summam, & propriam secundum formam, non secundum facultatem tantum, omne itaque cui competit causa efficiens, à qua per se primo secundum formam efficiatur, fit à simili specie.

Inaniter laborant Chymici

Sexta dubitatio.

Solutio.

Cap. XIII.

De Elementis quomodo fiant à simili specie, & quomodo vnumquodque tunc dicatur perfectum, dum valet simile generare.

OSTENSO quomodo cætera à simili specie fieri vel non fieri dicantur, superest, vt aliquid de Elementis dicamus: de quibus breuiter dico, ea dupliciter gigni, vel primo & per se, & ita semper fiunt à simili, vel secundario, ex accidenti, & per consecutionem, & tunc non seruatur regula, nec fiunt à simili: cum enim elementa sint prædita instrumentis idoneis pro eorum generatione, dum per se primo fiunt, à simili generantur, ita ignis ignem, aqua aquam generat. Sed quæritur, dum Ignis lumine, & motu gignitur, quomodo dicatur fieri? dixere nonnulli lumen & motum esse instrumenta producentia ignem virtute illius ignis, qui includitur in corpore, vel moto, vel repercutiente radios Solis, quam sententiam præsertim de lumine veram non puto, nam lumen agens in aquam frigidam eam calefacit, ex eaque eleuat vapores, & repercussum ab aqua, vel marmore frigido etiam calefacit, id autem efficere non valet virtute caloris Aquæ, vel marmoris, & præsertim, quia nil agit vltra pro-

Dubitatio.

prium gradum. Quare dicamus ignem gigni lumine & motu, vt instrumentis Cœli, facultate, & virtute includentis elementa, & eorum qualitates, & præsertim calorem, & fieri tunc non per se primo, sed secundario, & per consecutionem, & ita non fieri à simili specie, sed facultate, & virtute. Sed ex hoc maior emergit dubitatio, nam dictum est vnius rei vnicum esse modum generationis. Insuper ait Aristoteles, genita ex putri, quæ per Cœli calorem producuntur, & genita ex semine, non esse eiusdem speciei, quare similiter ignis genitus ab igne, non erit eiusdem speciei cum genito à Cœlo: augetur dubitatio, quia Aristoteles in libro de Sensu & sensili inquit, quod ignis non agit, vt ignis, sed vt calidus, quare ignis non cũ sui reduplicatione, & per se primo generabit ignẽ. Respondens dico, vnius rei per se primo vnicum esse modum generationis, at non per se primo potest esse varius: & dum additur genita vario modo distingui specie, dico id esse verum solum de viuentibus, quibus proprie competit generatio per animam nutrientem, non autem de inanimis propinquioribus causis communibus. Sententia prolata in libro de Sensu & sensili alibi à me explicata est, nunc breuibus dico, ignem considerari dupliciter, & vt calefacientem proximeque operantem, & ita ignis agit, vt calidus, non vt ignis, nam etiam si non esset ignis, & esset calidus, calefaceret; secundo consideratur, vt generans ignem, & dirigens ad eius generationem, & hoc facit, vt ignis, Aristoteles in libro de Sensu, & sensili considerauit ignem prima consideratione. Dubitatio remanet de secundis qualitatibus, quomodo à simili fiant, de quibus dico, non fieri à simili specie, sed facultate & virtute, nam prodeunt ex actione & temperamento primarum qualitatum, ideo recte Auerroes septimo Metaphysicæ, trigesimosecundo, ait qualitatum alias gigni à simili, alias sequi mixtionem primarum qualitatum, à simili fiunt qualitates primæ, aliæ autem sequuntur mixtionem illarum, & ob id sapores, colores, & odores sunt indicia temperamentorum, adeo, vt secundæ qualitates careant causa, à qua per se primo secundum formam producantur, sed solum dicuntur fieri à simili facultate & virtute, sed quia Aristoteles in quarto Meteorum de generatione, ait tunc vnumquodq; esse perfectum, dum valet simile generare breuibus, quomodo id intelligi debeat, & verum sit, explicare tenemur. Dico generationem naturæ mirum in modum esse affinem, & cum ea cõplicatum. Natura quærit esse rerum, quod per generationem consequitur, ideo iure optimo perfectio rerum secundum naturam in eo est posita, vt valeat generare. Et confirmatur: quia fœcunditas sequitur ipsum bonum, fœcunditatem verò sequitur generatio, ideo dum aliquid valet generare, est fœcundum, si fœcundum, etiam est bonum. Præterea, generatio sequitur semen, semen sequitur maturationem, maturatio est perfectio, ideo valens generare perfectum, est Deus, cum sit ipsum bonum, & summa perfectio, etiam est ipsamet fœcunditas, valens eminentissime generare. Hæc sententia vera est, nedum de perfectione corporis, sed etiam de ea animi, & vt datur proles corporis, ita datur proles animi longe eminentior ea corporis, vt docet Plato in Conuiuio. Hoc indicauit Aristoteles in proœmio Metaphysicæ, inquiens signum scientis est posse docere, hoc est, tunc animus perfectione est præditus, & sapiens est, dum alios tanquam filios sua sapientia formare valet, & sapientiæ libros quasi animi partus edere. Hæc sententia, quod tunc vnumquodque sit perfectum, dum valet generare simile, vera est de aptis generare, & præsertim de viuentibus. Et pro lucidiore notitia animaduertendum, quod cum perfectio rei in fine sit posita, vt finis est duplex, vnus externus, qui dicitur finis rei genitæ,

Solutio.

Alia dubitatio.

Solutio.

De secundis qualitatibus.

Cur perfectũ dicitur, quod valet generare.

Proles animorũ.

alter internus, qui dicitur finis generationis, ita duplex est perfectio, vna externa, altera interna, sententia ea intelligi debet de perfectione interna, quæ est forma, & finis generationis. Insuper, hæc interna perfectio, quæ finis est generationis, adhuc est duplex, vel generationis absolutæ, vel generationis perfectæ, dum adest forma, dicitur completa generatio rei pro esse absoluto, at non pro esse perfecto, nam pro esse perfecto requiritur perfecta moles, perfectaque maturatio corporis, vt valeat simile generare, hinc accretio dicitur motus ex imperfecta ad perfectam magnitudinem. Ea itaque sententia intelligi debet de aptis generare, adeptis finem non externum, sed internum, non pro esse absolute sequente formam, sed pro esse perfecto. At cum animus longe sit præstantior corpore, nitamur nos pro facultate reddi fœcundi animo, cuius recte formati filij sunt dulces nobis, vtiles Mundo, & Deo grati, qui inuito tempore nos post obitum ab obitu seruant incolumes. Deo Laus.

De quo sententia sit vera.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Putredine,

LIBER VNVS.

Cap. I.

De Putredine agendum proponitur, & referuntur verba Aristotelis.



Onsiderationi de ortu Mixtorum, iure optimo succedit consideratio Putredinis, quæ ei opposita est, prius tamen de generatione fuit agendum, quia est præstantior, optatur à natura, & est tanquam habitus, putredo vero tanquam priuatio. De putredine autem vna cum Aristotele loquuturus, primo referam verba Philosophi, eorumque sententiam breuissime explicabo, mox in attinentibus ad eam digrediar, & dubia varia proponam, & diluam. Philosophus in 4 Meteorum de Putredine hæc profert: Generationi simplici contrarium maxime commune putredo est, omnis enim secundum Naturam interitus ad hanc via est, vt senectus & ariditas, hic enim finis est aliorum omnium Putredo, nisi aliquid vi intererit, eorum quæ natura constant, fieri enim potest; vt & caro, & os, & quiduis aliud comburatur, quorum finis, ipsius secundum naturam interitus, putredo est, propterea humida primo, mox sicca penitus redduntur, quæ putrescunt, ex his enim orta sunt, & humore siccitas terminata est, opera efficientium Qualitatum. interitus autem fit, quando domina-

Cont. Arist.

Interitus.

dominatur ei quod terminat, id quod terminatur; ob id quod ambit. At vero proprie dicitur putredo in iis quæ ex parte intereunt, cum recesserint a natura, idcirco putrescunt cætera omnia Igne excepto, nam & Terra, & aqua, & aer putrescit, hæc namque omnia materia sunt Ignis, Putredo autem est interitus eius, qui in vnoquoque humido proprius est, & naturalis calor, ab alieno calore, hic autem est ambientis, quare quoniam ob inopiam patitur calidi, quod autem indiget hac facultate frigidum est omne, ambo erunt causæ, & putredo erit communis affectio, tum proprii frigoris, tum alieni caloris. Hæc ea sunt quæ de putredine profert Philosophus, cuius sententia in quatuor capita redigitur, nam primo affirmat & ostendit generationi mixtorum opponi putredinem, & id facit primo, vt constet sermoni de generatione iure optimo succedere sermonem de putredine: insuper vt indicet per naturam comparationem debere refulgere, oppositorum enim eadem est disciplina, & opposita iuxta se posita magis refulgent, cum eorum oppositæ sint conditiones, Secundo putredinem distinguit in duo genera, in oppositam propriæ generationi mixtorum, & in peculiarem quandam aliam putredinem, quæ est putredo in parte, & recessus a propria natura, competens Elementis omnibus, præter quam Igni. Tertio patefacit quid sit Putredo tradens definitionem eius quæ est, Putredo est interitus eius qui in vnoquoq; humido proprius est & naturalis calor, ab alieno calore. Quarto pro approbanda Putredinis definitione manifestat competentia his, quæ putrescũt, respondere definitioni, & vice versa per traditam definitionem ea omnia seruari, & eorum rationem assignari posse, quod est munus rectè traditę definitionis, nam per opera & affectiones ducimur in notitiam definitionis tanquam causæ, mox per sumpta in definitione assignatur causa eorum, vt accidit in regressu, ea autem septem sunt quæ suo loco distinctè explicabuntur, vt autem attinentia ad putredinem exactè refulgeant singula hæc quatuor capita exquisitè sunt consideranda.

Putredo quid.

Explicatio sententiæ Aristot.

Primum quod habemus.

Alterũ.

Tertiũ.

Quartũ.

CAP. II.

Generationi opponi Putredinem.

PROPONITVR primo a Philosopho conclusio hæc, generationi simplici mixtorum similium partium, contrarium maxime commune est putredo, hanc ostendit duplici ratione: prima est. Id quod est vltimum cuiuslibet mixti geniti, hoc iudicari debet communissimum, & maxime contrarium principio, siue generationi eius, Putredo est vltimũ cuiuslibet mixti geniti, quare est contrarium communissimum generationi eius: maior patet ex quinto Physicorum ortui enim semper opponitur interitus eiusdem, minor ostenditur a Philosopho, experientia sumpta ex cursu naturæ mixtorum, nam omnis naturalis interitus viuentium, est via in putredinem, vt senectus animalium, & ariditas plantarum, dicitur hoc de naturali interitu, quia possunt carnes, ossa, & similia mixta comburi, & non secundum naturam interire, & tunc finis non est putredo, nec vere oppositus ortui naturali. Hac prima ratione præsertim ostenditur putredinem esse contrarium communissimum. Affertur deinde secunda ratio qua præsertim ostenditur putredinem ortui mixtorum opponi, & ita formatur, quæcunque opposito ordine efficiuntur, sunt inuicem opposita, generatio mixtorum, & putredo efficiuntur ordine opposito, igitur inuicem opponuntur, Maior est conspicua, quia ordo oppositus ad opposita ducit, &

Generationi opponitur putredo

Ratio I.

Ratio II.

oppositas mutationes constituit, Minor ostenditur, nam per generationem, dominante calore, siccitas humore terminatur, per putredinem contra, calor proprius vincitur, & humidum non superatum a calore proprio non terminat siccum, sed fluit, & ob id ea quæ putrescunt, primo redduntur mollia, mox humore euanescente & consumpto, remanent arida, adeo vt demum in puluerem redigantur. Hæc sunt quæ in prima parte a Philosopho proferuntur, quæ profecto dubitatione non carent: ideo vt veritas clarior refulgeat, dubia quædam potiora proponam & diluam. Conclusio hæc est, generationi simplici mixtorum contrarium maxime commune est Putredo, quæ dubia videtur primo: quia Ortus & interitus non sunt contraria, sed potius opposita per contradictionem, quia versatur inter esse, & non esse, vt dicitur in quinto Physic. vel oppositione secūdum priuationem, & formam. Secundo, quia non videtur contrarium commune, cum non competat omnibus mixtis, nonnulla enim comburuntur non autem putrescunt, multa etiam præseruant a putredine, nec sunt apta putrescere, vt piper, Zinziber, sal, similiter Metalla inquit Galenus in tertio de morbis vulgaribus non putrescunt, cum tamen sint mixta. Tertio, non videtur maxime contraria, quia ortui naturali, magis opponitur interitus violentus, quam secundum naturam, quia opponitur dupliei ratione, vt patet. Quarto vere opposita sunt nata fieri in eodem, de his non ita se habet, generatio enim quæ definita est solum competit mixtis perfectis, Putredo autem etiam competit Elementis omnibus, præter quam Igni. Pro diluendis huiusmodi ambiguitatibus, accipiendum primo est id quod dicitur ab Aristotele in quinto Physic. 57. & 58. Vt datur latio secundum naturam, & violenta, ita dari ortum & interitum, cæterasque mutationes & secundum naturam & violentas. Accipiendum secundo oppositiones mutationum, & motuum ex variis accipi posse, nā quamuis vni vno modo considerato, vnoque oppositionis genere, vnum solum sit oppositū, tamen considerato modo vario, & distincto genere oppositionis, varia opponi possunt, adeo vt in generatione nouem possint oppositiones excogitari, prima inter generabile, & non generabile, quæ est oppositio secundum cōtradictionem, Secunda inter generari & non generari, quasi inter motum & quietem, & est oppositio secundum formam & priuationem, Tertia inter generationem vnius contrarii & generationem alterius, Quarta inter Ortum & interitum eiusdem, secundum naturam, Quinta inter Ortum violentum & interitum violentum eiusdem, Sexta inter Ortum secundum naturam, & interitum violentum, Septima inter Ortum violentum & interitum secundum naturam, Octaua inter Ortum violentum, & Ortum secundum naturam, Nona inter interitum secundum naturam & interitum violentum. Harum oppositionum duæ sunt principaliores ea quæ est inter generationem secundum naturam, & interitum secundum naturam, altera quæ versatur inter generationem secundum naturam & interitum præter naturam, quæ ad rem nostram faciunt, de quibus dico secundam esse oppositionem inter plura, cum sit inter modos, & terminos: Alteram vero esse magis proprie sumptam contrarietatem, magisque a Physico considerandam, Physicus enim præsertim tenetur considerare mutationes secundum naturam, & præsertim quia huiusmodi generatio, & interitus fiunt ordine opposito, vt patefecit Philosophus. His assumptis cum quæratur commune contrarium generationis mixtorum ait Pomponatius q. 16. quarti Meteorum, commune contrarium generationi mixtorum, esse deprauationem proportionis Qualitatum primarum: quæ sententia approbanda non est, quoniam recta consti-

Conclusio. *Dubiū.* *Nouem oppositiones generationis.* *Duæ principales.* *Pomponatius.* *Euersio.*

constitutio & deprauatio primatum Qualitarum ad alterationem pertinent, non ad Ortum mixti, qui ab Aristotele dicitur simplex generatio, & ad interitum, qui dicitur putredo, hæ namque sunt mutationes secundum substantiam, & non sunt mutationes primarum Qualitarum, sed factæ ab eis: hinc Aristoteles definiens simplicem generationem, dixit esse mutationem a primis Qualitatibus factam, non autem primarum Qualitatum. Dicamus itaque generationi mixtorum, quæ est secundum naturam, contrarium communissimum ad rem faciens esse interitum secundum naturam, qui putredo dicitur. Hic namque est aptus competere omni mixto, secundum cursum naturæ, & fit modo & ordine opposito modo generationis, qui proprie a Physico est considerandus. At instabatur primo: quia Ortus & interitus potius opponuntur secundum cōtradictionem, respondeo, hoc in loco vsurpari contrarium late, pro quauis oppositione: addo insuper, seruari contrarietatem in ordine & modo generationis, & interitus, vt pendet ex Qualitatibus ad quas pertinet proptia contrarietas. Secunda dubitatio soluitur quia combustio est interitus præter naturam, & mixta omnia dum considerantur vt mixta, quorum humor a proptio calore terminetur, apta sunt putrescere, quamuis nonnulla facilius alia difficilius, nonnulla manifestius, alia latentius, & quamuis accidere possit, vt ob aliquod connexum non putrescant, nempe ob calorem & siccitatem propriam, vel ob congelationem, sal autem mixtum est imperfectum. Tertia instantia soluta est per iam dicta. Instabatur quarto: quia Putredo pluribus competit quamuis mixtis, Solutio ex dicendis late patebit, nunc autem dico vt impuris elementis competit generatio quædam, ita potest competere putredo in parte. Demum animaduertendum quod cum mixta nedum putredine, verum etiam combustione interire valeant, combustio, & putredo habent aliquid commune, & aliquid per quod distinguantur, commune vtrisque est quia sunt interitus, fiunt a calore externo, & mixtum in puluerem redigunt. Differunt vero quia putredo magna ex parte fit a calore humido, combustio a sicco: ea est secundum cursum naturæ, hæc violenta, & secundum accidens, ea fit ordine opposito ordine generationis, non autem hæc.

Propria solutio. *Soluitur prima instātia.* *Solutio secunda.* *Solutio 3. Cobustio, & putredo.*

CAP. III.

An vera sit ea sententia Aristotelis, omnis naturalis interitus in putredinem via est.

PHILOSOPHVS vt ostenderet Putredinem esse contrarium commune Ortus mixtorum, dixit: omnis enim naturalis interitus, in putredinem via est, vt senectus, & ariditas, hic enim finis aliorum omnium Putredo; Hæc sententia ob tria præsertim est dubia, primo, quia interitus dicitur secundum naturā, cum tamen sit naturæ aduersus & destructio formæ, quæ Natura est; Secundo, quia interitus non videtur debere dici via in putredinem, nam putredo est ipsemet interitus, idem aut non est via & terminus ad quem. Tertio, quia Aristoteles in secundo Physic. 23. damnat Euripidem Poetam dicentem mortem esse finem, in quem errorem modo Aristoteles labitur, cum dicat putredinem esse finem: & si quis defendens Aristotelem dicat esse finem per Metaphoram, longe magis poterit defendi Poeta ad quem maxime pertinent Metaphoræ. Vt distinctius propositas difficultates diluam, explicabo primo verba & sententiam Philosophi. Generatio vt ad institutum pertinet est triplex, prima simplicium cor-

Dubia. *Perpenduntur primo Verba.*

Triplex ortus, & triplex interitus. porum, secunda mixtorum consimilium, tertia viuentium; Similiter triplex est interitus, nimirum simplicium, qui absolute dicitur interitus, mixtorum, qui dicitur putredo, viuentium, & dicitur Mors, & quoniam generatio est quædam compositio, interitus vero quædam resolutio, compositio & resolutio opposito ordine progrediuntur, ideo vbi desinit generatio, initium recipit interitus, nam generatio simplicium antecedit generationi mixtorum, hæc autem generationi viuentium de interitu quia est resolutio, se habet econtrario, interitus viuentis antecedit interitui, mixti adeo, vt interitus Leonis gr. exempli sit via ad interitum carnium, & ossium eius, qui dicitur putredo, & hoc denotauit Aristoteles, inquiens, senium, denotando interitum animalium, & ariditatem, denotando interitum Plantarum, esse viam in putredinem, hoc est in interitum partium consimilium. Insuper etiam loquendo de interitu mixti qui est putredo, possumus dicere quod sit via in putredinem, quoniam interitus mixti duo includit, nempe viam quæ est præcurrens deprauatio, & terminum de quo præsertim dicitur nomen putredinis, sic omnis mixti interitus sumptus pro præcurrente deprauatione, est via in Putredinem, quæ terminus est, & hac consideratione dixit Philosophus, fieri enim potest vt caro, & os & quiduis aliud comburatur, quorum finis ipsius Naturalis interitus putredo est, ex hac explicatione refulget solutio secundæ difficultatis. Pro solutione tertiæ quæ erat, Aristotelem errare & secum pugnare, nuncupando putredinem & interitum finem, dicẽdum cum Aristotele in quinto Metaphysicæ, 21. Finem esse duplicem, vel proprie sumptum, cuius conditiones duæ sunt, prima, vt sit vltimũ, secunda, ut sit optimum: quod explicatur dicendo, cuius gratia sunt cætera: Alterum dictum per Metaphoram de omni vltimo, quamuis non sit optimum, Mors dicitur finis per Metaphoram, vt inquit Philosophus in eo. 21. cont. & similiter hoc in loco putredinem vt vltimam dicit finem, Poeta quem carpit Philosophus in secundo Physic. errauit & defendi non potest, quia dixit mortem esse finem cuius gratia nati sumus, addendo cuius gratia nati sumus errauit, hæc enim est descriptio proprie sumpti finis, quæ morti non competit, superest diluenda prima dubitatio quæ obscurior est.

Cap. IIII.

An interitus dici possit secundum Naturam.

OCCVRREBAT considerandum an recte Philosophus interitum nuncupauerit secundum Naturam qua de re loquens, agam primo vniuerse de omni interitu, mox sermonem conuertam ad Putredinem. Non leuis est dubi-

Aristot. pugnãtia profert. tatio an interitus recte dicatur secundum naturam, nam Aristot. secum pugnare videtur, nonnunquam enim illum appellat secundum Naturam, vt hoc in loco, & in quinto Physic. 57. Præterea, in lib. de Morte & vita, nec non de longitud. & breuitate vitæ mortem diuidit in naturalem, & præter naturam, in secundo etiam de Ortu, & interitu 56. ait æquale esse tempus Ortus, & interitus, qui secundum Naturam, idipsum comprobatur ratione, nam fieri à natura nil aliud est nisi fieri per principia quæ naturæ sint, vel instrumenta naturæ, & operentur secundum naturam, interitus autem pendet ex huiusmodi principiis vt conspicuum est, nam ab eodem fit interitus, à quo fit ortus, cum vnius generatio, sit alterius interitus, fieri autem secundum naturam, est fieri ordine, & legibus natûræ, quod interitui competit, ideo iure Arist. illum frequenter appellat, & à

natura,

natura,& secundum Naturam, & obitum distinguit in secundum naturam, & contra naturam. Ex aduerso perperam videtur interitus dici secundum naturam, cum sit euersio formæ quæ natura est. Hinc Aristot. in secundo de Cœlo, 37. ait remissionem vniuscuiusque ob impotentiam autem esse præter Naturam, cum omnes impotentiæ quæ animalibus competunt, sint præter naturam, vt senectus, diminutio, &c. idipsum confirmarin cont. 38. inquiens impotentiam præter naturam esse. Et confirmatur ratione, nam omne malum est prçter naturam, cum enim natura pendeat & dirigatur à bono, id solum optat quod bonum est, bonum est esse, interitus ducens ad non esse, malum est, quare est præter naturam, & principio quæ est interitus dicitur in primo Physic. machinari maleficium. Præterea, generatio est secundum naturam, igitur non interitus, assumptum conceditur, deducitur consequutio, per Aristotelem in secundo de Ortu, & interitu, 56. dicentem, ex eodem per se non prodire opposita. quod etiam de agente per naturam enunciauit Philosophus in 8. Phys. cont. 8. Cum itaque à natura per se naturalia fiant, ex accidenti, non dicitur secundum naturam. Hinc Dionysius in lib. de diuinis nominibus enunciauit malum carere fine, natura, & efficiente, cum à nullo optetur, & sit recessus ab Ente. Demum hoc confirmatur, quia nec ortus, nec interitus videntur posse dici à natura & secundum naturam, considerando definitionem violenti traditam in principio tertii Nicomachiorum quæ est: violentum esse id cuius principium est extra non conferendo vim eo quod agit, vel patitur. Hæc definitio competit ortui, & interitui quare violentia fiunt, non secundum naturam, quod competat, patet, generatio enim fit à principio externo, quia nil se generat, ex secundo de anima, & patiens non cõfert vim, hoc est, non est ad id procliue sed pro facultate obsistit, cum sit contrarium, vitans pro facultate sui interitum, & expetens sui conseruationem; quare nedum interitus verum nec generatio videtur posse dici secundum naturam, cum omnis generatio coniunctum habeat interitum patientis. Res itaque est satis dubia & à viris doctis tot, & tam varia dicuntur, vt per ea reddatur obscurior, nam quinque principales sunt opiniones. Nonnulli aiũnt interitum referri posse ad duplicem naturam, & formam, vel ad repellendam, & dicitur præter naturam, vel ad educendam, & dicitur secundum naturam. Quæ opinio dubia est, quia dum noscere volumus an aliqua transmutatio sit Physica vel violenta, non terminos transmutationis, considerare debemus, sed modum adeptionis eorum per principia agentia & patiẽtia, vt patefecit Philosophus definiens violentum, nam si terminos consideraremus non posset diuidi interitus in naturalem, & violentum, omnis enim interitus esset secundum naturam futuræ, & præter naturam præsentis formæ. Præterea si futuram formam inspicimus, transmutatio non erit interitus, sed generatio, cum forma sit terminus generationis. Propterea inquiunt alii cum quibus consentit Clarissimus Boccaf. interitum ad duo posse referri ad materiam, & formam destruendam, si referatur ad materiam, erit secundum naturam, quia sui natura & conditione formam appetit, si autem referatur ad formam quæ destruitur, cum ea destruatur erit contra naturam, hæc opinio eatenus est præferenda priori, quatenus loquendo de interitu non refert transmutationem ad formam introducendam per quam est generatio, sed ad abiiciendam, absolute tamen non videtur approbanda, tum quia, vt dixi, non sunt inspiciendi termini transmutationis, sed modi inducendi eos, tum insuper, quia si materiam consideramus, ea per se solum appetit bonum, vt dicitur in primo Physicorum 81. non priuationem & malum, tum demum, quia

Ex aduerso. *Dionysius.* *Ortus omnis videtur violentus.* *Opiniones quinque.* *Prima.* *Secunda opinio.*

materia, vt dicitur in quinto Metaphyficæ, dicitur natura, quatenus recipit formam, quæ natura eft, quare exuere formam, eamque abiicere, eft ei præter naturam. Ideo tertio inquiunt alii, interitum dici poffe fecundum naturam cum ex parte efficientis, tum ex parte materiæ, ex parte efficientis, quia optans finem dicitur optare requifita pro fine, & quia agens per fe agit in contrarium ex parte materiæ, quia vt voluntatis officium eft libere velle & nolle, ita conditio materiæ eft referri ad effe & non effe. Quam opinionem approbandam non puto: primo, quia dum indicare volumus an tranfmutatio ex parte efficientis fit Phyfica, vel ne, confiderare cum Ariftotele tenemur, an principiũ illud fit internum, vel externum, quod per authores huius opinionis non feruatur. Loquendo autem de patiente, tenemur confiderare an ad id fui natura fit procliue, quod etiam non feruatur vt patet. Præterea, materia folam formam, & bonum optat, non priuationem. Infuper quamuis agens per fe agat in contrarium, non tamen per fe optat interitum eius, fed fui conferuationem, & propagationem. Præterea, fi ea fententia effet vera, tunc combuftio carnium, & ligni effent naturales, cum adfint conditiones relatæ, cuius oppofitum hoc in loco dicitur à Philof. Demum, materia non fe habet vt voluntas, nam voluntas per fe malum renuit, materia autem non ex fe renuit formam antecedentem, tanquam malum, fed coacta ab agente, ex fe namque nititur pro facultate eam feruare. Ideo quarto inquiunt alii, interitum effe fecundum naturam, quia eft via in priuationem, quę in fecundo Phyfic. 15. dicitur modo aliquo forma, & natura, vt etiam Generatio ab Arift. dicebatur. Natura, quia eft via in formam & naturam. At qui hoc dicunt confpicue hallucinantur, nam fi id confideraremus, interitus deberet dici natura in recto, vt de generatione inquit Philofophus, non autem fecundum naturam. Infuper, vt dixi pro diftinguenda mutatione Phyfica à violenta, non termini funt confiderandi, quia per hos non diftinguuntur, fed modi quibus agentia, & patientia eos attingunt. Infuper, tunc non feruaretur diftinctio obitus, in violentum, & fecundum naturam, fed omnis effet fecundum naturam, cum omnis fit via in priuationem, quæ eft forma quædam. Similiter omnis generatio effet fecundum naturam. Propterea eft opinio quinta Simplicii, & Philoponi, qui exponentes quartum cont. fecundi Phyficorum, aiunt à natura effe latius, quam fecundum naturam, & interitum priuationes, deprauationes, & monftra, effe quidem à natura, at non fecundum naturam, ve errata artificum dicuntur fieri ab artifice, at non fecundum Artem. Hæc opinio etiam approbanda non videtur, primo, quia aduerfatur Ariftoteli, qui in fecundo Phyficorum cont. quinto, inter effe à natura, & fecundum naturam difcrimen non ponit. Infuper aduerfatur rationi, quoniam omne quod per fe eft à natura, vel ab arte, etiam eft fecundum naturam, vel fecundum Artem, & fi quid fiat à natura præter leges eius, vel ab artifice præter leges artis, dicitur ab eis fieri ex accidenti, non per fe, nos autem ea tenemur confiderare, quæ funt per fe. Infuper Ariftoteles, vt fub initio cap. dixi, frequenter interitum appellat nedum à natura, verum etiam fecundum naturam, & confirmatur: quia defcendens ex principiis fecundum naturam operantibus, feruatis naturæ legibus, fecundum naturam dicitur fieri, huiufmodi eft interitus in fine æui fingulorum. Propterea Philoponus anceps fextam quandam protulit fententiam, inquiens interitum effe fecundum naturam communem vniuerfi, contra naturam vero proprium rei quæ interit, vt dum manus enfi fe obiicit excipiens vulnus pro falute totius corporis. Quæ fententia etiam approbanda non videtur, quia non feruat regulas Ariftotelis, qui

Opinio 3. *Euerfio.* *Quarta opinio.* *Euerfio.* *Opinio 5.* *Euerfio.* *Philoponus.*

qui pro distinguenda mutatione Physica à violenta, iubet inspicienda esse principia proxima efficientia, & patientia, necnon modum, non autem distinctionem naturæ. Præterea, dum Aristoteles in quinto Physicorum 57. Hoc in loco, & alibi interitum appellat secundum naturam, non naturam communem, sed propriam considerat, nec natura communis expetit interitum nisi ex accidenti. Et confirmatur: quia interitus dictus secundum naturam, fit seruatis propriæ naturæ legibus, seruato naturæ ordine, in fine periodi vitæ, quæ omnia indicant fieri secundum naturam propriam. Demum, per relatas opiniones non remouetur controuersia apparens in Aristotele, qui nonnūquam omnem interitum & imbecillitatem, ait esse præter naturam, nonnunquam vero interitum diuidit in præter naturam, & secundum Naturam. *Euersio.*

Cap. V.

Quomodo interitus sit secundum naturam, opinio propria.

CVM relatæ opiniones satis dubiæ apparuerint, pro lucida & distincta resolutione propositæ difficultatis, duplici distinctione vtendum puto, prima est interitum dupliciter posse considerari, vel secundum comparationem cum ortu, vel facta comparatione inter interitus ad inuicem: dum interitus comparatur cum ortu, dicitur præter naturam, quia ortus ex se optatur à natura, interitus autem solum per consecutionem, & ex accidenti. At comparatis interitibus ad inuicem, quoniam quidam fiunt secundum naturæ cursum, alii nequaquam, iure nonnulli præter, alii secundum naturam ab Aristotele dicuntur. Altera distinctio est, interitum ad duo posse referri, vel ad institutū naturæ, vel ad modum & principia ex quibus pendet, si referatur ad institutum naturæ, omnis interitus, senium & imbecillitas, dicuntur esse præter naturam, cum à natura non per se operentur: at si referatur ad modum, & principia, sic datur interitus hominis præter naturam, dum gladio, vel laqueo perit, & secundum naturā, dum perit in fine periodi suæ vitæ, per interna principia secundum naturam operantia: & huiusmodi interitus secundum naturam, & distinctio à violento, maxime patet in viuente, quia periodus conseruationis eius, magis est definitus, & magis in finem tendit per consumptionem ex interno pendentem, cum constet ex partibus contrariis, secundo loco in mixtis, quæ saltem constant ex Elementis. tertio in Elementis, vt dum hiberno tempore frequentiores sunt Pluuiæ, dicimus gigni secundum naturam, at non si ita gigneretur tempore æstiuo, sic soluitur cōtrouersia in Aristotele, & manifestatur, quomodo interitus esse possit secundum naturam: vtitur Philosophus in quinto Phys. exemplo accommodatissimo sumpto ex febricitantib. quorum nonnulli liberantur à febre die Critico, siue iudiciario, qui secundum naturam, & propriam humorum conditionem liberari dicuntur, alii die non Critico, hoc est non secundum propriæ naturæ cursum. Et quemadmodum interitus, ita est generatio, diuiditur in secundum naturam, & præter naturam, dum vna generatio cum alia cōparatur, vt docet Arist. in quinto Phys. 57. huiusmodi sunt partes octimestres, ingenia præcocia, accretiones extra cursum communem naturæ, hæc namque, & similia, ratione modi dicuntur non fato, & præter naturam fieri, sed cum vniuerse de interitu verba fecerim, distinctius aliquid de Putredine dicendum superest. Nam dubium est, quomodo putredo dici possit secundum naturam, cum fiat ab externo calore non conferente vim, eo quod agit, vel patitur; Magnus Albertus inquit putredinem

Prima distinctio. *Secunda distinctio* *Exemplū Arist.* *De putredine quomodo secundum naturam* *M. Alb.*

dici posse secundum naturam, quia calor internus cooperatur cum externo pro humidi consumptione, nam inquit calorem mixti putrescentis considerari posse, & vt calor mixti illius est, ac ita illud seruat, & tamquam igneus, & ita dissoluit, ob defectum principiorum conseruantium. Vgo Bentius vir doctissimus in tertio Artis Medendi, inquit putredinem esse violentam ex parte Principii, quia fit ab externo calore: at mox quia ille calor consideratur in facto esse in re putrescente, ideo dicitur ab interno fieri, & secundum naturam, combustio autem semper est a calore externo dum fit, ideo violenta dicitur. Hæ solutiones non auferunt omnem difficultatem, nam tale debet iudicari definitum, qualis est definitio, in definitione dicitur putredinem fieri à calore externo, quare calor qui putredinis est causa, iudicandus est vt externus, & putredo iudicanda est mutatio ab externo facta, internus autem non potest adiumentum præbere, quia est ille, qui corrumpitur, & nil per naturam adiumentum præbet pro sui interitu. Insuper quamuis calor consideretur in facto esse, tamen relatus ad rem putrescentem semper dicitur externus. Sed prætermissis disputationibus, pro resolutione dicendum puto, esse secundum, & præter naturam, non vniuoce dicta, sed ab vno, & magis proprie & absolute dici de generatione & actionibus principalibus, secundario, & secundum quandam similitudinem, & comparationem de interitu, hinc idem interitus, distincta consideratione, modo dicitur præter, modo secundum naturam: mos est Aristotelis definiendo ea quæ sunt ab vno, inspicere id quod principale est, & in tertio Nicomachiorum definiens violentum, & id quod sponte est, præsertim considerauit humanas actiones; Hoc assumpto soluens difficultatem per iam traditas distinctiones dico, omnem putredinem comparatam cum generatione & relatam ad principale institutum naturæ, esse præter naturam, per institutum tamen secundarium & facta comparatione cum combustione, & aliis interitibus violentis, vt modo consideratur ab Aristotele posse dici secundum Naturam, quatenus fit ab agente operante secundum naturam, & leges eius in fine cursus proprii æui in loco rei putrescenti congruente conspirante interno & proprio frigore eius, vt ait Aristoteles.

Vgo Bentius. *Euersio.* *Sententia propria.*

CAP. VI.

De interitu accidentium an possit diuidi in secundum naturam & præter naturam: & solutiones aduersarum rationum.

LOQVVTI hactenus sumus de interitu substantiæ, superest vt aliquid dicamus de interitu accidentium, de quibus breuibus tria dico, cum accidentia sequantur substantiam & eius sint affectiones, si producuntur ea quæ sint consentanea substantiæ recipienti, dicitur secundum naturam, si opposita, præter naturam eius, vt Aqua feruens secundum naturam refrigeratur & extinguitur in ea calor, nam ad id conspirat, si vero frigida calefiat, contra se habet. Addo secundo cum accidentibus permanentibus comperat modo aliquo proprium æuum, dum ea in fine sui æui secundum cursum naturæ & per principia interna pereunt, dicuntur perire secundum naturam, si secus, præter naturam, vt si formosa puella per ægritudinem deflorescit, id ei competit præter naturam, at si senio color mutatur, dicitur secundum naturam euadere deformis. Addo tertio dum aqua a calore ignis calefit, & interitus proprii frigoris est præter naturam aquæ, tamen potest dici a natura, & secundum naturam, quia fit ab igne secundum naturam calefaciente, & est via ad generationem aeris, vel ignis, quæ dicitur na-

Quæ accidentia secundum naturam sint.

tur natura, & secundum naturam, quatenus tendit ad formam, quæ natura est, & ad quam materia aquæ est procliuis, præsertim tamen denominatio petitur ex conditione proximi patientis. Sed pulchra se offert diluenda ambiguitas, & est, num interitus violentus Physico oppositus ratione aliqua possit dici Physicus, & ex natura prodiens. Respondeo, Naturam esse fundamentum violentiæ, & artis, & ab vtrisque necessario supponi: nil affert violentiam, quin per naturæ principium id faciat, vt si homo lapidem proiicit sursum, id facit per animam, quæ natura est, similiter contra, nil subiicitur violentię, quin sui natura sit aptum ei subiici, portio Cœli non potest impelli deorsum, quia non est apta nec natura, nec violentia secus ferri, ac se habere: sic itaque interitus violentus, absolute & proprie est violentus, ita tamen vt ex natura pendeat, & naturam in recipiente supponat. His declaratis diluendæ supeisunt rationes, quibus ostendebatur interitum & præsertim putredinem non posse dici secundum naturam. Prima ratio sumebatur ex secundo de Cœlo 37. quo loci omnis interitus dicitur præter naturam, atiam responsum est, id esse verum facta comparatione inter interitum & ortum. Addebatur secundo, omne malum esse præter naturam, responsio patet ex dictis, nam est præter naturam ex parte primi instituti naturæ, non ex parte modi quo efficitur, & vt comparatur cum generatione, non cum alio interitu. Addebatur, quod cum generatio sit secundum naturam, interitus oppositus non potest esse talis. Respondeo ortum & interitum ita necti, vt ortus vnius, sit interitus alterius, agens optat ortum, interitum vero vt requisitum pro ortu, & ita interitus non est secundum naturam ex primo instituto, sed ex secundario. Præterea, ortus vnius & interitus alterius non sunt opposita; cum non sint eiusdem, ideo vt natura est principium motus, & quietis, ita valet esse principium interitus vnius, & ortus alterius. Ostendebatur generationem quoque non esse secundum naturam, quia nil se generat. Respondeo, generationem viuentium maxime esse secundum naturam, quia vis seminaria & formatrix est interna semini, & non separato conceptui, quod est id quod permutatur, id autem quod permutatur est id quod denominatur & dicitur gigni, tamquam subiectum, sumendo generationem vt fit, non pro facto esse.

Dubitatio.

Diluuntur aduersæ rationes.

CAP. VII.

De diuisione putredinis.

HACTENVS explicata sunt pertinentia ad primam partem capitis de Putredine, sequitur vt agamus de attinentibus ad secundam, nempe ad eius diuisionem, Philosophus duplicem ponit Putredinem, vnam absolutam, & principalem, quam statuit contrariam generationi mixtorum, & solis mixtis ait competere. Alteram in parte, sumptam modo quodam eius proprio, distincto à præcedente, de qua inquit: At vero proprie dicitur putredo in iis quæ ex parte intereunt, cum recesserint à natura, idcirco putrescunt cætera omnia, igne excepto, nam & Terra, & Aquæ & Aer putrescunt, hæc namque omnia materia sunt ignis, &c. antequam Philosophus definiat putredinem, diuidit illam, in putredinem absolute, & putredinem in parte, hanc ait competere singulis Elementis, præterquam igni, hæc cum non sit absolute putredo, etiam non est vere contraria absolutæ generationi mixtorum, propterea cum Aristoteles veram putredinē ostendisset contrariam generationi eorum, quasi soluens instantiam, cum hæc non sit contraria inquit: Proprie dicitur putredo in iis quæ ex parte

Duplex putredo.

intereunt cum dicat ἴδιως, non denotat, quod sit putredo proprie sumpta, sed quod sit modus alius à priore distinctus, modo sibi proprio, putredinis nomine nuncupatus, quæ cum sit putredo in parte, non autem absolute, etiam absolute generationi mixtorum non erit opposita, nam ea mox ἴδιως, vt apud nos proprium, vsurpatur dupliciter, vel quatenus denotat principale contradistinctum ab adumbrato, vt dicimus proprium Aurum, vel quatenus contradistinguitur ab eo, quod est commune aliis, vt proprium homini dicitur ridere, in qua significatione, hoc in loco sumi debet indicando esse modum proprium à priore distinctum. Et nuncupatur interitus in parte, quod ad duo potest referri, & ad magnitudinem, & ad gradus existentiæ, & vtrumque est verum, nam aer dum dicitur putridus, non secundum omnes gradus est destructus, alioquin non diceretur aer, sed per aliquot conspicuos gradus à propria constitutione recessit. Similiter hac putredine, numquam Elementum vniuersum putrescit, sed solæ partes nonnullæ, Aristoteles tamen præsertim gradum inspexit, non molem, quia competere parti, non remouet quin sit absoluta putredo, vt patet de putredine partium carnis per apostemata. Addere etiam possumus dici putredinem in parte, quia vt absoluta putredo opponitur absolute generationi mixtorum, ita putredo in parte, opponitur generationi in parte, quatenus competit Elementis impuris, & imperfectè mixtis. Hac putredine dicuntur putrescere Elementa, non quotiescunque quouis modo fuerint alterata, & impura, ita enim semper essent putrida, sed dum manifeste à propria, & naturali constitutione recesserint, quod indicauit Arist. inquiens, cum recesserint à natura, Alexander hoc explicans ait à natura, hoc est à principio mouente, quod in eis calor est, per quem ad mixti constitutionem tendunt, nam putredo eius caloris esse dicitur: quæ expositio est dubia, nam calor non recte dici potest natura Aquę, vel Terrę. Ideo puto Aristot. denotasse propriam substantiam, & naturam Elementorum, nam quamuis putredo dicatur interitus proprii caloris, tamen tanquam finis, est interitus naturæ mixti, & hanc inspexit Aristoteles, loquendo de putredine in parte, quia non proprie Elementis competit calor secundum naturam terminans & formans, vt mixtis. Huic putredini in parte dictæ similis modo quodam est putredo humorum parientium febres putridas, non enim tunc penitus intereunt, ab hac putredine solus ignis dicitur immunis; Ita puto inducendam & explicandam sententiam Aristotelis de putredine in parte, quæ tamen posset probabiliter etiam secus intelligi, dicendo nomen putredinis non primo & proprie competere & tributum esse illis, quæ secundum totum intereunt, ea enim absolute resolui & interire dicuntur, sed impositum fuisse illis, quæ in parte à sua natura recedunt, & inde fuisse translatum ad interitum mixtorum, adeo vt indicet Philosophus se putredinis nomen late vsurpasse nō proprie vt etiam faciet in progressu, loquendo de coctione, & in quinto Physic. de latione, & secūdum hanc expositionem ea vox ἴδιως denotabit propriè & principaliter vt frequentius vsurpatur, & iure ea in parte magis proprie dici videtur putredo, cum per eam denominentur illa quæ modo aliquo sunt, vt aer & aqua denominantur putrida, at ea quæ omnino periere, & minimè sunt, denominari proprie nequeunt, sed absolute dicuntur resoluta & perempta: profecto vtraque expositio est probabilis, & quouis modo id exponatur, nil refert, quia lis solum est de verbis, de quo nempe primo, & magis proprie dicatur nomen Putredinis. At colligamus distinctiones Putredinis, Nam Putredo vel est absolute totius essentiæ, vt dum caro omnino putrescit, vel secundum partem, vt ea Elementorum, & sensum,

Insuper

Cur in parte.

Alia expositio.

insuper vel est vniuersæ molis, vt post obitum vniuersa caro putrescit, vel partis, vt in vlcere viuentis. Tertio, vel consideratur putredo in corpore inanimo, vt in vino, vel in viuente. Quarto vel est secundum naturam, vt senium, & ea partium viuentis in fine cursus vitę, vel violenta vt partium defunctorum violen ia, & putredo humorum viuentis laborantis febre putrida. Quæ à Galeno in primo de differentiis febrium c. 6. triplex dicitur, nam vel fit superata natura viuentis, vel ea superante, vel partim superante, partim superata.

Cap. VIII.

Quid sit Putredo in parte, & cur solus Ignis non putrescat.

DVPLEX statuit Philosophus putredinis genus, vnum absolute, alterum in parte, quid autem sit putredo in parte non facile constat, sed prætermissa opinionum varietate dico generationem mixti esse duplicem, vnam absolutam, veluti dum gignuntur carnes, & perfecta mixta, alteram inchoatam: absolutæ generationi opponitur absoluta putredo, generationi inchoatæ, opponitur ea putredo, quæ in parte dicta est, quæ non est sola alteratio, alioquin Elementa semper essent putrida, sed interitus substantiæ mixti secundum partem, iam enim patefeci, cum formas Elementorum, tum eas mixtorum suscipere magis & minus. Hæc putredo secundum partem adhuc duplex est, vel enim competit elementis inchoata mixtione præditis, de qua Aristoteles dixit, putrescere Elementa omnia, præter ignem, & hæc proprie opponitur generationi mixti in parte: vel competit perfecte mixtis, dum secundum partem, & gradus aliquos à propria natura recedunt, vt putrescere dicuntur humores senum, & gignentes febres putridas, hæc differt ab altera, quia competit mixtis perfectis, & est via ad putredinem absolutam, vt de senio & vetustate Plantarum dixit Aristoteles. Putredo secundum partem competens elementis, non est quilibet recessus à naturali & propria eorum constitutione, non enim, dum aqua per medios vapores vertitur in aerem, vel quodlibet elementum in aliud dicitur putrescere, neque etiam dum in fodinis, & cauitatibus terræ transeunt in metalla, sed dum humor & calor inchoatæ mixtionis eorum deprauatur, adeo vt calor humori non dominetur, & humor congruenter non terminetur, ex qua deprauatione, dum aer ita putrescit, prodeunt pestilentiæ & morbi populares, & in cauitatibus terræ frequenter aer adeo deprauatur, vt inspiratus statim necet homines, quod præsertim accidit in foueis, in quibus seruari solet frumentum, dum aer euentilatione caret, & suffocatur calor eius. Putredo secundū totū non potest in dispositionem secundum naturam redigi, vt nonnunquam redigi per expurgationem potest putredo secundum partem. Ex his itaque constat, quid sit putredo secundum partem, quomodo sit duplex, & quomodo competat cum elementis, tum mixtis perfectis. Putredo etiam secundum totum potest competere modo aliquo vtrisque, nam quod competat perfecte mixtis, patet, cōpetit autem elementis, dum partes nonnullæ ita putrescunt, vt ex eis gignantur culices, muscæ, locustæ, & varij vermes, quod eis competit, quatenus ob impuritatem in mixtum transeunt, includens facultate elementa omnia, nec propterea verum iudico id, quod dicitur ab Olympiodoro, ex putredine aeris, quaileas & coturnices gigni, non enim ex putri animalia adeo perfecta gigni possunt, nisi id referatur ad prolatā ab Aristotele in 5. de historia Animalium, cap. 5. dicente, perdices si aduersæ maribus steterint, ventusque inde afflet, vbi mares stant, concipere, plerumque etiam voce marium ingrauescere, volatu quoque

Qua putredo in parte.

Putredo in parte duplex.

Putredo secundū totum.

Olympiodori sententia Aristot.

supero marium, effici idipsum posse. Arcumhoc dicat Philosophus, primo de veritate non parum dubito, multa enim historice tanquam ab aliis audita refert Philosophus, quę tamen in libris de partibus, & de generatione animalium non approbat: insuper eo concesso dico, eam generationem non esse ex putri, sed vel per vocem maris excitari per Phantasiam fœminæ humores & spiritus in ea ad concipiendum idoneos, vel per aerem medium ex mare deferri spiritus prolificos, qui recepti in fœmina summe parata, prolem forment. At perpendamus, cur putredinis in parte solus ignis sit expers. Dico primo, id ortum ducere ex calore ignis, qui cum primo igni competat, à calore alio superari non potest, adeo vt reddatur igni præter naturam. Addo secundo, id prodire ex siccitate ignis: nam ille calor per putredinem interit, qui in humore sedem habet, Ignis autem suo calore humorem consumit de terra, non sic se habet, non enim dum humectatur, à frigore terræ humor ita consumitur. Tertia ratio elicitur ex conditione ignis, qui nedum purior est cæteris, verum insuper sua conditione cætera purgat. Quarta ratio elicitur ex conditione putredinis: nam id quod putrescit per interitum caloris, frigidum remanet, & frigore conspirante putrescit, ignis autem sui natura calidissimus est. Quinta ratio elicitur ex conditione rei putrescentis, id enim quod putrescit, obtinet locum materiæ, nam est humidum sicco per calorem formatum & terminatum, ignis inter elementa præsertim formæ obtinet locum, Aristor. huius suæ sententiæ causas afferens, hoc in loco pro causa hanc quintam retulit, in 25. part. Prob. 19. affert primam, & quartam inquiens, Cur aqua, & terra putrescunt, aer autem, & ignis nequaquam? An quia omne quod putrescit calidissimum fiat, necesse est, igne autem nil calidius: An quia refrigerari prius oportet, quod putredinem concepturum est, ignis autem calidissimus semper est, nil autem putrescit cum calidum est, sed refrigeretur ante oportet, quàm putrescat.

Cur solus ignis non putrescat. Ratio 1. 2. 3. 4. 5.

Cap. IX.

An verum sit inter Elementa ignem solum non putrescere.

SENTENTIA illa ab Aristotele prolata, ignem solum ex Elementis immunem esse à putredine, duplici ratione dubia est, primo, quia ille quoque videtur putredini subijci: secundo, quia etiam aer à putredine videtur immunis; quod ignis putredini sit obnoxius, ostenditur primo, quia vt elementa cætera ita ignis à sua natura per remissionem & impuritatem potest recedere, atque etiam interire. Insuper in quinto de historia Animalium, cap. 19. inquit Philosophus, in his quæ iudicamus non putrescere, gignuntur tamen animalia, & in Cypro in ærariis fornacibus, vbi Chalcites lapis ingestus compluribus diebus crematur, bestiolæ in medio igne otiuntur pennatæ, paulo muscis grandiores, quæ per ignem saliunt, & ambulant, &c. hæ bestiolæ ex putredine ignis gigni videntur, cum in solo igne viuant. Confirmatur: quia glacies & nix proportione igni respondet: at in eodem quinto de historia Animalium legitur, in niue gigni vermes. Insuper Aristoteles in lib. de morte & vita, inquit, calorem posse interire, & à frigore contrario per extinctionem, & à se, per marcedinem, & consumptionem proprij humoris, marcedo autem est quædam putredo ignis. Quod autem etiam aer à putredine sit immunis, dicitur à Philosopho 25. part. Problem. 19. asserente nec ignem, nec aerem putrescere; & in secundo capitulo, de longitudine, & breuitate vitæ, legitur, ob id pinguia non putrescere, quia plurimum

Ignē putrescere.

An aer putrescat.

mum includunt aeris, aer autem ad cætera elementa est tanquam ignis, qui non putrescit. Pro solutione dico primo Aristotelem loqui de putredine secundum partem, quæ est recessus à propria constitutione. Addo secundo, hunc recessum posse elementis dupliciter competere, vel sine modo putredinis, & hoc cõpetit omnibus, vel cum modo putredinis, qui est cum interitu proprij caloris mixti imperfecti in humore, à calore externo, quod mixtum imperfectum seruet nomen elementi, & huiusmodi recessus non competit igni, vt patuit in capit. præcedente. Rationes aduersæ facile diluuntur, dicebatur primo, etiam ignem posse à sua natura recedere, id concedo, at non per modum putredinis. Addebatur, in igne gigni vermes: primo, id dubium puto, nam inquit Aristoteles in secundo de generatione Animalium, capitulo tertio, ex igne, & glacie nullum gigni animal. Dico secundo, si id verum est, huiusmodi vermes non ex ignis putredine gigni, sed ex humore aliquo ingestorum lapidum, qui in fornacibus comburuntur, vt etiam vermes rubei, qui dicuntur gigni in niue, non ex glaciei, vel niuis putredine fiunt, sed ex aliquo corpore intra niuem putrescente, participe proprij caloris, qui per antiperistasim reddatur alienus, & præter naturam. Instabatur de interitu ignis per marcedinem, respondeo μάρανσιν, quam Aristoteles tribuit calori, non esse putredinem, quam σῆψιν καὶ σαπρότητα appellat, sed esse euanescentiam, deiectionem, & consumptionem flammæ, & caloris, & erat clarissimus Ludouicus Boccaf. qui eam accipit pro putredine aliqua. His accedit, quod aliud est loqui de spiritu calido, & humido, fundamento vitæ, & loqui de igne: Aristoteles enim de spiritu vitali loquitur. Instabatur demum, quia etiam aer nonnunquam dicitur à putredine immunis & ob id Philosophus non videtur sibi constare, soluitur instantia per duo fundamenta, primum est, quod dicere aerem non putrescere, denotat difficultatem, non quod penitus id fieri nequeat, vt etiam accidit de pinguedine. Alterum est, quia aer est duplex, vnus nobis proximus, qui facile putrescit, alter sublimis proximus & simillimus igni, se habens ad contenta tanquam ignis, de hoc Aristoteles inquit, quod non putrescit, quod indicauit Aristoteles in libro de longitudine, & breuitate vitæ, inquiens aerem non putrescere, quia ad reliqua se habet tanquam ignis, & in 25. parte Problem. 19. dixit aerem non putrescere, quia ignis plurimum includit. *Diluuntur rationes aduersæ.*

CAP. X.

Definitio Putredinis.

OSTENSO Putredinem generationi mixtorum opponi, explicataque distinctione eius in absolutam, & secundum partem, sequitur vt tertio loco, vna cum Aristotele, de eius definitione loquar, quæ huiusmodi est; Putredo est interitus eius, qui in vnoquoq; humido proprius est, & naturalis calor, ab alieno calore, hic autem est ambientis, quare quoniam ob inopiam patitur calidi; quod autem indiget hac facultate, frigidum est omne, ambæ erunt causæ, & putredo erit communis affectio, cum proprij frigoris, tum alieni caloris. Hæc est definitio, quæ ab Aristotele traditur, & in parte explicatur, quæ etiam variarum difficultatum nobis occasiones offert, declarabo autem primo singulas definitionis partes, mox potiora dubia dissoluam. Res definienda est, putredo, quæ non secus ac generatio ei opposita, est affectio corporis Physici, modo aliquo mixti, affectio, quia subiecto competit, & apta est de eo ostendi, eo definitionis genere definiri debet, quod à demonstratione solo partium *Definitio putredinis.* *Putredo.*

ordine, & dispositione distinguitur, & præsertim ita definiri debet, dum consideratur, vt fit, & ab efficiente producitur, veluti consideratur putredo, quæ definitur non pro solo termino ad quem, sed pro via ad terminum tendente, & à principio aliquo pendente, hinc definiri debet, cum per internas, tum per externas causas, vt etiam definita fuit ei opposita generatio. Hoc accurate seruauit Aristoteles, qui primo formam explicans dixit, quod est interitus naturalis caloris, patefaciendo simul eam generationi opponi, interitus autem est quędam priuatio, quę modo aliquo est forma, vt dicitur in secundo Physicorum 15.

Finis internus. Insuper cum dicatur interitus, simul manifestatur finis internus transmutationis, sumptus pro termino ad quem, externus finis non est addendus, quia interitus, vt malum, caret fine, cuius gratia solum dicere possumus esse necessarium, pro alterius generatione, *Materia proxima.* explicatur autem materia proxima, dum dicitur in vnoquoq; humido, vt enim calor est principalis pro formando & terminãdo mixto, ita humor est proximum & principale, quod terminatur, efficiens autem est calor ambientis conferente frigore proprio. At perpendamus exactius, particulas omnes, *Interitus.* putredo est interitus, & iure, cum sit contraria generationi, sumendo contrarium late; *Dubitatio.* At dices, cum sit contraria, debet habere idem commune genus, generatio definiebatur ab Aristotele, quod sit mutatio, cur etiam pro genere putredinis non accipitur mutatio. *Solutio.* Respondeo, reuera commune genus idem esse, ambo enim sunt mutationes, proximum tamen est distinctum, in definitione generationis sumptum fuit non proximum, sed commune genus, cum contrahentibus illud, ratio est, quia generatio mixti definita, caret proprio nomine, & denotatur nomine communi generationis, ideo non valuit Aristoteles pro genere accipere generationem, ea enim fuisset nugatio, at interitus ei oppositus habet nomen proprium à communi distinctum, ideo accipere valuit genus proximum, & dicere, putredo est interitus. Insuper, magis proprie generatio dicitur mutatio, quàm putredo, quia mutatio per se ad formam tendit. Addit *Proprij et naturalis caloris.* Philosophus proprij & naturalis caloris, cum putredo opponatur generationi, vt ea consurgebat ex imperio caloris formantis, & terminantis humorem, ita putredo recte dicitur interitus illius caloris, oppositorum enim opposita sunt formæ, & conditiones, ille calor in generatione, vt antecedit & permutat, est efficiens, vt temperatus remanet, est tanquam forma, cuius putredo est interitus, illæ duæ voces proprij & naturalis, ex quorundam sententia pro eodem vsurpantur, adeo vt vna explicet alteram, alij putantes denotare varia, varias tradunt *Pompon.* expositiones, Pomponatius inquit, calorem dici proprium, vt distinguitur ab externo, & artificioso, dici naturalem, tanquam ei congruentem pro distinctione ab aliis ei non congruentibus: alij aiunt dici naturalem per relationem ad qualitates, proprium vero per relationem ad corpus, adeo vt sit qualitas naturalis, propria eius corporis mixti, Galenus in secundo de differentiis febrium cap. 9. satis probabilem innuit expositionem, inquiens. Recte putare videtur Aristoteles, ab aliena caliditate oriri putredinem, vocant alienam externam, *Galenus.* non insitam, neque natiuam in quocunque genere, &c. adeo vt Galenus propriam accipiat, vt contradistinctam ab aliena caliditate, naturalem vero vt na- *Propria expositio.* tiuam, & per naturam ei insitam, contradistinctam à non natiua. Sed cæteris silentio obuolutis veriorem expositionem hanc esse puto, Aristotelem per eas voces denotasse idem, sola ratione distinctum, nam calor iste mixti duobus modis considerari potest, primo vt id mixtum constituit, ac ita dicitur proprius eius, secundo, vt est principium operationum eius, & dicitur naturalis, natura

enim

enim principium est operationis & motus, & ex hoc elicitur ratio, cur Philosophus in definitione putredinis præposuit proprium, in definitione verò coctionis postposuit; ratio enim est: quia putredo primo dicitur interitus eius, vt rem putrescentem constituit, coctio vero cum sit operatio, primo ex eo calore pender, vt est naturalis, hoc est modo aliquo principium illius naturalis transmutationis; sequitur Aristoteles in vnoquoque humido, sumptis attinentibus ad formam, affert attinentia ad materiam, vt in generatione dominabatur calor, & terminos imponebat humori, ita in interitu, calor succumbit, & interit, qui in humore, vt in principaliore materia reperitur: mentio fit de humore, non de siccitate, tum quia calor prope nos semper cum humore aliquo iungitur, tanquam eius materia, tum quia calor proprius ad naturalem humorem refertur, vt fundamentum, tum insuper, quia inter qualitates patientes est principalior, vt calor inter agentes, siccum autem id contemperat, & detinet, tum demum, quia humor est, qui in putredine primo fluere, & labi videtur. Ait Philosophus in vnoquoque humido. Inquit Ludouicus Boccaf. ita loqui, quoniam in viuente triplex est humidum, vnum aereum, alterum aqueum, quæ duo in omni mixto inueniuntur, cōnectentia partes eius, datur & tertium, quod est humidum alimenti, competens solis viuentibus, quod etiam frequenter est causa putredinis; Vt igitur Philosophus ea tria humida denotaret, dixit in vnoquoque humido. Quæ expositio non est approbanda, quia putredo vt adæquato subiecto competit omni mixto similium partium, in quo non triplex, sed vnicum est humidum, nam humor temperamentum vnicum est, ex aereo, & aqueo consurgens, vt etiam vnicus est calor. Præterea, humor alimenti ad rem non facit, quia solis viuentibus competit, & non est ille, qui terminatus est à proprio, & naturali calore, putredo autem dicitur interitus caloris, terminantis humidum, non vt alimentum, sed vt materiam per naturam ei competentem, Pomponatius ait humidum esse duplex, vnum redundans, vt in homine pingui, quod sæpe per ægritudines consumitur, & in eo non est proprie putredo, aliud proprium & internum, quo partes nectuntur, in quo magis proprie inest putredo, quibus humoribus consumptis, ea quæ putrescunt, rediguntur in puluerem, quæ expositio etiam eisdem rationibus reijcitur, & præsertim, quia humor ille redundans est aliquid ex accidenti concurrens, non necessaria, quod in definitionibus non debet accipi. Puto itaque Aristotelem in mixto putrescente vnicum considerasse humorem, vni calori formanti respondentem, vnius enim formæ, vna dicitur esse materia: dixisse autem in vnoquoque, ratione eorum, quibus competit humor, denotando humiditatem mixti, quæ in quolibet mixto reperitur, & singulorum est propria, quasi dicat in proprio vniuscuiusque mixti humido. Deinum addens causam efficientem ait, ab externo calore, idque latius explicans inquit, quare quoniam ob inopiam patitur calidi, quod autem eget hac facultate, id omne est frigidum, ambæ erunt causæ, & putredo erit communis affectio, cum proprii frigoris, tum alieni caloris, &c. quæ postrema verba addita sunt, non tanquam partes definitionis, sed vt indicamus, id quod sequitur partem illius. Ita calor proprius in putredine per duo interitus, per vnum principaliter, nempe per calorem ambientis, interitus enim secundum naturam à simili quodam modo fieri debet, per alterum secundario, nempe à proprio frigore, nam calor proprius duo includit, vt sit proprius, & vt sit calor, tanquam calor destruitur à frigore, vt vero proprius, à calore tanquam alieno, frigus internum calorem minuit, impotentemque reddit, & ob id calor externus magis il-

In vnoquoque humido.

L. Bocca.

Pompon.

Propria expositio.

Ab externo calore.

lum superat, vt facile superatur calor senum. Hæc definitio cum constet ex caussis externis, & internis, est demonstratio sola partium positione distincta, & ita formatur, omnis interitus prodiens ex calore ambientis, & frigore proprio, est interitus proprij & naturalis caloris, in vnuiuscuiusque humido, putredo est interitus prodiens ex calore ambientis, & frigore proprio, igitur est interitus proprij, & naturalis caloris in vnuiuscuiusque humido, ex quo patet, quod pro redigenda definitione hac in demonstrationem, nil ei est addendum, vt nonnulli addendum putarunt, qui simul indicarunt Aristotelem diminutum, considerandum est, quod Aristoteles de calore dixit proprij, & naturalis, frigus autem solum dixit proprium, non autem naturale, & iure, nam calor præsertim se habet tanquam forma, tanquam qualitas constituens, & tanquam principalis ratio agendo, frigus potius vt contemperans, ideo proprium dici potest, non naturalem. Insuper, considerandum, quod frigus in putredine est duplex, vnum antecedens, minuens, & contemperans calorem, aliud sequens interitum caloris, quod remanet in re putrida. Aristoteles præsertim considerauit antecedentem operantem, vna cum calore, externo pro interitu interni caloris.

Cap. XI.

Proponuntur, & diluuntur nonnullæ difficultates ex definitione putredinis prodeuntes.

Ex relata putredinis definitione, variæ & obscuræ emergunt difficultates, quarum principaliores referam, & singulatim pro facultate dissoluam. Primo id in dubium vertitur, quod putredo sit interitus caloris, cum enim putredo simplici generationi opponatur, & ea sit substantiæ, putredo quoque debet iudicari interitus substantiæ, non caloris, qui qualitas est, & confirmatur: quia vt genus ei opposita, ita putredo est interitus simplex, generatio autem simplex, & interitus substantiæ sunt, non accidentium, ex primo de ortu & interitu, necnon ex primo Physicor. Propterea rectius fortasse eam definiuit Galenus, dum 11. libro Methodi, capite octauo dixit: Putredo est interitus totius substantiæ putrescentis, ab aliena caliditate. Hæc dubitatio profecto non leuis est, & propterea viri docti varia dixerunt. Aiunt nonnulli Aristotelem per proprium, & naturalem calorem, non denotasse qualitatem de tertia specie, sed temperamentum, quod substantia est, quod clarius expressit Galenus, inquiens putredinem esse interitum totius substantiæ putrescentis, adeo vt definitiones sint eædem, sola ratione distinctæ. Hæc fuit sententia Erasti viri docti, & confirmari potest, quia Galenus in secundo de differentiis febrium, c. 9. commendat sententiam Aristot. de putredine, vt iam retuli. Sed opinio hæc non caret difficultate, quoniam Aristoteles per calorem, illum denotare debet, quem prius definiuit, at non definiuit calorem pro substantia, sed pro qualitate, nam assumpsit qualitates primas ad tactum attinentes, inuicem contrarias, agentes & patientes, terminantes, & terminatas, quæ non sunt substantia rei. Insuper, temperamentum ex sententia Galeni est quidem substantia mixti, vt qualitates sunt formæ elementorum, at non ex sententia Aristotelis, vt proprio loco patefeci, ideo perperam hac de re vir hic confundit sententiam Galeni cum ea Aristotelis. Propterea rectius alij, vt Pomponatius, & Ludouicus Boccaf. inquiunt, Aristotelem nomine caloris qualitatem denotasse, frigori contrariam, quam

Solutio aliorum.

Euersio.

Pompon. *Lud. Boc.*

præ-

præassumpserat, & cuius opera pollicitus est se consideraturum: & soluentes propositam difficultatem nonnulli eorum inquiunt, definitionem debere intelligi per modum causæ, non formæ, adeo vt putredo dicatur interitus proprij caloris, hoc est prodiens ex interitu eius, hinc addunt Galenum non dissentire ab Arist. sed Galenum considerasse terminum, Arist. vero viam ad illũ. Quæ sententia etiam est dubia, ita enim Aristoteles diminutus fuisset, nam considerasset minus principale, & prætermisisset id quod est principalius, definiuisset viam derelicto termino ad quem, & cõfirmatur, quia conspicue Aristoteles indicat se considerare viam cum termino iunctam inquiens, ea quæ putrescunt in fimum, & puluerem redigi. Ex aduerso Galenus non considerauit putredinem pro termino tantum, quia causam producentem & efficientem expressit. Insuper, non valuit interitum qualitatis ab interitu substantiæ tanquam viam à termino secernere, cum ex eius sentẽtia qualitates elementorum & temperamentum mixti à forma substantiæ non distinguantur. Dicamus itaque, primo Arist. per calorem denotasse quidem qualitatem de tertia specie, eam tamen considerasse, vt circumscribentem formam substantiæ, nam Arist. in lib. de Cœlo, formas elementorum per graue, & leue circumscripsit, in libro autem de ortu, & interitu, & hoc in loco, per qualitates alterantes: vsurpatur itaque calor proprius hoc in loco, pro calore, & qualitate, circumscribente tamen formam substantiæ mixti, quæ præsertim proprio calori respondet, illumque sequitur. Ex quo elicio Aristotelem definiuisse viam cum termino iunctam, adeo, vt simul mira arte, & viam patefaciat attinentem ad actionem & passionem primarum qualitatum, & terminum per huiusmodi qualitates circumscriptum. Addo insuper duas relatas sententias posse modo aliquo conciliari, dicendo cum primis Aristotelem per calorem denotasse substantiam, vt circumscriptam, cum secundis vero, Aristotelem considerasse viam vt circumscribentem terminatum, nam calor, cuius interitus est via in putredinem, consideratur vt circumscribens substantiam, cuius interitus est terminus ad quem putredinis. Insuper dico in attinentibus ad constitutionem, & conditionem propriam putredinis Galenum ab Aristotele, non dissentire, sed solum dissentire in connexis cum ea. Quod non dissentiat de primis, patet, quia in secundo de differ. Febrium, capitulo nono, sub initio, Galenus commendat sententiam Aristotelis dicentis, putredinem fieri per calorem externum, & in tertio de morbis vulgaribus, com. primo inquit, & videtur putredo omnis ex materia quidem gigni humida, ex causa vero efficiente, extraneo, & præter naturam calore, &c. Hæc eadem est sententia Aristotelis. Dissentit tamen de connexis, primo, quia temperamentum censuit substantiam mixti, & calorem eius ad substantiã attinere existimauit, quod non putat Aristoteles, ideo cum Aristoteles dicat, putredinem esse interitum proprij caloris, Galenus per sua principia debuit dicere totius substantiæ. Insuper, ex sententia Galeni non ita omnia mixta ex parte virtutis dominantis sunt calida, vt ex sententia Aristotelis, & ideo, vt per principia Aristotelis debemus dicere, putredinem esse interitum proprij caloris, sua facultate in omni mixto formantis, & terminantis, ita per principia Galeni debemus dicere esse interitum totius substantiæ mixti: consentiunt itaque de natura & conditionibus putredinis, dissentiunt autem de connexis, & ob id sequentes principia sua, per varia verba idem denotant. Modus tamen loquendi Aristotelis est rectior, & principia sunt veriora, nam explicat viam, & terminum, & recte putat calorem in omni mixto sua virtute dominari, terminare, & formare,

Euersio.

Propria sententia.

Conciliat.

Galenũ ab Arist. non dissentire.

& substantiam mixti, à calore, & temperamento esse distinctam. Solutio aduersarum rationum ex dictis elicitur.

CAP. XII.

Quæ Putredo ab Aristotele definiatur.

Qua putredo definiatur.

ASSERTVM est in præcedentibus, putredinem esse duplicem, vnam absolutam & totius, alteram secundum partem, dubium non leue est, quam putredinem definiuerit Aristoteles. Inquiunt nonnulli, Aristotelem definiuisse putredinem secundum partem, quorum opinio comprobari potest, primo, quia putredo secundum totum, est interitus totius substantiæ, non proprij caloris. Præterea, putredo secundum totum, iam prius fuerat declarata, & dictum, eam opponi generationi, ac omnem interitum secundum naturam esse viam in eam, & per illam corpora putrescentia primo reddi humida, mox arida, & quod fit, dum id quod terminatur, dominatur. Ideo solum altera putredo, quæ est secundum partem, remanebat definienda, & ea relata, statim tradit Philosophus putredinis definitionem, quæ ad putredinem proxime relatam videtur referenda. Insuper idipsum elicitur ex confirmatione eius definitionis, nam inter cætera hoc signum affert, quod mare, & aliæ aquæ, in partes diuisæ, putrescunt, non autem simul iunctæ: Aquę autem competit putredo secundum partem; & quoniam putredo secundum partem magna ex parte est morbifica, hæc præsertim definiri videtur.

Opinio aduersa.

Ex aduerso Viconuercat. & alij plurimi, aiunt definiri putredinem secundum totum, & iure profecto, nam Aristoteles eam putredinem definit, & per varia signa comprobat, quæ suo instituto inseruit, & quam definire tenetur, at cum Aristoteles egisset de generatione mixti secundum totum, cui opponitur putredo secundum totum, de hac agere tenebatur, ideo de hac illum egisse putandum est. & confirmatur: quoniam dum aliquid est ab vno, præsertim agendum est de principali, huiusmodi autem est putredo, secundum totum: hinc Aristot. solum obiter putredinem secundum partem videtur tetigisse, & statim rediisse ad principalem, definiẽdo illam, cuius definitio est tanquam mensura alterius. Præterea, putredo secundum partem, qualis est ea elementorum, minus propriè dicitur interitus proprij, & naturalis caloris, nam terra, & aqua sui natura frigida sunt, & dum aliquid caloris includunt, potius præter, quàm secundum naturam eis competit. Præterea, statim data definitione, inquit Philosophus, ob id & sicciora fiunt omnia, quæ putrescunt, & demum terra, & fimus. Insuper ait in putrescente gigni vermes, quæ profecto de sola putredine secundum totum vera sunt.

Resolutio.

Pro resolutione duo dico, primum est Arist. dedisse definitionem communem vtriq; putredini. Alterum est, definitionem illam esse communem, non vniuocè, sed ab vno, & Aristotel. præsertim inspexisse putredinem secundum totum, tanquam mensuram alterius. Hæ Conclusiones ostenduntur ratione, & autoritate Aristot. Ratione primo, quoniam eorum, quæ sunt ab vno, danda est vna communis definitio, quæ etiam sit ab vno, putredo est aliquid ab vno, quare per consimilem definitionem explicanda est, definitio enim rei definitæ debet respondere, vt dicitur in 6. Topic. hoc seruauit Aristoteles in definiendo motu, natura, Anima, & aliis similibus, & nisi Philosophus hoc fecisset, suas regulas, suumque morem non seruasset. Confirmatur: quia Aristoteles exempla dedit vtriusque putredinis. Insuper, quod ea definitio præsertim cõpetat putredini secundum totũ, patet, nam dum

dum dicimus putredinem esse interitum caloris, cum absolute loquamur, interitum absolutum, & secundum totum præsertim intelligere debemus, huiusmodi autem est putredo secundum totum, nam per eam, quæ est secũdum partem, calor secundum partem interire dicitur, & cum intereat calor proprius, dicitur interire substantia, vt in præcedentibus apparuit: sic putredo secundum totum, est tamquam mensura alterius, quæ mensuratur per accessum & recessum ab ea. Quod autem ea definitio etiam competat putredinis secundum partem, conspicue patet ex 25. part. Probl. 19. in quo Aristoteles ostendit ignem non putrescere, quoniam ei competere non valent ea, quæ sumuntur in definitione putredini, nempe, vt eius calor ab externo vincatur, & quod ignis reddatur frigidus, interno frigore, nam id est definitum, cui competit definitio, at Aristoteles vult putredini in parte, qualis est ea Elementorum competere definitionem, igitur ea quoque est definita. Colligamus itaque Aristotelem definitione putredinis omnem putredinem comprehensum fuisse, præsertim tamen putredinem secundum totum, & secundum naturam, secundario autem putredinem in parte, & etiam morbificam, vt etiam in 3. Physic. communi definitione motum omnem tum secundum naturam, tum præter naturam complexus est. Rationes, quæ pro vtraque parte relatæ sunt, per ea quæ dixi facile diluuntur, ideo in eis diluendis non morabor.

Putredo secũdum totum est tanquam mensura alterius.

Conclusio dictorum.

CAP. XIII.

Aliæ proponuntur, & diluuntur difficultates ad definitionem putredinis attinentes.

EX eo quod dictum est putredinem esse interitum proprii, & naturales caloris, non leuis oritur dubitatio, quoniam calor proprius & naturalis, solum videtur dici de eo viuentium, quorum generatio est receptio animæ in proprio & naturali calore, non autem ita proprie de calore Temperamenti mixtorum, cum tamen ex aduerso dixerim, interitum animalium nõ esse putredinem, cum non opponatur generationi mixti, sed viam in putredinem: augetur dubitatio, quia Alexander senium & ariditatem, putredines nuncupauit, quæ tamen viuentibus competunt. Respondeo, mixtum omne præditum esse proprio & naturali calore, & gigni per imperium eius, vt suo loco apparuit, calor autem viuentium proprie infusus & vitalis dicitur. Et dum definitur putredo quod sit interitus proprij, & naturalis caloris, denotatur interitus illius caloris, qui terminat, & per cuius interitum humor dissoluitur, & generationi mixti opponitur, huiusmodi autem solum est interitus mixti, hinc Aristoteles dixit mortem esse viam in putredinem, senium autẽ & ariditas, possunt dici putredines secundum partem, quatenus referuntur ad partes consimiles animalium, & Plantarum, quæ à sua natura recedunt non autem, vt sunt viæ ad mortem viuentium, adeo vt deinde mors sit vere putredo. Sed pulchra emergit dubitatio, num in naturali interitu animalis, spiritus, qui sunt corpus mixtum, dicantur putrescere, vt putrescunt carnes, & aliæ partes. Respondeo, spiritus esse calidos, siccos, & præsertim igneos, & propterea vt igneos non putrescere, sed potius extingui & marcescere, vt in præcedentibus dixi, posse tamen putrescere putredine secundum partem, recedendo à sua natura, dum prius redditi fuerint crassi & humidi: hinc spiritus quarundam aniculatũ, aliquando adeo à sua natura recedunt, vt venefici reddantur, & infantes necent. Sed adhuc dubitatur, cum putredo sit in-

Dubitatio. 1

Confirmatio.

Solutio.

Senium & ariditas.

Dubitatio. 2

Solutio.

Alia dubitatio. teritus proprii caloris, num per putredinem proprius ille calor dicatur putrescere? *Remigius* Remigius disputans cum Argenterio, cap 15. concessit putrescere, id tamen minime dicendum est, quoniam iam apparuit nomine proprii caloris Aristotelem denotare qualitatem formantem, & terminantem humidum, qualitas non putrescit, sed sola substantia mixta, putredo tamen mixti, sequitur interitum caloris, vt requisiti pro mixti constitutione, & dum calor ille consideratur, vt circumscribens formam, eius interitus est ipsamet putredo, per quam compositum denominatur putrescere, vt præsentia formæ est ipsamet generatio, per quam *Alia dubitatio.* non forma, sed cōpositum dicitur gigni. Sed dubitatio etiā emergit ex eo quod Philosophus dixit, in vniuscuiusque humido, nam si putredo est apta competere omni mixto, multa inueniuntur mixta valde arida, vt Piper, quæ si putrescunt, eorum putredo potius erit interitus caloris in sicco, quam in humido. Præterea si putredo est interitus caloris in humido, dum aer vertitur in aquam, dicetur putrescere, quia interit calor proprius in humido, & demum cum in re putrescente, etiam inueniatur siccitas, cur de siccitate quoque non fit mentio in definitione, cum tamen in definitione generationis, de omnibus quatuor qualitatibus modo *Solutio.* aliquo sit facta mentio? Respondeo in mixto consimili, quemadmodum calor semper locum obtinet formantis, & terminantis, ita humor cuiuslibet sit gradus, obtinet locum principalioris materiæ, & terminati, siccum enim non eget alieno termino, & dum in putredine consideratur interitus caloris in humido, semper consideratur interitus caloris, vt formantis humidum, & terminantis: in definitione generationis denotatæ sunt qualitates primæ omnes, quia omnes, modo eis consentaneo, ad generationem conspirant, in interitu, cum frigus secundario conducat, per quandam consecutionem explicatur. Similiter quia siccum non est principalis materia, quæ dissoluatur, sed id potius quod post dissolutionem humidi remanet, sat est, vt per consecutionem, quomodo se habeat, manifestetur, & hoc seruatur ab Aristotele. Instantia sumpta ex mixtis apprime siccis, soluitur, quia non sunt adeo sicca, quin aliquid humoris terminati includant, ac etiam vt ea putrescant conducit antecedens aliqua humectatio, ideo iure Galenus in tertio de morbis vulgarib. com. primo dixit, & videtur putredo omnis ex materia gigni humida, & quæ sicca sunt nō putrescere. De conuersione aeris in aquam per interitum caloris dico in eo non reperiri calorem, vt terminantem humorem, id enim solum de mixtis verum est.

CAP. XIIII.

Dubia alia proponuntur & diluuntur.

Quomodo vna qualitas in altera. DEFINIEBATVR Putredo quod sit interitus caloris in humido, at dignum est consideratione, cum ambæ sint qualitates, quomodo vna in altera esse dicatur. Pro solutione considero tres esse modos quibus calor in humore esse possit, primo quia sit vna cum eo pro Elementi constitutione, veluti ambo nectuntur in aere, & tunc non vnum in altero esse dicitur, sed ambo simul pro tertii constitutione. Secundo vt flamma est in humore, & calor viuentium in humore eorum, & tunc calor sumitur pro substantia ignea tamquam flamma, *Lud. Boccaf.* quæ ex humore reficiatur. Putauit Clarissimus Lud. Boccaf. in hac significatione hoc in loco vsurpari calorem, & esse in humore: at eius sententia non est vera, quoniam huiusmodi calor pro spiritu sumptus alimento egens, est proprius viuentium, non autem competit mixtis, vt mixta sunt, in quem errorem etiam labitur

labitur Remigius. Propterea dicamus, tertio modo calorem esse in humido, quatenus huiusmodi qualitas in constitutione Temperamenti obtinet locum terminantis, & formantis, humor vero materiam proximam constituit, quæ per calorem formatur, & terminatur, & ideo caloris illius interitum, sequitur humoris fluxus & dissolutio. Insuper Aristoteles offerens causam efficientem, dixit: Putredinem vt à causa principali fieri à calore ambientis, a frigore vero interno tamquam a causa secūdaria, comitante, & cooperante; at hoc est dubium, quia mixtum consimile non agit in se, vt dicitur in primo de ortu, & interitu, 78. quomodo igitur frigus Temperamenti mixti in sibi iunctum calorem agit? Respondeo, id accidere duobus modis, primo, quia frigus internum remittit calorem, ac ita reddit illum imbecilliorem, magisque aptum superari & vinci, hoc indicauit Aristoteles inquiens quare, quoniam ob inopiam patitur calidi, &c. Secundo id accidit, quia calor internus, vt proprius & naturalis, ab externo, patitur, & redditus non proprius & externus patitur, & repellitur etiam ab interno, & proprio frigore. At dubitatio non leuis est quid denotauerit Philosophus per calorem ambientis, nam ambiens est corpus, locatum continens, a cuius calore non videtur putredo omnis officii, tum quia locantis officium est conseruare, tum quia frequēter fit putredo per obstructionem, & a variis intus contentis, & præsertim a calore excrementorum, & insensilium haliruum, ex alimento interno prodeuntium. De hac difficultate satis probabiliter inquiunt nonnulli, Aristotelem per calorem ambientis denotasse calorem omnem, vt contradistinctum à proprio & naturali. Et hoc indicauit Galenus in secundo de differentiis febrium, cap. 9. inquiens: Recte putare videtur Aristoteles ab aliena caliditate oriri putredinem, vocat alienam, externam, non insitam neque natiuam in quocumque genere, &c. Et ita etiam id exposuit Remigius. Sed dubium est si Aristoteles tam fusa significatione vsus est voce externi caloris, cur eam contraxit & explicauit per calorem ambientis, inquiens: hic autem est qui ambientis: Præterea, id quod est ex accidenti non debet accipi in definitionibus, res putrescere ob prohibitam transpirationem & detentos halirus est ex accidenti. Præterea Aristoteles putredinem considerat, quæ naturali generationi opponitur, hæc autem est ea putredo, quæ mixtis per naturam, in fine sui æui, & in loco eis proprio apta est competere. Præterea, consueuit Aristoteles distinguere continens ab ingredientibus, vt patet ex 8. Physic. 51. vbi multos motus ait competere animalibus per continens, & peringredientia. Propterea non recedens a dictis in præcedentibus, dico putredinem esse ab vno, & Aristotelem definiuisse putredinem late sumptam, præsertim tamen inspexisse principaliorem, quæ secundum naturam est, & generationi mixti secundum naturam opponitur, ideo dixit omnem secundum naturam interitum, in hanc esse viam, & definiens dixit esse interitum ab alieno calore, quod verum est de omni putredine, addidit hanc autem esse qui ambientis, contrahens ad id quod est principale, per se, & ad principalem putredinem pertinet, adeo, vt definitio primo & præsertim sit principalioris putredinis, instituto seruientis, facultate autem, & per consequutionem sit putredinis vniuersè sumptæ.

Remigius

Dubitatio.

Alia dubitatio.

Solutio.

Galenus.

Dubitatio.

Solutio propria.

Cap. XV.

Dubia attinentia ad causam efficientem Putredinis.

APPARVIT quid denotauerit Philosophus nomine caloris alieni, & ambientis, at aduersus eius sententiamq; variæ emergunt difficultates. Primo dubitatur, quia nonnumquam putredines fiunt hiberno tempore, in aqua frigida, sub Polis, regnante frigore, & quoniam actiones ei tribuendæ sunt quod dominatur, huiusmodi putredines non ex calore, sed ex frigore prodibunt. Confirmatur: quia si frigus internum & proprium conducit pro putredine, & vna operatur, longe magis id efficiet frigus externum cum aduersetur Naturæ mixti. Præterea, cum interitus per se fiat à solo contrario, & agens per se agat solum in contrarium, vt dicitur in primo Physicorum, nō apparet quomodo possit fieri à simili, nam simile à simili conseruatur. Confirmatur: quia si putredo oritur ex calore ambientis, in Zona Torrida plurimæ deberent reperiri putredines, cum tamen longe secus se habeat. Demum non videtur rationi consonum affectionem eandem ex causis contrariis prodire, vt dicitur de putredine quod fiat à calore, & frigore, contraria enim se inuicem impediūnt. De hac difficultate inquiūt nonnulli, vt Vgo Bentius, Gentilis Forliuiensis & alii, duplex esse genus putredinis, vnum ex calore, alterum ex frigore prodiens, & aiunt Arist. in 4. Meteorum solum definiuisse genus primum ex calore prodiens, Auerroes in quarto Meteorūm cont. 8. putredinem ex frigore prodeuntem approbat inquiens: Id quod interit hieme per Putredinem, primo interit per congelationem & exsiccationem ob imperium frigoris in eam re, quando destruitur calor naturalis per calorem extraneum, &c. Dari modos varios quibus res putrescant profecto inficiari non valemus, at quod putredo omnis proxime non fiat à calore alieno, & quod Aristoteles non amplexus sit putredinem omnem, minime dicendum puto, ratio est, quia per putredinem mixta in sua principia resoluuntur, resolutio non fit à frigore, sed à solo calore, frigus enim cuncta nectit, secernere dissimilia, est officium caloris, ex secūdo de Ortu & interitu. Confirmatur: quia ex re putrescente prodeunt putridi halitus, qui non à frigore, sed à solo calore producuntur, frigus autem ambiens à putredine præseruat. Dicamus itaq; cum Aristotele & Galeno, putredinem omnem tamquam à causa proxima, per se, & principali, quæ per definitionem sit explicanda, fieri à calore alieno, a frigore autem, vel ex accidenti, vel secundario. Pro notitia considerandum, in interitu & putredine triplex posse considerari frigus, vnum antecedens, alterum comitans, tertium sequens: frigus sequens est id, quod remanet in re putrida, extincto calore, de quo Aristoteles in vigesimaquinta part. Probl. 19. dixit putrescentia reddi frigida; frigus comitans, est frigus mixti remittens calorem eius, & reddens illum imbecilliorem; frigus antecedens est frigus ambiens, congelans, quod per se, vt congelans nō efficit, sed repellit putredinem, vt etiam combustio est interitus sine putredine, ex accidenti tamen potest esse causa putredinis, quatenus per antiperistasim prohibens euentationem, vel condensando obstruens meatus, & impediens insensiles transpirationes, est causa, vt calor aliquis alienus intus congregetur, & vigeat, qui proprium & naturalem calorem suffocat & ita quamuis originaliter, & ex accidenti a frigore, proxime tamen & per se ab alieno calore fit putredo, & Arist. præsertim inspexit putredinem secundum naturam, simul tamen per consecutionem, & facultate, putrediné omnem definiuit.

Dubitatio de efficienti.

Solutio quorumdam.

Auerroes

Triplex frigus in putredine.

Et Auerroes in eo.com.8.nil aliud denotauit nisi id quod dixi, & propterea ad- *Auerroes*
debat putredinem sequentem congelationem fieri à calore. Ex dictis hanc elicio
rationem: Putredo vel fit à frigore, vel ab humore, vel à siccitate, vel à calore *Ratio.*
proprio, siue alieno, non a frigore, nisi modo explicato, non ab humore, quia est
principalis materia, non à siccitate, quæ etiam obtinet locum materiæ, & impedimento est putredini, non a proprio calore, qui pro viribus se conseruat, quare
fit à calore alieno. Ex his eliciuntur solutiones aduersarum rationum. Dicebatur, putredines fieri sub polis, & tempore hiberno, iam dixi quomodo fiãt à frigore. *Solutiones.* Addebatur contrarium per se, solum à suo contrario destrui. Respondeo,
id esse verum de actione prima contrariorum, non de sequente primam, de actione per quam contraria inuicem permutantur, non de ea per quam aliud tertium cõstituunt, vel resoluuntur, & demum de actione violenta, non de ea, quæ
est secundum naturam, per quam calor cum sibi familiari calore connectitur,
solum opponuntur per alienum, & non alienum, & per gradus. Instabatur, in
Zona Torrida plurimas debere fieri putredines. Respondeo, id non accidere,
tum quia corpora in ea regione sunt valde arida, redundante humore destituta,
tum insuper, quia nimius calor cum sicco iunctus, comburit & desiccat, quæ putredini aduersantur. Dicebatur postremo, idem non per se ex contrariis prodire. Respondeo, id esse verum ex contrariis eodem modo se habentib. & conspirantib. & de actione prima, non de sequente eam, calidum per se a calido, frigidum a frigido producitur, ut modo vario, & ordine aliquo, ad eiusdem productionem conspirare valent, ita mors & à frigore per congelationem, & a calore
per resolutionem inducitur; Putredo itaque primo a calore, consequenter à frigore valet produci.

Cap. XVI.

Dubia alia ad Putredinem attinentia.

Febrivm nonnullæ dicuntur putridæ ex humorum putredine prodeuntes, aliæ non putridæ, vt diaria ex spirituum incensione consurgens, & Ethica, quæ est consumptio quædam humoris partium hominis. De his variæ se offerunt difficultates. Et ordiens à Febrib. putridis, experientia patet, in principio earum, laborantes vt plurimum frigore affici, ab eoque turbari, quod non accideret si putredo a calore alieno ortum duceret. Insuper, cum in Febris putridæ accretione & statu vigeat calor, non apparet putredinem esse interitum caloris. Præterea, in Vlceribus frequenter reperitur putredo, & pus efficitur coctum, dominante proprio & naturali calore, quod non eueniret si putredo semper effici deberet per imperium alieni caloris. Insuper, putrescit sæpe pulmo, & pars aliqua interna corporis nostri, seruatis externis illæsis, quod non videretur posse accidere, si putredo semper fieret ab alieno calore. Ex aduerso considerando febres non putridas, apparet eis quoque competere definitionem putredinis, nam in omni febre proprius & naturalis calor à sua natura recedit, & redditur laboranti præter naturam, veluti in Ethica calor proprius in humido laborantis à sua natura recedit. Pro solutione consimilium difficultatum accipio primo id quod in præcedentibus patefeci, putredinem non esse corporis viuentis, vt viuens est, sed mixti consimilium partium, ideo in putrida febre non dicitur putrescere animal, vel Cor, sed humor aliquis. Insuper accipio febrem habere quadruplex subiectum, vnum originale, & est humor putrescens, alterum formale,

Dubitatio de febre putrida.

De febre non putrida.

Solutio.

Putredo non viuentis.

Quadruplex subiectum febris.

& est spiritus qui incenditur, tertium, quod est fundamentum spirituum, nempe Cor, quartum adęquatum, & est vniuersum animal, hæc modo vario dici possunt subiectum febris. Addo tertio, iu febre considerari hunc ordinem. Primo actionem inter humorem, & alterantia illum, secundo, ebullitionem humoris, tertio, connexionem caloris cum spiritibus cordis, quarto coctionem humoris aduersi, quinto secretionem excrementorum, & humoris, vel per quale, vel per quantum pugnantis. Nam primo per varia excitari potest humor, qui cum sit frigidus, vt pituita, & bilis atra, frigore afficiunt animal, secundo per calorem illi humori alienum, incipit humor ebullire, & tunc viget calor, qui tertio communicatur, cum spiritibus Cordis, & pugna oritur inter dispositionem naturalem vitalis caloris, & dispositionem præter naturam humoris, & dum calor vitalis & dispositio secundum naturam dominatur, humor aduersus coquitur, secernitur, & reiicitur. Accipio quarto, in febriente triplicem considerari calorem, vnum proptium Temperamenti humoris, cuius subiectum est humor, alterum alienum ab humore, in halitibus, & ambientibus humorem, vel cum eo mixtis positum, tertium vitalem, qui proprius est animalis, per calorem secundum incenduntur humores, & redditur calor proprius eorum præter naturam, per quam dispositionem incenditur calor vitalis, & incensio effunditur per vniuersum corpus, in qua incensione posita est natura, & conditio febris. Addo quinto, hanc morbificam putredinem potius esse putredinem secundum partem, quam absolutam, nec eam esse quam præsertim considerauit Philosophus, vt dixi in præcedentibus. Sexto loco loquēdo de febre Diaria, dico, iure eam non dici putridam, quia collocata est in spiritibus, qui incenduntur, magisque redduntur ignei, incensio autem non est putredo, possunt spiritus reddi putridi cum antecedente aliqua humectatione, & incrassatione, at eorum incensio longe abest a putredine, posse autem spiritus vario modo infici, & alterari, indicant veneficæ aniculæ, & laborantes morbo Gallico, vel alio contagioso morbo. Similiter, febris Ethica non dicitur putrida, quia est consumptio proprii humoris viuentis per calorem præter naturam, vt per flammam consumitur oleum, quæ consumptio longe abest à putredine, vt recte etiam declarauit Auerroes in tertio suarum Collectionum cap. quarto. Ex his eliciūtur solutiones propositarum difficultatum, nam apparet cur in principio quarundam febrium vigeat frigus, & cur in accretione crescat calor. Addebatur in vlceribus fieri pus a calore proprio, & naturali: Cui difficultati respondens, dico, in pure duo considerari, primo putredinem portionis humoris, quam dico fieri a calore præter naturam illius humoris, secundo coctionem eius pro secretione & expulsione, quam assero pendere ex imperio proprii & naturalis caloris, hinc recte Galenus in tertio Artis medendi, & in lib. præsagiorum inquit, in Apostemate non vnam, sed multiplicem reperiri transmutationem. Nec est absurdum nonnumquam putrescere partem internam, sine externarum læsione, id enim accidere potest, & ob prohibitam eius partis transpirationem, & ob excrementa in eam partem fluentia, & ob varia, quæ eam partem sint apta lædere, non aliàs. De febre Diaria & Ethica quid sit dicendum, iam apparuit.

Ordo in febre. — *Triplex calor.* — *Febris diaria.* — *Febris Ethica.* — *Solutiones.* — *Galenus.*

CAP. XVII.

Difficultates aliæ ad definitionem Putredinis pertinentes.

Dubitatio.

EX putredine tamquam hydra, vno inciso difficultatum capite, noua continenter renascuntur. Nam putare posset aliquis definitionem eius etiam

combu-

embustioni, assationi, & elixationi competere, omnes enim hæ permutationes competunt mixtis, & fiunt a calore ambientis destruente calorem proprium eorum in humido existentem. Cui difficultati respondens, nego definitionem his competere, nam combustio fit a calore vehementi & sicco, putredo a calore potius humido, combustio primo refertur ad humorem, illumque consumit, putredo vero ad calorem, cuius interitum sequitur humoris effusio; Combustioni in parte similis est febris Ethica; Loquendo de assatione, & elixatione, eis quoque definitio non competit, primo, quia coctio non est interitus proprii caloris, sed perfectio, vt patet ex eius definitione. Insuper, humor proprius per coctionem non priuatur termino, & effunditur, sed a proprio calore exactus terminatur, & solum aliquid alieni humoris consumitur. At insuper dubitatur, quia Aristoteles dixit ad efficiendam putredinem, vna cum externo calore, conspirare frigus proprium, quod apprime est dubium, frigus enim proprium præseruat à putredine, adeo vt congelata non putrescant, & si de aliquo frigore debuisset Aristoteles mentionem facere, potius de externo eam facere debuisset, cum ab eo calor proprius, tamquam a contrario extinguatur. Respondeo, a frigore externo calorem interimi violentia, non secundum naturam putredo autem dicitur interitus secundum naturam. Insuper a frigore externo fit congelatio, non putredo, frigus internum si vehemens fuerit, & congelet, pręseruat a putredine, vt patet de Metallis, at quatenus remittit calorem proprium, reddendo illum imbecilliorem, conducit pro putredine, & præsertim dum fuerit frigus ex senio prodiens, quod modo aliquo est præter naturam, hinc senes facile in putredines labuntur. Sed adhuc dubitatur, quia sententia est Aristotelis in primo de Cœlo 100. vnicuiq; proprium æuum, vitæque mensuram esse tributam, cuius terminos per naturam egredi non licet: quare si mixtum aliquod alicubi esset collocatum, vbi calor ambientis non vigeret, adhuc sine alieno calore ad interitum tenderet, qui interitus si fuerit mixti, quia maxime est secundum naturam, putredo erit, quæ tamen ab alieno calore non fieret. Respondeo, mixta omnino consimilia, quæ secundum partes modo aliquo dissimiles in se non agant minime reperiri, vt etiam non reperiuntur Elementa pura. Similiter nullibi possunt sub Lunæ orbe poni, vbi aliquid contrarii non eis occurrat, & ita semper ab aliquo ducuntur ad interitum. Ea tamen sententia, vnicuique præfixum esse terminum sui æui, non ita debet intelligi, vt remoto per imaginationem omni corrumpente, id tendat ad finem & interitum, sed quod vnumquodque ita per naturam constitutum sit, vt in loco proprio in quo præsertim aptum est seruari, & pugnantibus obsistere valeat, id per huiusmodi definitum tempus efficere, & cum intereat interitus erit varius, ratione varietatis modi, & corrumpentium; hinc Aristoteles in octauo Physicorum septuagesimo octauo, ait corpus quo fuerit maius, eo diutius seruari, & mouere, quia diutius valet corrumpenti obsistere. Hanc resolutionem conspicue elicere valemus ex verbis ab Aristotele sub initio libri de longitudine, & breuitate vitæ prolatis, quæ huiusmodi sunt: Dubitauerat an inueniri possit locus in quo corpora Physica ab interitu immunia seruari valeant, soluens inquit? An hoc ita quidem verum est ita autem minime, fieri enim nequit materiatum carere contrario, si igitur dum simul fuerint efficiens, & patiens, hoc semper agit, id semper patitur, fieri non potest vt non permutentur, insuper necesse est excrementa eiicere, ea autem sunt contraria, cum prodeant, ex contrario, a quo fit permutatio, si autem reiiciatur omne quod actu cōtrarium est, id quod remanet erit incorruptibile? an non, sed ab ambienti corrumpitur;

Solutio. *De assatione & elixatione.* *An frigus proprium conducat.* *Solutio.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Aristot.*

duat, remq; putrescentem reddat humidam, & mollem, quo humore consumpto, quinto superest terrea portio, & puluis, & tunc, vt ait Virgilius, putris se glebare soluit. Rem putrescentem debere primo excalefieri, mox frigidam reddi conspicue dicitur ab Aristotele vigesimaquinta parte, Problemate decimonono, ostendente ignem non putrescere, quia nō potest magis excalefieri, nec potest reddi frigidus. Ex his elicio primo, in putredine calorem externum non primo agere in humorem proprium, cum sit humidus, sed primo familiariter necti cum interno calore. Elicio secundo, mixtum consimile habere internum principium sui interitus, nempe frigus, id tamen non esse principium principale, sed operans vna, cum principali, & externo. Ex his patent attinentia ad primū signum ab Arist. relatum. At ex dictis emergunt quatuor dubia. Primum est, quia actio vnius caloris, non in calorem alterum est referenda, sed in humorem, ex quo alitur, vt dum maior flāmma in minorem agit cōsumendo, & trahendo ad se humorem eius. Praeterea, apparuit in praecedentibus viuentia non putrescere, sed mori, putredinem autem competere mixtis consimilibus, at Aristotel. putredinem videtur referre ad viuentia, cum dicat, & alliciens humorem nō amplius adest, alliciens autem humorem, est calor viuentium, quo alimentum trahitur, & coquitur. Tertia dubitatio est, quia inquit Philosophus, putrescentia verti in fimum, at fimus est calidus, & humorem coctum includit, propterea calefacit agros, & nutrit plantas. Demum dubitatur, quomodo id intelligi debeat, quod calor alliciat humorem. De prima difficultate dico, dum calor siccitati fuerit iunctus, vt igneus, praesertim in humidum agit, quo nutritur, & ita assat, & desiccat: at iunctus humori, vt aereus, quia humore non eget, familiariter nectitur cum calido humido mixti, quod praesertim accidit in putredine, & ob id putredo à combustione distinguitur: hinc Arist. dixit exeunte naturali calore, simul euaporat naturale humidum, indicādo id quod dixi, & propterea minus recte nonnulli aiunt, in putredine externū calorem primo agere in humidum, & primum quod exit esse humidum, & vnà cum eo euaporare calorem, vt Vicomercatus, & Olympiodorus, nam hoc verum est in combustione; dum calor cum sicco iunctus fuerit, & per hoc soluitur controuersia in Aristot. quia aliquando ait, calorem externum agere primo in humorem, & humorem primo: exire aliquando primo in calorem, & cum eo familiariter necti, & exeuntem calorem sequi humorem, vt hoc in loco. Dubitatur secundo, quia Aristot. videtur putredinem referre ad interitum viuentis. respondeo, interitum viuentis esse viam in putredines varias partium, & maximè propriè ea putrescunt, quae prius fuerunt partes viuentium, vt carnes, & Arist. hanc principalem inspexit: nam in cadauere non adest calor alliciens humorem, ideo redditur aridum, & in puluerem vertitur. De caeteris mixtis id eatenus verum est, quatenus in omnibus calor humorem format, eique terminum imponit, quo consumpto, cum non adsit calor alliciens, vt in viuente, superest terra & puluis. Tertia dubitatio erat de fimo, qui est calidus & humidus, respondeo, in fimo reperiri calorem & humorem non proprium rei, quae putruit, sed eius, in quod res putrida conuersa est, per coctionem factam à calore putrido, at demum fimus resoluto eo humore calido in puluerem vertitur. Quomodo autem calor alliciat humorem, de quo postremo dubitabam, satis patet, nam calor viuentium humore alitur, eoque vt fundamento nititur: hinc trahit humorem tanquam alimentum, vt flāmma maior ad se trahit minorem, attrahendo humorem eius, eamq; consumit consumendo humorem.

Arist.

Primum quod elicitur.

2.

Prima dubitat.

2.

3.

4.

Solutio 1.

Controuersia in Arist. soluitur.

Solut. 2.

3.

CAP. XIX.

Explicatio secundæ Confirmationis.

Cont. ET in frigoribus minus putrent, quàm in æstu, hyberno enim tempore exiguus calor repetitur in ambiente aere, & aqua, quare nil valet, æstate autem est amplior.

Expositio. Hoc secundo signo confirmat Arist. putredinem fieri à calore ambientis, nam ea iudicanda est causa putredinis, qua crescente, crescit putredo, decrescente decrescit, & dempta demitur, huiusmodi autem est calor ambientis; & animaduertendum, quod Arist. comparat tempus æstiuum cum hyberno, ita varia cōparari possunt, quæ consimilium sint qualitatum, veluti dicimus per ventum Boream frigidum & siccum res à putredine præseruari incolumes, ab Austro vero calido & humido putrefieri, simili ratione æstiuo tempore carnes in puteis & antris terræ seruantur sine putredine, hyberno contra in eis citius putrescunt; Insuper, in locis maritimis, & conuallibus, æstiuo tempore facile res putrescunt, quoniam in eis viget calor humori iunctus, in montibus vero & locis vento agitatis diutius seruantur, similiter si regiones terræ inuicem comparantur, dicimus in calidis & siccis fieri combustiones, in calidis & humidis putredines, in frigidis & humidis minus res putrescere, minime autem in frigidis & siccis. Sed quatuor se offerunt diluendæ difficultates. *Prima dubitat.* Prima est, si per calorem ambientis res putrescunt, cur poma & fructus, vt præseruentur à putredine, exponuntur soli, & carnes fumo: Insuper, cur in vrbibus vt liberentur à putredine, & peste, incenduntur ignes, comburuntur iuniperi, pini, & oppida ignium 2. multitudine redduntur salubriora? 3. Tertio experientia aduersatur sententiæ Aristot. inspicimus enim hyberno tempore frequentiores esse febres putridas, quàm æstiuo, & tempore autumni, recedente à nostro vertice Sole, plurimę apparent putredines, decidunt folia plantarum, quæ putrescunt, similiter multæ herbæ putrescere inspiciuntur: imò hyems, & senium sibi mutuo respondent, 4. senium autem est via in putredinem. Quarto sub æquatore in Zona quę dicitur Torrida, plures putredines fiunt hyberno, quàm æstiuo tempore, nam tempore æstiuo fiunt combustiones potius, quàm putredines. Similiter Aristoteles 22. part. Problem. 13. ait paleas calefacientes maturare fructus, & calorem eorum *Solutio 1. & 2.* perficere, non autem destruere, & putrefacere. De prima difficultate dico, humorem matrem esse putredinis, & vt dixit Galenus, sine humore nulla fit putredo, dum enim humor præualet calori proprio terminanti, res putrescunt, & ob id calor siccus, consumens redundantem humorem, præseruat à putredine, res purgat, & seruat, & præsertim flamma iuniperi, & plantarum odore sicco 3. fragrantium; Ex quo patet solutio etiam secundæ difficultatis. De tertia difficultate quia hyberno tempore frequentes sunt febres putridæ, dico id accidere ex accidenti, ob antiperistasim, ob copiam alieni humoris, ob constipationes & obstructiones à frigore, à cibis crassioribus & humoribus factas, regulæ autem intelligi debent per se; Addebatur tempore autumni, & in principio hyemis recedente sole plurimas fieri putredines, respondeo id accidere ob extinctionem caloris plantarum à frigore, quæ priuatæ vita, putrescunt, & folia cadunt, pro quorum putredine etiam conducit redundans humor, æstiuo autem tempore, folia à calore sicco desiccantur, & arida redduntur. Dicebatur senium & hyemem sibi mutuo respondere: respondeo, in senio vt in hyeme apparere putredines ob copiam redundantium humorum, & imbecillitatem proprij caloris

senum,

senum, & si mense Martio plurimi senes pereant, id accidit, quia eorum corpora per hyemem antecedentem plurimis humoribus repleta fuerunt, qui accedente Sole incipiunt solui, & ob id imbecillitatem proprij caloris non possunt vinci, coqui, resolui, & expelli, ex quo pendet suffocatio caloris proprij, mors, & putredo. Postrema dubitatio erat, quia in Zona torrida æstiuo tempore pauciores fiunt putredines, quàm hyberno. Respondeo, id accidere, quia calor est siccus, & ob id combustiones potius efficit æstiuo tempore, quàm putredines, hyberno autem tempore in ea regione etiam plurimum caloris viget magis innctum cum humido, ideo magis est causa putredinis, sententia Aristotelis debet intelligi in regione temperata, considerata varietate solum in calido, & frigido. Addebatur instantia ex Problem. 13. parte vigesima secunda, in quo ait Philosophus, cur Paleæ fructus duros emolliant, & maturant, mites autem & concoctos non putrefaciunt, an quod palea calida attrahens est, ideo suo calore coquit, & facultate sua attrahendi, saniem omnem reuocat, atque imputridos seruat: externus itaque calor, dum redundantes humores trahit, & calorem proprium non interimit, sed fouet, non putredinis, sed conseruationis est causa. *De Zona torrida.*

Cap. XX.

Explicatio tertiæ, & quartæ Confirmationis.

"ET neque quod conglaciauit, magis enim frigidum est, quàm aer calidus, idcirco non vincitur, id autem quod mouet vincit. Neq; feruens, vel calidum, minor enim est, qui in aere calor eo qui in re est, quare non dominatur, neque facit mutationem vllam." *Tex. 10.*

Affert Philosophus his verbis tertiam, & quartam cõprobationem, quod putredo fiat ab externo calore, nam ea definitio est approbanda, per quam assignatur ratio competentium definito, hoc autem fit per traditam putredinis definitionem, cum enim experientia constet congelata non putrescere, huius ratio ex definitione elicitur, id enim accidit, quia putredo dicta est fieri à calore ambientis, qui cum sit remissior frigore glaciei, non valet id superare; quod congelatum est, & ob id non valet id calefacere, & calorem proprium eius vna cum humore in halitus vertere, hinc metalla, & glacies vel non putrescunt, vel summa cum difficultate, & per varias permutationes. Similiter ex eadem definitione elicitur, feruentia, & valde calida, iure optimo non videri putrescere, vt carbones, calcem, sulphur, aromatica, & similia, nam actio cum intercit ꝛ oppositi, exposcit imperium agentis, aer autem nobis proximus, nos ambiens, imbecillior est calore interno, & proprio eorum. Inquit Philosophus, id quod mouet vincit: insuper ait, id quod non dominatur, nullam efficere mutationem, quæ sententia ei aduersari videtur, quæ profertur in tertio Physicor. & in primo de ortu & interitu, quod omne agens agendo repatitur. Insuper Aristot. videtur secum pugnare, quia prius dixerat putredinem esse contrarium commune ortui mixtorum, nunc vero negat competere congelatis, & valde calidis. Tertia dubitatio est, quia contrariorum si vnum impedit, alterum prodesse videtur, at Arist. & frigus, & calorem ait obsistere putredini. Confirmatur dubitatio: quia in efficienda putredine calor externus agit non in frigus, sed in internum calorem, modo in præcedentibus explicato, dum frigus internum fuerit vehementius, calor erit imbecillior, & ita facillimè superabitur, & cum externo calore conne- *Expositio.* *Dubita. 1.* 2. 3.

ctetur; hinc Aristot. in præcedentibus dixit frigus internum conducere pro putredine. Demum dubitatur, quia Aristot. referens impedientia putredinem, videtur diminutus: nam præter exuperantiam caloris & frigoris, etiam siccitas obsistit putredini, similiter durities, hinc ossa non videntur putrescere. Ideo Galenus 11. de simplicium medicamentorum facultatibus dixit: quibus corpus solidum, & compactum est, ea nequeunt putrescere. De prima difficultate exacte verba feci in lib. de actione & passione, ideo nunc breuissime dico, aliud esse repati, aliud moueri, vinci & superari. etiam formica agit in columnam, quamuis illam nec moueat, nec superet, omne agens repatitur, sed non omne superatur, adeo vt sequatur interitus, de quo modo loquitur Philosophus. De secunda difficultate, quia putredo non erit commune contrarium generationis mixtorum, nec erunt apta omnia mixta secundum naturam interire, iam in præcedentibus verba feci, nam omnia mixta vt eorum humor calore terminatur, sunt apta putrescere, quamuis ob alia impediri possit huiusmodi putredo, vel saltem nō possit fieri nisi cum difficultate, & per varias permutationes. Erat tertia dubitatio, quia non videtur, si vnum contrariorum impedit putredinem, quod aliud quoque id faciat. respondeo, cum putredo fiat à calore humido, non vehementer operante, ab excellentia oppositorum potest impediri, omnes enim exuperantiæ mediocritatem euertunt, id tamen efficiunt modo vario, calor impedit, si fuerit siccus, at iunctus cum humido, id non facit, ideo sanguis cum sit calidus & humidus, facile putrescit, similiter frigus iunctum cum sicco, reiicit putredinem, non autem id facit frigus iunctum cum humore, nam pituita frigida, & humida facile putrescit. Insuper, frigus externum ambientis putredines minuit, minuendo vires externi caloris, frigus internum secundum naturam, impedit putredinem, impediendo actionem externi caloris, frigus vero internum præter naturam, si fuerit vehemens, & congelans, impedit, vt mediocre minuendo calorem proprium auget putredines. Instabatur postremo, quia Arist. dinumerans impedientia putredinem, videtur diminutus. Respondeo, ei fuisse satis illas referre, quæ patefacerent putredinem fieri à calore ambientis, de cæteris sat est, vt ex principiis eius eliciantur rationes, nam dura non putrescunt, vel quia sunt congelata, vt metalla; vel quia sicca vt ossa, vel quia humor à calore efficacissime terminatur, sicca non putrescunt, quia putredo est interitus caloris in humido. Auerroes in comm. 10. præsentis contextus nonnulla dicit de actione, & qualitatibus Elementorum, quæ cum alibi à me sint considerata, modo missa fiunt.

Galenus. *Solutio 1.* 4. 2. 3. 4.

Cap. XXI.

Explicatio quintæ Confirmationis.

Cont. „ SIMILI modo quod mouetur, & fluit, minime putrescit, eo quod non mo„ uetur, imbecillior namque fit motus à calore, qui in aere est, quàm ille sit, qui „ rei prius inest, quare nullam facit mutationem.

Expositio. Quintum hoc signum, quod putredo fiat à calore ambientis, sumitur ex motu rei, experientia enim constat minus putrescere ea, quæ mouentur, quàm ea, quę quiescunt, ratio petitur ex definitione putredinis, cum enim fiat à calore ambientis, alterantis, quia alteratio est motus, & omnis motus fit in tempore, ideo si corpus citius mouetur, quàm ab ambiente valeat alterari, liberatur à putredine, motus enim velocior tardiorem pręuenit & impedit; Considerandum, quod motus potest pręseruare mobile à putredine ob quatuor causas, prima est,

quia

quia mota minus subijciuntur actioni externi alterantis: secunda, quia, vt ait Auerroes per motum calor proprius excitatur, perficitur, purgatur, & seruatur. Tertia, quia per motum remouentur obstructiones, suffocantes, consumuntur humores redundantes, & varia excrementa secernuntur, sic aquæ fluentes seruantur puriores. Quarta, quia per motum & agitationem partes mobilis inuicem magis miscentur, nec tam facile ab inuicem secernuntur, ideo vtile est aliquando permiscere vina baculo, dum incipiunt putrescere, vt inquit Albertus, quod præsertim est verum de vino, cum quo aqua fuerit permixta, vt fit Patauij. Ex aduerso tamen, motus nonnunquam ex accidenti valet inducere putredinem, dum motus fuerit nimius, adeo vt internũ calorem incendat, & reddat alienum: sic nimio exercitio iuuenes nonnunquam incidunt in febres putridas, præsertim tamen motus putredinem repellit, ob id aquæ stagnantes dicuntur mortuæ, & facile putrescentes, fluentes vero viuæ, & sinceriores. Inquit Olympiodorus, aquam fluentem includere aliquid ingeniti caloris, fluendi enim cõditionem recipit à calore, vt à frigore congelationem, aquæ autem stagnantes calorem illum habent languentem, imbecillem, & pene extinctum. Hoc quoque verum est de aere, qui in antris & cauitatibus inclusus incrassatur & putrefit. Similiter terra in montibus, vento agitata, non putrefit in conuallibus, antris, & prope paludes mucore afficitur, & putrefit. Idipsum cõtingere de plantis compertum est: nam ortæ in collibus, seruantur diutius à putredine incolumes, & fructus pariunt consimiles, homines quoque per exercitium congruens: minus putredini succumbunt, quàm degentes in otio, & vmbra. Ideo Arist. 14. parr. Prob. 9. inquit: qui loca edita colunt, tardius senescunt; quia senectus est quædam putredo, putrefit autem quod quiescit, nullo vero modo, aut minus, quod mouetur, &c. At duo occurrunt dubia: primum est, quia verum non videtur, aquam per fluxum seruare calorem suum, aquæ enim fluentes videntur frigidiores quiescentibus. Altera dubitatio est, quia Arist. par. 22. Prob 4. inquit: cur fructus arborũ, carnes, & cætera id genus vtribus vehementer inflatis inclusa, valent sine interitu seruari, nec minus quę accuratissime obturata vndique fuerint. An quoniam interire omnia solent, cum mouentur, quæ autem plena sunt, immota seruantur, & ea quæ ita sunt inclusa, pleno vndique internallo constant, ideo sine interitu seruari valent, eandem sententiam repetit part. 25. Prob. 12. De prima difficultate inquit Alexander 3. Nat. qq. cap. 14. motus auget innatam cuiusque caliditatem, excitans eam, & accendens, quo loquendi modo indicat non omnem motum, nec in quolibet mobili efficere calorem, sed in eo tantum, quod calore innato & proprio est præditum: hinc ait motum calefacere excitando proprium calorem. Similiter Aristot. 25. part. Prob. 18. inquit, motus trahere potest frigus, cuius indicium est, quia calida dum mouentur, refrigerantur. Ex his patet, ob varietatem mobilium hæc tria vera esse, motus calefacit, nempe mobilia prædita insito calore, excitando illum, vt patet de Animalibus. Insuper motus refrigerat, nimirum ea mobilia, quæ calorem alienum includunt, vt aqua calida per motum refrigeratur, quia secernuntur facilius ab ea halitus calidi. Tertium est, motus nec refrigerat, nec calefacit ea corpora, quæ cum proprij, tum alieni caloris sunt expertia, potius tamen per quandam consecutionem calefacit, quatenus attenuat, rarefacit, leuificat, quas affectiones comitatur calor potius quàm frigus. Altera dubitatio obscurior est, nam ex vna parte dicebatur motum auferre, ex altera afferre putredinem: Petrus Aponēsis inquit motum esse duplicem, vnum secundum locum & ex se, vt Animalium; alterũ cum alteratione & ab alio, quæ

Motus quomodo praseruat à putredine.

Olympio.

Arist.

Prima dubitat.

2.

Solutio 1.

2.

Petr. Aponensis.

primo motu mouentur, ob excitationem proprij caloris, potẽtius resistunt putredini, & de his sermo est hoc in loco, quæ vero non sunt nata ex se moueri, vt carnes, & poma, vt mouentur ab alio, ita alterantur, & putrescunt. Hæc solutio non caret difficultate, quoniam etiã motus ab alio factus, vt vini, aquæ, aeris, & similium, præseruat à putredine. Insuper etiam animalia, vt homines, dum deferuntur vel curru, vel equo, vel naui, per motum illum præseruari dicuntur à putredine, veluti vice versa per varietatem aeris & ventorum facile læduntur, alterantur, & incidunt in putredines. Demum hoc patet ex verbis Arist. hoc in loco, nam ait simili modo quod mouetur, & fluit, minime putrescit, fluere autem non est viuentium: & addens causam, ait: imbecillior namque fit motus ab eo, qui in aere est calore, quam ille fit, qui rei prius inerat, &c. hæc autem ratio cõsimilem de omnibus vim habet, vt conspicuum est. Propterea, dicamus motum præsertim & ratione propria præseruare à putredine, ob causas à me relatas, ex accidenti autem ratione permutationis ambientes, magis apti alterare, esse causam putredinis. Nec est absurdum opposita vario modo ad idem cõducere, vt etiam summus calor, & summum frigus putredinem arcere dicebantur, & hæc solutio consona est rationibus, quæ afferuntur ab Aristotele.

Dubitatio.

Solutio propria.

CAP. XXII.

Explicatur sexta confirmatio.

" SIMILI quoque ratione, multum minus putrescit exiguo, in ampliori enim
" ignis proprius amplior, & frigus inest, adeo vt vires ambientis superet. Ideo
" mare in partes diuisum cito putrescit, vniuersum vero minime. Similiter aliæ
" aquæ.

Sexta confirmatio putredinem fieri à calore ambientis, sumitur ex eo, quia experientia constat, multum minus putrescere pauco, quia plus includit caloris proprij, & ob id magis externo calori valet obsistere, hinc dicimus diuisionem minuere vires, & esse viam ad interitum, & Aristoteles in calce 8. Phys. ait, in maiori corpore maiorem esse virtutem, est enim maior virtus non in gradu, sed in extensione, ideo potentius agit, quia partes conspirant ad agendum. Quatuor se offerunt difficultates diluendæ. Prima est, quia dum eadem seruatur ratio agentis ad patiens, eadem seruatur actio ex illis prodiens, at eadem est ratio partis ambientis, ad partem, quæ totius ambientis ad totum putrescibile, igitur non magis, & prius putrescet portio, quam totum. Secundo videtur Aristoteles secum pugnare, in præcedentibus dixit proprium frigus conducere pro putredine, nunc ait maius frigus magis præseruare ab ea. Tertio sententia Aristotelis aduersatur experientiæ, nam dum volumus res cito putrescere, vt frumentum, vuam, & alia similia, ea accumulamus, & coaceruamus, contra vero dum cupimus non putrescere, secamus in partes, & extendimus. Demum videtur falsum, mare & eius partes putrescere, salsa enim & amara non putrescunt. De prima difficultate dico minime seruari eandem rationem, quia diuiditur quidem putrescibile, at aer ambiens iunctus remanet, & quãmuis maius corpus, à maiori aeris superficie, minus vero à minori, contineatur, aer tamen iunctus est, & partes iunctæ cõspirant ad efficiendum. Præterea, per diuisionem rei putrescibilis, minuitur vis eius, & ambiens proximius hæret internis partibus. Secunda dubitatio iam est soluta in explicatione tertij signi. Tertia dubitatio erat, quia diuisio in partes præseruat sæpe à putredine, soluitur per tria fundamenta. Primũ est, sen-

Prima dubitat.

2.

3.

4.

Solutio 1.

2.

3.

tentiam Aristotelis debere intelligi de corpore vno consimili & continuo, diuiso in partes, vel non diuiso, ideo dedit exemplum de aqua maris: non sic se habent grana, & poma, quæ per cumulum priuantur congruente transpiratione. Alterum fundamentum est, quia sententia Aristotelis est vera per se, falsa autem ex accidenti, nam corpora non diuisa sunt maioris virtutis, ideo diutius seruátur, accidere tamen potest, vt per diuisionem humor redundans facilius desiccetur, & ob id minuatur putredo. Tertium fundamentum est, sententiam Aristotelis esse veram de corpore secundum propriam naturam disposito, non de cadaueribus, nam in cadauere cœpit dominari externus calor, qui euentatione minuitur. Postrema dubitatio erat de aqua salsa & amara, quæ non videtur posse putrescere. Cui respondendum, eam quodque diuisam in partes posse putrefieri, vel putredine secundum partem, vel absoluta, nam includit aqua maris calorem quendam proprium, qui vinci potest, & est mare aqua valde permista, & quamuis salsa, & amara ægre putrescant, tamen per varias permistiones & alterationes ea quoque sunt apta putrescere, vt docet experientia; hinc in mari plurima ex putri gignuntur. Per hæc signa conspicue patefecit Aristoteles, se dedisse definitionem, quæ & putredini absolute, & putredini in parte conueniret, cum de vtrisque dederit exempla. Hæc autem signa ita in ordinem redigi possent. Nam prohibentia putredinem, vel pertinēt ad ambiens, vel ad patiens, si ad ambiens, oritur signum sumptum ex frigore ambientis, si ad patiens, vel prohibet excessu caloris, vel frigoris, vel motu, vel partium vnitione, & prodeunt signa reliqua, quæ vel magis vel minus putredini obsistunt.

Cap. XXIII.

Explicatio septima Comprobationis.

ET animalia nascuntur in his, quæ putrescunt, propterea quod qui naturalis est calor, secretus, ea quæ excreta sunt, cogat. Quid igitur ortus est, & quid interitus, dictum est. *Cont.*

Inducitur hic contextus à variis vario modo, sed quoniam id parum refert, & de sententia tenemur esse soliciti, ideo cæteris silentio decursis, existimo hoc esse signum septimum ad comprobandum putredinem fieri à calore, & esse interitum proprij caloris. Nam in putrescentibus nascuntur animalia, vt in carnibus vermes, in fimo vmblici, ex putrido aere muscę, ex cadaueribus vaccarum & taurorum apes, ex iliis equorum vespæ, & sic de cæteris. Modus autem generationis eorum elicitur ex definitione putredinis. Nam calor naturalis rerum putrescentium per externum calorem auctus, & redditus alienus, iunctusque cum tenui humido euaporante, se habet tanquam spiritus seminum, eique proportione respondet: hinc coquendo cogit, & terminat ea, quæ secreta sunt, hoc est humorem crassiorem, qui in re putrida non terminatus, à proprio calore fluebat, adeo, vt putredo rei antecedentis in secretionem eius desinat, & inde principium recipiat concretio & generatio vermium. Attinentia ad putredinem varia sunt, scitu digna, satisque obscura, adeo, vt paucis explicari nequeant, propterea distincto sermone, sumpto alio principio, de eis mihi agendum proposui. *Expositio.*

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Ortis ex Putri,

LIBER VNVS.

CAP. I.

Proponitur agendum de ortis ex Putri, explicatur ordo seruandus, & referuntur communes quædam conditiones eorum.



ENITA ex Putri, quamuis ex se vilia sint, & obscura, ob admirabilem tamen in eis gignendis naturæ artem, eximiumque generationis, & latentem modum, digna sunt, vt ab animo sapientiæ cupido accurate considerentur, & præsertim, quia ex generationis eorum consideratione, in notitiam huius veritatis eleuamur, quod Cœli, ex quibus vitæ portionem aliquam hauriunt, anima, & vita præditi sint. De his autem ex sententia Aristotelis ego verba facturus, referam primo communia nonnulla, ortis ex Putri competentia, mox pro eorum distincta explicatione, progrediar per omne genus causæ, vt in quolibet genere causam propriam eorum patefaciam. Tertio dubia varia proponam, pertinentia ad genita ex Putri. A primo itaque ordiens. Animalia orta ex putri, vt ex vilibus principiis proximis prodeunt, ita vilia & imperfecta sunt, vt vermes, & animalia nonnulla, quæ cum incisuris quibusdam vndique sint prædita, insecta, hoc est, valde secta dicuntur, & munere earum ad omnem differentiam positionis valent facile verti. Insuper hæc animalia sunt temperamento satis frigida, & plurima eorum hyberno tempore moriuntur, cum enim caloris initium recipiant ex spiritu putri, & imperfecto, etiam cum diminutione, & imperfectione id includunt & seruant. Præterea, ob eandem causam sunt breuis vitæ, ex debili enim principio non valet opus prodire, insigni robore munitum. Insuper, magna ex parte sunt deprauatum alimentum, & facile aptum putrescere, vt fungi, hinc magna ex parte non comeduntur ab hominibus. Præterea sæpe veneni aliquid insitum habent, ob deprauatos & putridos spiritus, ex quibus oriuntur, vt scorpiones, vespæ, zinzalæ maiores, crabrones, & similia, quæ aculeis sunt munita infectis veneno, aduersis temperamento hominis, & non mediocriter lædentibus. Vt pertinet ad eorum formam, ea est anima, humilis tamen & exiguæ perfectionis, Elementa non dicuntur gigni ex putri, sed solum mixta per putredinem dicuntur in ea resolui, similiter mixta inanima, vt metalla & lapides, non dicuntur gigni ex putri, quoniam principium genitorum ex putri, est calor in spiritu rei putrescentis inclusus, qui proportione respondet calori, & spiritui seminum, quo viuentia gignuntur, quoniam est calor quidam non temperamenti corporis, sed potius temperamento per spiritus superinfusus,

Ordo seruandus. — *Orta ex putri.* — *Vilia.* — *Frigida.* — *Vita breuis.* — *Deprauati alimenti.* — *Veneni aliquid sæpe includunt.*

infusus, vt calor vitalis animalium, qui calor solis viuentib. competit. Hinc iure Aristoteles in calce cap. de Putredine dixit, in his quę putrescunt animalia gigni, non autem de aliis mentionem fecit, si autem ex vlceribus elicitur pus, & sanies, ea non dicitur aliquid ex putri ortum, sed humor putridus, vel excrementum putredinis coctum, vel non coctum, vt etiam vrina & feces animalium excrementa sunt. Ex his itaque vniuersè patet quid de conditione & forma genitorum ex Putri sit dicendum.

CAP. II.

De materia genitorum ex Putri.

HVMILI formæ, humilis & vilis materia respondet, Materia proxima genitorum ex putri est humor ille rei putrescentis, qui primo a proprio calore mixti terminabatur, mox verò destitutus termino labitur, & effunditur, hic si congruenter a calore superstite coquitur, adeo vt calor ille, qui primo erat alienus a mixto putrefaciendo, & iam putrefacto, reddatur proprius & congruens alicui animali gignendo, tunc animal illud gignitur, cui huiusmodi Temperamentum & calor est consentaneus: qui humor non est simplex Elementum, sed mixtum quoddam, in quo humor prænaleat, qui deinde per proprium aliquem calorem terminatur & coercetur; Huiusmodi humor elici potest, ex cadaueribus animalium, ex lignis putrescentibus, ex firmo terræ, ex aere condensato & humore crassiore prædito, ex aqua stagnante, ex lapidibus dum comburuntur: nam ex eis humor aliquis prodire potest, qui putrescat, ex quo vermes gignantur, vt enunciauit Aristoteles: similiter ex niue mixta cum Terra & præcalefacta per quādam Antiperistasim, hinc legitur in quinto, de Historia animalium, cap. decimonono. Quin etiam in iis, quæ putredinem nullam posse recipere existimatur, nasci animalia nouimus, vt in niue vetustiore vermes, qui hirti sunt pilis, & rubei, quoniam & ipsa nix vetustate rubescit, sed in niue mediæ terræ candidi, & grandiores inueniuntur, torpent omnes, & cum difficultate mouentur. In Cypro insula, ærariis fornacib. vbi Chalcites lapis ingestus compluribus diebus crematur, bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ paulo muscis grandibus maiores, quę per ignem saliunt, & ambulant; Emoritur & hoc genus, & illud niuis alumnum, dum hoc ab igne, alterum a niue demotum est. Nec puto hoc pugnare cum ea sententia Philosophi prolata in secundo de Gen. animalium, cap. 3. necnon in secundo de Ortu & interitu cont. 21. quæ est ex flamma & glacie nullum gigni animal, nam relata animalia nec ex igne, nec ex niue generantur, sed ex humore aliquo putri, ex lapidibus prodeunte, vel ex commixtione niuis cum alieno corpore putrescente, Ex glacie absolute nil gignitur, quia pro generatione mixti & præsertim viuentis, requiritur imperium caloris: ex flamma nil gignitur, quia combustio resoluit, non autem mixtum generat, & desiccat humorem, non autem illum cum sicco permiscet, quod requiritur pro mixti generatione, hinc ait Arist. in 5. de Gen. animal. cap. 32. ex omnibus propè dixerim vel siccis humescentibus, vel humidis siccescentibus gigni animal potest. Hinc etiam valde sicca & calida, vt Piper, zinziber, & apprime amara vt bilis flaua, non sunt congruens materia animalium, nec gigni ex eis animalia possunt, nisi post varias commixtiones, & permutationes, quia materia generationis eorum debet esse humida, non valde sicca, debet esse apta nutrire, quia ex eis constamus. Ex quibus etiam nutrimur, nutriunt autem dulcia ex libro, de sensu

Materia proxima.

Vermes niues.

Diluitur apparens controuersia.

An ex bile flaua vermes fiant. ex tensili, si qui autem vermes ex bile flaua fiunt, id accidit per magnum recessum eius a propria constitutione, adeo, vt asserere valeamus ex bile flaua vermes non gigni nimirum proxime, & sine commixtione, gigni autem per varias mutationes & commixtionem cum aliis. Similiter bilis atra cum sit frigida & sicca, non est materia proxima genitorum ex putri, mixta tamen, cum pituita vel alio humore & putrescens potest eorum esse materia, sanguis cum sit calidus, & humidus, dum putruerit, aptiorem materiam valet præbere vermibus aptissimam, tamen Pituita, & præsertim ea, quę dulcior est, ex qua vermes prodeūt, qui pituitæ conditionem seruantes, sunt tardi, molles, albi; Dum autem pituita cum aliis humoribus permiscetur, ratione varietatis humorum, vermes oriuntur coloribus, & cōditionibus variis præditi, hinc pueri & præsertim candidiores, cum abundent Pituita, etiam vexantur a vermibus, fructus quoque dum comeduntur facile in intestinis vermes pariūt, tum quia facile putrescunt, tum quia humores deferunt pituitosos, tum demum, quia sunt dulces, nam dulcia omnia, cum sint moderate calida & humida, facile vermes pariunt, nutriunt, & augent. Similiter excrementa alimentorum, a calore proprio viuentis reiecta, ab externoq; comprehensa facile putrent & vertuntur in vermes. Ea quæ de vermibus dixi in visceribus animalium genitis, etiam de cæteris vera sunt, quæ ex aliorum putredine producuntur, ex quorum varietate pendet varietas quoque colorum, figuræ, & conditionis vermium, omnis enim forma in sibi congruente materia recipitur, & alterius formæ, altera est materia, vt dicitur in secundo Physicorum vigesimosexto. Ita ex aere, & vino alata gignuntur animalia, ex aqua & cœno anguillæ, ex humore magis Terreo fungi, & Plantæ, ex humore salso frequenter gignuntur animalia ostreacea, nam ex parte humidiore & dulciore animal inclusum gignitur, ex parte salsa & Terrea, gignitur testa illud includens, & quoniam huius humoris magna est varietas, & fœcunditas, inde tot genera prodeunt animalium testa munitorum. Demum quia venti varii, variæ ætates, varia Temperamenta, varia alimenta, varię vitæ generationes, & constitutiones aliaque consimilia augent, minuunt, & variant materiam vermium, & genitorum ex putri, vt experientia compertum est, quarum varietatum, cum sint innumeræ, tres solas referam quæ in hominum & præsertim puerorum intestinis apparent. Inquit Aristoteles in quinto de Historia animalium capitulo decimonono, tria vermium genera in huiusmodi intestinis gigni, dantur enim vermes, qui dicuntur lati, & intestinis adherent frustaque pariunt, similia seminibus Cucumeris, dantur teretes, & Ascarides, Galenus similiter tertio Aphorismorum, vigesimosexto, inquit: vermium tres sunt species, nempe Ascarides tenues, qui gignuntur in parte inferiore intestini crassi, & lumbrici rotundi, qui magis gignuntur intestinis superioribus, & Lumbrici lati, quorum generatio est rarior; hi sunt longissimi & sæpe extenduntur per omnia intestina, alii nomina mutant, sed cum parum referat, id missum facio, de his varia dicunt medici.

Pituita apta materia vermium.

Tria vermium genera.

CAP. III.

De causa efficiente genitorum ex Putri.

Academici. ACADEMICI cum intuerentur ex re putri, animæque experte animalia gigni, quoniam vilius sua facultate non valet præstantius procreare inferebant, & Mundum totum, & singulas Elementorum vniuersitates esse anima præditas,

prædita, cuius munere animalia gignerentur, ex anima enim dicebant prodire. semina, quæ in materia recepta huiusmodi animalia producerent. Themistius quoque hanc vniuersi animam in primo de anima approbauit, vt ei etiam tribuit Auerroes duodecimo Metaphysicæ, decimotertio. Auicenna hos in parte sequens, Mentem quandam excogitauit, Mundo Elementari præsidentem, quam datricem formarum nuncupauit, cui præter cætera hoc quoque officium tribuit, Philoponus in libro de Ortu, & interitu sæpe affirmat formas infundi ab vniuersi opificio, hoc est ab essentiali serie causarum supera Prouidentia ditectarum: sed disputationes ad hoc pertinentes silentio præteriens, breuibus dico, generationem animalium ex corporibus inanimis, & ex putri conspicue patefacere Cœleste corpus præpotentem quandam viuere vitam, cum enim ex putri oriantur viuentia, & viuens gigni non possit, nisi a viuente, nec adsit aliud proximius viuens a quo gigni valeant, fateri cogimur Cœlum viuere, & lumen, motumque eius, facultate quadam vitali esse prædita, per quam valeant corporibus inanimis vitam tribuere. Pro generatione eorum animalium, quæ a simili fiunt, tria conspirant, Cœlum, pater, & instrumentum. Cœlum est causa communis, Pater propria, semen est instrumentum: ita Sol & homo generant hominem, ex secundo Physic. 26. Pro generatione animalium ex putri Sol siue Cœlum fungitur modo quodam munere nedum causæ communis, verum etiam propriæ, quatenus lumine & motu eius constituitur spiritus, proxime formans animalia, eisque vitam tribuens, qui proportione respondet spiritui, per quem semina redduntur fœcunda, & fœtus formatur. Qui spiritus quamuis ab eminenti vita Cœli habeat vt sit vitalis, tamen vt hanc vel illam vitam producat, non habet a Cœlo, vt Cœlum est, sed quatenus in definita materia, cum definita mensura recipitur, congruente definitis speciebus animantium. Hinc Auerr. 12. Methaphys. 18. inquit: Calor Solis & stellarum, effusus per aquã & Terram, generat animalia ex putri, & vniuersaliter cuncta quæ fiunt sine semine. & com. 13. eiusdem libri ait: Putredo ex qua fiunt animalia se habet tanquam semen animalium generantium, vis tamen quæ est in semine fit ab emittente semen & Sole, in putredine vero fit a Sole tantum. Alb. aduersatur Auerroi, & inquit virtutem illam gigni a calore, qui inest in re putrescente, & cõfirmatur: quia gignuntur sæpe vermes in foueis Terræ, & locis ad quæ nec lumen, nec motus Cœli peruenire potest, sed soluitur faciliter instantia, quia calor cœlestis non semper denuo gignitur, dum huiusmodi animalia producantur, sed genitus in Elementorum vniuersitatibus conseruatur, qui calor & spiritus quamuis materiam & qualitatem quandam habeat ex re putrida, facultatem tamen vitalem non ex ea recipere valet, cum non viuat, sed ex Cœlo infusam recipit, hoc lucide affirmauit Arist. in 3. de Gen. animalium, cap. 3. inquiens, Generantur autem in Terra humoreque, Animalia & Plantæ, quoniam humor in Terra, spiritus in humore, calor Animalis in vniuerso inest, adeo vt quodammodo plena sint animæ omnia, quam ob rem consistunt celeriter, cum calor ille comprehensus est, comprehenditur autem, & humoribus corporis incalescentibus efficitur velut bulla spumosa, &c. Insuper in secundo de Gen. animal. cap. 3. inquit: At verò solis calor, & animalium, non modo qui in semine inest, verum etiã si quid excrementi sit; quamuis diuersum sit a natura, tamẽ id quoq; principium habet vitale. Similiter in quinto, de Historia animalium, ca. 19. ait: Commune omnium vermium est, & eorum quæ ex vermibus prodeunt animalium, vt primordium generationis.

Themistius. *Auicenna.* *Philoponus.* *Cœlum viuere.* *Auerroes.* *Alb.* *Aristot.*

aut a sole, aut a spiritu præbeatur. Mentionem facit Philosophus de sole & spiritu, vt patefaciat vtrumque conspirare pro generatione huiusmodi animalium, ita tamen vt Cœlum vitalem facultatem largiatur & infundat, per quam spiritus redditur fœcundus, & cum ambo conspirent Aristotel. in quarto Meteorum id quod proximius est explicauit, inquiens naturalis calor secretus, ea quæ per putredinem excreta sunt cogit, &c. ille tamen naturalis calor ex Cœlo habet vitalem facultatem. Sic itaque in putredine, calor proprius perit, vt proprius, & cum alieno nectitur, quo exeunte, humor ab eo terminatus labitur, & fluit. mox autem humor ille actione eius caloris coquitur, redditur crassior, & terminatur, ex quo consurgit corpus calore præditum consentaneo animali quod ex putri oritur, nam primo re putrescente calor alienus dominatur proprio, & humor proprius termino destitutus fluit, mox vero calor alienus auctus, humorem illum superat coquit, & pro alterius generatione terminat, Hinc recte Galenus in 3. Aphorismorum 26. ait: sola putredo non est satis ad gignendum vermes, sed & calore plurimo eget, cibus autem plerumque corrumpitur in ventre, & præcipue in inferiore puerulis, verum caliditas in valde tenellis nondum materiam obtinet, in adultioribus autem, & materia idonea est, & præterea caliditas adest, &c. requiritur itaq; calor valens coquere, & calor qui est præter naturam vnius, est secundum naturam alterius. Sic itaque ex Cœlo viuente, effunditur per vniuersum facultas vitalis, inclusa in calore & spiritu iuncto humori, qui in variis receptus contrahitur & redditur per definitas mensuras proprius variis speciebus animalium, & huiusmodi spiritus proportione respondens spiritui genituræ, coquit materiam humidam, in qua est proportione respondente menstruis, eam terminat, ex eaque animalia generat: frequentius autem fit vermis & non planta, quia materia valde mollis & humida, aptior est pro vermium, quam pro plantarum generatione: ita diximus animalia ex putri gigni. Sed iure optimo quærit aliquis, dum diximus animalia fieri ex putri, ea particula, Ex, in qua significatione vsurpatur? & quam causam denotat? Pro responsione dico, inspiciendo varia, eam varia denotare, nam si refertur ad spiritum & calorem, denotat causam efficientem proximam, si ad humorem cum sicco mixtum, materiam, si ad priuationem animæ in materia præcurrentem, terminum a quo, & ordinem aliquem, vt conspicuum est.

Modus generationis a calore. *Galenus.* *Cõclusio.* *Dubitatio.* *Solutio.*

CAP. IIII.

De fine genitorum ex Putri.

DECVRSIS aliis causis, superest agendum de fine, & quoniam finis est duplex, vnus generationis, alter rei genitę, de fine generationis dubitatio non est, ille enim est forma, adeo vt finis generationis ex putri, sit anima eorum, qua præsente, animalia dicuntur genita, dubitatio est de fine rei genitæ, cuius gratia gigni, & per naturam formari dicuntur. Huiusmodi animalia frequenter dicuntur orta sponte, quatenus non à simili specie fiunt, sed per insita & latentia naturæ principia, videntur quodam modo sua sponte ex materia in lucem prodire, tanquam sequentia potius necessitatem materiæ, quam ob finem aliquem genita; Hinc oritur dubitatio, num casu fiant. Veteres putantes ea, quæ materiam sequuntur, ex eaque prodeunt casu fieri, hæc quoque casu fieri affirmabant. Id ipsum etiam visus est existimasse Aristoteles, qui in septimo Metaphysicæ vigesimosecundo, inquit: Vt in his, quæ Natura fiunt, ita in Arte factis quędam fiunt casu. quo loci Auerroes ait denotari genita ex putri, quæ quamuis absolute

An orta ex putri fiāt casu. *Aristot.*

solute non fiant casu, similia tamen sunt eis, absolute Auer. negat fieri casu, quoniam in 8. Phys. 46. & 12. Metaphys. 13. inquit, nullam speciem casu fieri. Hinc Academici genitorum ex putri, tamquam eorum, quæ ex primo instituto non optantur, negabant dari ideas. Quidam itaque omnino aiunt fieri casu. Alii similia in parte esse genitis casu, absolute tamen non fieri casu, quæ secunda opinio priori est præferenda, ratio est, quia ea quorum princ pia definita & determinata sunt, adeo, vt de illis sit scientia, omnino casu fieri non dicuntur, genitorũ ex putri definita & propria sunt principia, per quæ de illis scientiam habemus, quare non omnino sunt casu, dicuntur tamen similia illis, quia quamuis prædita sint propriis & definitis principiis, tamen dum referuntur ad institutum principalis agentis, quia non primo ab eo optantur, nec a simili per consimilem formam fiunt, recedunt ab ortis per se, & similia redduntur genitis casu. Sed oritur dubitatio de genitis ex coitu animalium distinctæ speciei, vt de Mulo, & Licisca an fiant casu. De quibus similiter dicendum est, quod dum referuntur ad propria princi pia quæ definita sunt, non fiunt casu, at dum referuntur ad copulam parentũ incidenter factam, & ad principale institutũ naturæ, per ea principia generantis ita recedunt a principali scopo, equus enim per institutum principale naturæ, generat equum, non mulum. Cum itaq; orta ex putri non penitus fiant casu, & secundario saltem expetãtur, vt de his quæ fieri possunt id semper fiat quod melius est, iure quæritur a quo expetantur, & cuius gratia. D. Thomas septimo Metaphys. 23. & cum eo Gandauensis inquiunt à Cœlo expeti: alii cum his pugnantes aiunt a proxime agente. Sed conciliari possunt, dicendo expeti à Cœlo & communib. causis ratione boni communis, & perfectionis totius vniuersi, conducunt enim ad perfectionem secundum extensionem vitæ, expeti autem ab agente proximo & proprio, prædito vitali facultate ratione proprii boni illius spiritus, & caloris, nam id cuius est opus, est gratia operis, vt dicitur in secundo de Cœlo 17. sed cum expetantur modo aliquo, & prædita sint fine, adeo vt vniuerso conducant, & vtilitatem aliquam præbeant, quæ sit huiusmodi finis, & vsus, considerandum est. Dico igitur, primo conducere quatenus plura fruuntur, ipso esse, ipseque bono, maximum enim naturæ bonum est esse, ita enim latius effunditur vita plures: in vniuerso inueniuntur species rerum, materia putris recipit formam vt valet perfectiorem; Modis pluribus hæc mortalia perficiuntur a Cœlo, & Cœlum modis pluribus sua munera effundit, suamque fæcunditatem, & boni conditionem patefacit. Insuper conducunt homini, quia per plura opera excitatur ad conuersionem in Deum, ad illum magnificandum, & noscendum Vniuersum re vera & omni ex parte esse Vniuersum. Conducunt etiam pro conficiendis variis medicamentis, hominesque reddunt cautiores, cum debeant cauere ne lædantur ab eis, veluti etiam explicante hoc Plutarcho ex inimicis variæ vtilitates eliciuntur. Præterea, conducunt pro expurgandis Elementis nobis propinquioribus, nam expellitur putredo a materia dum inducitur vita, & cum huiusmodi animalia ex putri oriantur, etiam magna ex parte alimentum putridum quærunt, adeo vt ita quoque putredines minuant, qua ratione vermes in intestinis nonnunquam vtilitatis aliquid afferunt. Verum ex dictis oriri posset dubitatio, quia si orta ex putri conducunt pro perfectione vniuersi, sequeretũt vniuersum sua postrema perfectione aliquando esse destitutum, cum contingere possit, vt tempore aliquo in vniuerso nullum indiuiduum inueniatur alicuius speciei ex putri pendentis, vt in octauo Phys. 46. fatetur Auerroes, veluti etiam id contingere posset de ortis ex copula, & coitu animalium distinctæ speciei,

Arist.

Solutio.

De ortis ex duplici specie.

D. Thom.

Quis sit finis.

Dubitatio.

ob quæ ait Philosophus in libro de Historia animalium enunciari adagium hoc, semper noui aliquid affert Africa. Pro solutione dico primo, orta ex putri conducere perfectioni vniuersi secundum extensionem, quatenus ad plura extenditur vita, non secundum gradum, & intensionem. Insuper conducunt pro vniuersi perfectione præsertim, vt facultate includuntur in suis causis, in quibus seruantur, etiam si nullum indiuiduum eorum in vniuerso reperiatur, vt etiam se habet de ortis ex coitu animalium distinctæ speciei. De genitis a simili secundum speciem, non est par ratio, cum enim non valeant gigni nisi a simili, si nullum in vniuerso reperiretur eorum indiuiduum, nec facultate, nec secundum propriam formam seruarentur.

Solutio.

Cap. V.

An ex Putri valeat aliquid gigni.

EXPLICATÆ sunt hactenus causæ omnes genitorum ex putri, diluendæ modo occurrunt difficultates variæ conducentes pro eorum exacta cognitione, quarum prima est an verum sit quod supposuimus, posse ex putri varia viuentia gigni, id enim dubium est, tum quia Arist. in 3. de Gen. animalium cap. 11. inquit: nil gigni putrescens, sed concoctum, nam putredo & putridum excrementum est rei coctæ, nihil enim ex toto efficitur, sed quod inutile est, id a natura vel ab arte detrahitur, &c. tum quia putredo est contraria coctioni, generatio autem fit per coctionem, & contraria simul seruari nequeunt. Hinc Arist. in 4. de Gen. animalium cap. 8. inquit: Putredo coctioni contraria est, pus autem putredo quædam est, Lac est res concocta penitus, tum demum, quia si ea quæ gignuntur fiunt per coctionem, cur in pure cocto non appareāt vermes, sed in putrido, & non cocto? & dum in vulnere gignuntur vermes, id est signum imbecillitatis caloris, & priuationis coctionis. Respondens huic difficultati dico experientia constare, frequenter animalia gigni ex putri: Et dum instatur, quia nil gignitur putrescens. Respondeo, putredinem vnius, veluti carnis, non esse generationem eiusdem, sed esse viam pro generatione alterius, nempe vermis, & cum gignatur vermis, ille tunc non dicitur putrescens, sed per coctionem genitus, quæ coctio efficitur per calorem alienum ex parte rei putrescētis, proprium tamen, & secundum naturam ex parte vermis pro cuius generatione humorem concoquit, ita verum est nil gigni putrescens, sed coctum, similiter generatio, & interitus eiusdem rei, quæ inuicem pugnant, non simul seruantur, sed interitus vnius est generatio alterius, vel via pro alterius generatione, & ad id quod addebatur, quia ex pure cocto non gignuntur vermes, sed ex fœtido. Respondeo, in pure duplicem considerari coctionem, vnam totius, cum imperio caloris proprii viuentis secernentes humorem alienum pro expulsione, quæ coctio aduersa est generationi vermium, nam calor proprius operatur solum pro conseruatione eius cuius est calor, & cum dominetur, impedit generationem vermium, ab alieno calore. Alteram in pure consideramus coctionem secundum quasdam partes, cum imperio alieni caloris, & imbecillitate proprii, ex qua vermes prodeunt indicantes imbecillitatē proprii caloris illius animalis, & fere extinctionem. Sed iure quæret aliquis, cum id quod putrescit sit corpus vnum continuum, cur ex eo non vnus gignitur vermis, sed plurimi, & distincti? Respondeo, iure id accidere, nam quamuis id quod putrescit sit corpus vnum continuum, tamen per putredinem dissoluitur, & dissolutum calore coquitur. Coctio omnis habet sua

1 *Arist.* *Ratio 1.* *Secunda.* *Tertia.* *Solutio.* *Dubitatio.* *Solutio.*

excrementa, quæ mediant inter partes coctas, pro ortu vermium, easque partes secernunt, non enim vniuersa materia putris est apta in vermem conuerti. Prætetea omnium natura constantium, & præsertim in ortu est definita moles, secundum maximum, & minimum, ac ita ex facili eius indefinitæ materiæ distinctione, ex naturæ fœcūditate, ex copia materiæ, ex facili generatione vermium, & ex facultate spirituum, & caloris proxime efficientis, euenit vt innumerus numerus vermium frequenter gignatūr.

CAP. VI.

An in ventriculo viuentis hominis gignantur vermes.

DVBITATIO non leuis est an in ventriculo animalis viuentis, & præsertim hominis, gigni possint vermes, vel ne, Aristoteles agens de assatione id inficiatur, inquiens: & animal non fit in ipsa coctione, vt quidam inquiunt, sed in secretione putrida, in ventre inferiore, mox ascendit sursum, digestum est enim in superiore ventre, putrescit autem in inferiori secretum, ob quam autem causam dictum est in aliis, &c. Galenus quoque in tertio Aphorismorum vigesimosexto, idipsum existimasse visus est, nam ait: aliud genus lumbricorum est rotundum, qui in superioribus magis intestinis generantur, adeo quod ad ipsum ventriculum quandoque ascendant. Consentiunt itaque hi, vermes non in ventriculo, sed in intestinis gigni, ascendere autem quandoque in ventriculum, & etiam eiici per os, quærentes alimentum dulcius, quod in ventriculo reperitur, vel ob aliquas obstructiones in intestinis factas, & regurgitationes, ob quas nonnunquam per os etiam crassa excrementa eiiciuntur. Ex aduerso alii inquiunt etiam in ventriculo gigni, nam inquit Aristoteles quinto de generatione animalium, capitulo decimonono, in his quoque gigni vermes, quæ putredinis videntur expertia, vt in fornacibus & niue, quare longe magis gigni poterunt in ventriculo, in quo excrementa, & putredines variæ inueniuntur, vt ait Galenus tertio Aphorismorum vigesimosexto. Confirmatur, quia vermes præsertim gignuntur ex pituita, cuius præcipua sedes est ventriculus. Prætetea, animalia eo loci gigni possunt, quo & nutriri, & seruari valent, at vermes in ventriculo seruantur, & nutriuntur. Insuper, vt ait Conciliator, vermes nonnunquam gignuntur in Hepate ouium, in renibus, in auribus, prope nares, intra pellem, quare etiā in ventriculo, qui videtur locus longe aptior. Nonnulli demum se medios cōstituentes, vt Cōciliator & Albertus, aiunt in ventriculo recte affecto vermes non gigni, & hoc aiunt indicasse Aristotelem: in ventriculo autem perperam affecto posse gigni, quod indicarūt alii. In ventriculo enim sano gigni non valent, primo, ob caloris proprii imperium & vires, secundo, quia vis excrementorū expultrix est efficax, tertio, quia ille est locus primæ coctionis alimenti, locus coctionis, pugnat cum loco generationis vermium, quarto, quia est pręditus sensu tactus exacto, ob quem cito repellit & reiicit aduersa; sic itaq; res est dubia, & pro omni parte probabilis. Putarem tamen huic præsertim parti esse adhęrendum, quod in ventriculo gigni possint etiā non adeo laborante, vt conspicue appareant læsæ actiones, nam in ventriculo nonnunquam gignuntur vlcera, & magna pituitæ copia in eo coacernatur: sententia Aristotelis est vera, vt plurimum, & in ventriculo omnino salubri & secundum naturam constituto. Rationes aduersæ parum obsunt, & facile diluuntur, nam id solum ostendunt, quod raro cum difficultate, & non tanquam in proprio loco in eo producuntur.

Aristot.

Galenus

Conciliator.

Resolutio

Cap. VII.

An putandum sit Animal omne gigni ex Putri, & num præter modum generationis animalium à simili, & ex Putri detur modus tertius.

Animal omne gigni ex putri. *Olympiodorus.* EXISTIMARVNT nonnulli confitendum esse animal omne, vel ex semine, vel sine semine gignatur, fieri ex putri, nituntur autem hoc fundamento, quia aiunt omni generationi mixti ex alio mixto antecedere putredinem, quod ostenditur authoritate Olympiodori dicentis coctionem ex parte rei, quæ interit esse putredinem, & alimentum dum coquitur ex parte sui putrescere, ex parte nostri coqui; similiter inquit poma, quæ telata ad nostram nutritionem dicuntur maturari, ex parte suæ naturæ putrescere, quare similiter dum Plantæ & animalia ex semine fiunt, quamuis ex parte formandi fœtus materia seminis coquatur, tamen ex parte substantiæ seminis, dicitur id præcedens mixtum putrescere. Confirmatur: quia per coctionem interit calor proprius, per calorem alienum. Præterea, generatio mixti & putredo inuicem opponuntur, opposita mutuo se consequuntur, & quemadmodum absolute generatio vnius substantię dicitur interitus alterius, vt patet ex primo de ortu, & interitu, ita in specie generatio mixti per naturā ex altero mixto, erit putredo eius, & forte hac consideratione Hippocrates coctionem dixit putredinem, quatenus præcedentis mixti putredo est. *Hippocrates.* Constituit tamē Olympiodorus inter putredinem, & coctionem triplicē differentiam, quam non refero. *Timon.* Similiter Timon in q. 2. quarti Meteorum inquit, putredinem posse esse sine coctione, non contra, & ob id ait Aristotelem prius de putredine, quam de coctione egisse, id tamē ait esse verum de coctione per naturam, non de ea quæ arte fit. *Pomponatius.* Ex aduerso Pomponatius q. 20. inquit, non esse necesse in mixtorum permutatione, vt generationi vnius, antecedat putredo alterius, cum multa fiant per coctionem; & in q. 19. loquēs de coctione alimenti in ventriculo recte affecto, inquit, alimentum quod coquitur, pro ea parte, quæ coquitur, non habere iunctam putredinem, sed solum pro parte excrementorum, excrementa enim sunt putredo quædam. Hoc confirmatur per Arist. in 3. de Gen. Animalium dicentem: nil gignitur putrescens, sed concoctum, putredo enim & putridum excrementum est rei coctæ, nil enim ex toto efficitur, sed quod inutile est, id a natura, vel ab arte detrahitur, &c. Sic itaq; res satis est dubia. *Resolutio* Puto tamen absolute dicendum nequaquam esse necessarium generationi vnius mixti ex alio, antecedere putredinē, alioquin cogeremur fateri animal omne ex semine genitum, ex putredine gigni, quod omnino videtur absurdum, neq; etiā omnino verum puto excrementa coctionis esse putredinem: sed dictum Aristotelis, ita intelligēdum puto, quod sint facillime apta putrescere, & tendenda in putredinem, nam excrementa esse possunt & cruda, & cocta, & putrida, vt patet de vrina, fecibus, & aliis excrementis, nam si excrementum esset putredo, quia excrementa putrescere mox possunt, daretur putredo putredinis. Præterea, ab eodem calore animalis in viuente, & ex interitu eiusdem, sibi elicitur excremētum & chilus id quod interit est cibus, non excrementum, quare si quid diceretur putrescere cibus esset, non excrementum, & si per resolutionem in vnum est putredo, etiam putredo esset per resolutionem in aliud, at cum ex eo fit chilus putrescere non dicitur, quare neq; vt ex eo prodeunt excrementa. Pręterea putredo est interitus mixti secundum naturam. Alimentum in ventriculo non per naturam, sed in loco non proprio per calorem animalis violētia

interit,

interit, & ex eo aliud gignitur, non itaque est putredo: in putredine à calore alieno dissoluitur calor proprius, & humor labitur, in coctione & generatione humor coquitur, & cogitur, quare non semper generationi vnius mixti ex alio mixto, & coctioni antecedit putredo. Nec ei generationi, & permutationi competit definitio putredinis, vt instabatur, quoniam ea non dicitur interitus proprij caloris ab alieno, sed perfectio humoris per coctionem, calor autem rei quæ interit, solum ex accidenti, non autem perse interire dicitur, quatenus vnius generatio exposcit alterius interitum. Ex his elicio, triplex esse cõmune genus generationis animalium: nonnulla enim gignuntur ex semine, à simili, vel genere, vt mulus, vel specie, vt leo à leone, nonnulla ex materia putri per spiritus in ea inclusos, vt vermes, alia nec ex semine, nec ex putri; sed ex principiis nonnullis per naturam operantibus, & ad perfectionem tendentibus afflatu cœlestium corporum, vt nonnulla quæ gignuntur ex rore & frondibus excepto & collecto tempore veris, & erucæ ex foliis brassicæ, vt inquit Aristoteles in quinto de gen. Animalium, capit. 19. hæc similia valde sunt genitis ex putri, & ambo dicuntur sponte fieri, non tamen ita conspicue gignuntur ex putri, vt vermes alij, sed ex mixtione quadam humorum & spuma, vt locustæ quædam, & cicadæ.

Diluuntur aduersa rationes.

Triplex commune genus generationis.

Cap. VIII.

Quæ animalia valeant ex Putri gigni.

QVAMVIS ex se compertum sit, animalia nonnulla ex putri gigni, an tamen omnia valeant gigni ex putri, & si non omnia, quænam ea sint, quæ ex putri gigni valeant, non leuis est dubitatio. Existimarunt nonnulli Animal omne mortale posse ex putri fieri, quod ostendi potest, primo, quia vt dicitur in 8. Phys. motor prior potest mouere, & operari sine posteriore, at non econtrario: quare cum Sol & homo generent hominem, Sol quoque sine homine valebit illum generare, & præsertim, quia facultas eminentior valet id efficere quod inferior, & aliquid vltra. Propterea, nisi cũcta animalia possent ex putri & sponte gigni, tunc posset mundus priuari sua perfectione, & species quę dicitur æterna, cum de ea sit scientia, posset interire, quia nil prohibet, quin tempore aliquo cuncta eius indiuidua intereãt. Demum, quia opposita sunt nata fieri in eodem, & generationi mixtorum opponitur putredo, ideo, vt cuncta mixta sunt apta putrescere, ita cuncta erunt apta ex putri fieri. Hinc Democritus, Epicurus, & Philosophi huius classis, primam omnium animalium generationem dixerunt esse ex putri, addebant tamen priscis temporibus terram & elementa fuisse fœcundiora, & plura valuisse generare, quam valeant modo, cum iam sint effœta, & per senium impotentiora reddita, ideo Lucretius lib. 3. dixit:

Cuncta animalia posse ex putri gigni.

Democr.

Lucret.

Iamque adeo effœta est ætas, effœtaq; tellus,
Vix animalia parua creat, quæ cuncta creauit
Secla, deditq; ferarum ingentia corpora partu.

Et Aristoteles in secundo de R. P. hæc protulit, Putandum est priscos homines, siue ex terra geniti fuerint, siue ex corruptione aliqua seruati, ignaros fuisse, & imprudentes, quod de terra natis fertur, &c. non itaque inficiatur Aristoteles posse etiam homines ex putri gigni; sapientes Arabes suasi fœcunditate & fœlicitate suæ regionis; similiter Ægyptij inspicientes fœcunditatem ex Nili inundatione prodeuntem, existimarunt, nedum cætera animalia, verum etiam hominem ex putri sumpsisse originem primam, Marsilius Ficinus in argumento

Arist.

Arabes.

Marf. F.

in Menexenem, inquit: scito Platonicam esse sententiam, post vastas terræ inundationes, ex abundanti humore, atque calore, terram adeo fœcundam reddi, vt ex ea non animalia solum pusilla, qualia nunc, sed grandia etiam, atque ipsi homines vltro nascantur, quod hic & alibi sæpe confirmat, &c. idque magis per principia Platonis, quàm Aristotelis dici potest, cum Plato secus ac Aristoteles animam propriam putet competere mundo, & singulis elementis, cuius facultate animalia cætera, & homines gigni valeant: & confirmatur ratione, nam argumentatur Aristoteles in octauo Physicorum, vt se habet de mundo paruo, ita putandum se habere de magno. Similiter nos dicere valemus, vt se habet de animali paruo in regione minus fœcunda; ita putandum se habere de magno in fœcundiore, & præsertim, quia difficultas consistit in ascensu ad facultatem cognoscentem, vt hunc ascensum etiam in minus fœcundis regionibus fieri inspicimus, in generatione paruorum animalium, quare non est negandum illum posse fieri in fœcundioribus, pro generatione animalium maiorum, & perfectiorum. Ex aduerso tamen Peripatetici, & cum eis ratio & experientia nobis oppositum suadent, & iure optimo Auerroes in octauo Physicorum, 46. miratur, quod Auicenna putauerit hominem non secus ac murem gigni posse ex putri. Confirmatur: quia viuens adeo perfectum non valet ex tam imperfecto principio prodire, quale est spiritus putris. Insuper tunc natura frustra animalibus facultatem generandi tribuisset, nam si ex putri fieri possent, redundans esset facultas seminaria, tributa animalibus. Deus autem & natura nil faciunt frustra, & vnius rei perfectæ definita sunt principia proxima, & vnicus est modus generationis eorum. Præterea inaniter huiusmodi animalia ex putri fierent, quoniam nutriri non possent, nutriuntur enim magna ex parte ex lacte, quod paratum inueniunt in generatione ex semine, nō aut ex ea quæ prodiret ex putri. Præterea, sententia est Aristotelis, vt in progressu patebit, orta ex putri non esse proprie prædita facultate generandi, & solum gignere tanquam vermem aliquem, neque marem, neque fœminam, at homines, & absolutioria animalia re vera huiusmodi facultate inspiciuntur prædita, ita nemo fertur vidisse canem, leonem, & similia animalia ex putri orta, & longe minus hominem.

Peripatetici.

Resolutio difficultatis.

Dicamus itaque, ex putri solum animalia gigni vilia, exigua, & valde imperfecta, ex semine gigni præstantiora, ex modo medio veluti ex rore, & ex aliis naturæ principiis, ea gigni, quæ medio quodam modo se habent. De ranis quod ita gigni valeant, fere omnes concedunt, de muribus sunt qui dubitent, & negent, id tamen concedere non esset absurdum, de quadam eorum specie, qui minores sunt. Rationes aduersę facile diluuntur. Dicebatur primo motorem superiorem posse operari sine inferiore. Respondeo, posse operari producendo opus suum proprium, sed nō proprium alterius, sol valet illuminare sine homine, at homo non valet generare sine sole, nec verum est, quod superior facultas valeat semper id secundum formam efficere, quod inferior, sed solum secundum eminentiam. Addebatur, quod tunc species non haberent necessarium nexum cum mundo: nam possent deleri, & posset mundus postrema perfectione priuari. Respondeo, elementa & magis necessaria pro mundi constitutione intimius cum mundo esse connexa, quia proxime pendent & seruantur lumine & motu Cœli, animalia longius distant à primis & communibus causis, & ideo non tam necessario connectuntur, & nihil repugnaret vt species aliqua penitus aboleretur, nec ob id mundus secundum intensionem esset imperfectior, sed solum secundum quandam partem extensionis, ob conseruationem tamen specierum Na-

Diluuntur.

tura

tura inseruit in earum indiuiduis, summam propensionem ad copulam, & cum ea summam voluptatem: cum interitu autem iunxit dolorem summum, vt hunc pro facultate vitarent, illam vero pro viribus assequerentur. & per eam fruerentur æternitate, adeo, vt nisi præter naturā vniuersa species sit affecta, nunquam desinant necti, generare, & niti seruare se, dispositio autem præter naturā nunquam competit vniuersæ speciei, hinc generare simile, dicitur opus naturæ maximè consentaneum; sic Alexander in primo naturalium qq. cap. 23. comparās hominem cum terra, ait terram magis necessario reperiri, quàm hominem, & addit enunciationem hanc, quod homo sit animal rationale, esse veram supposito, quod homo sit. Instabatur adhuc, quia cui competit putredo, etiam est aptà competere generatio ex putri, cum sint opposita. Respondeo, rationem esse inanem: primo, quia putredo opponitur generationi mixtorum consimilium, non generationi ex putri, vt apparuit. Insuper animali competit mors, & vitæ participatio vt viuens est, non autem putredo, & ortus ex putri, modi autem participationis vitæ variorum, varij sunt, quamuis interitus sit consimilis. Addebatur demum, quòd vt se habet de paruis animalibus, ita putandum est se habere de magnis. Respondeo, id esse verum de illis, quæ denotant perfectionem, non autem de prodeuntibus ex imperfectione, esset enim perinde, ac si dicerem, vermes solum mouentur per extensionem, & contractionem, igitur & animalia maiora. *Alexan.*

CAP. IX.

An Plantæ valeant gigni ex putri, & de Ostreis.

VERMES ex putri gigni sensu percipimus, an autem ita gigni possint Plantæ; non adeo constat. Propterea in dubium vertitur, Magnus Albertus, in 4. Meteorum, & in lib. de animalib. inficiatur plantas ex putri oriri, nam in 4. Meteorum inquit: Planta nunquam ex putri gignitur, quia ea est substantiæ plurimum terreæ, humidum vero quod per putredinem educitur, tenue est, & valde aereum, ideo non valet esse materia plantæ, sed aliorum. Ex aduerso Aristoteles sæpe affirmat plantas quoque oriri ex putri, nam in 3. de generatio. Animalium, capit. 11. inquit: Generātur autem in terra humores, animalia, & plantæ, & in primo de generatione Animalium, capitulo primo ait: Plantarum aliæ ex semine prodeunt, aliæ sponte naturæ oriuntur ex putrescente vel humo, vel parte aliqua plantæ, & in secundo Physicorum, contextu septimo, dixit ex putredine lecti lignei plantam gigni: ita inspicimus ex terra sine semine frequenter plantas prodire, vt etiam gignuntur fungi, & tubera terræ, quæ plantis sunt similia. Nec alicuius roboris iudicari debet ratio, quæ pro parte aduersa referebatur, quoniam in terra frequenter apparent putredines cum humore crasso, permisto cum terra. Præterea, materia genitorum ex putri; non est humor ille tenuis, qui cum calore secernitur, ille enim per spiritum in eo inclusum potius fungitur munere genituræ, & facultatis formantis, humor autem crassior remanens sine termino & fluens, ille est, qui mixtus cum parte terrea fungitur munere materiæ, fateamur itaque plantas quoq; gigni ex putri: dubium tamen mihi est id, quod legitur in secundo Physicorum, contextu 7. ex putredine ligni gigni plantam, nam potius gignitur ex alterius putredine: & eo loci Aristoteles loquitur ex sententia Antifontis. Sed dubitatio est de ostreis & animalibus affixis lapidibus, quomodo generentur. Aristoteles hac de re satis cōspicue videtur

Mag. Albertus. *Arist.* *Diluitur ratio aduersa.* *De ostreis.*

securus pugnare, nam in 3. de Anima, cont. 45. ostendens sensum non esse principium motus secundum locum, inquit: Similiter neque vis sentiendi est principium motus secundum locum, multa enim sunt animalium, quæ sensum habẽt, manent tamen, & immobilia sunt alii que. Si igitur natura nil facit frustra, nec deficit in necessariis, nisi in orbat s, & imperfectis, huiusinodi autem animalia perfecta, & non orbata sunt, signum autem est, quia generare valent, & crescũt, & decrescunt, & ob id si motrice facultate essent prædita, etiam munita esse deberent instrumentis pro motu, &c. Ait itaque Philosophus ea generare. Ex aduerso in tertio de gener. Animal. cap. 11. inquit: Omne autem genus testaceum sponte oriri conspicuum hinc est, quod nauigiis putrescente fece spumosa adnascũtur, & locis mul is, vbi nihil tale aderat ante, post per inopiam humoris facto cœno, ostreæ prouenerũt, vt apud Rhodũ insulam, cum classis appl cuisset, & fictilia proiecta essent in mare, temporis progressu, cœno obducto testis, ostreæ in iis reperiebantur, nihil autem partis genitalis emitti ab iis argumentum est, quod cum Chij ex Pyrrha Lesbi insulæ ostreas viuas detulissent, & in loca quædam maris reciproci æstus & luto similia dimisissent, plures nihilo fuere temporis interuallo, quanquam incremento corporis plurimum profecerunt, quæ autem oua appellantur, nihil ad generationem conferunt, sed indicant meliorem nutritionem, vt in sanguineis pingue, &c. Profecto controuersia satis apparet conspicua, & præsertim est dubium, quomodo valeant generare. Pro

Solutio. solutione dico primo, ostreacea animalia posse quidem dici perfecta, cum fuerint assequuta attinentia ad suam speciem, & conditionem: hinc ab Arist. perfecta, & non orbata dicuntur: cui non aduersatur, vt etiam dicantur sponte orta, sed cum sponte dicãtur orta, & ita orta excludantur à generantibus simile in 2. de anima. 34. dubium est, quomodo in 3. de anima 45. dicantur generare; quidam aiunt quod generant simile secundum partes, qui nutriuntur, & crescunt, quod non fit sine aliqua substantiæ partium generatione, sed hoc non satisfacit: quia Aristot. per id ostendit ea esse perfecta, & etiam imperfecta, vt pueri crescunt &

Simplic. nutriuntur. Inquit Simplicius, quod vel generant, vt plantæ, quæ non pariunt fructum, sed abscisæ prolificant, sic ea humorem emittunt conducentem pro multiplicatione, vel generant, sed non simile; prima explicatio aduersatur Arist. in 3. de gen. animalium, dicenti nõ multiplicari: altera est magis dubia, quia non

Solutio. apparet, quomodo & quid distinctæ speciei generent. Dicere possumus, omne genus testaceum oriri sponte, quia nõ gignitur per copulam, & semen, quædam tamen huiusmodi animalium generare, emittendo spumam & humorem aliquem sui similis formatricem; Experientiam autem relatam ab Arist. esse veram de ostreis, non autem de omnibus testaceis; insuper nisi generent in vno loco minus apto, poterunt id facere in alio aptiore: hinc non desunt, qui experientia affirment oppositum. Sed dubium est de lapidibus & metallis, an valeant gigni

De lapidibus & metallis. ex putri, puto non proprie ea posse dici ex putri orta; quoniam gignuntur per calorem siccum, hinc sulphur calidum & siccum dicitur pater metallorum, calor siccus comburit, & putredinem euertit, similiter inspicimus metalla gigni in fodinis, & mineris per propria eorum principia, seorsum ab omni putredine: dubium est de lapidibus, qui & in vesica, vrinæ, & in ea bilis generantur? dicendum eos minus proprie posse dici ex putri ortos, rectius autem dici esse reliquias putredinis, & excrementorum à calore calido & sicco concretas.

Cap. X.

An orta ex Putri sint eiusdem speciei cum ortis ex semine.

DE ortis ex putri id consideratione dignum occurrit, an iudicari debeant eiusdem speciei cum ortis ex semine, cum enim animalium quædam solo semine fiant, vt præstantiora, quædam sola putredine, vt vermes, quædam & semine & putredine, vt dicitur de muribus, & ranis, de his est dubitatio? an sint eiusdem speciei? quæ profectò satis est obscura, tum ob rei naturam de qua est sermo, tum ob varietatem opinionum & pugnantium rationum, tum demum quia Aristot. modo vnum, modo alterum approbare videtur. De proposita itaque difficultate viri multi sapientia celebres inquiunt, huiusmodi animalia eiusdem esse speciei, veluti Scotus in primo Sent. dist. 2. q. 7. D. Thomas 7. Metaphysicæ 23. Conciliator, Ludouicus Boccaf. in secundo, de anima, Episcopus Casertæ in Libro Euersionũ, & alii plurimi. Rationes pro eorum opinione potiores hæ sunt, primo quæ apparent in arte factis, in accidentibus, & substantiis inanimis, etiam de viuentibus concedi debent, at in illis inspicimus eadem specie gigni posse & casu, & arte, & natura, quare etiam de viuentibus id concedendũ est: minor est conspicua pro omni eius parte, nam eadem specie sanitas, Arte, casu, & natura gigni potest, vt conceditur in septimo Metaphysicæ 23. Similiter idem specie calor, & a calore, & a motu, & ab aliis producitur idem quoque Ignis specie, modis variis generatur. Præterea cum accidentia, & opera ea sint, quæ nos in notitiam substantię ducunt, quia murium & ranarum quouis modo genitatum eadem apparet figura, eædem affectiones propriæ, idem motus, quare eadẽ putanda est forma & natura. Præterea, argumẽtatur Scotus: cum semen tantum operetur tanquam instrumentum, & virtute Cœli, vel primi motoris, Cœlum, & Deus quod efficiunt instrumento seminis, etiam efficere poterunt instrumento materiæ patris, non enim instrumenta ea sunt, quæ speciem variant, & præsertim id contingere putandum videtur in generatione murium, & ranarum, quæ facile generantur. Præterea, Stellæ & Elementa sunt satis pro naturali interitu viuentium, quare etiam pro eorum generatione, cum oppositorum eadem sit ratio. Insuper inquiunt falsò dici genita ex putri carere facultate generandi, nam Mures, Apes, & pluuiæ etiam ex putri ortæ generare videntur. Nec desunt qui dicant Auerroem quoque huius fuisse opinionis, idque eliciunt ex 18. commen. 12. Metaphysicæ, quo loci Themistium commendat, quia dixit eadem animalia ex semine & ex putri gigni posse, & in octauo Physicorum, 46. miratur Auicennam putasse hominem non secus ac murem ex putri gigni posse, supponens esse eiusdem speciei, sed quia nos de opinione Aristotelis sumus soliciti, perpendamus quomodo ex Aristotele videatur id posse elici, præsertim affertur id quod in septimo Metaphysicæ, 23. scriptum legitur, inquit Philosophus: Vt in his quæ Arte, ita in his quæ natura fiunt, quædam eadem ex semine, & sine semine generantur, cum absolute dicat fieri eadem, putandum est existimasse esse eiusdem speciei. Insuper, in sexto de Historia Animalium capitulo 15. inquit, sunt quæ & limo & arena gignuntur, etiam eorum, quæ coitu, & oui primordio fiunt. Præterea parte 10. Prob. 66. ait animalium alia nedum coitu, sed eitam sponte procreantur, alia coitu tantum, vt homo, & equus, his verbis indicat non distingui specie. Præterea, in calce sexti de Historia Animalium, inquit quosdam affirmare mures etiam impleri si salem lambunt, insuper addit in parte quadam Terræ Persicę

An orta ex putri sint eiusdem speciei.

Rationes.

Scotus.

Auerroes.

secta mure fetus femineos inueniri praegnantes, hi profecto non erant côcepti ex semine, & tamen sint eiusdem speciei, adeo vt nil prohibeat speciem eandem per varia principia gigni; Demum in secundo de R.P. inquit putandû est priscos homines siue ex Terra geniti fuerint, siue ex corruptione aliqua seruati, ignaros fuisse & imprudentes, quod de terra natis fertur, &c. ex his elici posse videtur Aristotelem putasse speciem eandem ex semine & ex putri gigni posse.

Cap. XI.

Orta ex Putri non esse eiusdem speciei cum ortis ex semine.

Aristot. EX aduerso orta ex putri distingui specie ab ortis ex semine, conspicue ex verbis Aristotelis elicitur, & ratione comprobatur: nam Aristoteles in primo cap. primi de Gen. Animalium conspicue affirmat distingui specie, nam inquit: Quae non ex coitu, sed ex putri materia oriuntur, ea generant quidem, sed genere diuersum, quodque gignitur nec mas est, nec foemina: talia sunt nonnulla e genere insectorum, quod iusta euenit ratione, nam si ex coitu eorum, quae ex animalib. orta sunt, animalia orirêtur, hęc si eiusdem generis essent, primû quoque ortum parêtum talem esse oporteret, quod recte ita censemus cum ita euenire in caeteris animalibus pateat, sed si dissimilia quidem, & quae coire inter se possent generarêtur, rursus ex eis alia quaedam natura procrearetur, & alia ex ea Auerroes. idque in infinitum procederet, at natura infinitum renuit &c. Conspicue affirmat & ostendit Philosophus, ea distingui specie. Auerroes in paraphrasi eius loci his rationibus eandem sententiam confirmat, inquiens: Quae sunt eiusdem formae, sunt ex eadem materia, quae sunt eiusdem speciei, sunt eiusdem formae, quare ex eadê materia, at orta ex putri, & ex semine ex distincta materia producuntur. Quod autem ea, quae eiusdem sunt formae ex eadem materia gigni debeant, cumulate eo loci ab Auerroe ostenditur. Altera eius ratio est: si eadê species ex semine, & ex putri gigni posset, Natura fuisset redundans, frustra enim parasset marem & feminam pro conseruatione speciei, cum sine ea distinctione seruari valeat, at natura minime est redundans, nec dicere valemus ea per se fieri ex semine, ex accidenti vero ex putri; quia nulla species est ex accidenti, & species omnis praedita est definitis principiis, per quae cadit sub scientiam, ex quibus per se gignitur, & constat: quod autem est per se, etiam est de omni, & necessarium. Eisdê rationibus vtitur Auerroes in 8. Phys. 46. quo loci etiam addit, si homo gigni posset ex Terra, vt vermis, aut id esset necessarium, aut frequenter, aut rarum, non necessarium, alioquin non fieret ex semine, non frequenter quia tunc raro & contingenter ex semine fieret, si raro, igitur contingenter fieret ex Terra, ac ita eadem species fieret casu, & natura; manifeste Auerroes vna cum Aristotele affirmat & ostendit ea distingui specie, adeo vt mirum sit de illis, qui Auerroi oppositum tribuunt. Etanimaduertendum, quod ex variis principiis variae deducuntur conclusiones, & propterea qui putant semen proxime operari virtute Coeli vt Scotus, vel virtute alicuius Mentis Mundo mortali praesidentis, & distributricis formarum, vt Auicenna, vel virtute animae Mundi siue Elementorum, vt Academici, magis affirmare tenentur ea esse eiusdem speciei, quia quouis modo gignantur, semper agens principale idem est: At qui putant semen operari tanquam instrumentum parentes vt Aristot. in secundo de Gener. animalium, & idem esse agens disponens, & educens formam, vt putat Auerroes septimo Metaphysicę 31. & 12. Metaphysicę 18. hi cum

iudicent agentia propria, & principalia genitorum ex semine, & ex putri esse distincta, etiam tenentur putare genita ex illis distingui specie: quæ sententia cum ex parte principiorum, tum ex parte conclusionis verior esse videtur; & confirmatur: quia cum mulus genitus ab asino, distinguatur specie ab asino, ob solam distinctionem materiæ ex qua gignitur, longe magis genitum ex putri distinguetur specie genito ex semine, cum maior adsit distinctio materiæ, ac insuper agentis proxime. Colligamus itaque genita ex putri & ex semine similia esse, & habere genus aliquod proximum commune, absolute tamen distingui specie.

Cap. XII.

Diluuntur aduersæ Rationes.

PATEFACTA veriore sententia, facile modo est aduersas rationes diluere, afferebantur verba Philosophi in tertio. Metaphysicæ 22. & 23. dicentis esse eadem; Respondeo, esse eadem genere quodam proximo, & esse simillima, non autem specie vltima, & quamuis sanitas arte & natura facta sit eadem specie, nil tamen nobis obest, quia sanitas est accidens quod fit arte, tanquam instrumenta naturæ, & ob id principale & proprium agens seruatur idem: at genita ex putri sunt substantiæ, præditæ agente principali, & proprio distincto ab eo genitorum ex semine, & non operante virtute eius. Insuper addo locum illum non esse proprium huius cõsiderationis, hinc Aristot. in contex. 23. reiicit id in alium locum, inquiens hoc posterius esse considerandum, nempe in loco proprio, qui is est primus de Gener. animalium, vbi ex instituto de hoc agens inquit distingui specie. Addebatur locus ex sexto de Historia animalium, in quo legitur, nonnulla eorum quæ coitu gignuntur, etiam gigni ex limo & arena: Respondeo, esse eadem genere proximo vt in primo de Gen. animalium tanquã in loco proprio semetipsum explicauit, & idipsum est dicendum de authoritate sumpta ex libr. Probl. Ea autem quæ referuntur ex calce sexti de Historia animalium, leuia iudico, quia multa scribuntur ab Aristotele in libro de Historia animalium, ex aliorum relatione, quæ tamen in libris de partibus & generatione animalium non confirmantur, veluti Pygmeos, genita in flamma, & similia. Immo Aristot. in libr. de generatione animalium inficiatur mustellam posse ore parere, & coruos, ac Ibim, ore coire, vt patet ex libr. 3. cap. 6. cum tamen in quinto de Historia animalium cap. 5. de perdicibus referat quod concipiunt si aduersæ maribus steterint, flante vento, ac etiam quod concipiunt sola audita marium voce, & volantibus maribus super eas, quia mas in fœminam prolificum spiritum emittat, & fœminæ aperto ore recipiant: hæc conspicue pugnant cum dictis in libr. de Gen. animalium, ideo putandum est ex aliorum relatione scripta fuisse, quæ deinde Arist. inquirens causas, non approbauit, & id ipsum puto dicendum de murium fœtibus, fœtus includentibus. Quod si etiam concederem, approbatæ sententiæ non aduersatetur, quia dicere fuisse cõceptos virtute animæ, & spirituũ animalis eiusdem speciei, vel a mare per efficacem commotionem spiritũ fęminę. Authoritas deprompta ex secũdo de R.P. leuis est. Mos secundum Aristot. fuit in locis alienis potius ex sententia aliorum quam ex propria loqui, conspicue Arist. in 4. de Gen. animalium cap. postremo. ostendit nõ dari per naturam primum hominem, nec secus posse gigni, ac ex semine, Sol enim & homo generant hominem, secundo Phy. 26. non enim nouit *Mos Aristot.*

creationem Primi parentis. Explicatis authoritatibus, supersunt diluendæ rationes: prima sumebatur ex generatione accidentium, Elementorum, & Arte constantium, cui respondeo, de his non esse consimilem rationem, nam qualitates primæ, & similiter Elementa, non exposcunt materiam propriam valde distinctam, sed statim in prima materia, & simplici corpore possunt recipi, & sunt formæ huius conditionis, vt altera oppositarum, materia nudari nequeat, propterea facile & a variis generantur, cum necessario sequantur interitum alterius, nec proptie generentur per definitam aliquam animæ facultatem. At de animalibus longe secus se habet, vt conspicuum est. Similiter de arte genitis dixi non parem esse rationem, quia Agricola, Medicus, & similes artifices, operantur tanquam instrumenta naturæ, cōnectendo per naturalem Magiam agentia per naturam, cum patientibus. Dicebatur, accidentia esse eadem. Respondeo, esse valde consimilia, non tamen eadem, hinc mures ex putri orti, ob principii imbecillitatem parum crescunt, & Ranæ ortæ ex putri, minores sunt, & formæ in parte distinctæ, motus autem secundum locum etiam totius generis, piscium, est similis, ac etiam vniuersi generis auium. Id quod dicebatur a Scoto semen operari virtute non parentis, sed cæli, conspicue aduersatur Arist. in primo, & 2. de Gen. animalium, vt alibi patefeci. Addebatur, Stellas esse satis pro interitu, quare & pro ortu: respondeo, Cœlum, & stellas non esse corrumpentia propria, sed communia, quare similiter non sunt propria generantia. Addo, secus se habere de corrumpente, quam de generante, valet homo interficere aues, & pecudes, non autem generare. Dicebatur etiam orta ex putri generare, at qui hoc dicunt, conspicue aduersantur Arist. in secundo de anima, 34. excludenti a generantibus simile, animalia sponte orta, & ostendente in primo de Gen. animalium c. primo, ea non generare, vt in præcedentibus retuli. Versati diu sumus in ortis ex putri, tāquam in prole nostræ materiatæ parti cōsimili, quam cum apprime vilem & fœtidam nouerimus, monemur teneri esse solicitos de prole animorum, cuius beneficio ab interitu seruamur incolumes, & neglecta Terra, eleuamur in Cælum.

Deo Laus.

FINIS.

FRAN-

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De concoctione ex sententia Aristotelis in Quarto Meteorum,

LIBER VNVS.

CAP. I.

Proponuntur ea quæ sunt explicanda.



VEMADMODVM concoctio est corpori saluberrima, ita eius contemplatio est animo grata, & nedum Philosopho, verum etiam Medico summopere vtilis, propterea de ea ex sententia Aristotelis verba facturus, occasionem disputationis ex eius verbis in quarto Meteorum accipiens, caput vnum coctionis per cumulatam eius explicationem in librum vnum commutabo, primo itaque ipsum audiamus ita loquentem: *Vtilitas.*

Reliquum autẽ est dicere consequentes species, quas dictę facultates efficiũt, ex subiectis quæ natura iam constant. Est itaque caloris quidem coctio, coctionis vero maturatio, Elixatio, & Assatio, frigoris vero inconcoctio, & huius cruditas, siue immaturitas, imperfecta Elixatio Græce Μώλυσις, & imperfecta assatio Græcè σάθευσις. Oportet autem existimare non proprie hæc nomina dici, rebus enim nõ imposita sunt omnino similibus, quare non has, sed similes oportet putare esse dictas species, quod autem singulæ sint, dicamus. *Cont.* " " " " " " " "

Officia & munera primarum quattuor Qualitatum varia sunt, primo enim Elementa constituunt, eorumque mutuæ permutationis & mixtionis sunt causæ, vt declaratum est in libris de Ortu, & interitu, mox quia in mutua Elementorum permutatione, eorumque via ad mixtum, halitus quidam producuntur, ex quibus Meteorologica consurgunt, ideo Meteorologicorum dicuntur principia, quæ primis tribus Meteorum libris declarata fuerunt. Tertio tanquam finem, mixti consimilis generationem complent, eique oppositam putredinem moliuntur, de quibus in prima parte quarti Meteorum habitus est sermo. Demum in mixto earum opera constituto, variarum affectionum sunt causę, vt coctionis, incoctionis, coagulationis, liquefactionis, & similium, quarum præcipue cum sint coctio, & incoctio, iure Philosophus declaratis attinentibus ad tres præcedentes gradus, de attinentibus ad quartum loquuturus, seruato semper vt sui moris est Naturæ ordine, de coctione, eius opposito, & speciebus vtriusque differendum proponit, nam quamuis consideretur etiam coctio aliqua antecedens generationi, vt coctio pro generatione plantæ, proprie tamen coctio consideratur in re iam per naturam constituta, & conducit pro eius conseruatione & perfectione. De coctione quatuor in præsenti contextu profert Phi- *Expositio.* *Officia primarũ Qualitatum.* *Quatuor de coctione declaranda.*

Quatuor de coctione declaranda. losophus primum attinet ad ordinem iam relatum & ad institutum, quod declaratis cæteris, reliquum est de coctione & eius opposito loqui. Alterum est diuisio coctionis in maturationem, elixationem, & assationem, quæ beneficio caloris efficiuntur. Tertio numerat tres species incococtionis oppositas, ex frigore prodeuntes: Quarto nos monet ne putemus nomina relatarum specierum proprie esse dicta, & vniuoce, ea enim sunt nomina denotantia præsertim coctiones arte elaboratas, quibus vt nobis notioribus imposita sunt nomina, & mox translata ad coctiones naturæ, & hoc præsertim est verum de assatione, & elixatione, nam maturatio proprie dicitur ea seminum; considerandum in verbis has coctiones dici species consequentes, dicuntur species non quidem vniuoce & proprie, sed potius modi, dicuntur consequentes ad ordinem. Insuper dicuntur fieri ex subiectis quæ natura constant, ex subiectis quatenus particula, ex, mutationem denotat ex vno in aliud, coctio enim est mutatio quædam, & vtitur nomine subiecti, quia coctio ad accidentia pertinet, quæ proprie sunt in subiecto, addit circa subiecta quæ natura constant indicans per coctionem res non recipere esse, sed perfectionem, vel conseruationem, & id dicitur vt distinguatur a generatione mixti, nam per generationem mixta acquirunt esse, coctionem vero quale, nempe perfectionem. Demum ait Philosophus coctionem esse opus caloris, inconcoctionem frigoris, nomine caloris multi putant debere intelligi corpus calidum; nam corpora calida calefaciunt, at id verum non puto, quia Philosophus inquit species illas pendere ex dictis facultatibus, nomine autem facultatum quatuor primas qualitates denotat, quas definiuit, non autem definiuit qualia: & quamuis quale sit totum, agens nil refert, quoniam Aristoteles non agens totum, sed primam agendi rationem, tanquam causam primam considerat, denotat itaque Philosopus nomine caloris & frigoris Qualitates.

Consideranda in Verbis.

CAP. II.

Tria ex dictis emergentia dubia proponuntur, & diluuntur.

Dubitatio prima. Secunda. EX his quæ in præcedente capitulo dicta sunt tria oriuntur dubia, primum est, cum nomina specierum coctionis non sint proprie dicta, num debeant iudicari æquiuoca, vel potius ab vno. Alterum est, quia Aristoteles diminutus videtur in proponendis coctionibus, nam eas tantum proponit, quæ *Tertia.* fiunt in his quæ formata sunt & natura constant, cum tamen etiam dentur coctiones, quæ antecedunt, & sunt viæ ad esse mixti, immo alimentum quod coquitur adhuc non est formam, & naturam adeptum. Tertia dubitatio obscurior est, quia coctio est perfectio in mediocritate posita, cui competit & nimium & paucum, quare vniuscuiusque speciei coctionis duo, non vnicum, vt eis tribuit Aristoteles, competent contraria. Nec dicere valemus vno nomine vtraque denotasse, tum quia duo extrema valde distantia vnico proprio nomine non denotantur, tum insuper, quia coctionis contrarium ait fieri a frigore, ex quo sola diminutio coctionis prodit. De prima difficultate dico nomina illa re vera, non esse vniuoca, cum magna eorum, quæ denotantur appareat varietas, hinc Aristoteles, se excusauit, inquiens nomina non proprie dici, at vniuoca proprie dicuntur de illis quibus competunt, proprerea approbandum non puto sententiam Vicomercati, dicentis, denotata esse eiusdem speciei, nam quæ sunt eiusdem speciei vniuoca sunt, & cum non sint vniuoca, etiam non sunt

Solutio 1. Nomina coctionū non esse Vniuoca.

sunt æquiuoca penitus, quæ dicuntur æquiuoca casu, nam vt ait Aristoteles, seruatur similitudo, & eis vtimur in scientia; sunt itaque nomina partim ab vno & ad vnum, quatenus in eis inuenitur magis & minus proprium, principalius & minus principale, secundum aliquam similitudinem, non ita tamen sunt ab vno, vt primum sit causa aliorum, sed solum quia prædita sunt ordine aliquo; insuper partim sunt eadem secundum analogiam, quia dicuntur de variis seruata semper consimilitudine rationis inter agentia & patientia, hoc tamen in loco ex proprio instituto solum consideratur coctio per naturam elaborata; & si quæratur, cum sint ab vno quodnam est principale. Respondeo primum vt ad rem facit, esse duplex, vnum secundum conditionem & naturam coctionum, alterum secundum impositionem nominum, secundum primam cõsiderationem primo dicitur de coctione per naturam, cuius Ars est æmula, secundum alteram vero quia nomina imponimus primo rebus notioribus, qualia sunt arte elaborata, econtrario se habet. Erat secunda dubitatio quia Aristot. diminute proponit coctiones, & præsertim, quia dicet finem coctionis nonnũquam esse formam, & Auerroes in proœmio huius libri, inquit generationem mixti fieri per coctionem. Olympiodorus duas dat solutiones, prima est, coctionem alimenti in ventriculo esse elixationem, & ad eam redigi. Altera est, institutum Aristotelis esse, loqui non de coctionibus factis a facultatibus animæ, qualis est coctio alimenti, sed de iis tantum, quæ a Qualitatibus efficientibus producuntur, coctio autem per quam mutatur forma, non a Qualitatibus, sed a substantia & propria natura perficitur. Hæ solutiones difficultatem non auferunt, non prima, quia quamuis coctio cibi in ventriculo sit quædam Elixatio, non ob id competit rei secundum naturam constitutæ, vt proponitur declaranda coctio ab Aristotele. Non secunda, quia quamuis coctio in ventriculo fiat ab anima dirigente, proxime tamen fit a naturali calore Animalis, quod proximum considerat Philosophus; Insuper quamuis mutatio essentiæ & productio nouæ formæ sit opus Naturæ, tamen coctio ex Qualitatibus pendens, non dicitur rei cõstitutæ per naturam, sed ordinatæ in naturam, cum Qualitates coquentes parent pro futura forma. Propterea pro solutione duo accipio, primum est, morem fuisse Aristotelis loquendo de his quæ sunt ab vno, præsertim inspicere id quod principale est, vt legitur sub initio quarti Metaphysicæ, & quia proprie & præsertim coctio dicitur perfectio rei secundum naturam constitutæ, vt plãtæ, & seminis, vel saltem in ea, pro ea, & per calorem eius elaborata, vt coctio cibi, ideo hanc inspexit & explicandam proposuit Aristoteles. Alterum est quod coctionis duo considerantur termini, vnus coctioni internus & proprius, & est congruens Temperamentum humidi cum sicco; alter externus, primo superueniens, & est nonnunquam forma pro qua Temperamentum parat, Aristoteles, vt principaliorem coctionem, ita terminum proprium considerauit, dum ea verba protulit. Hinc sub initio libri dixit huiusmodi mutationes fieri in Animalibus, plantis, & partibus, hæc autem dicuntur iam per naturam constituta. De tertia difficultate inquit Ludouicus Baccaferreus, Aristotelem nomine inconcoctionũ denotasse vtrumque extremum, & parum & nimium, quę solutio nõ est approbanda, quoniam Aristoteles ait, inconcoctionem fieri a frigore, quod de nimio verum non est. Insuper, definitiones specierum, quæ tradẽtur solum competent defectui, non excessui, Pomponatius dupliciter soluit: primo inquiens Aristotelem nomine coctionis denotasse non medium tantum, sed medium cum excessu, adeo vt caro summe elixa, vel adusta dicatur, quæ

Quaritur coctio per naturam. *Qua sit coctio principalis.* *Solutio 1. Olympiodorus.* *Euersio.* *Solutio propria.* *Coctionis duo termini.* *Tertia dubitatio* *Lud. Bac.* *Euersio.* *Pomponatius.* *Euersio.*

solutio non est approbanda, primo, quia id nimiū, non est perfectio, sed potius consumptio & interitus proprii humoris. Præterea, inquit Arist. difficilius esse assare, quam elixare, quia difficilius est assando modū seruare, quod non cōtingeret, si nomine assationis etiam nimium denotaretur, confirmatur: quia si ea esset coctio, esset perfectio, si perfectio non deberet dici nimia, nō. n. perfectioni competit nimium. Secundo soluens ait Aristotelem putasse coctioni quę media est, duo extrema opponi, loquutum tamen fuisse de vno vt notiore & magis proprio, non reiiciendo, sed simul denotando alterum, quæ solutio etiā non videtur approbanda, tum quia si alterum est ignotius, vt ignotius magis est explicandum, tum insuper, quia nimiū Aristoteles fuisset diminutus, non faciens de eo mentionem, nec eius definitionē & principia propria tradens. Propterea, secus soluens dico inconcoctionis nomen solū defectui congruere, non excessui, id. n. quod in coctione est nimium, est via ad interitū, consumptio humoris, & marcedo, vt ea pomorum, non autem inconcoctio, adeo quod in actione Qualitatum considerantur tres progressus, & tres termini, primus ad esse mixti, & dicitur generatio simplex, alter ad perfectionem eius, & dicitur coctio, cuius diminutio est incōcoctio, tertius ad euersionem perfectionis & interitum formę, quæ euersio, dicitur egressus a perfectione, & deprauatio eius, non autem incōcoctio. Ad instantiam quia medio duo sunt contraria. Respondeo, Aristotelem non considerasse coctionem vt medium, sed vt perfectionem, & finē eius, progressus qui est ex imperfecto ad perfectum, cui vt termino ad quem opponitur incōcoctio vt terminus, a quo, & via ad illum. Dum autem consideratur coctio vt medium, tunc habet duo extrema, quorum vnum est inconcoctio, alterum consumptio, adustio, & marcedo quædam, quod refulget ex declaratione putredinis, quæ est modus quidam interitus ab aliis distinctus.

Solutio propria.

CAP. III.

Definitio Coctionis.

Cont. "COCTIO itaque est perfectio a naturali & proprio calore ex oppositis passiuis, hæc autem sunt propria vnicuique materię, nam cum sunt cocta, perfecta sunt & genita. Et principiū perfectionis a calore proprio proficiscitur, etiā si aliquo externorum adiumento compleatur, vt alimentum coquitur per balnea, & alia huius generis, attamen principium est internus calor.

Expositio. Philosophus declaraturus coctionem, congruenter a genere orditur, tradens eius definitionem, nonnullasque partes definitionis explicās, definitio est quod sit perfectio a naturali & proprio calore ex oppositis passiuis: in qua definitione pro genere sumitur perfectio quæ cum sit forma, etiam est internus finis transmutationis, Philosophus definiens generationem simplicem mixti pro genere sumpsit mutationē, quia per eā res mutatur ex nō esse, ad esse: definiens autem coctionem pro genere accipit perfectionem, quia coctio consideratur in re per naturam constituta, adeo vt per coctionem non recipiat esse, sed perfectionem, quæ perfectio ad Qualitatem attinet, & dirigitur in perfectionem quæ est forma substantiæ. Addit causam efficiendam, a naturali, & proprio calore, denotando vt dixi, non substantiam & corpus calidum quod est agens integrum, sed Qualitatem quæ est prima ratio calefaciendi, qui calor partim est instrumentum, partim est agens principale, dum consideratur vt calefaciens, & consimilia nectens, principale est, dum vero consideratur vt parans & disponens

Forma coctionis.

Causa efficiens.

pro substantiæ forma, vel præsente vel futura, instrumentum iudicatur, sola enim substantia ad substantiam dirigit, & congruentes terminos alterationi præscribit: Philosophus loquens de putredine, proprium prætulit naturali, nunc vero de coctione loquens, naturale praefert proprio, quod cum ab aliis non consideretur, puto recta ratione ab eo fuisse factum, nam proprium referrur ad constitutionem rei, & quia per putredinem hæc est quæ euertitur, ideo primo dicitur interitus proprii caloris, naturale vero refertur ad operationem, natura.n. principiũ motus dicitur, & quia coctio est operatio & motus, ideo præferturnaturale dicendo à naturali & proprio calore. Tertio loco Philosophus materiam refert inquiens, ex oppositis passiuis. Ludouicus Boccaf. putat denotari solum humidum, quia coctio humidi est, & inquit Aristotel. vti plurali, ob varias coctiones variorum humidorum. Quam expositionem non puto approbandam, primo, quia si solum humorem denotare voluisset, vsus fuisset nomine eius proprio, non communi aliis, id enim maxime in definitionibus seruandum est. Præterea quamuis coctio præsertim sit humoris, non tamen eius est secreti à sicco, nam concretio eius per coctionē est vna cum sicco. Dicamus itaque Aristotelem denotasse ambas Qualitates passiuas, præsertim tamen humorem, eas dixit oppositas, triplici ratione; primo, quia opponuntur inuicem: secundo, quia vt patientes opponuntur agentibus: tertio, vt aiunt Alexander & Olympiodorus, quia oppositionem includunt ex parte terminorum coctionis, per quam ex imperfecto ad perfectionem perducuntur: hinc patet ratio cur dixit ex oppositis, nam ex, denotat terminum à quo, & ita Aristoteles materiam vna cum termino à quo, denotauit, qui opponitur termino ad quem, & id facere debuit, cum coctio sit permutatio. Data definitione explicat postremam eius partem, nempe opposita patientia, inquiens: hæc autem sunt propria vnicuique materia, denotando humidum cum sicco, competens mixtis, quæ pro varietate mixtorum sunt varia, & vnicuique propria, addit Philosophus, hæc cum cocta sunt, perfecta sunt & genita, hoc est ea corpora, quibus coctio competit, ex parte coctionis sunt perfecta, ex parte suæ substantiæ sunt genita, nam generationis duplex est finis, vnus generationis absolute, & huiusmodi est forma, alter perfectæ generationis, & huiusmodi est forma cum perfectione, quæ viuentibus competit dum valent simile generare, tunc enim vnumquodq; perfectum dicitur, dum simile generare valet. Postremo loco explicat attinentia ad causam efficientem soluendo tacitam obiectionem, nam principale coquens est calor naturalis & proprius, si alia adhibentur, vt balnea, fomenta, odores, & similia calefacientia, ea adhibeatur tanquam famulantia calori naturali, vel illum perficiendo, & augendo, vel humores alterando & parando, vt facilius à proprio calore superentur. Tres Aristoteles in definitione causas expressit, efficientem, materiam, & formam, & referendo formam, retulit finem internum, qui generationis est, finem externum coctionis prætermisit, quia non est vnus & definitus, ideo seorsum illum explicabit vt patebit ex sequenti contextu.

Materia. *Lud. Boc. Euersio.* *Expositio propria.* *Explicatio postremæ partis.* *De cau. efficiēte.* *Cur dimittitur finis externus.*

CAP. IIII.

Dubia nonnulla ex definitione coctionis prodeuntia.

EX Definitionum notitia pendet cognitio omnium ad rem definitam attinentium, ideo pro ea noscenda accuratissimi esse tenemur. Ex Definitione coctionis varia prodeunt dubia, quæ in quatuor capita redigūtur, vel enim per-

Quatuor dubitationum capita.

Attinentia ad definitum. tinent ad rem definitam, vel ad formam, vel ad causam efficientem, vel ad materiam; ordiens à re definita, dubitatio prima est, num Arist. definiat coctionem sumptam pro solo fluxu, vel pro sola forma per fluxum producta, vel pro congregato ex vtrisque; Altera est, cum coctio sit multiplex, nam vel fit arte, vel natura, & quæ fit Natura, vel antecedit generationi, vel in re iam genita reperitur, dubium est quam harum, & num vnā, vel plures, vel omnes definiat Arist.

Solutio. De prima difficultate inquiunt nonnulli, definiram fuisse coctionem pro fluxu, ratio est, quia cōsideratur vt actio caloris agentis trāsiens in aliud, & ad perfectionē tendens: quam opinionē reiciendā puto, quia coctio sumpta pro fluxu est mutatio, quæ in 3. Phys. dicitur actus imperfectus, coctio autem dicta est perfectio. *Euersio.* Præterea, coctio pro fluxu vt continua, attinet ad quantitatem, vt recipitur in patiente, dicitur passio, non autem perfectio. Propterea alii aiunt definiri coctionem pro forma quæ acquiritur, quæ forma est perfectio sumpta pro genere, quæ opinio quamuis præferenda sit primæ, non tamē omni ex parte est approbanda, quoniam proculdubio Arist. definit coctionem pro congregato, præsertim tamen pro forma, quæ pro genere sumitur, quod ostendo, primo, quia vt definiebatur generatio, ita nunc est definienda coctio, generatio autem definiebatur pro congregato, vt patefeci. *Definiri coctionē pro fluxu iuncto cū forma.* Confirmo, quia Arist. definiuit per causam efficientem, per quam præsertim ea definiuntur quæ cum fluxu, & quatenus fiunt considerantur. Insuper dixit ex oppositis passiuis, indicando, vt dixi terminum à quo, attinentem ad fluxum. Præterea, Arist. pollicitus est se declaraturum opera primarum qualitatum, vt ex eis pendent, hinc generatio, putredo, & coctio, singulæ definiuntur vt pendent ex qualitatibus primis, hoc est pro forma cum fluxu iuncta, & quamuis fluxus vt fluxus, sit actus imperfectus, tamen ratione formæ quæ per gradus acquiritur, perfectio est, vel diminuta vel completa. *Qua coctio definiatur.* Quærebatur secundo, quam coctionem definiat Arist. *Pompon.* Pomponatius ait, solam definiri coctionem natura elaboratam, quod elicitur ex causa efficiente quæ dicitur calor naturalis, Insuper elicitur ex verbis Philosophi proponentis declarandas species, quas dictę facultates efficiūt, ex subiectis quæ natura iam constant, hæ autem non fiunt arte, sed Natura. Hinc data definitione, instantiam soluit de Balneis, & aliis quæ arte adhibentur, inquiens hæc conducere vt instrumenta, proprie tamen coctionem fieri à naturali calore. Ex ad- *Lud. Bocc.* uerso Clarissimus Boccaf. inquit, definitionem vtrisque competere, & per naturalem ac proprium calorem ait denotari non internum, sed contemperatum, *Euersio.* & commensuratum: at nimium conspicue verbis Arist. aduersatur, & nimium longe recedit à propria vocum significatione, dum nomine naturalis & proprij ait denotari contemperatum & commensuratum, & præsertim quia Physica & *Solutio propria.* Artificiosa cum sint distincta, minime eadem definitione definiuntur. Propterea soluens dico, cum triplex sit coctio, vna in re per naturam constituta, altera antecedens generationi mixti consimilis, tertia arte elaborata, quæ imitatur vel primam, vt coctio vini, & assatio, vel secundam, vt productio metallorum per artem Chymicam. Quemadmodum coctio de his dicitur, ita eis definitio competit, Arist. sibi definiendam proposuit coctionem natura elaboratam, ea pertinet ad Physicum, & ei proprie competit definitio, cuius cum imitatio quædam sit coctio artificiosa, iure definitio ei cōpetit per imitationē, hinc Arist. frequenter exempla petit ab artificiosis tanquā ab imitationibus nobis notioribus, ita lapides dicit crudos, & sæpe incidet in sermonem coctionum arte Elaboratarum, indicans similitudine quadam eis competere definitionem; & in cap. de assatione inquit:

ne inquit: Assatio & Elixatio arte quidem fiunt, sed species hæ, vt diximus, vniuersales sunt, & à natura similes quædam affectiones fiunt, quanquam nomina non habent. Colligo itaque definitionem ex instituto competere coctioni naturali, & præsertim ei quæ fit in corpore per naturam constituto, per imitationem vero & similitudinem competere arte elaboratæ, & præsertim, quia hæc etiam non fit sine auxilio Naturæ. *Conclusio.*

CAP. V.

Dubia attinentia ad formam siue genus Definitionis coctionis.

PRo genere explicante formam coctionis sumebatur perfectio, de qua cum sit vox communis, multis competens, non leuis est dubitatio, quæ perfectio per huiusmodi vocem denotetur: & augetur difficultas, quia perfectio extenditur ad omnia decem Prædicamenta, communia autem decem Prædicamentis non recte sumuntur in definitionibus ex proprio genere & differentiis constituendis. Præterea, si coctio esset perfectio, vt se haberet de coctione, ita de perfectione, quod tamen verum non est, quoniam coctio potest dici nimia, inquit enim Auicenna, bilem fieri ex nimia coctione, & sæpe dicimus oua & carnes nimium esse cocta, perfectio autem nunquam dicitur nimia, perfectum enim est cui nil deest, nilque addi potest, vt dicitur 5. Metaphys. 19. De prima difficultate, quid nomine perfectionis denotauerit Aristoteles, variæ sunt opiniones, vt autem ad verioris inuentionem excitemur, expedit, vt ab earum relatione ordiamur. Auerroes in proœmio huius lib. necnon com. 14. & cum eo Timon, inquiunt nomine perfectionis denotari Temperamentũ ex quatuor primis qualitatibus, siue complexionem, quæ est qualitas secunda, attinens ad tertiam speciem qualitatis, quæ dicitur passio & passibilis qualitas mixti. Nõnulli viri docti arguunt hanc opinionem, primo: quia sic coctio nõ magis fieret à calore quam ab aliis qualitatibus, cum omnes conspirent ad constitutionem Temperamenti. Secundo, quia coctio est affectio mixti, quare præsupponit Temperamẽtum & formam eius. Tertio si coctio esset ea perfectio, quæ est Temperamentum, tunc etiam mutatio eius ex calido in frigidum, vel econtrario, quæ congrueret alicui, formæ, esset coctio, etiã si nulla humoris fieret permutatio, quod tamen verũ non est. Ideo Vgo Bentius vir eruditissimus in secundo artis Medendi Suasus huiusmodi rationibus, ait Temperamentũ esse duplex, vnum efficientium, alterum patientiũ qualitatum, & ait coctionẽ esse perfectionem, quæ fit Temperamentũ solum patientium qualitatum. Hanc opinionem nonnulli reiicere nituntur, tum quia non datur Temperamentum efficientium distinctum ab eo patientium, tum quia coctio est affectio perfecte mixti, ideo Temperamentum & eius formam præsupponit, tum demum, quia sic omnis mutatio in patientibus, vel ab humido in siccum, vel econtrario esset coctio, quod verum non est, sola enim mutatio in siccius est coctio. Ideo est tertia opinio Lud. Boc. dicentis coctionem dupliciter vsurpari, vel pro actu primo, vel pro actu secundo, pro actu secundo dicitur fluxus, pro primo est forma & perfectio, quę est terminus, incrassatio & consistentia humidi. Confirmatur per Aristotelem dicentem, mustum lachrimas, & pús tunc esse cocta, dum eorum humor à naturali calore consistentiam susceperit, & ob id ait, vtinam & fęces concoctas polliceri sanitatem, quia indicant imperium caloris super humorem, ac ob idipsum cocta dicuntur reddi crassiora. Crassitudo itaq;, densitas, & consistẽtia humidi quæ est

Dubia de genere coctionis. *Solutio.* *Auerroes.* *Euersio.* *Vgo.* *Euersio.* *Opinio 3. Lud. Boc.*

qualitas secundæ speciei, Temperamentum præsupponens est perfectio sumpta pro genere coctionis. Hoc videtur sensisse Olympiodorus inquiēs, omnem coctionem fieri à calido humorem condensante. Similiter Alexander cum dicat, dum humidum à proprio calido vincitur, fit coctio: & Aristoteles ait, cum humidum fuerit factum tale, aut tantum, dicitur coctum, & addit, omnia hoc pati cum obtineatur materia, & humiditas, hæc enim ea est quæ terminatur à naturali calore, &c. Hæc opinio satis est dubia, quoniam crassitudo & cōsistentia humoris dicitur sequi coctionem, non autem dicitur coctio: hinc dicimus cocta reddi crassiora, indicando quod sequatur coctionem. Præterea multa sunt cocta, quæ tamen non sunt crassa, vt vinum vetus, spiritus, & similia: hinc ait Auerroes in proœmio quarti Meteororum stabilitatem, & consistentia rei coctæ esse accidens: nam si ea non adesset, dummodo adesset congruens Temperamentum, adesset coctio. Præterea, coctio extrinsecus pro fine habet naturam & formam, ad quam non sola nec præsertim humidi consistentia dirigitur, sed vniuersum Temperamentum; res itaque satis est dubia.

Olympiad.

Euersio.

Cap. VI.

Resolutio difficultatis de perfectione ex coctione prodeunte.

Opinio propria.

Cōciliū. Quatuor in coctione consideranda.

Diluuntur instātia.

VT ad veritatis inspectionem exactius disponeremur, retuli opiniones varias, & probabiliter de illis deserui, nūc vero pro resolutione dico, opiniones omnes relatas aliquid veri includere, & aliqua ex parte conciliari posse, quatenus ex omnibus simul iunctis exacta veritatis forma refulget, nam quatuor in coctione considerare valemus, primo, perfectionem totam rei coctæ, & hāc considerauit Auerroes. Secundo, materiam principalem coctionis & perfectionis, & est humor sicco iunctus, quam considerauit Vgo. Tertio, id quod obtinet locum formæ coctionis, & est temperamentum efficientium qualitatum, vt dixit Pomponatius q. 27. demum affectionem, & accidens sequens coctionem & signum coctionis, & est consistentia considerata à Ludouico Boccaf. Arist. tamen inquiens coctionem esse perfectionem, denotauit perfectionem totam consurgentem ex patientibus tanquam materia, & efficientibus tanquam forma, ideo dixit esse perfectionem ex oppositis passiuis, indicans patientes qualitates concurrere tanquam materiam, cum termino à quo. Instantiæ quæ aduersus hanc opinionem ab Auerroe approbatam afferebantur, facile diluuntur, prima erat, quia tunc coctio non magis fieret à calido, quam ab aliis qualitatibus soluitur, quia coctio mutatio est cuiuslibet qualitatis, modo eis congruente, mutatur humor vt principalis materia coquenda, quod non fit sine mutatione sicci contemperantis, quod cum fiat per calorem formantem, & frigus contemperans, in his quoque reperitur mutatio. Dicebatur secundo, coctionem esse affectionem mixti. Respondeo, coctionem includere quidem Temperamentum, vt species suum genus, ei tamen superaddere congruentem dispositionem, tanquam propriam differentiam, Temperamentum enim esse potest & congruens & non congruens. Addebatur tertio, quod tunc mutatio in efficientibus sine ea patientium esset coctio; soluta est hæc instantia: nam dixi ratio coquendam, vt principalem materiam esse humorem, nec fieri mutationem in efficientibus, quin fiat in patientibus, cum se habeant tanquam materia & forma. & alterius formæ altera sit materia, vt dicitur in secundo Physicorum 26. Instantiæ relatæ aduersus alias opiniones nullius sunt roboris, dum

ita opiniones explicantur, vt ego patefeci, namq; tamuis ex quatuor qualitatib. vnicum consurgat Temperamentum, tamen quia in eo includuntur duæ oppositiones earum, considerare valemus, quæ illarum obtineat locum formæ, & quæ materiæ, & vnicuique id tribuere debemus, quod ei congruit. Superest demum, vt diluamus rationes quibus ostendebatur perfectionem non recte pro genere accipi, tum quia extenditur ad omnia prædicamenta, tum insuper quia ei non competit nimium, vt coctioni. Soluitur prima, quia dum desunt nomina propria proximi generis, licet vti communibus, contrahendo illa per differentias proprias, vt anima etiam definitur, quod sit actus. De secunda dico, dari minus & magis perfectum, nimium perfectum non dari, quia nimium aduersatur & destruit perfectionem. Similiter datur minus, & magis coctum, at non nimium coctum, & dum dicimus aliquid esse nimium coctum, improprie loquimur, solum indicâtes, id tendere in resolutionem, vel combustionem, vel marcedinem. Bilis flaua dicitur fieri per nimiam coctionem, non quidem bilis, sed sanguinis, dum enim ea coctio refertur ad Bilem non est nimia. *Diluuntur rationes primæ.*

CAP. VII.

Dubia attinentia ad causam efficientem Coctionis.

COCTIO dicebatur fieri à naturali & proprio calore, aduersus quam efficientem causam variæ se offerunt difficultates. Prima est, quia Aristoteles in secundo de anima, & de partibus animalium inquit, nutritionem, quæ non fit sine coctione, non à calore principaliter fieri, sed ab anima, nunc tamen silentio præteriens animam, ait fieri à calore. Præterea assatio, & elixatio, non à proprio, sed ab externo calore efficiuntur. Similiter alimentum in ventriculo, non à proprio eius, sed à calore animalis coquitur. Insuper poma calore solis, & palearum maturantur. Confirmatur: quia nil se generat, coctio autem est via ad generationem. Præterea, coctio etiam à frigore fieri potest, vt Pinguedo à Galeno in secundo de Temperamentis dicitur fieri à frigore membranarum, & Theophrastus inquit nonnullos fructus solo frigore & Pruina maturari. Insuper & Medici bilem coquere cupientes vtūtur syrupis refrigerantib. ex endiuia, acetosa, & similibus. Pro solutione harum difficultatum considerandum primo est, quid Arist. denotet per naturalem & proprium calorem, & præsertim, quia sibi constare non videtur, primo enim definiens genus coctionū, ait fieri à naturali & proprio calore, mox definiens assationem, & elixationem, eius species inquit fieri à calore externo, cum tamen eadem sit ratio specietū & generis. De re dubia opiniones sunt variæ, Pomp. q. 46. ait definiri coctionem natura elaboratam, & eam fieri à calore naturali, & proprio rei coquentis, qui dicitur naturalis quatenus operatur per instrumenta propria, à natura illi operationi destinata, dicitur proprius rei coquendæ, quia cum ea iungitur, ei congruit eamq; perficit. Hęc explicatio satis est dubia, & per eam voces minus proprie vsurpantur, nec est rationi consentaneum, vt idem calor, duorum oppositorum nempe agentis, & patientis, dicatur naturalis & proprius, quod enim est propriū vnius, non dicitur proprium alterius: insuper, non recte externum agens dicitur naturale patienti, cum conditio naturæ sit, vt sit principium internum; Demum absurdum videtur quod Philosophus eisdem vocibus vtatur in definienda Putredine & coctione in distincta significatione. Propterea Ludouicus Boccaf. putans definitionem esse communem coctionibus natura, & Arte elaboratis, in-

Dubitatio prima. *Secunda.* *Tertia.* *Quid Aristoteles denotet per naturalem & proprium calorem.* *Pompo-natius.* *Euersio.* *Lud. Boc.*

quit, per calorem naturalem & proprium debere intelligi contemperatum, & operi efficiendo commensuratum, adeo, vt resoluat humorem reduntantem, non congruenrem, & huiusmodi calor dicitur naturalis, & proprius rei constituendæ, tanquam fini; Quæ sententia etiam mihi videtur dubia, nam conspicue Philosophus calorem Balnei, fomentorum, & similium, quamuis contemperatum, secreuit à proprio & naturali, vt patuit. Præterea, Arist. agens de assatione, nõ ait fieri à proprio & natúrali calore, sed ab externo, de maturatione vero, ait fieri à naturali, qua vocum varietate putandum est varia denotasse. Confirmatur: quia sola naturalia dicuntur fieri à principio naturali, non autem Artificiosa, quæ vt Artificiosa principium habent externum. Pro resolutione difficultatis tria accipio, Primum est, coctionem esse ab vno, & primo dici de elaborata per naturam, & præsertim de competente rei per naturam constitutæ, & hanc præsertim inspicere Arist. Accipio secundo, quod cum principalem definiat, indicat tamen per varia quæ profert, eandem definitionem paucis mutatis posse reddi communem, & competere omnibus, veluti etiam in secundo Physic. cum dedisset definitionem naturæ mortalium, eam talem tradidit, vt in primo de Cœlo conr. 5. paucis mutatis, etjam naturæ Cœli reddiderit communem. Accipio tertio, maxime proprie per naturam fieri maturationem, & eam præsertim à Philosopho cõsiderari, quia competit rebus iam per naturam constitutis, minus proprie elixationem, qualis est ea cibi in ventriculo, adhuc longe minus proprie assationem, hinc Aristot. definiens coctionem, quæ est ab vno, principalissimamq; inspiciens, dixit fieri à calore naturali & proprio, & descendens ad speciem principalissimam, nempe ad maturationem, dixit fieri à calore naturali, definiens elixationem minus proprie à natura factam, & ferè æque aptam fieri per naturam & artem, neutrum assumpsit, nec naturalem nec externum, definiens demum assationem proprie magis ab arte factam minime proprie à natura, dixit fieri à calore externo, qua varietate patefecit Philosophus, coctiones ob eorum varietates non proptie esse præditas communi vniuoco: hinc in secundo Post. dicitur, facilius esse definite species, quoniam in generibus latent æquiuocationes, vt dicebatur in 7. Phys. & propterea mira arte inspexit principale, & in communi definitione id expressit quod principali competit, patefaciens exigua facta mutatione, posse definitionem aptari singulis, addendo id quod vnicuiq; est proprium. Ex his elicitur resolutio difficultatis, nam dico Arist. semper vsum esse vocibus in propria significatione, quod in definitionibus maxime seruandum est, & per calorem naturalem & propriũ denotasse calorem secundum propriam naturam competẽtem vel rei quæ coquitur, vt in maturatione, vel pro quo, & in quo, vt in Elixatione cibi in ventriculo & assatione aliqua naturali, at quia assatio magis proprie fit ab arte, quam à natura, ideo eam definiens, id ei tribuit quod Artificiosæ competit, vt per eam duceremur in notitiam assationis natura elaboratæ; Sic definitio coctionis primo & præsertim competit maturationi, secundo Elixationi, tertio assationi natura elaboratæ, explicatæ mox per assationem arte cõfectam magis proprie dictam, nobisque notiorem. Instantiæ primo relatæ facile diluuntur, prima erat, quia Aristot. in definitione sumpsit instrumentum & prætermisit agens principale: respondeo, cum coctio sit alteratio, agens proximum & proprium accidens est, & hoc fuit assumendum. Insuper, agens dirigens non est definitum, sed in viuentibus & non viuentibus varium est. Tertio institutum Arist. erat patefacere opera primarum qualitatum, & explicare modum quo ex illis pendeant. De assatione,

Euersio. *Pro resolutione accipitur. Primo. Secundo. Tertio. Resolutio. Diluuntur instantia.*

assatione, Elixatione & coctione alimenti in ventriculo satis dictum est. De *De coctione pinguedinis.* pinguedine dico à frigore membranarum congelari, coqui tamen à calore, vt etiam metalla à calore coquuntur. Addebatur fructus maturari & calore solis, Palearum, & à frigore, respondeo, calorem solis vel augere & fouere calorem *Frigus quomodo maturet.* proprium, vel humorem disponere, vt à calore proprio, superetur & regatur, frigus maturat ex accidenti, vel per antiperistasim augendo calorem proprium, vel sua facultate humorem incidendo; debilioremq; reddendo, & rem coquendam parando, sic olera per gelu coqui modo quodam videntur. De Syrupis di- *De Syrupis.* co, vel eos incidere humores & parare ad expulsionem, quæ non vere est coctio, vel eos parare, vt à calore facilius vincantur, vel demũ calorem congruenter contemperare pro perficienda coctione.

CAP. VIII.

Dubia ad Materiam coctionis pertinentia.

PHILOSOPHVS patefacturus materiam coctionis, vna cum termino à quo, *Dubitatio ad materiã attinens.* dicebat esse perfectionem ex oppositis passiuis, denotando præsertim humorem secundario siccum: oritur dubitatio, quia in definitionibus primo sumendæ sunt causæ internæ, mox externæ sunt addendæ, vt ita dicitur accensio sanguinis circa præcordia ob appetitũ vindictæ, in definitione coctionis id non seruatur, sed primo explicatur forma, secundo efficiens, tertio materia, & id *Prima.* ipsum fecit Philosophus definiens generationem, cum tamen definiendo putredinem recto ordine primo formam, secundo materiam, tertio causam efficientem retulerit. Altera dubitatio est, quia materia cum alio genere causæ non *Secunda.* coincidit, & præsertim forma non videtur posse dici materia, cum ei opponatur tanquam actus potentiæ, at humor & siccitas, sunt formæ, & earũ officium per se non est pati, quare perperam sumuntur pro materia. Tertia dubitatio est, quia *Tertia.* humor rei coquendæ, vt alimenti in ventriculo, potius dicitur interire quã perfici, cum cibus pereat, & in chylum vertatur, & præsertim dum consideratur, vt iunctus cum termino à quo. De prima difficultate dico, in definitione affectionum causas externas postremo loco accipi, vt primo pateat quid, mox propter *Solutio prima.* quid, & constet eam esse definitionem solo partium ordine à demonstratione distinctam: at coctio non ita definitur, non enim habet causam efficientem, & externum finem, quæ tanquam integra causa cum ea reciprocentur, ideo vt clarior refulgeat explicatio, licuit mutare ordinem. Instabatur secundo, quia materia non coincidit cum alia causa. Respondeo, id esse verum de materia prima, *Secunda.* quæ penitus est potestate, at formæ antecedentes, parantes pro sequentibus, quamuis ipsæ seorsum non sint materia, tamen vnà cum subiecto quod parant, materię proximę officio funguntur, & quamuis forma, vt forma, non patiatur, sed agat, primæ tamen contrarietates iunctæ cum materia, & ad inuicẽ relatæ ita se habẽt, vt vna pati, altera agere dicatur. Instabatur postremo, quia quod in- *Tertia.* terit non perficitur. Respondet Olympiodorus, coctionẽ cibi ex parte sui esse *Olympiodorus.* putredinẽ, ex parte autem nostri vsus esse coctionem & perfectionem, ac ita di- *Euersio.* stingui ratione. Quæ opinio iam in præcedentib. reiecta est, nam patefeci, non semper coctioni antecedere putredinẽ, insuper coctio, vt coctio, est alteratio, non generatio, ideo non est alterius corruptio, internus enim eius terminus *Solutio propria.* Temperamentum est, non forma substantiæ, ideo non sola ratione distinguitur à generatione. Propterea respõdeo materiam in permutatione considerari,

vt est potestate, potestas autem per actum perficitur, ideo quamuis coctio ex parte termini à quo, sit quidam interitus, tamen ex parte subiecti perficiendi & termini ad quem, est perfectio, vel patans pro futura forma, vel disponens, vt valeat simile generare, veluti per maturationem.

Cap. IX.

De fine externo Coctionis.

Contextus. AT verò finis aliis Natura est, Natura autem quam, vt speciem & essentiam dicimus. Aliis in subiectam quandam formam finis est coctionis, quando
,, tale redditum fuerit humidum, & tantum, aut assatum, aut elixum, aut putre-
,, factum, aut quouis alio modo excalefactum, tunc enim vtile est & coctum di-
,, cimus veluti mustum, & quæ in tuberculis coeunt cum suppuruerint, & La-
,, chryma cum facta fuerit. Sordes, siue lippitudo Græce λήμη. Similiter & alia.

Vicom. Inducitur hic cont. à Vicom. quod cum coctio dicta sit πλείωσις, hoc est *Euersio.* perfectio & πλείωσις sit via πρὸς τὸ τέλος, hoc est ad finem, iure quis sit hic finis Aristoteles ostendit, quæ inductio conspicuũ includit errorem, quia perfectio denotat adeptionem finis interni, non externi, vt domus dicitur perfecta, dum formam suam habet, etiam si nemo habitet in ea. Similiter coctio perfecta est dum internum finem est assequuta: nunc autem Philosophus loquitur de fine externo. Propterea dicamus, cum finis externus coctionis non sit vnus & de- *Sententia propria.* finitus, & ob id non potuerit accipi in definitione, ideo, vt ille quoque pareat, Aristoteles seorsum à definitione illum explicat, pro cuius notitia dicendum, finem coctionis esse duplicem, vnum internum, ob quem dicitur perfectio, alte- *Finis coctionis duplex.* rũ externũ, de quo modo est sermo, qui adhuc est duplex vnus, natura propria, quæ est essentia & forma rei, quæ coquitur, & dicitur finis externus coctionis, quia quamuis sit internus illi subiecto, tamen est extra terminum proprium coctionis, qui est accidens, & congruens Temperamentum, huiusmodi finis externus qui est natura & forma inspicitur in maturatione fructuum, & puerorum, qui tunc maturi dicũtur, dum eorum coctio valuerit formæ inseruire, pro vlterius generatione, & hunc externum finem primo refert Aristoteles. Alter secundo loco explicatus, est, vt humor & Temperamentum paretur, vt possit optato alicui fini conducere, qui optatus finis præsertim est duplex, vel enim est noua forma ex ea materia denuo reducenda, vt se habet de elixatione alimenti in ventriculo, pro recipienda forma chyli, vel est dispositio pro secretione, vt se habet de pure tuberculorum, de sorde oculorum, de coctione humorum aduersorum pro secretione, quæ ab Aristotele putrefacta dicuntur, & quia coctio fit per calorem, ideo vt omnia vno verbo perstringat, ait, aut quouis modo *Medici.* excalefacta; A Medicis explicatur hic duplex finis externus postremo relatus. Dum aiunt coctionem esse, vel humoris benigni, vel maligni & aduersi, ex quo etiam constat Aristotelem eandem coctionis definitionem extendere etiam ad coctiones aduersorum humorum, quæ apparent in febribus, & nimia humorum copia laborantibus, quæ indicant imperium virtutis & pollicentur sanitatem.

Cap.

CAP. X.

Tria dubia ex finis externi relatione prodeuntia.

EX dictis ab Aristotele pro declaratione externi finis coctionis, tria emergũt dubia, primum est, quia videtur putredinẽ numerare pro specie coctionis, cum dicat: dum humidum redditum fuerit tale, aut tantum, aut assatum, aut elixum, aut putrefactum, &c. id tamen videtur absurdum, quia coctio, & putredo inuicem opponuntur. Alterum est, an coctio, & putredo ab eodem calore effici valeant. Tertiũ, an dicta de coctione in viuentibus facta, etiã vera sint de facta in corporib. inanimis. Pro solutione primæ difficultatis accipio, coctioni proprie opponi inconcoctionẽ, putredinẽ vero generationi, sed quia coctio nonnunquam pro externo fine habet formam, ideo ratione eius dicitur modo aliquo generatio, & opponitur putredini, quæ est interitus, insuper vt clarior reddatur dubitatio, & distinctius soluatur considerandum, quod Galenus in 3. de arte medendi inquit, coctionem remouere putredinem, & Aristo. in 3. de Gen. anim. c. 11. inquit, nil gigni putrescens, sed coctum, putredo vero & putridum excrementum est rei coctæ, & in 4. de Gen. anim. cap. 8. differens aduersus Empedoclem, qui Lac pus nuncupauerat, ait. Empedocles non recte putauit, aut non recte vsus est Metaphora, inquiens decimo octaui Mensis, pus extitit album, putredo enim coctioni contraria est, pus autem putredo quædam est, Lac vero res est concocta penitus, insuper in 4. Top. loco 70. ait, Empedoclem dixisse, vinum esse aquam putrefactam in ligno, hoc est in vite, sic itaq; Philosophus alibi damnat veteres nuncupantes coctionẽ nomine putredinis: nunc vero in errorem explosum labi videtur, nam Galenus quoq; in sexto Aphorismorum affirmat, consueuisse veteres in putrefacta ea nuncupare, quæ nos incocta dicimus. His præassumptis veniamus ad solutionem apparentis controuersiæ; Vicom. soluens ait, Aristotelem modo loqui ex sententia veterum, at nõ est rationi consonum quod in loco proprio, non ex propria, sed ex aliorum sententia loquatur alibi reiecta. Alii inquiunt, vt Gentilis & Vgo, quemadmodum calor & frigus remissa se compatiuntur, ita coctio & putredo remissa, dum enim aliquid desinit putrescere, incipit aliud coqui, ac ita putredo est coctio: & si quis instet, quia in statu febris putridæ, materia est summe cocta, nec ob id putredo desinit. Similiter si quis instet per Galen. in 3. artis medendi, & in fine de regimine acutorum, dicentem, dum sanguis vertitur in saniem perfectam, adest simul summa coctio, & putredo, inquiunt eam non esse proprie coctionẽ de qua loquitur Philosophus, sed ob temperantiam & dispositionem humoris pro expulsione. Hanc etiam sententiam non puto approbandã, tum quia Aristoteles non dicit putredinem esse coctionem, vt veteres, sed humidum putrefactum posse esse coctum. Præterea, iam patefeci dicta ab Aristotele de coctione vera esse, nedum de coctione humoris benigni, verum etiam aduersi: hinc definitio coctionis tradita à Philosopho etiã cõpetit coctioni puris, & lippitudinis, Propterea soluens dico, putredinem semper forma & ratione distingui à coctione, adeo vt nec coctio sit putredo, nec vice versa, cũ definitio vnius alteri non competat, nõ enim interitus est perfectio, ac ita recte Philosophus damnat veteres. Addo secundo, nonnunquam putredinem necti cum coctione, veluti in vlcere adest putredo carnis & sanguinis, coctio autẽ puris. Insuper in pure potest aliquid coqui, aliud sine coctione superesse, ideo Arist. in 3. de Generatione Animalium cap. 11. dixit, dum fiunt animalia ex putri, ea non fieri ex parte putrida,

Dubitatio prima. Secunda. Tertia. De proprie. Sententia Galeni. Aristot. Solutio apparentis controuersiæ. Vicom. Euersio. Gentilis. Euersio. Solutio propria.

ea namque secernitur, sed ex cocta & dulci, quare in pure aliquid potest esse putridum, aliud coctum. Dum itaque instatur, quia Aristoteles alibi ait, coctionem putredini contrariam, nunc vero humorem putrefactum numerat pro specie coctionis. Respondeo, Aristotelem non putredinem nuncupare coctionem, sed humorem putrefactum dicere coctum, pro denotanda coctione puris, facta pro expulsione, quæ ad maturationem redigitur, & distinguitur ab elixatione & assatione humoris vtilis, adeo, vt vniuersus ille humor vlceris possit dici putridus dum refertur ad carnē, ex cuius putredine prodiit, & partim possit dici putridus partim coctus, comparatis partibus eius ad inuicem. semper tamen distincta ratione & putridus, & coctus dicetur. De Lacte autem non recte dicebatur ab Empedocle, quod sit pus album, quia non est coctio alicuius putridi humoris, sed sanguinis, & pro notitia exactiore dictorum perpendere debemus sententiam Galeni in secundo Aphorismorum 47. dicentis, in vlcere varias reperiri alterationes, nam tres eas esse existimo, prima est putredo carnis à calore externo, altera est coctio puris per imperium caloris naturalis viuētis, tertia est coctio pro ortu vermis, quæ non fit cum imperio caloris naturalis viuentis, sed à calore præter naturam eius, secundum naturam autem vermis gignendi, quæ coctio non in quauis parte puris recipitur, sed in dulciore, à qua excrementa secernuntur, quia omnis coctio iunctam habet excremētorum secretionem. Per hæc lucida redduntur, quæ variis in locis enunciantur ab Aristotele.

De Lacte. *Sentētia Galeni.*

Cap. XI.

Diluitur Secunda & Tertia dubitatio, quæ sub initio præcedentis capitis relatæ sunt.

An coctio puris & putredo carnis fiant ab eodem calore. Auer.

Dubitatio secundo loco proposita erat, an in vlcere coctio Puris, & putredo carnis fiant ab eodem calore. Auerroes videtur id affirmare, inquit enim: Et cum hoc ita sit, forma permutans materiā pro ea recipienda, & separati faciens primam, calor est, qui relatus ad corpus corruptum, est externus, & putrefaciens, relatus ad vermem genitum ex ipso, est naturalis. At Auerroes dum hæc profert, solum considerat duas alterationes, putredinem carnis, & ortum vermis, non coctionem puris per imperium caloris. Insuper etiam eius sententia est dubia, quia Aristoteles loquens de ortu vermium, dixit, quod calor secretus constare facit, & generat vermes, adeo, vt id tribuat calori interno per coctionem secreto, non externo. Medici nonnulli hos calores ponunt distinctos, cum eorum opera distincta sint. At nec ab Auerroe, nec à Medicis recedentes, dicamus calorem esse qualitatem, quæ in spiritu & subiecto aliquo reperitur. Qui aliquando omnino est præter naturam, aliquando omnino secundum naturam, & aliquando medius, qui à Galeno secundo Aphorismorum quadragesimo septimo, dicitur mixtus, omnino secūdum naturam est in membro, & spiritu sano, omnino præter naturam in spiritu, & vapore externo, efficiente putredinem, calor medius reperitur in vlcere, & membro laborante, partim secundum naturam, partim præter, & est vnus numero calor existens in spiritibus alteratis, recedens à dispositione eorū secundum naturā, qui recessus potest esse talis, vt aliquando præualeat constitutio secundum naturam, & tunc pus coquitur, aliquando constitutio præter naturam, & fit oppositum, calor omnino præter naturam, & omnino secundum naturam subiecto distinguuntur, medii vero nequaquam, sed solum distinguuntur origines, causæ, & prima

Resolutio.

funda-

fundamenta eorum, ac ita dispositiones semper dicuntur sua natura & conditione variæ. Insuper accidere potest, vt idem calor relatus ad varia sit secundum naturam vnius, & præter naturam alterius, vt dixit Auerroes. In vlcere putredo carnis fit à calore omninò præter naturam, coctio sanguinis pro nutritione rectè affectæ carnis, à calore omnino secundum naturam, coctio puris fit à calore medio, nam fit à calore existente in spiritibus alteratis, quorum dispositio secundum naturam præualet, at si præualeat dispositio præter naturam, pus non coquitur, & dum maxime præualet, & constitutio secundum naturam omnino succumbit, tunc calor ille præter naturam animalis, potest coquere pro ortu vermis, nam calor ille, vt rectè dixit Auerroes, erit secũdum naturam vermium, & præter naturam carnis, & est signum lethale. At instabatur, quia Aristoteles inquit, Vermes fieri non à calore efficiente putredinem, sed ab eo, qui secernitur. Respondeo, calorem in secretione necti cum externo, & reddi vnum cum illo, non autem seruari distinctos, & Aristoteles ita loquutus est, quia in putredine semper generatio alterius, præsupponit secretionem caloris rei præcedentis. Ita verum est, quod coctio facit, vt putredo desinat, quatenus in ea inest imperium dispositionum caloris secundum naturam, remouentium putredinem & causam eius. Similiter dum pus conficitur, dolores & febres iure fiunt magis, quam iam confecto, vt legitur secundo Aphorismorum quadragesimo-septimo, nam in puris coctione reperitur alteratio humorum ab aucto calore, incensio, extensio, & pugna dispositionum secundum naturam, cum dispositionibus aduersis, at facto pure, partes inuicem per imperium caloris naturalis sunt secretæ, contemperata est dispositio præter naturam, & diminuta pugna. Propterea ignea caliditas extinguitur, & dolor lenitur. Postrema dubitatio erat, an coctio ab Aristotele definita, solum competat viuentibus, vel etiam non viuentibus communis sit, cuius solutio ex dictis in præcedentibus elicitur, cum enim coctio sit ab vno, Aristoteles suo more principalem inspicit, quam ita definit, vt exigua facta varietate, definitio extendatur ad omnes, hinc sub initio libri dixit hæc opera competere Plantis, Animalibus, & partibus eorum, & de coctione enunciauit competere his, quæ iam natura constant, at mox in explicatione coctionem extendit ad omnia quibus modo aliquo competit.

Generatio vermium in apostemate est signum lethale.

Coctio imponit finem putredini.

Dum pus conficitur viget dolor & febris.

An definiatur solum coctio viuentium.

Cap. XII.

Quando res debeat indicari concocta.

EVENIT autem vt sic omnia afficiantur, cum superata fuerit materia, & humiditas, ea namque est, quæ terminatur ab eo, qui in natura est calore, dum enim insit in ea ratio, natura hoc est, quocirca, & sanitatis signa sunt huiusmodi, & vrinæ, & alui deiectiones, & omnino excrementa, & dicũtur cocta, eo quod indicant naturalem calorem dominari humori, necesse autem est, quæ coquuntur crassiora, & calidiora esse. Nam quod eiusmodi est, calor corpulentius reddit, & crassius, atque siccius, coctio itaque hoc est. Explicauit Philosophus in præcedentibus primo internum, mox externum finem coctionis, & quoniam tunc aliquid ordinatum in finem est absolute tale, dum internum finem exactè fuerit adeptum, ideo institutum Philosophi modo est, Regulam tradere, duplicique signo patefacere, quando aliquid absolute iudicari debeat co-

Contextus.

Expositio.

Institutũ Arist. Regula. ctum,& inde refulgebit,nedum quid sit coctio,verum insuper cuius,à quo,cuius gratia,qualis,& propter quid talis sit, adeo, vt iure explicationi eius valeat finē imponere. Inquit igitur ita omnia affici,& cocta esse,cum calore naturali & proprio superata fuerit materia coctionis,& humiditas, hoc est quæ materia præsertim humiditas est,non autem est eius sine permixtione,cum sicco, nam humiditas ea est,quæ per coctionem à calore naturali terminatur, qui calor euadit naturalis & proprius rei coctæ, terminans tanquam forma humorem eius;hinc addit:dum enim in ea humiditate insit ratio congruens caloris ad eam, adeo,vt à calore cōgruenter sit terminata,& reddita crassa.hæc cōgruens ratio, dicitur natura propria,vel lactis,vel seminis,vel alterius rei coctæ;& Natura dicitur primo,quia est modo aliquo principium operandi. Secundo,quia respondet formæ propriæ,eamque circumscribit. Tertio, quia Natura etiam dicitur de propria rerum affectione. Quarto, quia Naturam ei circumscribit & comitatur. Tradita regula dignoscendi qnando aliquid fuerit coctum, per duo signa suam sententiam confirmat,eliciendo ex dictis decoctionem eorum, quod etiam fecit loquendo de Putredine. *Signum primum.* Primum est, quoniā ex eo quod coctio prodit ex imperio caloris proprij,& naturali supra humorem,coctiones excrementorum, indicantes huiusmodi imperium, sunt signa sanitatis, ex quo elicimus excrementa coqui per imperium proprij caloris: patet insuper omne Temperamentum ex parte seruantis conditionem formæ esse calidum, nam dixit Philosophus,naturam rei coctæ, vt cocta est, esse congruentem rationem caloris ad humorem,& imperium supra humorem, in qua etiam congruente ratione collocata præsertim est sanitas.Et excrementa omnia modo aliquo indicia sunt constitutionis totius corporis, proxime tamen eius partis ex qua prodeunt, vt vrina dispositionis Renum & Hepatis, vt enunciauit Galenus in lib. 2. de Crisibus.Innotescit autem excrementorum coctio ex colore,consistentia, odore, hypostasi,& sapore. *Dubitatio.* Sed dubium est, quomodo idem calor relatus ad eundem humorem,valeat primo ab humore per putredinem superati, mox per coctionem excrementi valeat illū vincere & superare? *Solutio.* & breuibus dico, id nunquam accidere de eodem calore,& humore,nisi facta aliqua permutatione, veluti in vlcere calor externus primo vincit calorem proprium carnis, & inde prodit effusio humoris eius,mox non ille calor poprius, qui terminabat illū humorem, sed calor externus auctus, vel ex se,vel cum interno iunctus, agit non in calorem proprium,sed in humorem effusum,& nullum sequitur absurdum. *Alterum signum.* Affert mox Philosophus alterum signum sumptum ex consistentia & calidítate rei coctæ, cum enim coctio fiat à calore, ideo cocta, vt cocta, sunt calidiora non coctis, nam caloris est calefacere, & quoniam per coctionem calor terminat humorem,& partes tenues resoluit,ideo cocta crassiora redduntur,adeo vt experientia respondet rationi, & ratio experientiæ. Ideo colligit Philosophus: coctio itaque hoc est. Sed duæ se offerunt diluendæ difficultates.Prima, an cocta sint calidiora.Altera,an sint crassiora non coctis.

Cap. XIII.

An cocta sint calidiora non coctis.

An cocta sint calidiora. SENTENTIA est Aristotelis, cocta esse calidiora nō coctis, & addit in 3. de Gen. Anim.cap.1.cocta in quouis genere esse dulciora, nam dulce calidum est.Hæc sententia cum ratione,tum experientia comprobatur. Ratio est: quia vnum-

vnumquodque tale redditur, quale est principium ex quo pendet, coctio fit à calore, incoctio à frigore, cocta itaq; calidiora sunt. Idipsum patet experientia, nam poma & vua acerba, refrigerant, & vnumquodq; dum est coctum proprio & naturali calore magis abundat. Haec tamen sententia dubitatione non caret, & varia se offerunt, quae illam reddunt dubiam. Nam primo cocta sunt crassiora, igitur minus calida, quia calidi est attenuare, rarefacere, & leue reddere. Praeterea, pueri plurimum habent calidi innati, cum tamen non ipsi, sed adultiores dicantur maturiores, & valeāt simile generare. Praeterea experientia patet dum aliquid est coctum reddi frequenter minus calidum, hinc coqui iudicaturi, an caro assa sit cocta, gladium in eam iniiciunt, nam si acumen maxime ab ea excalefit iudicant non esse coctam, similiter si humor ex ea manat valde calidus; in his aūt quae elixantur tangunt fundum Lebetis, quod si inuenerint summe feruens, iudicant nō esse absolutā elixationem, at si moderate inuenerint calidum, bulliente in eo aqua, iudicant elixationem esse completam. Similiter vlcera calidiora sunt ante absolutionem maturationis, quam post. Praeterea Lac fit ex coctione sanguinis, & vt dicitur in quarto de Generatione Animalium cap. 8. Lac est res cocta prorsus, Lac tamen est frigidius sanguine. Praeterea Magnus Albertus instantiā affert de vino, nam dum fit, in principio si vna tangitur percipitur calida, mox vinū exiens non actu calidum percipitur, tale tamen est, vt in cado suo calore ebulliat, & dulce sit, demum nec actu calidum remanet, nec ebullit, nec est dulce, adeo, vt cōtinenter per maturationem videatur reddi minus calidum. Similiter Glandes, Sorbae, Pira & poma, ante coctionem percipiuntur amara, cocta vero dulcia, amara autem omnia sunt calida ex Galeno in secundo de Simplicium medicamentorum facultatibus. Demum, cum coctio fiat à naturali & proprio calore, & nil agat vltra suum gradum, nunquam coctum videtur posse reddi calidius seipso non cocto, nam vlteriorem gradum caloris nec à se habere potest, cum eo carent, nec ab alio, quia non esset coctio. Dubia haec profectò non sunt leuia: pro eorum tamen solutione nonnulla praenoscenda sunt. Primo autem accipiendum, quod dum dicimus cocta esse calidiora, non est consideranda mutatio vnius speciei in alteram, ea enim generatio est, non coctio, sed consideranda est perfectio humoris eiusdem rei, veluti si Piper aut Zinziber in ventriculo vertūtur in Chylum, mox in sanguinē, non sunt comparanda cum Chylo, & sanguine, sed comparatio debet fieri in eadem specie, vt in Chylo magis, vel minus cocto. Similiter in sanguine, nam per interitum interit calor proprius, per coctionem vero perficitur. Accipiendum secundo loco est, duplicem in coctione considerari posse calorem, vnū coquentem, alterum rei coctae, quae distinctio conspicua est in his, quae arte coquuntur, sententia non debet intelligi de calore coquente, qui saepe dum res coquitur est maior, sed de naturali, & proprio rei coctae. Tertio accipiendum est, quod cum coctio tanquam ad materiam principalem pertineat ad humorem proprium terminandum, dum dicimus cocta esse calidiora, calorem considerare debemus in eo humore existentem, illumq; terminantem, non quemlibet illi ex accidenti iunctum. Ex his elicio, regulam ita esse intelligendam, cocta, quae ex imperfecto ad perfectum sine interitu deducuntur, calore eorum proprio, illorum humorem terminante, esse calidiora seipsis, non concoctis.

Pro affirmatione. *Pro generatione.* *Magnus Albert. Vinum.* *Glandes.* *Praenoscē da pro solutione. Primum.* *Alterū.* *Tertiū.* *Regula quomodo intelligenda.*

Cap. XIIII.

Diluuntur aduersæ rationes.

Diluitur prima ratio. APPARVIT quomodo intelligi debeat ea sententia, quod cocta sint calidiora, & per ea quæ dixi, facile est diluere aduersas rationes, prima erat cocta sunt crassiora, igitur minus calida, consecutio caret necessitate, quia secus se habet in corporibus simplicibus quorum calidiora sunt subtiliora, secus in mixtis, quorum humor aerius per coctionem incrassatur, vt patet de genitura. Similiter & humor aqueus mixtorum per coctionem redditur crassior, tum quia id quod est magis tenue per calorem dissoluitur, vt dicitur in quinto de Generatione Animalium, tum insuper, quia cum sicco terreo permiscetur. Instabatur secundo, per pueros minus maturos, & magis calidos. *Secunda.* Respondeo primo, pueros plurimum habere innati caloris secundum copiam, at non secundũ gradum & intensionem; addo secundo ea, quæ coquuntur esse calidiora, ficciora, ab alienoq; humore purgatiora, huiusmodi sunt iuuenes, non pueri. Dico tertio, progressu ætatis non magis coqui humorem ingenitũ, sed potius consumi, nec in eo recipi maiorem perfectionem, sed in humore alimenti, qui à calore ficciore potentius permutatur, semen autem prolificum, quod est signum coctionis, & perfectionis, ex alimento elicitur: est enim excrementũ vtile vltimi alimenti. Sic itaque iuuenes secundum constitutionem totius corporis dicuntur maturiores, nõ autem quia humor ingenitus sit maiori perfectione præditus. *Tertia.* Tertio loco afferebantur experimenta varia, quibus ostendebatur, sæpe non cocta esse calidiora, quibus satisfaciendum est per ea quæ dixi, nam sunt calidiora calore non naturali, & proprio rei coctæ, sed externo & coquẽte, collocato, vel in spiritibus igneis, vel in humore alieno, nam dum res coquitur viget pugna agentis, & patientis, adest permistio cum excrementis, adest humor tenuis externo calore præcalefactus, at dum humor proprius est coctus, pugna abest, excrementa sunt secreta, humor est crassior & suo proprio calore terminatus, spiritus ignei coquentes sunt dissoluti, hinc caro assa intus minus feruet & ima pars lebetis minus est calida. *Quarta.* Quarta dubitatio erat de Lacte, quæ primo soluitur per fiduciariam reprobationẽ, nam concesso quod Lac sit minus calidum sanguine, id non obest, quoniam fit permutatio vnius speciei in alteram, interit sanguis, gignitur Lac, comparatio debet fieri inter Lac minus & magis coctum, nam magis coctum procul dubio est calidius & crassius. Secundo soluitur per instantiam, negando assumptum, nam inquit Aristoteles in quarto Meteororum capitulo vndecimo, quæ sunt affecta secũdum naturam, calida sunt, & sanguis, & genitura, & medulla, & Lac. Confirmatur considerando cõsistentiam Lactis, albedinem, & dulcedinem, quæ indicant calorem. Hinc Aristoteles in quarto de Generatione Animalium capitulo octauo, ait, Lac est res cocta penitus, & simile est ei excremento, ex quo fit generatio hoc est geniture, cum ex eodem generemur, & alamur. Quod si experientia videtur oppositum patefacere, nam Lac refrigerat, dicendum, Lac ob humorem aqueum facile priuari calore, & spiritus calidos eius facile resolui & extingui. Insuper sanguis est corpus mixtum cum bile & aliis humoribus, dum coquitur, & vertitur in Lac, bilis secernitur, & humor proprius sanguinis incrassatur, comparatio autem debet fieri in eodem humore non cocto, & cocto. *Auerroes.* His accedit, quod vt ait Auerroes in paraphr. de Generatione Animalium libro tertio, capitulo secundo, Albumen oui dicitur calidius vitello, sed quia calor eius magis est iunctus cum humore

more Aqueo cito extinguitur, & dissoluitur, & ob id refrigerat, quod vitello non competit, quæ comparatio inter albumen, & vitellum fit etiam ab Aristotele in tertio de Generatione Animalium, cap. 1. Quinto afferebatur instantia ex vino sumpta, quæ soluitur per solutionem tertiæ difficultatis, nam in musto repetitur permixtio cum variis excrementis præditis calore, non proprio humore vini, sed alieno. Nam primo vua in Cadis dum coaceruatur; calore externo excalefit, mox fit secretio humoris vini ab excrementis crassioribus, qua secretione facta, calor alienus eorum excrementorum dissoluitur, & remanet Mustum, quod est corpus dissimilium partium, includens tria genera partium, nempe humorem proprium vini, excrementa nonnulla minus crassa primis, & spiritus quosdam calidos, tenues, & aerios, per quorum commixtioné mustum erat dulce, vt per partes terreas adustas priuatur dulcedine, hinc per colatoria vinũ redditur dulcius tum quia purgatur à partibus terreis, tum insuper quia ob id non vlterius ebullit, adeo, vt per ebullitionem partes aereæ & dulciores euaporent, ob id quoque vinum, quod primo ex vua educitur est dulcius, cum primo prodeat humor magis aereus, magisque à terreo purgatus, colligo igitur vinum per suam ebullitionem reddi proprio calore calidius, externo vero minus calidum. Alia dubitatio erat de pomis, quæ primo sunt amara, soluitur autem duobus modis, primo cum Auer. in secundo, de Anima 105. & quinto suarum Collectionum, cap. 27. dicente, poma in principio esse quidem amara, at non ob id calidiora, & propterea inficiatur omnia amara esse calidiora. Secundo, cum Galeno negante assumptum, nempe illa primo esse amara, omnia enim amara asserit in secundo de Simplicium medicamentorum facultate esse calida, sed ex eius senteñtia potius dicentur acida, vel austera, & proculdubio si amara dicuntur, ea erit amaritudo distinctæ speciei ab illa absinthij, & calidorum, cum prodeat ex distinctis principiis, & hæc secunda est verior solutio; sic itaque poma matura, vt dulciora, ita calidiora sunt, nam cocta sunt dulciora ex 3. de Gen. Animalium, c. 1. Est tamen instantia de bile, absinthio, & huiusmodi, quæ magis cocta, magis sunt amara. Cui respondendum est per coctionem corpora reddi dulciora dummodo coctio non excedat Temperamentum ex humido & calido, & labatur in adustionem, ita enim ob sicci terrei copiam, mixta redduntur amara, vt patet de combustis. Erat postrema dubitatio, quia nil agit vltra proprium gradum, soluitur, & loquendo de elixatione & assatione Arte elaboratis, nulla est difficultas, quia coquuntur ab externo, & vehementi calore, loquendo de maturatione à proprio calore, dico id quod maturatur non esse mixtum consimile hinc per spiritus calidos in eo existentes, partes quæ coquuntur redduntur calidiores, quod etiam eis competit, quia per coctionem vapores frigidi dissoluuntur, qui vt prius permixti cum calidis remittebant calorem, ita resoluti deserunt id quod calidius iudicatur.

Quinta. *De Vino.* *De pomis.* *De bile & Absinthio.* *Sexta.*

CAP. XV.

An cocta sint crassiora.

ENVNTIATVM à Philosopho est & approbatum, cocta nedũ esse calidiora, & dulciora, verum insuper crassiora & ficciora; Quæ sententia etiam in capitulo de Maturatione comprobatur, dum dicitur, quod ex tenuioribus semper crassiora redduntur ea, quę maturantur, & ob id rerum crudarum succi sunt tenues, & magis frigidi, quam calidi; Insuper Philosophus in 1. Meteororum,

Cocta esse crassiora.

cap. 3. inquit: Incoctum maximè est excrementum humidi alimenti, veluti omnis hypostasis, & præsertim, quæ in vesica: Signum autem est, quia tenuissima est, cocta autem omnia constare nata sunt. Idipsum quoque sæpe approbauit Galenus, ideo in 4. de Regimine acutorum com. 4. inquit; Digestio omnis coquit, adunat, & crassa reddit, quod & Præsagiorum 2. com. 33. & in libr. de Crisibus confirmauit. Horum sententia cum rationi, tum experientiæ consona est: rationi, quia coctio fit à calore agente in humidum, & resoluente partes eius magis tenues, vt dicitur in 5. de Generatione Animalium cap. 3. secernit enim calor ea quæ sunt distincti generis, resoluit subtiliora, & id quod remanet pro facultate commiscet, in vnamque naturam redigit. Hinc Arist. in 2. de Generatione Animalium, cap. 2. inquit: An non omnia quæ accidunt diximus? ne dum enim quod ex Aqua & Terra humidum cōstat, crassius redditur, verum etiam, quod ex aqua & spiritu, vt spuma: quam ob rem, crassius redditur quod albescit, cum humor in eo cōtentus secernatur à calore, & efficiatur spiritus. Experientiæ etiam idipsum respondet, nam pus vlcerum, sordes oculorum, Chilus, Lac, genitura & reliqua similia dum fuerint cocta, crassiora apparent. Ex aduerso tamen varia cum approbata sententia pugnare videntur, & præsertim, quia si in nostro corpore progressum coctionum consideramus, cōtinenter cocta videntur subtiliora reddi, nam Chilus subtilior est alimento, ex quo in ventriculo elicitur, sanguis subtilior Chilo, & sanguis in Epate est crassior, mox redditur magis tenuis, & ob id venæ per quas defertur primo sunt latissimæ, quæ in angustissimas desinunt. Similiter bilis flaua quo magis coquitur eo redditur subtilior, & pituita dulcis dum per coctionem vertitur in sanguinem, non incrassatur, sed inciditur & attenuatur; Insuper, comparando sanguinem Arteriatum coctiorem, cum eo venarum, procuIdubio ille Arteriarum est subtilior. Præterea, eadem sententia redditur dubia perpendendo maturationes, nam poma immatura, crassiora, tenaciora, duriora & grauiora magna ex parte apparent maturis, hinc matura in Aqua supernatant, immatura, vero merguntur, quod in vua conspicuè refulget, quæ dum fuerit acerba, parum emittit humoris idque crassum, & mustum primo est crassum, mox quo fuerit maturius, eo redditur magis tenue, similiter vlcera primo sunt solida & dura, mox cocta leniuntur, humoremque edunt copiosiorem & magis tenuem. Et Aristot. 25. parte Probl. inquit, cocta esse molliora non coctis. Tertio, si attinentia ad Elixationem perpendimus, in consimiles labimur difficultates: nam inquit Olympiodorus, & experientia docet, carnes, pisces, olera, & similia quæ elixantur, primo esse duriora, solidiora, & ficciora, mox leniri, & attenuari, adeo vt etiam per sublimationes ex elixatis carnibus tenuissimi humores eliciantur, qui cito, & valde nutriunt. Præterea Arist. in cap. de cruditate inquit, Aquam non maturari, quia non incrassatur, sed elixari, indicans id quod elixatur non debere incrassari. Quarto augetur dubitatio perpendendo causam coctionis, coctio enim fit à calore: Caloris in humidum agentis officiū est, illum attenuare, & ob id aquam vertit in Aerem, & Aerem in Ignem tenuissimum, hinc Aqua, & Aer dum fuerint calida, subtiliora sunt frigidis, quia frigidi est incrassare & condensare. Demum veritas redditur obscurior perpendendo varia, quæ hac de re Medici celebriores enunciant. Hippocrates in primo & secundo libro Aphorismorum, ait, concocta medicari oportere, cum tamen ex aduerso dicat, dum corpora quis purgare voluerit, oportere ea reddere fluentia, fluxus autem cum crassitudine pugnat, & Galen. in 2. Aphor. 9. ait, humores crudos esse crassos, viscidos, tenaces,

Galenus. *Approbatur ratione.* *Aristot.* *Experiētia.* *Pro parte aduersa.* *Instantia ex maturatione.* *Et Elixatione.* *Ex causis coctionis.* *Sententia Medicorum.* *Hippocrates.* *Galenus.*

tenaces, & ob id vires euacuantium subterfugere, at si per coctionem reddebrentur crassiores & sicciores, magis euacuantibus obsisterent, nō enim ex sententia Galeni humores vt facilius educantur debent incrassari, nam quo fuerint subtiliores eo facilius educuntur. Et Auicenna ait per coctionē humores crassos attenuari, tenues incrassari, inæquales æquari, adeo, vt non semper humores per coctionem reddantur crassiores. *Auicenna.*

Cap. XVI.

An cocta sint crassiora, opiniones variæ.

DVBIA satis apparuit ea sententia, quod cocta sint crassiora. Propterea opiniones sunt variæ, quæ in duo capita rediguntur. Quidam enim inquiunt, sententiam Aristotelis vniuersè esse veram, alij solum in parte, at de modo quo in parte sit vera dissentiunt. Primò se offert Alexander in secundo Meteororum com. 14. quo loci explicans verba sub initio præcedentis cap. relata, inquit: hæc autem intelligi debent de coctione humidorum, non enim siccorum coctio ralis est, sed modo opposito fit, & ob id siccorum excrementa sicca sunt, &c. Distinguit itaq; Alexander coctionem in eam humidorum, quam inquit fieri cum incrassatione, & eam siccorum, vt bilis, & spirituum, quam ait fieri per attenuationē. Quę sententia dubia est, tum quia adhuc supersunt instantiæ de coctione vini, piruitæ, pomorum, & similium, quæ sunt humida, & per coctionem attenuantur; tum insuper, quia aduersatur verbis Philosophi, enunciantis quæ coquuntur necessariò reddi crassiora, & in 2. Meteor. c. 3. inquit, cocta omnia apta esse constare: tum demum, quia ratio qua vtitur sumpta ex siccitate excrementorum exigui est roboris, quia quamuis excrementa siccorum sint sicca, tamen humor qui superest, potest per coctionem incrassari resolutis partibus, eius tenuioribus. Propterea est opinio secunda Gentilis, in prima quarti, & Thomæ de Garbo in Summa, dicentium, primo Aristotelē loqui de propria coctione, tum de præparatione humorum, pro expulsione, & eductione: addentium secundo, coctionem ad tria posse referri, nempe vel ad humidum, & id aiunt per siccum reddi crassius, vel ad siccum, & id per humidum attenuari, vel adiunctum ex vtrisque, cui si plus humidi inest, magna ex parte redditur crassius, si plus sicci, ecōntrario, & cum Arist. humidum inspexerit, ob id aiunt asseruisse coctionem fieri per incrassationem. Hæc opinio magis quam prima dubia est: primo, quia instantiæ aduersus præcedentem relatæ, etiam vim habent aduersus hanc; Secundo, quia in eo quod coquitur non inueniuntur partes siccæ ab humidis seiunctæ, sed iunctæ sunt, & ideo id mixtum considerandū est, non partes seorsum; Demum, quia inquit Arist. in 4. Meteor. cap. de Coagulatione, coctionem fieri per secretionem humidi à sicco, vt dum humor tenuis secernitur, id quod remanet est crassius. Propterea est opinio tertia Conciliatoris, Differentia 50. consentientis cum relatis, sententiam Arist. veram esse vt plurimū, dissentientis verò, quia inquit coctionem esse duplicem, vnam humoris vtilis, alteram aduersi, eamq; humoris vtilis, esse duplicem, vel relatam ad restaurationem crassi, veluti carnis, quam ait semper fieri per incrassationem, vel ad restaurationem corporis tenuis, vt spirituum & bilis, quam ait fieri per attenuationem. Si verò contra fuerit humoris aduersi, vel ille est effusus ferè per vniuersum corpus, aut intra, aut extra venas, & tunc quia eius non vera est coctio, sed præparatio, ideo si fuerit crassus, attenuatur, si tenuis, incrassatur, vt educatur facilius, si vero in

Opiniones variæ. *Opinio Alexandri.* *Euersio.* *Opinio 2.* *Euersio.* *Opinio 3.*

parte aliqua firmus sit, vel est ex se calidus, vt bilis, vel per putredinem, vt pituita, & tunc vel resoluitur per attenuationem, vel in saniem vertitur per incrassationem, vel in durum aliquid permutatur. Si vero humor fuerit frigidus, & durus, attenuatur. Demum si coctio fuerit humoris aduersi in vtilem redigendi, vt pituitæ dulcis, de eo id est dicendum, quod de benigno siue vtili. Hæc opinio cum sua distinctionum multitudine confusissima est, neque id patefacit quod quæritur, nempe quæ absolute & vere sit conditio coctionis, nam incrassare vel attenuare, & quid ei per se competat, quidque ex accidenti solum manifestat humores debere incrassari, vel attenuari pro varietate externi finis, nec seruat sententiam Aristotelis addentis & necessitatem & vniuersitatem. Præterea, veram coctionem cum præparatione confundit, cum tamen valde secernantur. Ideo est opinio quarta Olympiodori, in 4. Meteor. dicentis sententiam Aristot. debere intelligi non de quouis gradu coctionis, sed de postremo, hoc est, non de conuersione cibi in Chylum, vel Chyli in sanguinem, sed sanguinis in partes corporis viuentis; Addit insuper, Aristotelem non loqui de coctione humorum crassiorum, morbū parientium, quos dicimus maturari, & coctos esse cum redditi fuerint subtiliores: demum tradit hanc regulam, quæcunque humida potestate tum existunt, ea coctione dissoluuntur, actu vero humida incrassantur. Hæc opinio approbanda non videtur, primo. quia nedum nō seruat sententiam Aristotelis omni ex parte veram, immo neque vt plurimum. Præterea, minus rectè inficiatur Chylum, non coqui per incrassationem, vt patebit; Præterea, spiritus sunt actu tenues, & tamen per coctionem videntur reddi magis tenues: ideo secunda pars suæ regulæ non videtur vera, insuper approbanda nō est eius sententia, quod Aristoteles non loquatur etiam de coctione humorum aduersorum, nam Arist. & de pure, & sorde oculorum loquutus est, eisq; id competere affirmauit, quod coctioni tributum est; Propterea est opinio quinta Suessani in quarto Meteororum, dicentis, coctionem viuentis per quam in statum progreditur viuens, fieri cum incrassatione, & exsiccatione humoris, cæteras vero, & per incrassationem & per attenuationem fieri, pro necessitate finis in quem diriguntur, sic bilis incrassatur, attenuat pituita, & ita de reliquis. Quæ opinio reiicienda est, quoniam coctio non ex fine habet, vt vno vel altero modo fiat, sed ex conditione agentis & patientis. Insuper, reddit sententiam ab Aristo. pro necessaria & vniuersali prolatam, solum in parte verā. Ideo est opinio sexta Lud. Boccaf. dicentis cum Aristotele, vniuerse coctionem omnem fieri cum incrassatione: pro cuius explicatione ait, id quod est coquēdum, esse corpus mixtum, in quo vel humor redundat, vel siccitas, vel æquantur, si æquantur, id mixtum non eget coctione, si humor redūdat, coctio fit per resolutionem exuperantis, & incrassationem remanentis, si exuperat siccitas, humor eius debet liquefieri, & siccitas redūdans secerni, vt accidit in coctione panis in Ventriculo, quæ sicci secretio non debet dici Coctio, sed expurgatio, & nisi adsit humor qui liquescere valeat, tunc arte illum adhibemus, vt comedentes bibimus. Addit, eam sicci secretionem non esse dicendam coctionem, sed illam humidi, nō quia calor per se in humidum agat, non in siccum, vt quidam aiunt, nam calor per se, nō vnam sed duplicem exhalationē aptus est eleuare, sed quia coctio fit à calore naturali & proprio, à quo sola fit humidi redundantis resolutio, quia ab eo fit optanse conseruare, seruatur autem humido, non sicco; Ex hac opinione varia prodeunt dubia, primo dubium est, humorem sicco commensuratum non debere coqui, nam potest esse cōmensuratus pro vno, & non pro alio: insuper, in quan

to, non

Margin notes (left): Euersio. (beside "rus, attenuatur. Demum"); Opin. 4. (beside "sententiam Aristotelis addentis"); Euersio. (beside "Hæc opinio approbanda"); Opin. 5. (beside "re affirmauit"); Euersio. (beside "diriguntur, sic bilis"); Opin. 6. (beside "necessaria & vniuersali"); Euersio. (beside "se conseruare").

to,non in quali:nam ait Arist.tunc quippiam esse coctum, dum humor talis & tantus fuerit,&c.Insuper ait,secretionem humidi esse coctionem,nō eam sicci, quod dubiū est,non enim coctio est secretio,sed remanentis humidi perfectio, nec maior de humidorum,quam de siccorum secretione est ratio,semper enim consideratur coctio in eo humore qui superest.Et quamuis Aristot.dicat,in coctione per calorem aliquid humidi secerni, non ob id ait,eam secretionem esse coctionem,nam ea comitatur coctionem,coctio autem in solo remanente humore consideratur, & hic est humor qui cum antecedente comparatur, dum dicitur reddi crassior.

Cap. XVII.

Resolutio difficultatis ex propria sententia.

RATIONES inuicem pugnantes,& opiniones variæ summopere dubiā reddunt difficultatem propositam,an scilicet coctio necessario iunctā habeat incrassationem. De qua vt dicam quod sentio,accipiam primo nonnulla, explicabo secundo sententiam Arist.tertio rationes aduersas diluam. Accipio primo, aliud esse loqui de proprie sumpta coctione, aliud de quauis præparatione humorum pro eductione,quamuis enim coctio conducat pro humorum salubri eductione,non tamē quæuis præparatio humoris coctio est, & perfectio à proprio calore facta, sermo Arist. est de proprie sumpta coctione. Accipio secundo,quod cum coctio sit perfectio vel humidi tantum, vt putat Alexander, vel præsertim humidi,dum consideramus qualis sit coctio,id humidum considerare tenemur, quod superest cum re cocta,& id cum seipso comparare,prius non cocto:hinc Arist.dixit,tunc quodlibet esse coctum,dum humidum tale,& tantum fuerit,&c. Tertio accipio,dum consideramus quomodo fiat coctio, non est comparanda res vna cum altera,specie distincta,ex qua sit genita,aliud enim est loqui de generatione vnius ex altero,& loqui de coctione quæ est perfectio eiusdem rei,& alteratio,vt patuit in præcedentibus. Accipio quarto, cum coctio sit affectio humidi, & ad siccum tantum referatur quatenus humorē contemperat,si dicimus cibum coctum,& humorem coctū, rectè loquimur, nam composito competit vt toti subiecto,humori autem tanquam primæ rationi: at si dicimus siccum coctum,nō rectè loquimur,cum ei solum competat, vt contemperanti.Et si aliquid nimium fuerit siccum,& debeat humectari,vt se habet de Ethico,ea humectatio non est iudicanda coctio,sed contemperatio. Similiter,si aliquid sicci terrei secernatur,nec permutetur humor remanens, vt in vino quod per colatoria expurgatur, ea non est coctio sed expurgatio. Accipio demum,dum dicimus coquenda incrassari, calefieri, exsiccari, & dulcia reddi, per crassum non debemus intelligere vel viscidum, vel coagulatum, vel congelatum, vel maius redditum,sed humorem magis lentore aliquo præditum, vel modo aliquo condensatum, quod pendet partim ex resolutione tenuioris humoris,partim ex æquatione eius cum sicco terreo,vel permixtione cum spiritu, vt de spuma dixit Arist.in secundo de Gener.Animal.c.2.His præassumptis,pro resolutione tres profero cōclusiones. Prima est,omnis coctio proprie sumpta, siue vtilis,siue aduersi humoris,fit cum incrassatione. Altera est in corpore calido & sicco,vt in spiritu,bile flaua, & similibus,nō habet locum vera coctio,sed depuratio,attenuatio, & exsiccatio quædam, ideo Arist. in secundo de Gener. Animalium,c.2.dixit incrassari,non Aqueum purum,sed vel cum terra,vel cum spiritu mixtum, adeo vt eius humoris, non autem spiritus sit coctio. Tertia

Primum quod accipitur.

Alterum quod accipitur.

Tertium quod accipitur.

Quartū quod accipitur.

Quintū quod accipitur.

Concl. 1.
Concl. 2.

Conclusio 3. conclusio, multa ad coctionem concurrunt, quæ attenuantur. hinc Arist. dixit, coctionem fieri per actionem in humidum cum resolutione subtilium, & crassi- *Conclusio.* tudine remanentium. Colligo itaque, Aristotelem loqui de propria coctione, quæ in humore superstite rei coctæ reperitur, quæ coctio cum sit humidi, non est humidi Aerii, quoniam est cum calore iunctus, & non eget coctione, sed Aquei, qui vel cum Aerio permiscetur & crassescit, vt spuma, vel cum sicco terreo, & crassescit per condensationem, cum sicco Igneo non permiscetur, vt nimium distante & contrario, sed cum eo miscetur potius humor Aerius ei proximior; spiritus & bilis, cum non proprie coquantur, quia includunt humorem Aerium cum sicco Igneo mixtum. hoc tamen habent commune cum his quæ coquuntur, quod per actionem caloris redduntur ficciora & calidiora, non autem crassiora & dulciora, vt ea quæ proprie coquuntur. Vniuerse igitur, quæ propie coquuntur, crassiora redduntur.

CAP. XVIII.

Diluuntur Rationes aduersæ.

Diluitur prima instantia. EXPLICATA ea sententia quam veriorem puto, facile modo est, per ea quæ dixi, rationes aduersas diluere. Instabatur primo, quia alimentum in corpore animalium cõtinenter & per gradus attenuatur. Solutio iam patet: quia non debet comparari corruptum, cum denuo genito, sed comparatio debet fieri in humore corporis eiusdem speciei, ac ita humor Chyli cocti, est crassior eo non cocti, & etiam vniuersus humor qui elicitur ex alimentis, crassior est dum fuerit coctus quam ante coctionem. At addebatur, comparatio sanguinis arteriarum *De pituita.* cum eo venarum, ac insuper bilis, spiritus, & Pituitæ non coctæ cum cocta; De bile & spiritu iam verba feci: de pituita dico, humorem non coctæ esse magis aqueum, magisque viscidum, at non crassiorem, sumendo crassum, vt à me explicatũ fuit, nam dum pituita coquitur, inciditur viscidũ eius, & humor aqueus magis cum sicco terreo vel spiritu Aerio permiscetur, & redditur crassior, ea *De sanguine arteriarũ.* crassitudine quam denotauit Aristot. de sanguine arteriarum & venarum, dico, sanguinem arteriarum magis esse permixtum cum spiritibus, hinc copiosiorem spumam parit, & ex eo præsertim producitur genitura, quæ ob spiritus spumosa est, sanguis venarum est crassior altero crassitudinis genere sibi congruente, nempe crassitudine quadam aquea, ita varia quæ coquuntur, modo vario red- *De maturatione.* duntur crassiora. Afferebantur secundo instantiæ sumptæ ex maturatione pomorum, vlcerum, & vini, quę diluuntur, quoniam fructus dum maturantur inciso humore tenaciore, & secretis nonnullis excrementis, redduntur quidem molliores, at humor proprius, prius erat magis tenuis, mox redditur crassior, vt *De Vino.* patet de humore immaturæ & maturæ vuæ. Similiter de vino dico, quousque vere coquitur, humor proprius eius incrassatur, quod si progressu temporis redditur magis tenue, id oritur ex depuratione & secretione partium densiorum, non ex coctione propria in humido facta, nec vinum decem annorũ est magis coctum eo vnius anni, sed magis expurgatum, vel alia alteratione permutatum. Si poma matura sunt leuiora, id accidit, quia humor aqueus per coctionem redditus est magis Aerius, & crassior per spiritus eius. Poma matura edunt plus humoris, quia per maturationem partes frigidæ & coagulatæ, sunt liquefactæ humor viscidus est incisus & liberior redditus, & ab excrementis secretus. De vlcere idipsum est dicendum, quod de pomis, ea enim sunt poma medicorum. Instabatur

De attinentibus ad elixationem. stabatur tertio, per attinentia ad Elixationem, de quibus dico, per Elixationem coagulata liquefieri, solida dissolui, viscida incidi, excrementa varia per spumam secerni, humorem tamen rei Elixatæ superstitem esse crassiorem seipso, non elixato, hinc brodia redduntur per ebullitionẽ crassiora & lentore quodam prædita. Sublimatio nõ est coctio, sed secretio vnius ab altero. *Cur oua dum elixantur euadunt dura.* Dubium est, cur oua dum elixantur reddantur dura, poma vero & alia multa, mollia. Respõdeo, humorem oui esse Aerium, & liquidum, præditum tenuibus spiritibus qui per elixationem secernuntur & superest id quod magis est terreum, densius, & minus salubre, & præsertim vitellus qui magis est terreus, humor vero pomorum est coagulatus, non tot spiritibus præditus, magisq; cum suo sicco permixtus, ideo per elixationem poma liquescunt; humor tamen eorum qui post elixationem in eis remanet, crassior, calidior, & dulcior est: Aqua vt non assatur, ita non elixatur. Elixatio enim mixtorum est, & per ebullitionem, quamuis aqua nõ reddatur densior, expurgatur tamen, & humor redditur magis Aerius, minusque sanitati aduersus; Instabatur quarto per conditiones caloris, respondeo, per calorem secerni humorem tenuem, & ob id superstitem reddi crassiorem, vel per siccum Terreum, vel per vapores Aerios; Afferebantur demum sententiæ medicorum de coctione humorum educendorum, dico eam vel non esse coctionem, sed incisionem, secretionem vnius ab alio, permixtionem cum tenui syruporum humore, remotionem obstructionum, vel aliud simile genus præparationis. Hinc sæpe fit, per frigida, vel si qua adest coctio ex calore prodiẽs, ea dum in humore cocto cõsideratur iunctam habet crassitudinem. *Instãtia.* At instabit aliquis: Si præparatio pro humorum eductione fit per attenuationẽ, coctio per incrassationem, coctio pugnabit cum præparatione humorũ, pro eductione, & si humores fuerint parati, quia sunt tenues, non erunt cocti; *Solutio.* Respondeo, requiritur coctio præsertim vt humores educendi & aduersi secernantur ab vtilibus, qui ita cocti & secreti nisi nimium fuerint densi, sed fluant etiam parati sunt, vt facile educantur, at si fuerint densi, & viæ per quas sunt educendi, fuerint obstructæ, debent viæ aperiri, & humores per aliquam mixtionem cum tenui alio humore reddi fluentes.

CAP. XIX.

De Inconcoctione.

Contextus. INCONCOCTIO est imperfectio ob indigentiam proprii caloris. Indigentia autem caloris, frigus est, imperfectio autem est oppositorum patibilium, siquidem vnicuique per naturam sunt materia, concoctio itaque & inconcoctio, sint hoc modo definita.

Inductio. Declarata coctione, quia oppositorum eadem est disciplina, de inconcoctione agitur, & quia priuatio noscitur per habitum, prius de coctione, mox de inconcoctione Philosophus differuit. *Diuisio.* De qua verba faciens primo eam definit, secundo Definitionem explicat, tertio, dicta colligit, *Definitio inconcoctionis.* Definitio hæc est. Inconcoctio est imperfectio oppositorum patibilium ob indigentiam proprii caloris; oppositorum materia eadem est, forma autem & efficiens sunt opposita, ideo Philosophus pro materia idem sumpsit, nempe opposita patibilia, quæ sunt humor & siccitas, præsertim tamen humor; formam & efficientem sumpsit contraria, sumens pro forma imperfectionem, pro efficiente indigentiam caloris proprii, quæ frigus est, imperfectio dicitur forma, tũ quia est natura & essentia priuationis, tum quia priuatio est tanquam forma per quam subiectum deno-

minatur, tum demum, quia iuncta est cum opposita forma, hinc secundo Phys. 15. priuatio dicitur modo aliquo forma. Indigentia caloris dicitur efficiens, quia effectus priuationem denotantis causa efficiens cum priuatione est assignanda, quæ indigentia caloris in subiecto apto calefieri, dicitur frigus, non quia frigus sit absolute priuatio, sed quia est forma deterior, & iure ea indigentia est frigus, quia materia ab altero eorum duorum oppositorum omnino nudari non potest, & quantum recipit vnius, tantum reiicit alterius, & vice versa, oppositæ Qualitates nempe patientes & præsertim humor, dicuntur materiæ per naturam vnicuique nimirum mixto competentes, hoc est, per se & propria conditione ad id per naturam paratæ, & ordinatæ: Philosophus definiēs coctionem, dixit ex oppositis passiuis, quia considerabat progressum ex imperfecto ad perfectum, modo inconcoctio, non dicitur ex oppositis, sed oppositorum, quia eis competit, dum in terminum ad quem non transferuntur. Insuper loquens Philosophus de coctione, assignauit finē externum, quem modo incoctionis non tradit, quia priuationis non datur finis externus, & cuius gratia vt dicitur de Eclipsi sub initio 8. Metaphys. Animaduertendum insuper, quod cum incōcoctio sit priuatio, vox priuatiua ex sentētia Arist. 5. Metaphysicæ, tria denotat, deprauationem, diminutionem, & absolutam remotionē, vt etiam in primo Poster. dicitur de inconsono. Deprauatio est forma opposita & contraria, diminutio est medium per magis & minus, absoluta priuatio verè opponitur, vt priuatio habitui. Hinc rectè Galen. in lib. de differentiis Symptomatum, considerauit ἀπεψίαν; id est coctionis priuationem, δυσπεψίαν deprauatam coctionem, & βραδυπεψίαν diminutam, ac tardam coctionem. Et quemadmodum triplex est inconcoctio, ita triplex consideratur indigentia caloris rei respondens, priuatio, diminutio, deprauatio. At declarata sententia verborum, quatuor se offerunt dubia. Quæritur primo, cum inconcoctio sit triplex, de qua Philosophus modo verba facit? Dubitatur secundo, quia diminutus videtur Philosophus in assignanda causa incōcoctionis, potest enim inconcoctio etiā ortum ducere ex nimio calore, hinc assaturi carnes, curāt ne calor sit nimius, alioquin externæ partes adurerentur, & internæ essent non coctæ. Insuper, oriri potest ex angustia temporis, vt poma & cibi ante tempus coctionis, carent coctione, actio enim & motus tempus exposcunt. Insuper, oriri potest ex nimia copia humoris & rei coquendæ, vt de immaturitate dicit Philosophus, quod gulosis frequenter accidit, ac etiam ex aduersa affectione alimenti coctionem vitantis. Tertio quæritur, cur Arist. loquens de coctione, dixit fieri à proprio & naturali calore, nūc vero non naturalis, sed tantum proprii caloris mentionem facit. Quarto quæritur, vnde eueniat, qđ si Legumina, vt ciceres, & fabæ, primo feruente aqua abluuntur, redduntur inepta Elixationi, similiter si id fiat aqua frigida, at aqua tepore prædita, rectè disponuntur pro elixatione. Insuper cur cinis ea reddit facilius elixabilia. Pro harum difficultatum solutione accipio primo id quod sæpe dixi, Aristotelem in his definiendis inspicere principale, & ea arte tradere definitionem, vt illa primo & præsertim principali competat, mox exigua facta mutatione ad reliqua minus principalia extendi possit, principalis coctio erat maturatio, ita principalis inconcoctio est oppositum eius. Accipio secundo, in priuatione coctionis non posse duplicem calorem considerare, vnum coquentis, alterum rei quæ coquitur. Quod calor sit diminutus vniuersè, verum est de calore rei coquendæ, non ita de calore coquentis, nam vt coquat exposcit tempus congruens, & patiēs aptum permutari. His assumptis, facile est dubia proposita soluere.

Vox priuatiua. *Galen.* *Quatuor dubia.* *Dub. 1.* *Dub. 2.* *Dub. 3.* *Dub. 4.* *Pro solutione accipitur primo.* *Secundo.*

soluere. Quærebatur primo, quam incōcoctionem definiat Arist. respōdeo definire præsertim eam quæ sit priuatio coctionis, & præsertim maturationis, vel diminutio, vtraq; dici potest destitutio perfectionis, magis proprie tamen dicitur de diminute cocto. Deprauatio minus proprie dicitur incōcoctio, cū denotet contrariū, & vt tale exposcat causam eius deprauationis, tamen quia in contrario includitur etiam priuatio alterius contrarij, ideo deprauatio, vt coctionis priuatio, dicitur prodire ex diminutione proprij caloris. Instabatur secundo, quia incoctio ex aliis oriri potest, vt ex nimio calore, ex angustia temporis, copia humoris, & aduersa dispositione. Respondeo ex nimio calore per se pendere combustionem, quæ est lapsus in nimium: insuper dissolutio, vel ariditas, non autem inconcoctio. De angustia temporis dico, si consideramus calorem rei coquendæ, semper ante coctionem est diminutus: si calorem externum, dicendum, supponi, quod agens conuenienti tempore egerit quod valuerit, nam supponitur agens cum conditionibus requisitis pro actione. Addebatur, oriri posse ex copia & difficultate alimentorum; Respondeo, si loquimur de calore rei coquendæ, semper incoctio eius posita est in diminutione caloris non terminantis, vt pro fine requiritur, humorem proprium; Si consideramus calorem coquentis, dicitur diminutus, quia non ita superat rem coquendam, vt pro coctione superare debet, & ideo quamuis Philosophus de immaturitate loquens, id tribuat etiam copiæ humoris, tamen ea causa modo aliquo redigitur ad inopiam caloris vt principaliorem, & præsertim quia priuationi causa ea respondet quæ priuationem includit. Quærebatur tertio, cur Arist. prætermisit naturale? dicere possumus, id denotasse per proprium, addere valemus, calore naturalem debere esse commensuratum & non diminutum, & dum talis non est, vt in senibus, quamuis sit proprius, non tamen est absolute secūdum naturam, sed potius præter, vt diminutio & imbecillitas quælibet. Demum quærebatur, cur cinis reddat legumina facile elixabilia? Respondeo, id efficere sua facultate calefaciendi, desiccandi, & incidendi, qua humorem parat pro coctione, vt etiam calx. Legumina si primo feruenti aqua abluātur, non valent deinde coqui, quoniam vehementi illo calore partes magis tenues leguminum resoluuntur & remanent partes solidiores terrestres, non mixtæ cum subtilioribus, quæ ineptæ sunt vt coquantur, veluti efficiunt nonnunquam imperiti medici, qui humores inclusos in cardinibus & nexibus ossium manus, vel pedis cupientes cito dissoluere, & vehementer resoluentibus vtentes cito resoluunt humores magis tenues, remantibus parētibus eorum solidioribus, magisq; terreis quæ nequeunt mox resolui, vt accidit in Chiragra, & Podagra. Oportet itaque primo per tepida & contempetata lenire, coagulata dissoluere, sicca & terrea cum Aqueis permiscere, ac ita ea iuncta coquere & euacuare, nam dum solæ manēt partes densæ & terreæ, quo diutius excalefiunt vel ebulliunt, eo redduntur duriores.

Solutio primæ difficult. quam coctionem definiat Arist.

Solutio secundæ, an incōctio ex alibus causis prodire valeat.

Dubit. 3. Cur Aristot. prætermiserit Naturale.

Dubit. 4.

CAP. XX.

De Maturatione.

MATVRATIO autem est quædam coctio, nam alimenti quod in pericarpiis inest concoctio, maturatio dicitur. Quoniam autem coctio perfectio quædam est, tunc maturatio perfecta est, cum semina quæ in pericarpio sunt, aliud tale perficere valent, qualia ipsa sunt, nam in aliis perfectum ita dicimus. Maturatio, igitur pericarpij est. *Cont.* » » » »

Declarato genere nō quidē vniuoco sed ab vno, nēpe coctione ad species de-

Maturatio duplex. scendit, & primo sibi declarandum proponit maturationẽ, quæ est species principalissima, subalterna tamen & non vniuoca, nam ea quoq; est ab vno; Et quia maturatio est duplex, vel proprie, vel dicta per Metaphoram, orditur à proprie sumpta maturatione, de eaque manifestat quid sit, cuius sit, & quis sit finis eius, mox aũt de dicta per Metaphorã eadem etia declarabit. Inquit igitur, quod maturatio est quædam coctio, id signum particulare, (quædã) non est pars Definitionis, sed indicat, coctionem esse genus contrahendum per differentias proprias. *Expositio.* Addit alimenti in Pericarpiis, quod est materia cuius est coctio. Confirmat suam sententiam per finem externum maturationis, qui est procreatio similis, quæ semine perficitur; Vt pertinet ad hanc primam partem, duo se offerunt consideranda, primum est, quid denotet Philosophus per alimentum in Pericarpiis. Alterum est, quomodo perfectum id dicatur quod valet simile procreare. *Duo Consideranda.* *Quid sit alimentũ in pericarpiis.* Quod pertinet ad primũ, variæ sunt sententiæ, pro quarum notitia considerandum, inueniri has voces, Menstruũ, genitura, semen, fructus, & Pericarpium. Menstrua sunt fœminç, Genitura est maris, fructus & semẽ includunt conditionem congregati ex menstruis & genitura, & sunt tanquam conceptus non separatis in vtero; Semen & fructus re idem sunt, sola distinguuntur ratione, nam fructus dicitur præcedentium, semen futurorum, hæc eliciuntur ex Arist. in 1. de Historia Animal. c. 18. Mox Pericarpiũ dicitur inuolucrum fructus, quod nonnunquam est esui aptum, vt Pirorum & pomorum, aliquando non, vt nucum, & amygdalarum. *Pericarpium.* Insuper, hoc Pericarpium adhuc est duplex, vel proximum, vel remotum, ita nuces & amygdalæ prædictæ sunt duplici Pericarpio, Poma, & Pira vnico, præsertim tamen id quod proximum est dicitur Pericarpium, id enim fructum inuoluit, aliud potius est Pericarpium Pericarpiorum: quædam cum fructu seruantur, vt in pitis, & pomis, & hæc magis proprie sunt pericarpia, alia nõ, vt leguminum siliquæ, & aristæ frumenti, Pericarpia parata sunt pro maturatione, conseruatione & perfectione seminum, vt dicitur in secundo Physicorum, 80. *Vicomer. Euersio.* His assumptis, inquit Vicomercatus, Aristotelem nomine Pericarpij denotasse fructum, & nomine fructus denotari id quod esui est aptum, vt pomum & pyrum. Sed errat: nam primo fructum ponit fundamento distinctum à semine, quod aduersatur Aristot. vt explicaui. Secundo, pericarpium pomorum appellat nomine fructus, cum tamen solum sit inuoluctum fructus, qui semen est. Prætetea nedum pars edulis est pericarpium, verũ insuper theca omnis & leguminum, & nucum, & de omnibus vera est sentẽtia Arist. *Olympiodorus.* Olympiodorus inquit: pericarpium est fibrosum quoddam inuolucrum: quod à natura paratum fuit pro seruando semine frugum & huiusmodi, Thecam frugum putat hoc in loco denotari; Sed nimium contrahit & coarctat sententiam Aristot. *Alexander.* Alex. inquit pericarpium dicitur quod fructum ambit in quo quædam est humiditas, cuius putredo est maturatio. Recte Alex. sententiam Arist. refert ad omne pericarpium, præsertim tamen ad edule, de quo ait cuius putredo est maturatio. At considerandum est in eis & præsertim in piris maturationem conspicue differre à putredine, matura enim sunt dulciora & grata gustatui, nõ sic putrida. *Sententia propria.* Dicamus itaque nomine pericarpij Arist. vniuerse denotasse omne inuolucrum fructuum, in omni enim includitur alimentum, quod maturatur, & per alimentum intelligere debemus nedum humorem pericarpij, de quo solo id intelligunt alij, verum præsertim seminis, quia ex sententia Arist. semen est redundans vtile, alimenti vltimi corporis viuentis, & maturatio præsertim in semine consideratur, quod indicauit Arist. inquiens, tunc esse maturum, & perfectum,

fectum, dum valet simile generare, Theoph. in primo de Plantis, cap. 18. & sequentibus, duplicem ponit coctionem, vnam seminis, alteram pericarpii, & ostendit nonnunquam, vt in domesticis Plantis, maturari pericarpium, vt in pitis, & per eius maturationem semen reddi impotens pro generatione, quia humor seminis transit in maturitatem pericarpii, ideo ne hoc aduersetur Aristot. quia tunc est maturum pericarpium, & semē non est prolificum, dicendum est, Aristotelem considerasse maturationem relatam ad humorem seminis, nam vt dixi, semē etiam dicitur alimentum, & tunc pro principali maturus est fructus, dum semen valet simile generare. Et quamuis Aristoteles dicat, maturationem esse pericarpii, id non obest, quia pericarpium considerauit cum omni incluso in eo, & iam dixit maturationem esse alimenti quod in pericarpio, alimenti nomen extenditur etiam ad semen, & humorem eius. Hæc maturatio proxime consideratur in semine, remotius in inuolucro, adhuc remotius in vniuerso viuente, quamuis ordine originis contra se habeat, ideo tunc viuentia dicuntur matura, & perfecta, dum semen edunt prolificum. Secundo loco considerandum proponebatur, quomodo perfectum dicatur, quod valet simile procreare; Pro notitia considerandum, aliquid posse dici perfectum primo, mole, numero, & figura partium, secundo, gradu, facultate & virtute, & hoc præsertim consideratur in præsenti contextu. Quod perfectum est duplex, vel sui essentia & absolute, & huiusmodi est Deus solus, vel in suo genere per participationem, & relationem ad aliquid, quæ perfectio in fine est posita, & ex fine pendet, vt nomen Græcum patefacit: huiusmodi finis est duplex, vel internus, vel externus, ideo duplex est rei perfectio, vna interna, & est adeptio formæ cum requisitis pro ea, altera externa, ad quam interna refertur, tanquam ordinata ad illam, externus finis perfectionis viuentium est, vt æternitatem assequantur, quam consequuntur per generationem, ideo iure tunc vnumquodque aptum generare dicitur perfectum, dum valet generare simile, & hoc dicitur opus naturalissimum, hinc secundo Cœli 17. ait Aristoteles, id cuius est opus, est gratia operis, tanquam externi finis, similitudo generantis & geniti considerantur in semine, vt in instrumento in parente & natis, tanquam in eo quod principale est: signum perfectionis sumptum ex facultate generandi, conspicue verum est de animalibus, & plantis, proprie generantibus, hinc ait Olympiodorus, surculos pro insertione non ex quauis planta sumi, non enim ex nimium veteri, nec ex nimium noua, sed ex matura & perfecta: Secundo loco, id signum etiam verum est de Elementis simile generantibus. Tertio, per Metaphoram ab Aristotele in prooemio Metaphysicæ transfertur ad animorum perfectionem, nam signum scientis est posse docere, & Plato in conuiuio inquit, prolem per quam etiam numero seruamur æterni, ex animo prodire, per quam prolem vetustissimi sapientes seruantur per memoriam & viuunt, hinc ait Aristot. in septimo Moralium Nicomachiorum, vnumquemque diligere opera, carmina, & alia similia eius studio formata, quia sunt tanquam filij animi & potioris partis eius, indicantes eius perfectionem.

Theophrastus.

Cur perfectum dicatur quod valet generare simile.

Proles Animorum.

CAP. XXI.

De maturatione per translationem.

DICVNTVR autem & alia multa matura, ex his quæ cocta sunt, Idea quidem eadem, sed translatione, quia non sunt imposita, (vt antea dictum est) no-

Contextus.

» mina suique perfectioni, in his quæ naturali calore & frigore terminantur. Est
» autem Tuberculorum, & pituitæ, & aliorũ huius generis maturatio, ea coctio,
» quæ à naturali est calore, existentis humoris, nam quod non vincit, terminare
» non potest. Itaque ex flatuosis Aquea, ex talibus autem terrea concrescunt, at-
» que alia quidem per hoc in se adducit natura, alia expellit, maturatio igitur quid
» sit, dictum est.

Connexio. Quemadmodũ coctio, ita Maturatio est vox ab vno. Propterea declarata principaliore, declarat modo alteram, quæ per Metaphoram & minus proprie dicitur; De qua loquens, primo manifestat maturationis nomen non vniuoce dici; Secũdo declarat quid sit, & quibus competat maturatio per Metaphoram; Tertio quomodo fiat. Vt pertinet ad primum, ait, nedum semina, sed alia multa dici matura; & de his dici maturationis nomen secundũ eandem Ideam, hoc est, secundum cõmunem quandam & consimilem formam & rationem, non vniuoce, sed per translationem & analogiam quandam ex seminum maturatione deprompram. Fit autem huiusmodi translatio, quia nomina propria non sunt imposita, plures enim sunt res, quam nomina, vt dicitur in lib. Elenchorũ. Similitudo autẽ est & ex parte caloris coquentis, qui est calor naturalis, vel absolute, vel secundum imperium, & ex parte rei coctæ, quia est humor aliquis ex nobis prodiẽs, & ad nostrũ corpus pertinens, inquit autem Philos. non esse imposita nomina cuique perfectioni eorum quæ naturali calore, & frigore terminantur: mentionem facit de frigore, quia coctioni conducit, vel contemperando calorem, vel coercendo, vel cocta coagulando, & congelando. Explicat secundo loco Philosophus, quorum sit, & quid sit huiusmodi maturatio, inquiẽs, quod est maturatio, & coctio, tuberculorũ, pituitæ, & similium, à naturali calore, inexistentis humoris, & ob id oportet naturalem calorẽ dominari, & vincere humorem, alioquin eum non terminaret. Tertio, modum & ordinem patefacit, quo hæc maturantur, inquiens, ea ex flatuosis reddi Aquea, & ex Aqueis Terrea, primo enim tuberculorum, & pituitæ humor est flatuosus, ob spiritus cum humore permixtos, qui vt facilius resolubiles, primo à calore resoluuntur, resolutis flatibus, remanet humor Aqueus, qui per coctionem & resolutionem partis magis tenuis redditur crassior, & cum Terreo permiscetur, in qua cõtemperatione positus est finis internus coctionis, ideo demum affertur finis externus, qui præsertim est duplex, vel secretio, vt puris, & inutiliũ, vel conuersio in naturam, & substãtiam viuentis, vt pituitæ dulcis, quæ vertitur in sanguinem & nutrit. Similiter Arist. per Metaph. in 3. Meteor. Ventum ὠμηρὸν dixit coctum, turbinem vero crudũ, nam translatio potest esse & cum maiori, & cum minori similitudine. Explicatis verbis, quatuor se offerũt dubia; Primum est, quia Arist. sæpe damnat Ideas, nunc tamẽ has maturationes Ideas esse easdem affirmat; augetur dubitatio: quia in primo Nicomachiorum, inquit Philosophus, eorũ quæ dicuntur secundũ prius & posterius, non esse Ideam, at maturatio dicitur de his secundũ prius & posterius, igitur male inquir, huiusmodi maturationum vnam esse Ideam. Altera dubitatio est, quia tuberculorum maturatio, non à naturali eorum calore fit, sed ab alieno. Tertio dubitatur, quia Definitio Maturationis horum, tradita ab Arist. non propria est maturationis, sed communis omni coctioni, omnis enim coctio est à naturali calore inexistentis humoris. Quarto dubitatur, quia non omnia quæ maturantur, demũ redduntur Terrea, sed quædam Aerea, vt patet de oleo, & semine, Ordiens à prima dubitatione, dico Aristotelem nomine Ideæ hoc in loco non denotare Ideas à Platone positas, secre-

Diuisio.

Cur fiat mentio de frigore.

Finis internus et externus.

Ventus coctus.

Quatuor dubia.

Prima dubitat.

Secunda dubitat.

Tertia dubit.

Quarta dubit.

De prima cur Vtatur nomine Ideæ.

tas à

tas à materia, vel per se subsistentes, vel diuinæ menti insitas, sed formam communem variis, eandem non vniuose, sed ab vno, non separatam, sed in materia existentem vel mente comprehensam. Ita etiam in 2. Phys. 27. formam dixit esse exemplar. Et dum additur, quia eorum quæ sunt ab vno, non datur Idea. Respondeo, eorum non dari Ideam proprie sumptam, & vere vnam, posse tamen de illis dici nomen Ideæ late sumptum, vt etiam dicitur natura vna vnitate ab vno, veluti de perspicuo communi. Cœlo, & mortalibus, dixit Aristot. in 2. de anima, in tuberculis, & vlceribus quomodo calor sit præter naturã, & proprius, seinsuper quomodo variæ in eis inueniantur alterationes, cumulate in præcedentibus patefec; Erat tertia dubitatio, quia definitio maturationis dictæ secũdum translationem, videtur competere omni coctioni; Respondeo, distingui per materiam ab aliis, indicantem nobis varietatem formæ propriæ; Addo, maturationem magis esse à calore naturali, quam sit Elixata, & assatio. Postrema dubitatio erat, quia non semper quod maturatur demum est Terreum. Respondeo, id esse verum vt plurimum, & præsertim esse verum de maturatione puris, tuberculorum, de qua loquebatur Philosophus, vt autem vniuerse reddatur vera sententia, debet addi id quod dicitur in 2. de Gen. Animal. cap. 2. cocta reddi crassiora, vel per siccum Terreum, vel per spiritum Aereum, vt Spuma, Oleum, & Genitura.

Tertia dubitatio an ea definitio competat aliis.

Quarta dubitatio.

CAP. XXII.

De immaturitate veriore.

IMMATVRITAS, Græce ὠμότης, est, quod contrarium est maturationi, & est cruditas alimenti quod est in Pericarpio. Hoc vero est indefinitus humor, quamobrem spirituosa aut aquea, aut ex vtroque est cruditas, cum autẽ maturatio perfectio sit quædam, cruditas erit imperfectio: fit autem imperfectio ob inopiam naturalis caloris, & proportionis defectum ad humorẽ maturandum: nullus autem humor per se absq; re sicca maturescit, aqua enim humidorum sola non crassescit, id vero accidit aut quia calor exiguus sit, aut quia humor qui terminatur multus, quam etiam ob causam rerum crudarum succi sunt tenues, & magis frigidi quam calidi, ad esum præterea & potum minus idonei. *Cont.*

Declaratur immaturitas, quæ non secus ac maturitas ei opppsita vsurpatur & proprie, & per translationem, & de vtraque Philosophus verba facit, ordiens à proprie sumpta. De qua agens, tria declarat, primo formam, secundo causam efficientem, tertio materiam, finem ei nõ tribuit, cum sit malum, & priuatio. Et animaduertendũ, quod vt incõcoctio erat triplex, deprauatio, diminutio, & absoluta priuatio, ita triplex cõsiderari potest immaturitas, prẽsertim tamen eam considerant quæ est diminutio & priuatio. Definitur immaturitas quod sit cruditas alimenti in Pericarpio, ob inopiam caloris naturalis., materia maturitatis, & immaturitatis vt cæterorum oppositorum secundum formam & priuationem eadem est, efficiens aũt & forma opponuntur. Forma itaque proxima immaturitatis est cruditas, siue incõcoctio, remotior imperfectio, quẽ dicitur forma, tum quia priuatio est quædam forma ex secundo Physicor. 15. tum quia frequenter est priuatio in parte non absolute, tum demum quia nonnunquã est deprauatio, quæ forma est; Declarans secundo causam efficientẽ, inquit huiusmodi imperfectionem prodire ex inopia naturalis caloris, & ex defectu rationis eius ad humorem maturandum, nam effectus qui est priuatio, causa cum priuatione assignanda est, oritur inconcoctio vel ex imbecillitate caloris, vel ex copia

Diuisio.

3. Immaturitas.

Materia.

Forma.

Efficiens.

humoris, vt dicit Philoſophus, hæ duæ cauſæ rediguntur in vnam, nempe in defectum congruentis rationis caloris ad humidum, & quia congruens ratio eſt imperium, ſiue ratio maioris inæqualitatis caloris, ideo cauſa vniuerſa redigitur in defectum caloris, loquitur tertio Philoſophus de materia, quæ eſt indefinitus humor, inquiens, quod nullus humor per ſe abſque portione ſicci matureſcit, hoc eſt, vt indefinitus humor coquatur, mixtus eſſe debet cum ſicco, veluti humidorum. Aqua ſola id eſt pura, & non permixta cum ſicco aliquo, non craſſeſcit, & exempli loco accipit aquā potius quam Aerem, quoniam humor maturatione egens præſertim Aqueus eſt, cum frigore iunctus, humor Aqueus poteſt quidem frigore congelari, at ea nec proprie eſt incraſſatio, nec coctio, quod dicitur de aqua etiam de Aere verum eſt, quod Aer ſolus id eſt ſeorſum à corpore ſicco per calorem non incraſſatur, ſed attenuatur & vertitur in Ignem: Incraſſari tamen poteſt aer per frigus dum condenſatur & tranſit in aquam, at ea quoque non eſt coctio, adeo, vt ea ſententia quod humor ſolus ſeorſum à ſicco non incraſſetur craſſitudine competēte coctioni, vera ſit nedum de aqua, ſed etiam de aere: ſumpſit tamen Ariſtoteles aquam loco exempli. Poteſt etiam ea ſententia, quod aqua humidorum ſola non incraſſetur, exponi accipiendo particulam illam (ſola) non pro denotante ſeorſum à ſicco, ſed pro denotante proprium aquæ, adeo vt ea tantum inter humida non craſſeſcat, attamen iam vniuerſe dixerat Philoſophus, quod nullus humor abſque re ſicca matureſcit. Hinc Alexander commentario decimoquarto, inquit, Oleum quoque non permixtum cum alio per actionem caloris, non incraſſari. Olympiodorus ex his colligit Elementa ſimplicia non coqui, nam in ſiccis non ineſt humor coquendus, in humidis nil ineſt ſicci, vt incraſſari valeant, & cum non coquantur, etiam nutrire non valent, ſed addit quod cum hoc aduerſari videatur variis auctoritatibus Ariſtotelis dicentis, Elementa inuicem & in mixtum permutari, & aquam in vinum verti, tutius eſt forte dicere ſententiam Ariſt. de craſſitudine aquæ, potius denotare difficultatem, quam quod abſolute non craſſeſcat & nutriat. At eius ſententia approbanda non eſt, quia Elementorum reciproca permutatio non eſt coctio & incraſſatio pro coctione, mutatio autem in mixtum non competit vni Elemento ſeorſum ab altero ſed ſimul iunctis. Addit demum Philoſophus, propterea rerū crudarum ſucci ſunt tenues, & magis frigidi quam calidi, & pro cibo minime idonei, ſeu pro potu; Hoc ſignum eſt eius quod dixerat de materia quod ſit indefinitus humor, & quod ob id cruditas eſt flatuoſa, aut aquea, nam ſucci rerum crudarum ſunt tenues, quia non ſunt permixti cum ſicco, & magis frigidi quam calidi, quia ſeruant frigus Aqueum à calore non reſolutum, per cuius reſolutionem primo quæ coquuntur redduntur flatuoſa, & tument, mox reſolutis flatibus remanent molliora: & quoniam viuentia humore cocto & dulci nutriuntur, & inter ſimilia facilior eſt permutatio, ideo immatura nec ad eſum, nec ad potum iudicantur idonea, veluti immatura poma, & immaturus ſuccus vuæ; nam præter id quod cum difficultate ſuperantur à naturali calore, etiam alimentum præbent ſua Qualitate inſalubre, & ob id etiam arte alimenta aſſamus, vel elixamus, vt facilius & melius nutriantur; Sed oritur dubitatio, quoniam inquiunt nonnulli, priſcis temporibus homines fuiſſe longioris vitæ, quia veſcebantur crudis non Igne coctis: quos ſequens Cardanus in ſecūdo de Subtilitate, inquit calorem Igneum in re cocta ſemper maligni aliquid derelinquere, quod indicant combuſta omnia, quæ aduerſa & maligna aliqua Qualitate apparent prædita. Horum ſententia approbanda non eſt, nam

Materia. *Alexander.* *Olympiodorus.* *Euerſio.* *Signum.* *Dubitatio.* *Cardanus.* *Euerſio.*

est,nam precurrētes coctiones parant pro subsequentibus, & inter similia facilior est permutatio, & dulcia proximius nutriunt; Et quamuis combustio ob consumptum humorem & portionem terream derelictam obsit, id nobis non aduersatur, quia considerari debet non deprauatio, sed congruens dispositio, deprauatio enim est detetior quam priuatio, vt ignorantia prauæ dispositionis, deterior est quam ignorantia negationis.

CAP. XXIII.

De immaturitate dicta secundum Metaphoram.

DICITVR autem immaturitas perinde ac maturitas multis modis, ideo & sedimenta, & catarri dicuntur crudi, eadem de causa, nam quæ calore non vincuntur, neque concrescunt, cruda omnia nuncupantur, longe autem progredientibus, & fictile crudum est, & Lac crudum, & alia multa dicuntur, si cum calore mutari possint, atque concrescere, expertia passionis manent. Ideo Aqua elixa dicitur non cruda, quia non crassescit; Maturatio itaq; & cruditas dictum est quid sit, & propter quid sit vtrumque eorum. *Cont.* ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Declarata immaturitate magis proprie dicta, declarat dictam secundum Metaphoram, vt de singulis patefaciat quod dicuntur ab vno, & indicet Definitiones ad principale semper esse referendas, & quoniam in translatione & recessu à principali locum habet magis & minus, ideo Aristoteles tria facit, primo declarat gradum primum recessus, secundo gradū alterum, tertio, pro suæ sententiæ confirmatione, ait aquam non debere dici immaturam, cum maturationis non sit capax. In primo itaq; gradu Metaphoricæ immaturitatis se offerunt catarri, & defluxus omnes pituitosi, & sputa, & vlcera, & similia, quæ immatura dicuntur, vt etiam sedimenta vrinarum quę dūm sunt matura, apparent secreta, alba, lenia, æqualia, ad imum descendentia. Vrinæ quoq; dicuntur crudæ, dum apparent aquæ tenues, paleari colore destitutæ, cruditas tamen magis proprie dicitur de sedimento quam de vrina, quoniam est magis crassum, magis aptum coqui quam vrina quæ valde aquea est. In gradu à primo remotiore, numerantur lateres ac fictilia omnia, insuper Lac. Ratio est: quia fictilia non à proprio calore, sed ab externo coquuntur, nec Natura, sed arte. At dubitatio est de lacte, de quo Aristoteles in secundo de Gener. Animal. dixit, quod est res cocta penitus, & coquitur à naturali calore. Dicamus, Aristotelem nunc denotare non coctionem Lactis in viuente per naturam, quæ est maturatio magis propria, quam ea catarri, sed extrinsecus arte elaboratam, hinc pastores lac ponunt prope ignem, vt citius coaguletur, & etiam de coctionibus vtuntur. Demum in parte postrema patefacit quæ valeant dici immatura. Inquiens quod hæc & alia huiusmodi si apta fuerint maturitate perfici, dum carent ea perfectione, dicuntur immatura: Aqua cum non sit apta maturari & coqui, non dicitur vel matura, vel cruda, sed solum per ebullitionem dicitur elixa. Hæc est sententia verborum. Ex qua tria prodeunt dubia. Primum est, quia Aristoteles fictilibus tribuit maturationem, at cum eorum coctio fiat igne, sicco, & calore externo, potius assatio quam maturatio nuncupanda videtur. Altera dubitatio est de lacte, cuius si consideramus coctionem per naturam in viuente elaboratam, satis proprie est maturatio, si factam ab externo igne, quam ego sequens Alexandrum, & Albertum dixi Aristotelem hoc in loco denotasse, ea potius videtur elixatio in sero Aqueo, quam maturatio. Tertia dubitatio est de aqua, quæ cum

Diuisio. *Dubitatio de lacte.* *Tria dubia.* *1. Dubiū.* *2. Dubiū.* *3. Dubiū.*

non crassescit, inquit Arist. dicitur elixari, non maturari, at cum elixatio sit speciès coctionis, & omnis coctio competat subiecto apto incrassari, aqua vt non maturari, ita nec elixari, nec coqui dicetur, & præsertim quia coctio est affectio mixti. De prima difficultate inquit Albertus, figulum & lateres re vera potius assari quam maturari. Arist. tamen dixit laterem non maturum, quia loquitur de immaturitate per metaphoram, non de propria, nec eam comparauit cum assatione, Ludou. Boccaf. inquit, Aristotelem inspexisse communem vsum loquendi, vulgo enim lateres non cocti immaturi dicuntur. At hæc non remouent difficultatem, quia docens tenetur recte loqui, & naturam rerum considerare. Ideo dicamus, lateres dici & maturati & immaturos duplici de causa, prima est, quia æque vt matura intus & extra coquuntur, non autem extrinsecus solum desiccantur, & intus remanēt humidi, vt ea quæ assantur. Altera est, quia figuli & lateres in fornace non proxime ab igne coquuntur, vt ea quæ assantur, sed igneus calor in fornace tanquam spiritus in viuente corpore recipitur, per quem fit coctio, veluti panis in furno maturari, non assari dicitur: at si panis vel pasta igni proxime, & sine medio offeratur, dicetur assari. De secunda difficultate nempe de lacte, iam dixi Aristotelem denotare coctionem ab externo igne. Instabatur, quia ea potius est elixatio. Respondeo, eā dici posse Metaphoricam maturationem, & magis propriam ea figuli, quoniam vt recte considerauit Albertus pro Lactis coctione, etiam conducit calor proprius eius, nō ita pro coctione lateris. Ad instantiam, quia potius videtur elixatio. Respondeo, duplicem in attinentibus ad Lac considerate coctionem, vnum Seri, per quam reliquiæ Casei congregantur, & ea est similis elixationi, cum sit reliquiatum Casei in Sero Aqueo coctarum. Alteram totius Lactis, quæ non est in humido, sed humidi, & dicitur maturatio, quia Lac est aptum maturari, & cum per naturam in vberibus satis proprie maturetur, per artem imitantem naturam, dicitur maturari per similitudinem, & metaphoram. Tertio, dubitatio erat de aqua, quę vt maturatur, ita non elixatur, cum non coquatur. Respondeo, aquam proprie non coqui, cum non sit mixta: & ita nec maturari, nec assari, nec elixari: at si per similitudinem & metaphoram aliqua coctio ei tribuenda sit, minime ea erit maturatio, cum non sit à naturali eius calore, nec simili maturationi. Inquit Clarissimus Boccaf. quod erit similior assationi, quam elixationi, ob relatam causam, Aristotelem tamen sequutum fuisse popularem modum loquendi, dicentium, aquam bullientem elixari, & etiam quia per ignem externæ partes eius non exsiccantur; Hanc sententiam non puto approbandam: nam vt coqui in humore aqueo ebulliente, dicitur elixari, ita humorem aqueum ebullientem rectius elixari quam assari dicimus. Præterea, assatio competit siccioribus, elixatio autem etiam humidioribus. Dicamus itaque, quod cum Aristoteles dixerit, aquam non dici crudam, sed elixam, indicauit elixari per similitudinē, quia partes quædam & partes nonnullæ subtiliores dissoluuntur, & humor aqueus nobis aduersus per ebullitionem modo aliquo contemperatur & benignior redditur, hinc Medici ea frequenter pro laborantium potu vtuntur.

Solutio primæ diffic. de figulo. — *Opinio propria.* — *Solutio 2. difficul. De lacte.* — *Solutio 3. difficult. de aqua.* — *Lud. Boc.* — *Euersio.* — *Solutio propria.*

Cap. XXIIII.

De Elixatione.

Context. 11. ELIXATIO autem est vniuerse quidem coctio à calore humido eius indefiniti quod in humido inest, dicitur autem nomen proprie in his, quę elixantur, hoc au-

hoc autem erit, vt dictum est, spirituosum, vel aqueum, concoctio autem fit ab » igne qui in humido est, nam quæ in sartaginibus assantur, patitur enim ab exter- » no calore, id autem humidum in quo est, siccum potius reddit ad se attrahendo. » Quod vero elixatur contrarium facit, secernitur enim ex ipso humidum à calore, qui in externo inest humido. Quare ficciora elixa sunt assis, non enim in seipsa attrahunt humorem, quæ elixantur, dominatur enim externus calor interno: quod si interior superaret, nimirum ad se attraheret.

Maturationi quæ maxime omnium per naturam elaboratur, elixatio succedit, competit maturatio animalibus, plantis, & seminibus, vt relatis ad generationem. Elixatio competit alimentis quæ in ventriculo coquũtur pro conseruatione, & perfectione viuentium. Loquens Philosophus de elixatione, singula capita explicat ad eius notitiam pertinentia, declarat enim quid sit, ex quibus causis pendeat, quomodo fiat, quomodo distinguatur à frixione. Quæ sit minus propria elixatio. Quis eius externus finis, quæ apta sint elixari, & demum manifestat elixationem cum arte, tum natura fieri. Ex præsenti contextu tria elicimus: primo, Definitionem Elixationis, eiusque in parte declarationem; Secũdo, de quo proprie dicatur Elixatio, & quomodo à frictione secernatur; Tertio, rationem ob quam elixa sint ficciora assis. Definitio hæc est. Elixatio est concoctio à calore humido eius indefiniti, quod in humido inest. Forma est cõcoctio, quę est genus proximum: Efficiens est calor humidus, in aqua receptus, vel aqueo. Materia est humor indefinitus rei elixabilis, qui a calore elixante est terminandus. Inquit Philosophus, Elixatio autem est vniuerse, cum dicat (vniuerse) ait Albertus, ea voce fuisse vsum ob varias causas: Prima est, vt denotaret vniuersitatem elixabilium, omne enim mixtum per naturam est Elixabile: Altera, vt denotaret vniuersitatem partium totius mixti iam constituti, mixtum enim primo per maturationem constituitur, mox secundum omnes eius partes elixatur. Tertia est, quia omne quod coquitur aliis coctionibus etiã elixari potest, non contra. Addit, quod cum Aristoteles dicat τὸ καθ᾽ ὅλον, quod vniuerse & totum dicitur, nonnulli id totum accipiunt pro perfecto, alij inquiunt dici totum, quia fit interius in organis Physicis, exterius in artificiosis, cum maturatio solum fit interius in organis Physicis, assatio autem solum exterius in artificiosis, alii, alia quoque addunt, quæ vt parum vtilia missa facio, & cum Olympiodoro dico, Aristotelem per vocem Vniuerse, denotasse Definitionem traditam esse communissimam & omni elixationi competere, quouis modo fiat: Et pro notitia considero, quod Aristoteles Definiens maturationem, addebat a calore naturali, contrahendo eam ad elaboratam per naturam, & præsertim quia proprie per naturam fit. De assatione dicit à calore externo, & igneo, quod proprie competit soli artificiosæ, obscure enim assatio per naturã efficitur, de Elixatione neutrum dicit, adeò, vt competat vtriq; : nam satis recte & arte & natura fieri potest, ita tribuit singulis quod magis proprie eis competit, & ea arte definit, vt paucis mutatis valeant definitiones singulis aptari. De coctione autem in genere dixit fieri à naturali & proprio calore, vt loquendo de genere id explicaret quod principale est, & præsentis est considerationis. Dicitur autẽ nomen proprie in his quæ elixãtur, &c. Patefacit Philosophus in hac secunda parte, de quo proprie dicatur Elixatio, cum enim per vocem vniuerse indicasset se communem tradere Definitionẽ, ideo iure declarat, quæ sint illa quib. nomen, & Definitio magis proprie competat, inquiens, ea esse quæ elixantur, hoc est, quæ formã elixationis sunt apta vere suscipere, ea aũt sunt flatuosa & aquea, vt explica-

Declarãda.

Diuisio.

Definitio.

Quid per Vniuerse intelligatur. Albertus.

Olympiodorus.

Quæ proprie elixantur.

tum est in præcedentibus, quæ elixatio fit ab igne hoc est igneo calore, recepto in humido Aqueo, veluti alimenti coctio in ventriculo dicitur elixatio, quia fit à calore humido, & præsertim in pueris, & fœminis. Comparat mox Philosophus pro suæ sententiæ confirmatione elixationem cum frixione, & assatione, nam frixio ad assationem redigitur, cum elixatione enim calor igneus potens, per medium humorem Aqueum, operatur in elixabile, & humectans illud ac aperiens externas eius partes, laxioresque reddens, trahit ad se humorem eius, hinc elixa intrinsecus remanēt humore proprio minus humida, extrinsecus autem sunt valde humida humore alieno: dum humor internus trahitur, vna cum eo trahuntur etiam excrementa varia spumam constituentia, caloris enim officium est attrahere, secernere dissimilia, & similia cōnectere. Ex aduerso, ea quæ assantur, à calore externo sicco proxime coquuntur, à quo partes externæ contrahuntur, desiccantur, earumque meatus clauduntur, adeo, vt interno humori claudatur via, qui manens intus, seruat internas partes humidiores, & præsertim, quia calor in interno humore receptus, ad se trahit humorem rei, quæ assatur, pro quo efficiendo, etiam tertio id conducit, quia humor pro facultate vitat & fugit calorem siccum externum e aduersum, cū econtrario in elixatione humor internus sequatur externum tanquam ei consimilem & familiarem. De frixione perinde se habet, ac de assatione, tum, quia quod frigitur tangit sartaginem calore sicco feruentem, tum quia fit in oleo & pinguedine, in quorum spiritibus subtiliorib. & facile combustibilibus, calor igneus recipitur vehementer desiccans. Ex his demum elicitur ratio, ob quam elixa sint sicciora assis, loquendo de proprio eorum humore, quod debet intelligi de partibus proprie assis, non de combustis, quibus non coctio, sed resolutio competit. Recte considerat Alexander alia intrinsecus seruare humidiora dummodo nō fuerint præelixata, solent namque coqui, assanda prius in parte elixare, id autem faciunt, vt humor internus redundans, in parte minuatur, vt educantur excrementa nonnulla, aperianturque meatus, vt facilius & moderatius mox assentur, hæc autem dum mox assantur, non adeo seruantur intrinsecus humida.

Frixio. *Cur assa intus humidiora sint.* *Alexan.*

Cap. XXV.

Dubia quinque ad Elixationem attinentia.

Quinque dubia. EX his quæ de Elixatione sunt dicta, quinque præcipua oriuntur dubia: primum est, quia frixioni competit Definitio Elixationis, cum fiat per calorem
1 in humido receptum, quare videtur dicenda elixatio. Alterum est, quia si calor
2 dominans est ille qui trahit humorem, vt ait Aristoteles cum & pro assatione, & pro elixatione calor dominans sit externus, in vtrisq; humor videtur debere extrinsecus trahi. Tertio, experientia aduersatur sententiæ Aristotelis: nam si in
3 sartagine carnem suillam pinguem frigimus, vniuersus humor eius effluit, & solum remanet aliquid aridum, terreum, quod nō ita fit in elixatione eius. Quarto
4 dubitatur, cur frixione citius res coquuntur, quam assatione, cum tamen res
5 quæ assatur proximius ab igneo calore patiatur. Demum dubitatur, si frixio est assatio, cur ægrotis Medici concedunt assa, non frixa: & si assa sunt humidiora elixis, cur febre laborantibus quibus competit victus humidus, potius tribuuntur elixa quam assa? & num vt reliquæ coctiones ita frixio, nedum arte, verum natura quoque fiat? Dubia profecto satis pulchra sunt, & digna consideratione. A primo ordiens dicebatur frixioni competere Definitionem elixationis: In-

Prima dubitatio, num frixio sit elixatio.

nis: inquiunt nonnulli viri celebres, frixionem fieri dum ab igne primo incenditur sartago, mox ab ea calefit quod frigitur, quod excalefactũ, agit in oleum, id trahens ad se; hinc ait Olympiodorus, si oleum multum fuerit non recte frixio fit, & Alexander inquit quæ friguntur, a calido quod in humido est non patiuntur vt ea quæ elixantur, sed ab æterno igne, vt quæ assantur; signum autem hoc est, quod humidum in quo sunt, patitur potius ab illis, & hoc videtur dicere Aristoteles inquiens, ea quæ in sartaginibus assantur, patiuntur enim ab externo calore, id autem humidum in quo sunt, siccum potius reddunt ad se attrahendo &c. Hæc solutio quamuis includat aliquid veri, non propterea remouet omnem difficultatem, quoniam si in sartagine loco olei esset aqua, non frixio, sed elixatio fieret, etiam si piscis sartaginem tangeret, quare varietas ex alio pendet. Præterea, si in sartagine plena oleo piscis detineretur suspensus, ne sartaginem tangeret, non propterea elixaretur, sed frigeretur potius, & partes externæ desiccarentur, quamuis non tam conspicue & vehementer, vt si tangeret sartaginem. Ideo ea solutio eatenus solum est vera, quatenus per illum contactum augetur, & perficitur frixio, non tamen remouet vniuersam difficultatem, nec patefacit rationem potiorem varietatis, quæ sumenda est ex conditione olei, & pinguedinis, in qua fit frixio, nam pinguia quamuis includant aliquid humoris aquei, id tamen apprimè redditum est particeps conditionis aereæ aptæ facile incendi, ignis autem dum agit per medium Aerem, vel Aereum vehementer agit, & desiccat extrinsecus, & assat, dum verò agit per mediam Aquam, quia humor eius obtundit acumen caloris, non desiccat, sed relaxat externas partes & humectat: hinc si manu tangimus feruens oleum, longe acutius lædimur, quam si tangimus feruentem aquam: Conditio itaque olei putanda est causa principalis varietatis, tactus verò sartaginis causa adiuuans, & conducens. Ad Aristotelem cuius verba retuli, dicendum est, illum hoc denotasse, quod res quæ frigitur recipiens calorem igneum, vel per sartaginem, vel per igneos pinguedinis spiritus ad se trahit humorem crassiorem pinguedinis, siue olei, adeo vt frixa nedum intus feruent humorem proprium, verum insuper feruent portionem humoris pinguedinis quam traxerunt. Dubitabatur secundo, si dominans trahit, cum in assatione calor externus maxime dominetur, maxime deberet ad se trahere humorem eorum quæ assantur. Respondeo, id non efficere primo, quia calor igneus exitui viam obstruit exsiccando partes externas: secundo, quia humor internus fugiens oppositum siccum ad intima contrahitur; Tertio, quia calor internus cum humore iunctus & ebulliens redditur potens; in elixatione autem se habet econtrario, vt ex dictis patet. Instabatur tertio, quia pingue dum in sartagine frigitur, emittit humorem suum: Respondeo, id accidere de pinguedine, quia per calorem, & præsertim siccum facile liquescit, & non est propriè nata frigi, sed id in quo apta est recte frixio fieri, & si ponitur ac liquescit in pinguedine, humor eius ob familiaritatem in externum fluit cum eoque nectitur. Quærebatur quarto, cur res citius friguntur quam assentur, ac etiam citius assentur quam elixentur? Respondeo, id accidere, quia calor igneus, receptus in oleo & pinguedine aptis facile incendi, est potentior, quam receptus in aere, vt receptus in aere est potentior quam in aqua. Pinguedo enim aerea & densa ob incensionem eius & densitatem vehementissimè operatur, humor aqueus obtundit vim caloris

Olympiodorus.

Euersio.

Solutio propria.

Solutio secunda de assis.

Solutio 3.

De quarta dubitatione. Cur res citius friguntur quam assentur.

De quinta dubitatione. aer ob raritatem remissius operatur. Quærebatur postremo, cur ægrotis conceduntur assa, non frixa? Respondeo, id fieri, quia pinguedo obstruit, & ob copiã humoris eius cum difficultate coquitur, tribuit his quę friguntur qualitatem insalubrem, & frixa reddit extrinsecus arida, cum difficultate a calore ventriculi resolubilia. Insuper quærebatur, cur febre correptis elixa potius, quam assa tribuantur? Respondeo, id fieri primo, quia assa difficilius in ventriculo coquuntur ob condensationem, & incensionem ab igneo calore factam: Secundo, quia elixationi Artificiosæ rectius succedit elixatio alia, quam assationi, ob similitudinem, nam coctio in věntriculo, elixatio est; Tertio, qui calor igneus siccus tribuẽs vires suas his quę assantur, magis aduersatur febri, quam calor humidus aqueus; Quartò, quia in his quę elixantur si minus inest proprii humoris, inest plus alieni; Quinto, quia facilius, & cõsimilius res elixantur, quam assentur, in his enim, quæ assantur, magna est dissimilitudo coctionis in eorum partibus; Sexto, quia alimenta per elixationem magis expurgantur, & per spumam varia excremẽta secernuntur; Demum, quia non recte assatur caro sine ope pinguedinis quæ obest ægrotantibus, accidit tamen, ob varietatem ægritudinem, quod nonnullis magis assa quam elixa conueniant. Demum quęrebatur, an frixio fiat per Naturam, vel sola Arte? Respondeo, per Naturam non fieri, quia exposcit pinguedinem liquefactam, quæ est dispositio præter naturam: Similiter, requiruntur instrumenta quorum similibus natura nõ vtitur, ideo frixio est coctio maxime omnium præter naturam.

Cur ægrotis elixa potius quam assa conceduntur.

An frixio etiam fiat per naturã.

Cap. XXVI.

Quæ magis vel minus propriè elixentur.

Contex. NON est autem corpus omne elixabile, nam neq; id in quo nihil est humoris, vt in lapidibus, neque in quibus inest quidem, sed vinci ob densitatem non potest, vt in lignis, sed quæcunque corpora humorem habent aptum pati ab igneo calore, qui est in humido. Dicitur autem & aurum elixari, & lignum, & alia multa, non eadem quidem Idea, sed translatione, nam differentiis nomina paria non sunt imposita, & humida quidem elixari dicimus, vt Lac, & Mustum, quando sapor qui in humido in speciem aliquam mutetur, ab igne in orbem atque extrinsecus calefaciente, quare modo aliquo similem efficit dictæ elixationi.

Quod fecit Philosophus de cæteris, seruat etiam agens de elixatione, declarans & quæ proprie, & quæ per translationẽ elixentur, quod vt distincte efficiat, primo declarat non apta elixari, secundo aptam elixari proprie. Tertio, quæ per Metaphoram, quarto, quæ medio quodãmodo se habent. Non apta elixari, sunt corpora Terrea, ferè penitus humore destituta, vt lapides & ossa, quæ non apta sunt elixari, cum apprime sint terrea, & si quid humoris habent, id eis seruatis non potest liquefieri, nec a calore humido vinci, sed potius à sicco, vt accidit in fornacibus, dum ex lapidib. fit calx, quæ est similior assationi, nec ob id vera est assatio, quia nõ est perfectio humoris, sed consumptio & resolut. Insuper, elixari etiam apta non sint mixta humore quidem prædita, adeo tamen cum Terreo iuncto, vt a calore humido vinci, & liquefieri non possit, qualia sunt Ligna, cornua, vngulæ, dentes, & similia, quorum humor solum vincitur a calore sicco vehementi, a quo cõburuntur, non assantur. Ex horum oppositis constituitur definitio

Quatuor quæ declarãtur.

Non apta elixari quæ sint.

finitio elixabilium, & est. Elixabilia sunt corpora humore prædita, nata pati ab igneo calore, qui est in humido, quæ definitio præsertim cõpetit elixationi arte elaboratæ, tamquam notiori, & cui primo nomen est impositum, mox translatum est ad eam quę natura fit. Definitio verè elixabili, declarat tertio loco ea quę per Metaphoram elixantur, qualia inquit esse aurum, denotando simul cætera Metalla, & Lignum, & alia multa consimila, quæ non eadem quidem Idea, hoc est forma & specie elixationis dicuntur elixari, sed solum per translationẽ, cum desint nomina distincta & propria. Declaratis quæ propriè, & quæ Metaphorã elixãtur, numerat quarto loco nonnulla, quæ medio quodammodo se habent, quæ sunt humida, parum sicci includentia, vt Lac, & Mustum, quæ dicuntur elixari, dum per ebullitionem ab ambiente igne prodeuntem eorum sapor mutatur, & dulcior redditur, cũ enim sapor sit Qualitas secunda, sequens Temperamentum primarum, & præsertim in humido sapido sit collocatus, ideo variato Temperamento, & mutato humore variatur & ille: Hæc est sententia verborũ. *Elixabile quid.* *Quæ per Metaphoram elixentur.* *Medio modo se habentia.*

At variæ se offerunt difficultates. Prima est, quia Aristoteles inquit, humorem lignorum non vinci ob densitatem: at contra, ligna sunt rara, variis meatibus prædita, & supernatant in Aqua. Secunda est, quia etiam ligna elixãtur, eorumque humor euincitur, vt patet de Liquiritia, de Ligno sancto, de nuncupata Salsapariglia, & similibus, quæ facultates varias tribuunt aquæ in qua elixantur, & ea remanent destituta proprio humore. Tertio dubitatur, quia Aristoteles inquit, non proprie elixabilia non eadem Idea elixabilia dici, cum tamen in præcedentibus, & propriè, & non propriè matura, eadem Idea asseruerit matura. Dubitatur quarto, qualis sit elixatio Metallorum, ab Aristotele per translationem nuncupata. Quinta dubitatio est, quia Aristoteles in præcedentibus dixit, Lac maturari, nunc autem inquit elixari. Similiter & Mustum, & præsertim dubitatur, quia hæc potius videatur assari, quam elixari, cum proxime coquantur a calore igneo. Demum, hæc Problemata diluenda se offerunt: Primum est, cur Caro cum ebullierit, si abluatur aqua frigida, citius mox elixetur? Secundum, cur Caro animalium seniorum difficilius elixetur. Tertium, cur vitrum primo incensum mox in aquam mersum, in qua Caro elixatur efficit, vt citius elixetur, quod etiam efficiunt, Nuces, Ossa arida, Cinis, & Calx. Quarto, cur Sal impedit elixationem & præsertim leguminum, hinc nisi cocta fuerint non debent sale condiri. Hæc omnia profectò & obscura sunt, & digna vt accurate considerentur. *1. Dub.* *2. Dub.* *3. Dub.* *4. Dub.* *5. Dub.* *Problemata diluenda.*

Cap. XXVII.

Diluuntur proposita dubia ad elixationem attinentia.

Dubitabatur primo, an verum sit, quod ligna ob densitatem non elixentur, cum tamẽ supernatent in aqua, & multa nõ supernatantia, elixentur. Respondeo, ligna dupliciter considerari, vel pro congregato ex eorum substantia, & aere in meatibus incluso, & ita sunt rara, aerea, & supernatant, excepto Ebeno, vt ait Aristoteles in hoc libro. Vel pro sola eorum essentia, & ita sunt densa & Terrea, vt dicitur in secundo Physicorum cont. 8. & hoc in loco, nam sunt prędita humore Aqueo, cum Terra iuncto, non apto a calore humido liquefieri. Instabatur secundo, quia varia ligna elixantur, immo Aristoteles videtur secum pugnare, quia in hoc cont. primo inficiatur, mox affirmat ligna elixari. Respondeo, Ligna non elixari propriè, elixari tamen per metaphoram, quæ *1. Dub. diluitur.* *An Ligna ob densitatẽ non elixentur.* *Varia ligna elixari.*

elixatio per Metaphoram duplex est, vna, dum Lignum viride igni proximum excalefit, adeò, vt humor Aqueus intus ebulliat, vertatur in vapores, & remaneat lignum intus aridum, vt elixata. Altera est, dum lignum in aqua positum per ebullientem aquam dicitur elixari. Alexander, Albertus, Vicomercatus, Lud. Boccafer. putant Aristotelem primam denotasse, dum dixit aurum & lignum per Metaphoram elixari. Similiter inquiunt, aurum elixari per Metaphoram, & dum per fusionē ex eo elicitur argentum, adeò, vt id non de puro auro verum sit. Hinc ait Albertus, Aurum liquefactum, cum latere trito & sale deputati; Similiter argentum: Cuprum vero, cum Arena & sabulo. Probabilis est hæc expositio, mihi tamen probabilius videtur dicere, Aristotelem de altera elixatione loqui, facta in aqua ebulliente, hæc enim est similior propriæ elixationi, & dum absolutè sermo fit de elixatione, semper ea denotatur, quæ fit in humido aqueo ambiente & feruente; Dum itaque Metalla, & ligna in feruente sunt aqua, modo quodam dicuntur elixari; quia quamuis non emolliantur vt Caro, & ob id ab Aristotel. primo non dicantur propriè elixari, tamen aliquid magis tenue humoris eorum vincitur & per Aquam effunditur, & aquæ facultatem aliquam tribuit, & lignum remanet proprio sapore & humore destitutum, vt experientia docet, quamuis portionem aliquam alieni humoris recipiat. Propterea minus rectè Vicomercatus inficiatur, lignum per huiusmodi ebullitionem reddi aridius: nam profectò, quod ad proprium eius humorem pertinet, aridius & sine proprio sapore remanet.

Aurum a calore humido aliquantulum dissolui. Similiter etiam aurum per ebullitionem in aqua quamuis valde parum dissoluatur, tamen experientia docet quod etiam aliquid eius dissoluitur, quod experti sunt illi, qui tempore belli timentes ne in manus hostium venirent, coronatos aureos deglutierunt, mox eos cum fecibus emittentes, inuenerunt minoris ponderis. *Metalla non penitus a medicamentis arcenda.* Hinc quamuis Metalla non propriè nutriantur, vt dicitur ab Aristotele in prima particula Problematum, quia per calidum humidum non liquescunt, tamen mixta cum aliis, ea alterant, & per ebullitionem aliquid virtutis humori impartiuntur; hinc non penitus a medicamentis (vt putarunt nonnulli) sunt arcenda. *Diluitur dub. 3.* Addebatur tertio, nō propriè elixabilia, minus rectè dici elixabilia, non eadem Idea & ratione, cum prius oppositum de non propriè, & propriè maturis protulerit. Respondeo, cum ea sint ab vno Idea, hoc est ratio communis notio & species, est eadem & distincta, eadem vnitate ab vno, distincta vniuoce. *Dub. 4. qualis sit elixatio metallorum.* Dubitabatur quarto, qualis sit Elixatio Metallorum dicta per Metaphoram, quæ per iam dicta est soluta. *Dub. 5. de Lacte, & Musto.* Dubitabatur quinto quomodo Lac, & Mustum elixentur? de Lacte dico, in Vberibus Animalium satis propriè maturari a naturali calore, extra Vbera propè ignem positum, auxilio caloris ignis maturatur per translationem, vt dictum fuit in præcedentibus. at mox appositum igni, ebulliens in sero aqueo pro secretione Casei, dicitur elixari, non quidem propriè, vt ait Olimpiodorus, sed modo quodam medio, nam propria elixatio est in humore aqueo alieno, & id quod elixatur, redditur mollius, & leuius, Caseus autem durior redditur. De Musto dico, quod dum vna cum racemis in Cado bullit, vel etiam seorsum ab illis, ea dicitur maturatio quædam, cum sit perfectio a proprio calore: vt dum appositum igni ebullit & decoquitur, dicitur elixari, quoniam id fit per calorem externum, & secernitur spuma, & remanet crassius, & dulcius, minus humidum, & diutius seruatur, & errant qui inquiunt hanc coctionem similiorem esse assationi, vt dixi in præcedentibus.

dentibus. Quærebatur, cur per aquam frigidam Caro semielixa, reddatur citius & facilius elixabilis? Dico, id pendere ex duplici causa, primo ex antiperistasi, nam a frigore aquæ, calor alienus in carne receptus, intus coaceruatur, qui mox vna cum externo calore feruentis aquæ, vehementius cum aduerso frigore pugnat. Altera causa, quia per actiones ex contrariis prodeuntes, natura & vis rei elixabilis redditur imbecillior, euiusque humor minus tenax, magisq; aptus vinci: hinc qui gallinaceos pullos nuper interemptos cupiunt reddere molliores, minusq; tenaces, cum reciprocatione iteratis vicibus in feruentem & frigidam aquam eos mergunt, quod etiam de omni carne fieri potest. At dubitabatur, cur de Leguminibus & præsertim de Cicere, & Fabis oppositum inspicimus, nam Ciceres semicocti si frigida aqua abluuntur, non amplius, nisi cum difficultate coquuntur. Respondeo primo, in eis non ita fieri antiperistasim, adeò, vt calor intus coaceruetur ob paruitatem granorum. Addo secundo, humorem eorum coquendum magis esse mixtum cum Terreo, qui cum primo excalefiat, & modo aliquo rarefiat, per frigus superueniens, & penetrans, vehementius condensantur, adeò, vt mox difficilius dissoluatur, Caro autem non adeo Terrea est, & humor eius est magis Aqueus. Sed dubium est, vnde pendeat quod Leguminum eiusdem speciei veluti Cicerum, & Fabarum, quædam facile, quædam cum difficultate elixentur. Dicendum est, id prodire ex varietate Terræ, ex qua oriuntur: nam ex agro magis Soli exposito cuius Terra aliquantulum sit arenosa, & leuior, Legumina oriuntur facilioris coctionis, non enim sunt essentiæ, & Temperamenti nimium solidi, sed magis aerei, veluti sunt illa, quæ oriuntur in agris magis opacis, & quorum Terra est solidior, & grauior, nec vlla ex parte sabulosa & arenosa. Quærebatur deinde, cur caro Animalium seniorum difficilius elixetur. Ratio est: quia apprimè est Terrea, humor eius valde densus, & cum Terreo mixtus & solidus, adeo, vt per calorem humidum cum difficultate soluatur, & solutus in salubre tribuat alimentum. Quærebatur insuper, cur vitrum & similia, conducant pro facili elixatione? Inquit Albertus id accidere quia sua siccitate trahunt humores carnium; quæ solutio est dubia: nam si humorem trahunt, potius trahere deberent humorem proximiorem facilius que aptum trahi: insuper, pro elixatione non satis est, humorem extrahere, sed ille qui in re elixanda remanet, debet coqui, & terminari. Ideo potius putandum id accidere, quoniam ea quæ enumerata sunt, prædita sunt facultate quadam tenui, acuta, apta incidere, soluere, & attenuare: nam inquit Aristoteles in secundo, de partibus animalium, in combustis seruari facultatem caloris, quo combusta fuerunt, adeo, vt facultate dicantur calida, & incidentia. Quod spiritus tenuis, & vis incidens conducant ad elixandum, indicant vinum & acetum, in quibus carnes citius quam in aqua elixantur. Dubitatio solum est de ossibus mortuorum, quæ puto valde parum conducere, & si quam præbent opem, id efficiunt, quia sua ariditate vim habent desiccandi subtiliores humores, & incidendi, vt etiam Nuces, quæ comeduntur post pisces, vt sua siccitate contemperent humorem piscium, & sua facultate incidant. Insuper nonnulla enumeratorum etiam conducunt, quia sunt apta calorem vehementer suscipere, & excalefacta vehementer in alia agere vt Vitrum, Calx, Cinis: hinc lixiuium feruens magis lædit tangentes, quam feruens aqua. Demum quærebatur, cur sal impedit elixationem leguminum,

Cur per aquam frigidam caro reddatur magis apta elixari.

Dubit.

Solutio.

Alia dub.

Solutio.

Cur caro seniorum animalium dificilius elixetur.

Conducentia pro facili elixatione.

Dubitatio.

De Sale

Respondeo, in calce tria reperiri, primo humorem aqueum, ex quo gignitur & in quem dissoluitur. Secundo salsum terreum. Tertio, adustionem a calore factam, ob siccum adustum desiccat & seruat, ob humorem aqueum per angusta meantem, & humorem ad se trahentem humectat, ideo in aqua reddit corpora difficilius elixabilia, & hoc efficit in Leguminibus, quia sua facultate dissoluendi resoluit humores eorum subtiliores, derelinquens crassiores minus aptos elixari: hinc elixationi Carniū obesse non videtur, quia sunt præditæ humore aqueo: similiter piscium.

Cap. XXVIII.

De externo fine eorum quæ Elixantur.

Context. Finis autem non idem omnibus est, neque elixis neque concoctis, sed aliis esus, aliis sorbitio, aliis alius vsus, nam etiam medicamenta dicimus elixari: itaque elixari omnia apta sunt, quæcumque crassiora nata sunt fieri, vel minora, & grauiora, aut quorum quædam eiusmodi, quædam contraria. Propterea quod quæ secernuntur alia crassescant, alia tenuentur, vt Lac, in Serum & Caseum: oleum autem ipsum secundum se, non elixatur, quoniam nil horum patitur; quæ igitur per elixationem coctio dicitur, hæc est; & nihil refert verum in arte factis instrumentis, aut naturalibus efficiatur, ab eadem enim causa omnia erunt.

Diuisio. Declarat elixationis finem externum, nempe vsum quem præbet: & tria facit, primo finem declarat, secundo vt pateant, quæ pro fine conducunt, declarat, quæ sint, vel non sint apta elixari. Tertio inquit, nil referre si elixatio arte, vel natura fiat, quia causa prima eadem est: instrumenta autem non variant speciem. Ordiens a primo, finis coctionis est duplex, vnus internus, & est perfectio humoris, alter externus, & est vsus rei coctæ, qui varius est, aliorum sorbitio, vt vini, & ouorum, aliorum esus, vt Carnis, aliorum alius esus, vt elixatio medicamentorum, quæ vel intus, vel extra adhibentur, & vel proprie, vel per Metaphoram elixantur, simul enim Philosophus eorum omnium finem assignat; hinc vniuerse ait, finem non esse eundem omnium, neque elixorum, neque coctorum; Propterea minus recte Vicomercatus, ait Aristotelem loqui de fine interno, quamuis id quoque ad externum possit referri, conspicuè enim Philosophus de solo externo loquitur, communi cum proprie, tum per Metaphoram elixatorum, vt recte exposuit Alexander. Itaque elixari omnia apta sunt, & cætera declarat secundo loco quæ sint apta elixari, & quamuis hac de re etiam in præcedentibus sit loquutus, tamen id modo distinctius repetit, vt clarior pateat varius vsus elixorum, & repetens descendit magis ad singula, latiusque accipit elixabile, vt recte ait Alexander. Hinc minus recte inquit Vicomercatus Aristotelem modo loqui de sola elixatione liquidorum, conspicue enim de omni loquitur, inquiens: Itaque omnia elixari apta sunt, & cætera, & loquens vniuersè de qualibet, inquit omnia elixari quæcumque crassiora nata sunt fieri (supple) per calorem in humido receptum, vt mel, & humor Carnis, vel minora & grauiora, vt cutis quæ contrahitur, & pingua quæ liquescunt. Similiter medicamenta nonnulla, resolutis subtilioribus partibus, redduntur minora, & grauiora, vinum quoque minuitur.

De fine coctionis.

Apta elixari.

Aut

Aut terdio, quorum quædam eiusmodi, quædam contraria, propterea quod quę secernuntur alia crassescunt, alia tenuantur, vt Lac resoluitur in Serum, & Caseum, Serum attenuatur, & non proprie elixatur, cum sit Aqueum, Caseus in eo elixatur, incrassatur, minuitur, & redditur grauior; hæc seruantur etiam in elixatione cibi in ventriculo, nam crassiora per feces secernuntur, seruantur liquidiora quæ vertuntur in Chilum, mox in concoctione facta in Hepate partes aqueæ & tenues, quasi serosæ per vrinam secernuntur, nonnullæ acutiores magisque igneæ trahuntur ad vesicam felleam, principaliores autem vertuntur in sanguinem. Et cum Aristoteles dicat, quædam crassescere, quædam attenuari, & vtatur exemplo Lactis, cui per varias partes competit vtrumque, id potest etiam seorsum in rebus distinctis inueniri, quarum quædam per coctionem tument, & crassiores redduntur, vt Legumina, hordeum, frumentum, Risum, quæ cum sint prædita humore viscido, tenaci, flatuoso, excalefacta attrahendo humorem alienum, tument, alia minuuntur, & humor eorum inciditur, vt dum elixantur Pira & poma. Addit Aristoteles Oleum secundum se, hoc est, seorsum ab aliis corporibus non elixatur, quoniam nil horum patitur, non enim incrassatur, nec grauius redditur, nam quamuis minuatur, quia tamen est Lentore præditum, non resoluitur pars eius aerea, quin simul resoluatur aquea, & Terrea, ideo quod remanet non reddetur grauius, hinc fumus olei (vt recte ait Albertus) est crassus, & tenax; Et iure inquit Aristoteles oleum secundum se non elixari, nā mixtum cum cera, vel pice, & aliis lentore præditis, miscetur cum eis, & modo aliquo elixatur, cum aqua non miscetur, sed supernatat, nam aqua non ita lentore est prædita, vt ob similitudinem misceatur cum oleo, & dum in eodem vase ebulliunt portiones aquę facile euaporant, non ita portiones olei. Ratio est, quia aqua residens, proximior est ferro & igni, insuper humor qui in vapores vertitur est aqueus & minus tenax. Hinc aqua bulliens minuitur, de oleo id non accidit, sed per actionem caloris attenuatur, purgatur, & facile incenditur, hinc ex oleo ebulliente non ita inspicimus eleuari vapores, vt ex aqua. Demum, colligit Philosophus, se declarasse quæ sint apta elixari, & addit nil referre, vel arte, vel natura fiat elixatio. Nam multa reperiuntur, quæ quamuis dicantur fieri arte, re vera tamen non arte, sed Natura fiunt, cui ars, tamquam ministra famulatur, nectens tamquam Maga agentia per naturam, cum patientibus; veluti se habet de Agricola, de Medico, de elixante, & aliis; Ex quo patet Aristotel. semper inspexisse præsertim coctionem principalem, ita tamen eam explicasse vt facultate, & virtute declarauerit omnes. Oritur dubitatio de Pharmacis an proprie Elixentur. Insuper dubitatio est, quæ coctio sit sublimatio rerum in ollis ab igneo calore facta? Tertia dubitatio est de Lacte, an cum ei competat maturatio & elixatio, competat etiam modo aliquo assatio? De Pharmacis inquit Alexander, non proprie elixari, quia non ebulliunt in aqua, sed in vase sine aqua prope ignem collocato, & calore ignis pars humidior resoluitur, superstite crassiore, ideo in parte est similis elixationi. At aduertendum quod sumptis Pharmacis Late, quædam proprie, alia magis vel minus proprie elixantur. Sena in brodio elixatur, & brodium vires ab ea recipit: Sena tamen minus proprie elixatur, cum sit arida valde. Attinentia ad syrupos propriè elixari possunt. Quærebatur secundo, quæ coctio sit sublimatio florum, herbarum, & similium. Respondeo, sublima-

De oleo. *Dub. 1.* *Dub. 2.* *Dub. 3.* *De Pharmacis.* *Alexander.* *Sententia propria.* *Quæ coctio sit sublimatio.*

tiones præsertim fieri duobus modis, vel dum ollæ merguntur in feruente aqua, & ita fit quædam elixatio rerum in ollis mersis existentium a calore humido qualis est ea sublimatio, quæ dicitur per balneum Mariæ: vel fit sine aqua sublimando & in vapores aqueos vertendos flores, frondes, & similia, & ea profecto non proprie coctio dicenda est, sed potius quædam resolutio rerum in earum humores, & partes terreas, seruantur tamen quantū ad similitudinem assationis. Quærebatur demum, an Lacti competere valeat assatio modo aliquo, ait Albertus quod Lac videtur assari dum consideramus quod proxime a calore igneo externo coquitur, at id approbandum non puto, sed absolute dicendum non esse aptum assari, quoniam ebullitio humoris aquei quamuis proximè ab igne fiat, semper ad elixationem pertinet, hinc vinum quamuis etiam sit minus humidum, tamen ab Aristotele non assari, sed elixari dicitur.

De Lacte.

Cap. XXIX.

De imperfecta Elixatione.

Cont.

IMPERFECTA Elixatio (Græce Molinsis) inconcoctio quidē est sed elixationi contraria, est autem contraria, quæ primum dicta est inconcoctio indefiniti, quod inest in corpore, ob defectionem caloris, qui in humore est ambiente, defectio vero quod cum frigore fit, dictum est: fit autem ob motionem aliam, nam qui concoquit repellitur, ac defectio est, aut ob copiam frigoris quod est in humido, aut ob multitudinem quæ in re elixanda, nam tunc accidit vt calor qui est in humido, amplior sit, quam vt non moueat, paucior autem quam vt æqualitatem præstet, & coquat, quam ob rem imperfectè elixa duriora fiunt elixis: humida autem distincta magis. Quid igitur & qua de causa elixatio est, atque item imperfecta elixatio, dictum est.

Diuisio. *Definitio imperfectæ Elixationis.*

Declarata Elixatione quæ perfectio est, declarat eius oppositum, nempe imperfectam Elixationem, de qua tria explicat: Nam primo declarat quid sit, secundo, vnde pendeat, tertio declarata colligit. Definitio eius hæc est. Molinsis hoc est inchoata Elixatio, est incōcoctio indefiniti humoris, qui inest in corpore ob caloris inopiam, qui in humore est ambiente: in qua Definitione primo ponitur forma, secundo materia, tertio efficiens, quæ omnia per dicta in præcedentibus sunt conspicua. Considero in verbis quod Philosophus ait, est autem contraria inconcoctio, quæ primum dicta est, inquiens primum exponi potest vario modo. Alexander ait, quia primum, dictæ elixationi contraria est. Sed prætermissa relatione variarum expositionum, puto dicendum: inchoata Elixatio, quæ primum, hoc est proprie & principaliter dicitur, indicando, quod vt Elixatio, ita eius oppositum dicitur multipliciter, & quædam magis alia minus propriè, ea tamen præsertim consideratur & definitur, quæ principalissima est, ex cuius notitia refulgent recessus ab ea, vt rectum dicitur index sui, & obliqui. Additur, quod defectio caloris in humore ambiente est cum frigore, vt dictum est, non enim fit remissio caloris, nisi per frigus, vt dicebatur in sermone de Putredine. Declarans secundo loco Philosophus quomodo fiat Molinsis, ait: fit autem ob motionem aliam &c. hoc est fit Molinsis per motionem & actionem non factam a calore, vt Elixatio, sed a

Quid per primum.

Quomodo fiat Molinsis.

frigore opposito, & ab humore, coquendo quæ superant, & obtundunt vim caloris, adeo vt qui debet superare & vincere, superetur & repellatur; manifestat mox Philosophus, vnde pendeat ea caloris defectio inquiens ex duobus prodire, vel ex remissione eius per copiam frigoris existentis in aqua, vel ex copia & multitudine humoris coquendi, veluti etiam de immaturitate loquens dicebat, eam fieri ob indigentiam naturalis calidi, & rationis defectionem ad humidum. Similiter de assatione dicit imperfecte aliquid assari ob inopiam caloris assantis, quæ inopia oritur vel ex diminutione externi Ignis, vel ex multitudine humoris Aquei in re assanda existentis. Sic Aristoteles semetipsum exponit; nam ratio agentis & patientis destruitur, vel per diminutionem virium agentis, vel per accretionem resistentis & recipientis. Mox explicans Philosophus distinctius modum quo accidit imperfecta Elixatio, inquit: Nam dum fit Molinsis, accidit, vt calor qui est in humido ambiente, amplior sit quam vt non moueat, paucior autem quam vt æqualitatem præstet & coquat, nam mouet quidem, at imperfecte, adeo vt opus perficere non valeat, vt sæpe fit in ventriculo senum, ac etiam Mense Martio dicimus a Sole moueri quidem humores, at non posse dissolui, & inde prodeunt ægritudines. Affert mox Philosophus signum prolatæ sententiæ, inquiens; Quam ob rem imperfecte elixa, duriora fiunt elixis, humida autem distincta magis, hoc est, dum aliquid incipit elixari a calore ambientis, humor internus excalefactus redditus rarior, efficit, vt elixabile tumeat, & reddatur durius, vt inspicimus accidere de Carne, & aliis multis; mox, cum ille humor partim dissoluatur, partim coquatur, remanet res elixa leuior & mollior, vt accidit etiam in maturatione Apostematum, & ficuum; Et cum addat, humida autem distincta magis & cætera. Hoc exponitur vario modo; Alexander putat hoc dici de Elixatione humidorum, veluti Lactis, quæ cum in principio non reddantur duriora, hoc tamen habent, vt humor non ita sit permixtus cum sicco, & adæquatus vt in re elixa, quæ expositio est mihi dubia, tum quia humida minus proprie dicuntur elixari; tum insuper, quia ea secretio Seri a Caseo, non est priuatio elixationis Lactis, sed potius aliquid sequens elixationem eius. Dicamus itaque, Aristotelem loqui de omnibus imperfecte elixis, quorum humor magis est distinctus, quia per calorem in principio liquescit & distinguitur a sicco, at mox per coctionem partim dissoluitur, partim contemperatur cum sicco, & fit æquatio quædam.

Vnde pendeat caloris defectio.

CAP. XXX.

Dubia ad imperfectam Elixationem pertinentia.

EX his quæ de imperfecta Elixatione dicta sunt, quinque præsertim oriuntur dubia. Primum est, quod verum non videtur, omnia quæ elixantur cum elixa fuerint, esse minus dura, vt patet de Ouo, Neruis, & ostreaceis. Alterum est, an imperfecta Elixatio solum dicatur fieri a diminuto calore vel etiam a frigore. Tertium, an omne quod elixatur, antequam sit adeptum finem elixationis, possit dici imperfecte elixatum. Quartum, quia Aristoteles prætermisit causam vnam diminutionis elixationis, & est angustia temporis. Demum, minus verum videtur, inchoatam elixationem esse contrariam

Quinque dubia. *1. Dub.* *2. Dub.* *3. Dub.* *4. Dub.* *5. Dub.*

elixationi, quia contraria maxime distant, maxima autem distantia non versatur inter diminutionem, & perfectionem, sed inter priuationem vel saltem deprauationem & perfectionem. De prima difficultate dico, neruum non esse aptum propriè elixari: quoniam eius humor non est aptus a calore humido vinci vt etiam humor Metallorum; De ouo dicendum est, quod quamprimum in albumine & vitello apparet consistentia quædam humoris, debet iudicari Elixum, & tunc humor est magis adæquatus, mox verò, per vlteriorem ebullitionem deprauatur elixatio & non perficitur, hinc ex optimo alimento, in deterrimum permutatur, nam resoluto humore tenui, humor crassior, cum terreo mixtus, durior redditur. Quærebatur secundo, an diminuta Elixatio etiam dicatur fieri a frigore? quidam aiunt, eam fieri a solo calido; Ratio est: quia est quædam inchoatio Elixationis & excalefactio. Alii aiunt etiam a frigore: quia in præcedentibus dicebatur, inchoationem fieri ab indigentia caloris, quæ est quædam frigiditas. Dicendum puto, diminutam Elixationem dupliciter posse considerari: primo, vt Elixatio, secundo, vt diminuta: si consideratur vt Elixatio, & alteratio quædam, ea fit a calore, vt vero diminuta, a priuatione caloris, quæ frigiditas est. Hinc rectè ait Alexander eam fieri a calore, & a frigore, quamuis Ludouicus Boccaf. oppositum ei tribuat. Dubitabatur tertio, an res antequam perfectè sit elixata, debeat dici imperfecte elixata? nam videtur quod non: quia moueretur motib. contrariis sine media quiete, quod in quinto, & in octauo phys. Philosophus derelinquit vt conspicuè absurdum; deducitur consequutio, quia dum inciperet alterari, tenderet ad imperfectam elixationem mediam, & ad perfectam, quæ dictæ sunt oppositæ, sine intermedia quiete. Hanc difficultatē rectè soluunt Albertus & Ludouicus Boccaf. considerantes duplicem inchoatam elixationem: vnam, ob diminutionem temporis, alteram, ob diminutionē caloris: prima nō est opposita perfectioni nisi per magis & minus, vt nec tepiditas calefactioni, sed potius via ad eam: nam Aristoteles considerat ea quæ prodeunt ex varia constitutione Qualitatum, non quæ ex tempore, supponitur enim tempus congruens. Altera est opposita coctioni, eique competit Definitio tradita, & non est via ad perfectionem, immo potius per leuem excalefactionem a diminuto calore factam, res nonnumquam redduntur ineptæ vt rectè elixentur. Insuper, dicere valemus, diminutam coctionem dici oppositam coctioni ratione participationis priuationis, quæ est terminus a quo, vt tepiditas dicitur cōtraria calori, & inter huiusmodi opposita datur motus sine quiete media, vt patet de colorib. saporib. & aliis prædictis medio, nā quamuis Arist. loquens de inconcoctionib. præsertim considerauerit diminutionem, non autem absolutam priuationem, tamē etiam considerauit diminutioni competere oppositionem ratione participationis priuationis, & hac solutione vniuersa dubitatio aufertur, non ita per primam. Ex his patet solutio quartæ difficultatis. Instabatur quinto, quia inchoata elixatio non videtur esse contraria perfectæ, quia non maxime distat. Primò dico quod non maximè distat per priuationem, at maximè distat per deprauationem. Addo secundo, dici oppositam ratione priuationis inclusæ, quæ est terminus a quo, & terminos extremos esse priuationem & formam, eosque esse mensuram coctionis & diminutionis eius.

Solutio primi dubii.

An elixa sint minus dura.

An diminuta Elixatio etiam fiat a frigore.

3. Dubitat.

Soluitur.

Solutio 4. & 5. diffi.

Cap. XXXI.

De Assatione.

Assatio autem est coctio a sicco & alieno calore, ob eamque causam si quis elixans efficiat, vt non ab humoris, sed ab Ignis calore mutetur, & coquatur, id cum perfectum est, assum existit non elixum, & ex vi nimia adustum dicitur: a calore autem sicco fit, cum perfectum siccius reddatur. Propterea, horum externę partes, internis sunt licciores, Elixorum autem contra. Ac in his quæ manu fiunt, difficile magis est assare, quam elixare, difficile enim est externa, & interna æque calefacere, propinquiora namque Igni celerius semper exsiccatur, quare & magis, coeuntibus namque externis meatibus, is qui inest humor excerni non potest, sed cum meatus conniuerint, intercluditur. Contexta.

Loquitur Philosophus de Assatione, de qua quinque præsertim declarat. Primo, quid sit, secundo, tribus signis cõfirmat eam fieri a calore sicco, tertio, rationem affert, cur assotũ externa sint arida, & difficilius sit assare, quã elixare, quarto, eam fieri cum Arte, tum Natura, demum, nonnulla dicit de ortu vermium in intestinis, non autem in ventriculo. Definitio Assationis hæc est. Assatio est coctio interminati humoris a sicco, & alieno calore, coctio est forma, quæ etiam est finis internus communis interminatus humor, est materia, prætermissa ab Arist. vt nota ex præcedentibus. addit a calore sicco, vt distinguatur ab elixatione. Alieno verò pro distinctione a maturatione, ob eamque causam &c. Hoc est signum quod primo affert in secunda parte, vt comprobet fieri à calore sicco: nam si Caro sit in olla sine Aqua, non elixari, sed assari dicitur, nam coquitur a calore sicco, & siccior extrinsecus redditur. Propterea, horum externæ partes sunt licciores. Hoc est signum aliud ad ostendendum idipsum, nam assorum partes externæ inspiciuntur aridę, & adustæ, quod fit per calorem siccum, elixorum econtrario partes externę apparent humidæ & molles. Ac in his quæ manu fiunt, difficile magis est assare, &c. Hoc est signum tertium, cum enim assatio fiat a calore sicco externo, proximiora ei magis desiccantur, & difficile est rem assandam ita disponere vt partes eius externæ non adurãtur, & internę assentur, hinc coquientes recte, & æquè, (vt fieri licet) partes omnes assare, calorem adhibent in principio moderatum & partes externas sæpe illiniunt aceto, cum oleo mixto, vel alio simili: hinc assorum internæ partes sunt humidiores humore proprio, Elixorum minus humidæ, vt patuit in præcedẽtibus. Ar duæ se offerunt difficultates. Prima est, quia caloris sicci officium est attenuare, rarefacere, & aperire, quomodo Arist. ei modo tribuit oppositum. Altera est quomodo assatio dicitur fieri a calore alieno, nam assatio est coctio, hæc fit a calore Naturali, & proprio, quare etiam assatio, quicquid enim prędicatur de Prædicato, prędicatur & de Subiecto, & omne per se competens generi, competit & contentis sub eo. De prima difficultate dico, quod calor prima sua actio calefacit, at calefaciendo mox actione subsequente efficit varia ob varietatem, vel patientiam, vel connexæ Qualitatis, vel dirigentium, nam cum humore iunctus obstruit, inflat, mollificat, minusque resoluit, cum sicco vero dissoluit humorem, acutius agit, magis consumit, & accidit, vt dum consumit humores tenues in meatibus existentes, partes externæ contrahantur, vt inspicimus fieri in cute suilla, & in partibus nerueis, ac insuper accidit sæpe vt partes externæ humidæ cum sicco Terreo mixtæ adusto humore, & superstite parte magis Terrea, cohęreant &

Quinque declaranda. *Definitio Assationis.* *Primum signum.* *Secundũ signum.* *Tertium signum.* *Duo dubia.* *Solutio 1. Cur externa partes denseantur.*

aridæ connectantur, vt inspicimus fieri in carne dum assatur, in ligno autem dum excalefit, & humor dissoluitur, partes non contrahuntur ob earum soliditatem & duritiem. Altera dubitatio iam in præcedentibus soluta fuit, dum explicatur communis definitio Coctionis, ideo eam non repeto.

Cap. XXXII.

Elixationem, & Assationem cum Arte, cum Natura fieri.

Cont. ASSATIO igitur & Elixatio fiunt quidem Arte: sunt autem (vt diximus) species vniuersales eædem, & a Natura similes quædam affectiones fiunt, sed sine nomine, imitatur enim Naturam, Ars nam & alimenti in corpore concoctio Elixationi similis est, etenim in humido, & calido a calore corporis fit, atque etiam in concoctiones nonnullæ fiunt, similes prauæ elixationi.

Quoniam definiens Philosophus assationem, dixit fieri a calore externo, ab eo autem fit per artem, ideo vt ostendat quomodo etiã factæ per Naturam Definitio aptari possit, manifestat cum Elixationem, tum assationem, & arte & Natura fieri, de maturatione non loquitur, quia propriè sola natura fit. *Diuisio.* Profert primo Philosophus sententiam suam, secundo, eam explicat, tertio, manifestat diminutam Elixationem etiam fieri per Naturam. Sententia eius hæc est. Assatio, & Elixatio quibus primo imposita sunt nomina, arte fiũt, sunt autem (vt dictum est in sermone de Elixatione) species ac formæ vniuersales eædem, hoc est, elaboratæ arte & Natura, habent quidem communia nonnulla eadem, distinguuntur tamen per proxima & propria, cui varietati nomina propria non sunt imposita, ideo vtimur communibus, vt notioribus, & nomine præditis. Explicans secundo suam sententiam, & manifestans, quomodo coctiones Natura & arte factæ, sint similes, ait artẽ esse æmulam Naturæ, & quod per naturam elixationis fiant, patet considerando coctiones in nobis, & præsertim in ventriculo elaboratas, quæ cum fiant a calore humido Elixationes cẽsendæ sunt, & in iuuene sano elixationes perfectæ fiunt, at in sene & in ægrotis, varię fiũt incõcoctiones, similes deprauatæ elixationi. *Galenus.* Galenus quoque & Hippocrates coctiones in nostro corpore elaboratas elixationes dixerunt: nã Galenus lib. tertio de Naturalibus facultatibus contra Erasistratum, manifestat coctionem cibi in ventriculo Elixationem esse, & addit Aristotelem dixisse alimenti coctionem nec primo nec proprie elixationẽ nominari, ait Vicomercatus non patere vbi Arist. hoc tradiderit. At procul dubio Galenus locum hunc denotauit, non enim alibi Arist. hac de re verba facit, & recte considerauit Galenus, quod Arist. inquit elixationem, & assationem fieri arte, & similes affectiones fieri per naturam, indicans magis distincte fieri per Artẽ, eisque primo imposita esse nomina, & magis proprie illis nominib. denotari, & Definitio tradita, magis proprie eis competit; nã quamuis Ars imitetur Naturam, tamen in nominum impositione sæpe contra se habet, cum arte elaborata sint nobis notiora. *Cur coctio in ventriculo fit Elixatio.* Coctio in ventriculo præsertim dicitur Elixatio, non quia (vt aiunt nonnulli) in eo plurimi humores pituitosi inueniuntur, ea enim est constitutio præter naturam, sed quia ventriculus est calidus, & humidus, calorem habet a Corde, & Hepate, humorem ex propria constitutione, adeo, vt calor sit ei modo quodam externus, humor verò proprius, vt accidit in elixatione arte facta; Hinc recte Galenus in libro de Naturalibus

faculta-

facultatibus, dixit, ventriculum esse ollæ similem, caput operculo, Ignem autem esse in Corde. Arist. tamen inquiens in corpore, non solum in ventriculo elaboratam coctionem consideravit, sed etiam factam in Hepate, Corde, & Venis, nam humor nō assatur, sed elixatur, nisi adeo desiccetur & consolidetur, vt corpus durum & siccum constituatur, veluti os. Sed dubium est, cur Arist. non ita dederit exemplum assationis Physicæ, vt id dedit elixationis? Respondeo, id factum fuisse, quia Elixatio Physica est magis conspicua, & propria multisque cōpetens, assatio contra, cum coctio sit humorum, & fiat a calore humori iuncto; tamen factis variis comparationibus, dicere valemus, quorundam coctiones vel magis vel minus dici posse assationes vel elixationes: & primo, comparando ętates, dicere valemus, in pueris humidioribus fieri Elixationes, in iuuenibus, Assationes. Secundo comparando Sexus & Temperamenta, dicere valemus, in fœmina & Pituitosis, fieri conspicuas Elixationes, in viris & biliosis, assationes. Tertio, comparando partes, eam ossium dicimus assationem, Carnium & Neruorum Elixationem. Quarto comparando Regiones Terræ, dicimus in Æthiopia & Zona torrida, fieri Assationes, in intermediis, Elixationes, prope Polos, deprauatas & imperfectas Elixationes; Quinto, comparādo anni tēpora, Æstiuo tempore dicimus fieri Assationes, aliis potius Elixationes, vel perfectas, vel imperfectas. Demum, comparando inuicem varia Animalium genera dicimus in animalibus adustioribus, vt in Leone, & Miluo, fieri assationes, in humidioribus Elixationes, vt in Sue, & Anseribus. Hæc tamen intelligi debent non absolutè, sed facta comparatione, & sunt vera, non de totius generatione, & coctione, quæ maturatio est, sed de coctionibus factis in partibus corporis viuentis iam geniti.

Cur non detur exemplum assationis Physica.

Cap. XXXIII.

De ortu vermium in intestinis.

NEc Animalia in coctione gignuntur, vt quidam inquiunt, sed in secretione quæ in ventre inferiore putrescit, natū sursum ascendit, in supero enim ventre concoctio efficitur, ad quod in infero secernitur, putrescit, qua autem de causa, alio loco dictum est.

Cont.

Dixerat Philosophus in Animalium corpore, denotans præsertim ventriculū, fieri alimenti elixationes, & quoniam instare aliquis posset, in ventriculo non fieri, cum in eo gignātur & per os euomantur vermes, ideo obiectioni occurrēs, negat assumptum, nempe, eos in ventriculo gigni: nam in eo coquitur cibus pro nutritione, & viget calor naturalis, & proprius animalis, qui aduersatur ortui vermiū, sed gignuntur in intestinis ex crassioribus excrementis quæ secernūtur ex cibo & putrescunt; & inquit Philosophus eos gigni in infero ventre, quoniā præsertim gignuntur in intestinis non ventriculo iunctis, sed distantioribus, & idipsum affirmat Galenus in secundo Aphorismorum, 26. explicans distinctius loca in quibus gignuntur; Qua de re cumulate differui in libro de genitis ex Putri. Et considerandum, quod rectè Arist. non omne excrementum nuncupat putridum, vt nonnulli existimant, sed ait excrementa distantia a calore coquēte, putrescere, putridum autem non potest putrescere. Hoc tamen verum est quod excrementa facile putrescunt; Prima ratio est, quia reiiciuntur & deserūtur vt inutilia, a calore coquente. Altera est, quia sunt prædita humore vario fa-

Institutum.

Galenus.

Cur excrementa facile putrescant.

cile putrescibili. Tertio, quia non sunt prædita forma vna ea seruante. Quarto, quia cũ sint excalefacta calore eorum non proprio, emittunt vapores in quibus calor externus facile recipitur. Addit Philosophus, qua autẽ de causa, alio loco dictũ est, &c. Hæc verba ad tria possunt referri. Primo, ad id, qua de causa excrementa putrescũt. Secũdo, ad id, qua de causa in intestinis gignãtur vermes; Tertio, ad id, qua de causa nõ in ventriculo sed in inferiorib. intestinis producantur, quouis modo exponantur, parum refert. Credo debere ad id secundum referri, nempe, qua de causa ex putri vermes gignuntur: & cum addit, causam alio loco esse dictam, Albertus ait denotari libros de animalibus, & de alimento, Alexander, libros Problematum; Probabilius puto dicendum, Aristotelem non locum vnum definitum, sed varia denotasse, & ea omni in quibus hac de re verba fecit, nam in calce cap. de Putredine, patefacit, quomodo ex putri gignantur vermes, quem locum præsertim Aristotelem denotasse puto, vt proximiorem. Insuper, in quinto de gener. animalium, cap. 19. in tertio de gener. Animalium, cap. 11. necnon in quarto libro capit. 8. de eadem re loquutus est.

Cap. XXXIIII.

De praua Assatione & de numero coctionum.

Cont. MOLINSIS igitur elixationi contraria est, ei autem coctioni quæ vt assatio " dicitur, aliquid profecto est similiter contrarium, sed nomine magis ca- " ret. Erit autem simile si σκληρυνσις, id est praua assatio, sed non assatio fiat, ob defe- " ctum caloris, qui aut ob externi Ignis inopiam euenit, aut ob Aquæ copiam, quæ " in eo inest, quod assatur, tunc enim amplior est quidem quam vt non moueat, " sed minor quam vt valeat coquere, concoctio itaque & inconcoctio, maturitas " & cruditas, Elixatio, & assatio, hisque contraria quid sit, dictum est.

Institutum. Loquitur demum Philosophus de opposito Assationis; De quo ait primo, id magis carere nomine proprio, quam oppositum Elixationis, & iure: nam minus patet. Addit secundo, quod simile opposito Assationis est σκληρυνσις hoc est deprauata Assatio. Addit tertio causam eius, & est defectio caloris, quæ vel in eo est posita quia calor est exiguus, vel quia humor aqueus coquendus est copiosus, per vtrumque enim euertitur congruens ratio. Quarto loco explicat modum, inquiens, quod tunc calor est amplior, quam vt non moueat, minor autẽ, quam vt valeat coquere; quæ omnia patent ex dictis in præcedentibus. Postremo loco colligit declarata in vniuerso capite de Coctione, vt conspicuum est. Sed cum tres statuantur subalternæ species Coctionis, quæ sit ratio huius numeri, & quis

De Numero & ordine coctionũ. inter eas sit ordo, nec notum est, nec ab Aristot. est explicatum, a quo forte id prætermissum fuit, quia numerum sumpsit vt communi consensione constitutum, & experientia comprobatum; tamen, quia res ex se est digna consideratione, & ratio numeri a variis varia refertur, vtile duxi aliquantulum in eius consideratione versari. Ordiar autem a dubitationibus vt ad veri inuentionem exa-

Coctionẽ esse Vnã. ctius paremur. Videtur primo dicendum, coctionem non triplicem sed vnicam esse, quia agens est vnum, nempe calor, patiens est vnum, humor aqueus, forma quæ inuenitur est finis vna est, nimirum, perfectio in eo posita vt calor humori terminum tribuat; quare Coctio non valet esse multiplex. Præterea, quotuplex est contrarium, totuplex est id cuius est contrarium, at contrarium trium

rela-

relatarum coctionum est vnum, quare & illæ, minor patet: nam pomum cum non sit maturum, etiam est non elixum, nec assum, simul in suo humore includens oppositum omnium coctionum. Ex aduerso, coctiones videntur plures tribus, nam vt calor externus est duplex, elixans & assans, ita duplex esse potest calor internus maturans, efficiens duas maturitatis species. Demum, maturitas non videtur distingui ab Assatione, & Elixatione, quoniam vel fit a calore humido, vel sicco, si ab humido, erit Elixatio, si a sicco, Assatio. Est itaq; coctionum numerus apprime dubius, nec apparet, quæ sit ratio trinitatis eius. Nonnulli numeri rationem eliciunt ex calore coquente; nam coctio vel fit a calore Aereo, & est maturatio, vel Aqueo. & est Elixatio, vel Igneo, & est Assatio; a Terreo non fit distincta coctio, sed similiter fit Assatio, quia sicca est Alii aiunt: Coctio fit vel a calore secundum se operante, & est maturatio, vel cooperante humore, vel siccitate, & est Elixatio, aut Assatio. Alii inquiunt, Coctio fit a calore, hic vel internus, & prodit maturatio, vel externus humidus, vel externus siccus, & prodeunt Elixatio, & Assatio. Demum, inquiunt nonnulli: Coctio fit, aut a calore contemperato, vt maturatio, aut a vehementi & humido, vt Elixatio, aut a vehementi & sicco, vt Assatio. Alij rationem numeri elicere nituntur ex varietate rerum quæ coquuntur: nam inquit Olympiodorus; Si coctio competit viuentibus, est maturatio, si inanimis vel Assatio, vel Elixatio; Siue (vt inquiunt alii,) si Coctio competit solus viuentibus, est maturatio, si vero sine discrimine, & viuentibus & non viuentibus, est Assatio, vel Elixatio. Hæc afferuntur pro ratione numeri Coctionum; quæ tamen difficultate non carent, & præsertim, quia distinctio principalis elicienda est ex forma, & fine, efficiens & materia requiruntur quidem pro rerum distinctione, at non sunt rationes eius principales. Propterea, non neglectis aliorum sententiis, addendum puto, cum Coctio sit perfectio ex calore prodiens, ea perfectio, vel posita est in calore aereo naturali & proprio, vel in calore magis aqueo, vel magis sicco & Igneo, & inde prodit triplex concoctio. Insuper, ea perfectio, vel est consimilis intus & extra, & est maturatio, vel cum humore intus reuocato, & est Assatio: vel extrinsecus educto, & est Elixatio, ac ita distinctio ex forma elicietur, quæ etiam elici potest ex fine eius externo; nam coctio vel parata est pro generatione, & est maturatio; vel pro rei genitæ conseruatione & nutritione, quæ pro varietate seruandorum, & nutriendorum debet esse vel cum sicco, vel cum aqueo humore iuncta. Rationes aduersæ in calce sequentis capitis diluentur.

Coctiones esse plures tribus.

De ratione numeri coctionum.

Olymp.

Sententia propria.

CAP. XXXV.

De ordine specierum Coctionis.

VT dubius apparuit numerus, ita dubius est ordo specierum coctionis. De quo verba faciens, accipio primo, quod cum sint species non subalternatim positæ, etiam non sunt præditæ essentiali & necessario ordine: sed quia collocatæ sunt sub genere non Vniuoco, sed ab vno, valent ratione eius, ordine aliquo esse præditæ, qui ordo a nonnullis petitur ex progressu ætatis Hominis, Homo enim primo per semen generatur, & ea est maturatio, tum quia semini maturatio proprie cōpetit, tū insuper, quia fœtus in vtero dicitur similis fructui plantæ iuncto, vt in quarto Aphorismorum ait Galenus: mox vero in ortu puerili Elixatio, in iuuene magis Assatio. Alij, ordinem eliciūt ex his quæ coquun-

De ordine specierum.

Opinio quorundam.

Opinio altera.

tur; nam prima est maturatio: quia competit solis viventibus, eam sequitur Elixatio, quia magis competit viventibus ob calorem eorum humidum, quam Assatio. Praeterea, peti posset ex calore, quia maturatio fit a calore naturali & proprio, Elixatio minus fit a calore naturali & proprio, magis tamen quam Assatio ob alimenti in ventriculo coctionem, omnium minime Assatio. At quemadmodum numerus, ita ordo rectius peti debet ex forma & fine, ordo enim est natura rerum, ex tertio Coeli vigesimoquarto. Nam si formam inspicimus, maturatio est perfectio maxime secundum naturam. Elixatio, cum fit a calore humido simili calori viventiũ est perfectio, magis secundũ naturam quam Assatio; hinc Aristot. in sola Assationis definitione assumpsit, quod fiat a calore externo. Praeterea, principalissimum opus Naturae est, generare simile, cui conducit primo maturatio, secundarium, conservatio, quae praesertim fit per elixationem alimenti in ventriculo: Et haec de numero & ordine coctionum. Superest ut diluamus rationes cum ternario coctionum numero pugnantes. Ostendebatur primo, coctionem esse unam, quia calor coquens est unus, at patuit variari per varias conditiones eius, & connexorum, humor etsi unus sit, tamen varias perfectiones est aptus recipere, & ad varia dirigi, perfectio est una genere, distincta specie, oppositum, nempe inconcoctio, est unum genere & fundamento, distinctum ratione, nam idem subiectum aptum est recipere varias perfectionis formas; Maturitatis species non valent esse duae, quia calor naturalis & proprius aeteus est & contemperatus, quo solo fit maturatio; Quod autem maturatio, nec Elixatio, nec Assatio sit, ex dictis de numero coctionum conspicuum est; Et pro dictorum omnium exactiore & distinctiore notitia, animadvertendum est, in attinentibus ad coctionem & eius oppositum, septem considerari posse varietatis gradus: Nam primo reperitur negatio competens non aptis coqui, ut vox non apta est coqui. Secundo absoluta privatio, competens aptis coqui antequam coqui incipiant. Tertio, diminutio ob temporis angustiam, ut immatura Poma. Quarto, diminutio ob imbecillitatem caloris, ut in Sene, vel ob copiam humoris ut in nimium commedente, & praesertim apta difficillime coqui. Quinto, consideratur depravatio ex frigore adverso pendens. Sexto, nimia coctio, ut adustio & resolutio. Septimo, coctio & absoluta perfectio. Prima dispositio dicitur opponi coctioni per negationem, secunda, per privationem, tertia, per diminutionem, quae redigitur ad privationem: Similiter & quarta, quinta opponitur oppositione contraria, sexta cum sit extra terminos coctionis, & via ad interitum, potius generationi, quam coctioni opponitur, Aristoteles consideravit praesertim Septimam nempe coctionem, & quartam, nempe inconcoctionem ex imbecillitate caloris, vel ex copia humoris prodeuntem, una est inchoatio, altera perfectio. Demum animadvertendum est, quod Elixatio, & Assatio, similiter earum opposita, magis invicem, quam maturitate eiusque opposito opponuntur; nam oppositio in hac distinctione consideratur. Coctio vel est a calore Naturali & proprio, vel externo, si ab externo, vel humido, vel sicco, ex prima distinctione prodit oppositio inter maturitatem, & alias species simul sumptas, ex secunda verò, oritur oppositio mutua elixationis & Assationis.

Opinio tertia. *Opinio quarta.* *Diluuntur rationes adversa.* *Septem gradus varietatis coctionum.* *Oppositio coctionũ.*

Cap.

CAP. XXXVI.

An assa sint humidiora elixis.

DECVRSIS variis ad coctionis notitiam pertinentibus, tria adhuc mihi superesse videntur, quæ distinctiorem explicationem exposcunt. Primum est, an assa intus sint humidiora elixis. Alterum, an concoctio arte facta, distinguatur specie ab elaborata per naturam. Tertium, quot in viuente inueniantur coctionum gradus. De primo nonnulla dixi in præcedentibus, in explicanda sententia Aristot. addam tamen alia pro notitia exactiore, nam varia occurrunt quæ sententiam Aristot. obscuram reddunt, dicentis assa intus humore proprio seruari humidiora elixis. Primo enim Aristot. secum pugnare videtur, quoniam 20. part. Probl. 5. inquit: Cur alia elixa, alia assa melius edi possunt? An quia humidiora non vltra humectare, sicciora non amplius exsiccare oportet, elixa autem humidiora, millioraque redduntur, quæ vero minus humida sunt, hæc igne confecta, sicciora prorsus euadunt, &c. Insuper, est instantia de vino, lacte, chilo, quæ cum elixantur, non priuantur interno humido. Similiter, est instantia de pasta, quæ si elixatur, vniuersa seruatur mollis, imo & intus & extra mollior & humidior redditur. Si vero assatur, & interno & externo priuatur humore. Præterea, carnes assæ ob siccitatem fluxum cohibent, non elixæ, & æstiuo tempore, potius comeduntur elixa, quia humectant, hiberno autem assa, veluti etiam vespere potius comedimus assa, quia elixa sua humiditate dormientibus nocturno tempore magis obsunt. Pro diluendis instantiis omnibus repetendum primo, sententiam Aristotelis debere intelligi de humore proprio rei quæ coquitur, non de alieno. Addendum secundo; sententiam esse veram, dummodo assanda non prius elixentur: nam præcurrens elixatio humorem educit, externasque partes adeo humectat, vt non tam faciles per igneum calorem mox adurantur, & coarctentur, præcurrens enim elixatio conducit pro assatione, primo, minuendo internum humorem, adeo, vt facilius reliquum eius coquatur: secundo, secernendo varia excrementa per spumam: tertio, ne extrinsecus tam faciles res comburantur præcurrens tamen elixatio non debet esse perfecta, ne nimiū mox res quæ assatur, remaneat destituta & proprio & alieno humore, præcurrens vero assatio, nedum non prodest, imo maxime obest pro futura elixatione, quia externæ partes desiccatæ difficilius elixantur, & humor educendus intus congregatur, & ob condensationem externarum partium exire non valet, nec excrementa secum educere: hinc coqui, nil elixandum prius assant, sed assandum primo semielixant. Addo tertio, dum dicimus assa intus seruari humidiora, id non debere intelligi de pinguedine, quoniam ea non est aliquid vere aptum assari, sed id in quo res friguntur, & assantur, liquescit enim per calorem siccum. Insuper dico quarto, id non esse verum de humorum elixatione, quoniam illi non sunt apti vere elixari, sed sunt id, in quo alia elixantur, & per ebullitionem expurgantur potius, quam elixentur, vt patet de vino, de quo tamen hoc verum est, quod per ebullitionem humor eius magis tenuis euaporat, remanet humor densior, & vinum redditur potentius, & diutius seruatur. De lacte autem loquendo, per ebullitionem humor aqueus, & tenuis per serum secernitur, id quod elixatur est pars densior, Caseum constituens, minus humoris includens. Ex his patet sententiam Aristotelis esse hanc, ea quæ proprie sunt apta assari, & elixari, dum assantur, seruantur intus humore

An assa intus humidiora.

Controuersia in Arist.

Pro diluendis instantiis.

Præcurrens elixatio quomodo conducat assationi.

Conclusio.

Diluuntur instantiæ. proprio humidiora, alieno aridiora, quæ vero elixantur, econtrario. Insuper patet, quomodo aduersis instantiis sit occurrendum: Nam Aristoteles in libro Problematum, considerat humorem aqueum & alienum, hoc autem in loco proprium. Addebatur, assa cohibere, elixa augere fluxum ventris; Dicendum, id euenire, tum ob adustionem externarum partium, nam adusta cohibet fluxum, tum, quia assa seruant facultatem quandam caloris sicci, & Ignei, fluxum sistentis; tum tertio, quia carent humore aqueo & alieno relaxante ventrem. Superest dubitatio de pasta, quam diluens, dico humorem pastæ vniuersum esse externum, aqueum, & non proprium farinæ, humor externus per elixationem non educitur, sed augetur, educitur autem & dissoluitur per assationem & calorem siccum, & præsertim dum calor est contemperatus, adeò, vt non prius comburat externas partes quam internum alienum humorem resoluat, hinc nonnunquam panis extrinsecus est combustus, intus est mollis, humidus, & non coctus.

De pasta dubitatio diluitur.

Cap. XXXVII.

An coctiones Arte, & Natura elaboratæ sint eiusdem speciei.

Enunciavit Philosophus Coctiones, & arte, & Natura fieri, hinde non leuis oritur dubitatio, an Elixatio arte facta, sit eiusdem speciei cum facta per naturam? Et quod dico de Elixatione, quæ conspicuè magis arte & natura fit, etiam de cæteris coctionibus intelligi volo. De proposita difficultate pro vtraque parte non leues se offerunt rationes, magnique momenti auttoritates: Nam quod distinguantur specie, elicitur ex verbis Philosophi, qui dixit, Assatio & Elixatio fiunt arte, sunt autem vt diximus species vniuersales eædem, & a natura similes quædam affectiones fiunt, sed sine nomine, imitatur namque naturam Ars, &c. Conspicuè ait Philosophus distingui specie, cum dicat solum vniuersalia esse eis communia, & esse similes, non easdem, & carere distincto specierum nomine, & vnam esse imitationem alterius, imitatio autem distinguitur specie ab eo cuius est imitatio, vt statua a vero Homine. Præterea, Auerroes in Paraphrasi de Gener. Animalium, lib. primo variis rationibus nititur ostendere, non posse fieri eadem specie per naturam & artem: hinc negat arte Chimica posse gigni Metalla eiusdem speciei cum genitis per naturam. Præterea, terminus internus Coctionis, dirigitur ad externum, vt in finem cuius gratia: quare, si externus est specie distinctus, internus quoque debet talis iudicari: at Coctiones arte & natura factæ, in fines specie distinctos dirigi videntur, vt coctio per artem dirigitur ad esum, Elixatio in ventriculo ad Chili & sanguinis productionem, Chili coctio nunquam fieret per artem, nec sanguinis; Similiter vice versa frixiones, & assationes vt fiunt arte, nunquam inspicimus fieri natura. Preterea, dum instrumenta sunt distincta, & a distinctis principalibus agentibus diriguntur; etiam effecta sunt distincta; At calor arte coquens, est calor Igneus, arte directus, calor per naturam coquens, magna ex parte est calor vitalis, directus ab anima, siue natura: quare cum hæc sint varia, etiam effecta putanda sunt varia. Demum, definitio per propria & proxima varia est, quare & definitum, dum definitur coctio arte facta, dicitur perfectio ab alieno calore, facta vero per naturam, a naturali, & proprio. Iure itaque videntur distingui specie. Ex aduerso tamen videntur esse eiusdem speciei, primo per verba Philosophi, qui de Elixatione loquens,

Quod distinguantur specie.

Aristot.

Auerr.

Quod nō distinguantur specie.

quens dixit: Elixatio igitur hoc est, & nil refert si fiat in instrumentis artificiosis, vel Physicis. Praeterea, talis est transmutatio, qualis est internus eius finis, sed fines interni sunt eiusdem speciei, nempe definitio humidi a calore, quare coctiones vel arte, vel natura fiant, sunt eiusdem speciei. Praeterea, sententia est Arist. in 7. Metaph. vigesimotertio eandem sanitatem cum arte, cum natura fieri posse, & quia sanitas coctione humorum fit, eadem coctio natura & arte fieri poterit. Insuper, dum aliquid concurrit ad efficiendum aliud, solum vt instrumenta per id non variatur forma rei genitae. At ars coquens concurrit vt maga, vt instrumentum naturae, nectens agentia cum patientibus, agens autem proprium est idem nempe calor, quare per artem non variatur species coctionis. Hinc Aristoteles de Elixationibus arte & natura factis, dixit, & nil differt: propter eandem enim causam omnia erunt, indicans agens proprium esse idem, Artem verò solum esse instrumentum; Sic eaedem Plantae & arte, & natura gignuntur; Et confirmatur demum id ipsum: quia elixatio facta in ventriculo equi, & canis, vt elixatio non est specie & definitione distincta, quare quamuis fiant ab agente dirigente distinctae speciei, quare similiter elixatio arte, & natura facta non distinguuntur specie, immo minus distinguentur, cum ars solum sit instrumentum naturae. Res itaque est apptime dubia. Clarissimus Lud. Boccaf. ait, eas coctiones considerari posse dupliciter, vel intrinsecus & ex parte caloris, & termini, qui est perfectio, vel extrinsecus ex parte instrumentorum & connexorum, prima consideratione sunt eiusdem speciei, secunda distinctae, & est idem ac dicere, quod sint eiusdem speciei secundum essentiam, distinguantur specie ex accidenti. Quae resolutio est dubia, nam fines, dirigentia & subiecta earum coctionum, absolute videntur distincta, quare & coctiones, hinc, vt dixi numquam arte per coctionem vel Chilum, vel sanguinem efficere possemus. *Sententia Lud. Boccaf.*

Cap. XXXVIII.

Resolutio difficultatis an coctiones arte & natura elaboratae sint eiusdem speciei.

PRo resolutione propositae difficultatis tres profero conclusiones. Prima est, coctio Artificiosa & Physica, dum per se & cum reduplicatione considerantur, distinguuntur specie: haec ex se conspicua est, dum enim vna cōsideratur vt Physica, altera vt artificiosa, quia hae rationes sunt specie distinctae, est necesse, vt considerata secundum eas specie distincta sint. Altera conclusio est, dum ars solum concurrit, vt instrumentum & agens principale, quod est natura, seruatur idem, tunc coctio non variatur specie: hoc patefecit Philosophus, dum dixit coctionem fieri a naturali & proprio calore, quamuis per balnea, & alia externa foueatur, qua consideratione etiam verum est quod dixit, nil referre an fiat in instrumentis naturae, vel artis. Tertia conclusio est, dum agens principale quod dirigens est variatur, vt variatur in coctione artificiosa carnis, & elixatione alimenti in ventriculo, tunc coctiones specie vltima sunt distinctae, quamuis sint eaedem specie aliqua subalterna, & hoc ostendunt rationes pro distinctione formatae, de his dixit Aristoteles, quod ars imitatur naturā, & nō sunt imposita nomina propria distinctarum specierum, & quod distinguūtur Idea. Hinc Philosophus proponens disserendum de speciebus coctionum, dixit: oportet *Prima conclusio.* *Secunda conclusio.*

existimare non proprie hæc dici nomina, rebus enim non imposita sunt vniuersaliter iis, quæ similiter: indicans nomina denotare coctiones artificiosas notiores, quibus non eædem specie, sed similes sunt coctiones Physicæ. Rationes ostendentes quod sint eiusdem speciei facile diluuntur. Aristoteli dicenti nil referre in quibus organis fiant, respondeo, nil referre, dum ars solum concurrit, vt instrumentum perficiens, opemque afferens, sed nō vt ex in-egro imitans. Addebatur internos terminos esse eosdem, dico esse eosdem genere, non specie vltima. Verba in septimo Metaphysicæ vigesimotertio prolata, & confirmatio ex eo deprompta, quia ars est instrumentum naturæ, consentanea sunt secundæ conclusioni. Dicebatur vltimo loco, elixationes in ventriculis animalium distinctæ speciei, non distingui specie. Respondeo primo, per fiduciariam reprobationem, quod quamuis specie non distinguātur, nil refert, omnes enim perficiuntur per proprium & naturalem calorem, directum ab anima nutriente, de elaborata per artem secus se habet. Respondeo secundo per instantiam, non enim absolute, & penitus sunt eiusdem speciei vltimæ, sed communis, quia anima nutriens dirigens, mensura caloris, & finis externus specie distinguuntur. & quamuis calor, vt calor, & humor, vt humor, sint eiusdem speciei, tum vt prædita mensuris variis, directa ab agentibus principalibus specie distinctis, & ordinata in fines specie distinctos efficiunt ea, quæ sunt distincta specie vltima.

Diluuntur aduersa rationes.

Cap. XXXIX.

De gradibus coctionum quæ in animalibus fiunt.

QVONIAM Philosophus de Coctionibus est loquutus, quæ fiunt in corpore per natnram constituto, & præsertim in viuente, ideo pro exactiore cognitione attinentiū ad coctionem, vtile est breuibus de gradibus coctionum loqui, quæ in viuentiū, & præsertim hominum corporib. absoluuntur. Pro quorum notitia accipiendum primo, coctionū pro viuentibus conducentium genus esse duplex, vnum externum, alterū viuenti internum. Genus coctionum externum, est triplex, vel enim fit natura tantum, vt maturantur segetes in agris, vel arte, vt carnes assantur, vel natura, & arte, vt, sorba, & similia, quæ & paleis, & proprio calore maturantur, At hoc coctionum genus non est præsentis considerationis. Aliud est internū, & hoc est duplex, vel cōpetit corporis partibus & humoribus præter naturam affectis, & inde prodeunt coctiones humorū, & vlcerum, quæ fiunt, vel sola natura, vel arte simul, & natura, quæ etiam non sunt præsentis considerationis. Vel cōpetit viuenti secundum naturæ cursum perficiendo, seruando, & de harū numero proponitur differendū. Qua de re opiniones sunt variæ. Nonnulli inquiunt, internā coctionem vnicam esse, quia gradus sumitur à termino, & forma rei, quæ nutritur, ea autem est vna, nempe anima, qua viuens viuit. Hæc opinio non est approbanda, quoniam quotiescunque variatur terminus proprius coctionis, variari dicitur gradus eius, at in viuente non semel, sed sæpe id fit, veluti in ventriculo, in hepate, & in partibus, quæ nutriuntur, similiter variantur excrementa gradibus coctionum respōdentia. Propterea alij ex sententia Arist. inquiunt, gradus coctionum esse duos, vnum in ventriculo elaboratum, alterum inchoatum in hepate, absolutum in corde, hinc sanguis frequenter ab Arist. dicitur alimentum vltimum, quia postrema coctione est absolutus. Quæ opinio etiam est dubia, quia præter has datur coctio, quæ fit

Duplex genus coctionum. Externū. Internū.

De quib. coctionibus sit sermo.

Opinio 1. Euersio.

2.

Euersio.

ficio membris particularibus, dum sanguine nutriuntur, cuius excrementa sunt pili, sordes, & insensibiles halitus, & transpirationes. Ideo alij inquiunt esse tres, *Opinio 3.* addendo hanc postremam. Sed dubitatio est de coctione in ore facta, nam in *Dubitatio.* ore quoque alimentum aliquid coctionis recipere videtur, quod affirmasse visus est Arist. in lib. de Iuuent. & Senect. inquiens: Manifestum igitur, quod vnam quandam operationem oris virtus exercet: alteram autem, virtus ventris circa alimentum, Cor autem est principalissimum, & finem imponit, &c. Ita nonnulli Aristoteli tribuunt, quod inter coctionis gradus numerauit coctionem in ore factam, quæ videtur concoctio, quoniam alimentum ore contritum afficitur facultate & virtute aliqua, vt patet de pane, rorismarino, & saluia quæ ore côtusa & adhibita contusionibus, opem ferunt: sed hi aberrant, non enim ea quæ fit *In ore nõ* in ore coctio est, cum ei excrementa non respondeant, nec alimentum mutet *fit coctio.* formam, sed solum est quædam præcurrens dispositio pro faciliori coctione in ventriculo elaboranda, & ita suam sententiam explicauit Aristoteles in secundo de partibus animalium, capitulo tertio, inquiens: Prima cibi administratio præcipua est, cum per os, partesque ore contentas perficitur in animalibus quorum cibus sectionem expostcat: at hæc nullius causa est coctionis, sed facilitatem coquendi potius præbet, cibi enim illa minutatim diuisio fuit, vt calor facilius conficiendo expediat &c. comprobatio sumpta ex contusione panis, Saluiæ & similium, ore facta, nullius est momenti, id enim pendet non ex coctione sed ex mixtione eorum inter se, & cum sputo; In ore itaque neque ex sententia Aristotelis, neque recta vlla ratione fit coctio alimenti. Galenus tres statuit coctionum *Opinio Galeni.* gradus, primum in ventriculo, secundum in Hepare, tertium in membris nutriendis. Auicenna his quartum addit in venis elaboratum, vt patet ex prima pri *Opinio Auicennæ.* mi, cap. de humoribus & singulis propria excrementa respondere affirmat: nam coctionis in ventriculo excrementa sunt fæces, quæ per intestina secernuntur: Coctionis in Hepate, vtraque bilis: Coctionis in Venis, vrina: Coctionis vltimo elaboratæ in partibus nutriendis, excreméta, sunt sudores, pili, sordes, vngues & similia. At profectò, ea quæ fit in Venis, non debet statui distincta ab ea quæ fit in Hepate, quoniam non variatur principale Temperamentum, nec forma sanguinis sed solum expurgatur, ideo rectius Galenus ab ea Hepatis illam non secreuit, vt nec Aristot. ab ea Cordis. Inquiunt nonnulli, coctiones in Hepate & Corde factas statui debere non vnã, sed duas, quia sanguis in Corde perfectio- *Opinio quorũdã.* nem recipit, quæ opinio non est approbanda: nam ex sententia Aristotelis sanguis in Hepate paratur, in Corde perficitur, via autem & terminus eius non constituunt duos gradus; ex sententia autem Galeni sanguis in Corde solum alteratur & magis attenuatur, & excalefit, non autem per nouam coctionem permutatur, & variam formam recipit. Sed est dubitatio, quia ex opinione Auicennæ *Dubitatio.* sanguis cum debeat nutrire vertitur in medias quasdam humiditates, quas nuncupat Rorem, gluttinum, & cambium, quare in gradibus mutationis sanguinis in eas, varii inueniuntur gradus coctionum. Respondeo, conuersionem sangui- *Solutio.* nis in huiusmodi medios humores, non debere iudicari coctionem ab ea distinctam, qua dicimus sanguinem verti in substantiam partis nutriendæ, quia sanguis est alimentum vltimum, & inter formam sanguinis & eam partis, non datur forma media distincta, sed solum dispositio media. Auicenna dispositiones illas medias considerauit, adeo vt sine controuersia dicere valeamus sanguinem esse, & non esse alimentum vltimum, similiter inter sanguinem, & partem nu-

triendam dari medium & non dari, nam datur medium distinctum non absolute, sed per magis & minus; Vel datur medium secundum dispositionem mediam, nō secundum formam distinctam. Hinc etiam Galenus considerans præcurrentes dispositiones in primo de Naturalib. facultatibus, cap. 11. dixit, Alimētum primo partib. apponi, secundo agglutinari, non reddi simile parti quæ nutritur; quem ordinem puto Auicennam denotare voluisse per humiditates eas quas secundas nuncupauit; ac ita nec ab Aristotele, nec a Galeno dissentiet.

Cap. XL.

De numero Coctionum opinio propria.

CVm de numero graduum coctionis opiniones videantur variæ, in singulis tamen aliquid veri includi existimo, quod vt elucescat a coctionis quæ in *Coctionis diuisio.* Animali fit, diuisione ordiendum puto. Coctio duplex est, vna communis totius *Communis.* viuentis, altera propria variarum partium. Coctio communis est duplex, prima paratur in ore, perficitur in ventriculo. Secunda paratur in Hepate, ex sententia Aristotelis, & perficitur in Corde, vel virtute Cordis. Distinctionem hanc op- *Propria.* timè nouit Auerroes in secundo suarum Collectionum, c. 9. Datur ex aduerso coctio propria, quæ præcurrit conuersionem sanguinis in partem nutriendam. Verum aiunt nonnulli hanc non coctionem esse sed nutritionem. Hi conspicue decipiuntur, quia nutritio ad substantiam pertinet, at præcurrens præparatio, & Temperamenti constitutio, per coctionem fit, & ei competit coctionis Definitio, respondentque excrementa quæ per coctionem secernuntur. Hæc postrema particularis coctio, constituens gradum postremum coctionum latitudine est prædita, nam totuplex est, quot sunt partes consimiles nutriendæ, specie distinctæ, alia enim est coctio inseruiens pro neruo, alia pro carne, & sic de cæteris, de huiusmodi coctione vera est sententia Aristotelis in hoc cap. de coctione dicentis, finem coctionis nonnunquam esse naturam, & formam, fit autem hæc particularis coctio ab Anima quidem nutriente & calore infuso, tan- *Partes Animalis quomodo sint, & non sint eiusdem speciei.* quam ab efficiente dirigente, & communi, proxime tamen absoluitur a propria forma partis nutriendæ, & a calore contemperato, per temperamentum eius, adeo, vt dicere valeamus ab Anima nutriente per formam & temperamentum carnis coqui sanguinem, & gigni carnem per formam, & temperamentum nerui coqui, & gigni neruum, & ita de singulis. Nam partes Animalis aliqua ratione iudicari debent eiusdem speciei, alia distinctæ, sunt eiusdem speciei si consideramus formam postremam, & communem viuentis, quæ est Anima, at si consideramus formas proprias suo temperamento particulari & proprio respondentes, sunt distinctæ speciei, rectius tamen dicuntur eiusdem, quam distinctæ speciei, quia re vera in specie res collocantur completæ & absolutæ, ac insuper collocatur totum, non partes: Ex sententia tamen eorum qui in viuente vnicam putant reperiri substantiæ formam, partes omnes vnius viuentis so- *Gradus Coctionū tres.* lum dici possunt eiusdem, non distinctę speciei, cum forma vnica sit. In Animali itaque Gradus veræ coctionis tres sunt, duo communes, tertius proprius, vt etiam tres sunt gradus formarum quę per coctiones acquiruntur, & excremen- *De coctionibus in Plantis.* torum, quæ secernūtur. Qui gradus cum conspicue appareant in absolutioribus Animalibus, dubium est an inueniantur in Plantis. Aiunt nonnulli, in eis vnicū reperiri, nempe postremum, ratio est quia inquit Aristotel. in secundo de par-

tib.

tib. Animalium, c. 3. Plantas ex Terra alimentum haurire concoctum, hinc solū excrementa eiiciunt postremæ coctionis. Hanc opinionem approbandam non puto, quoniā vt eo loci inquit Philosophus, Terra erga Plantas gerit vices ventris, at post coctionem in ventriculo factam duæ aliæ dantur coctiones, vt patuit, quare Plantis saltem duo competent coctionum gradus: nam cum radices respondeant Venis Mezaraicis, & præditæ sint meatibus nonnullis tanquam venis per quas defertur humor, etiam præditæ esse debent coctione ei respondente, quæ fit in Hepate & Venis. Et confirmatur: quia etiam huius coctionis emittunt satis conspicua excrementa, vt incensum, picem, humores aqueos, & similia, non enim omnia eorum excrementa, sunt excrementa postremæ coctionis. Propterea dico etiam in plantis tres illos coctionis gradus eis congruentes considerari posse. *Opinio propria.* Primus tamen non fit intra plantam, sed in connectione radicum cum Terra, dum ex ea hauriunt alimentum, ad quod efficiendū quamuis conspiret calor Solis, proximè tamen & proprie a calore plantæ effici putandum est: ille humor ita coctus respondet Chilo, qui per radices tanquam per venas mesenterii trahitur. Secundus gradus efficitur in meatibus & viis proportione respondentib. venis, in quibus humor tanquam Chilus vertitur in humorem purgatiorem, magis crassum, alioque Temperamento præditum. Tertius gradus, demum consideratur in partibus consimilib. plantarum, dum nutriuntur, hi gradus in Animalib. absolutiorib. distincti refulgent, in stirpanimalibus confuse, confusius demum in plantis, cum confusius viuant. Cum itaque coctionum gradus re vera sint tres, aliqua tamen consideratione potest dici vnus, *Coctionis gradus & vnus & duo & plures* quatenus finis postremus vnicus est in quem vniuersa alimenti coctio dirigitur, nempe forma viuentis, Secundo, possunt dici duo, si consideramus solum coctiones communes quarum prima fit in Ventriculo, altera in Hepate, vel Corde, Tertio communes possunt dici tres numerando præparationem in ore factam, vel etiam dici possunt tres dimittendo factā in ore & numerando coctionem particularem, qua consideratione Galenus tres esse dixit. Quarto possunt dici quattuor, secernendo factam in venis, an facta in Hepate, cum saltem adsit maior quædam expurgatio, ita vera seruabitur sententia Auicennæ. His si addimus præparationē in ore factam, erūt quinque, si distinguimus, vt in parte distinguitur factam in corde, a facta in Hepate erunt sex, addentes Coctionem externam Arte elaboratam, erunt septem, & demum numerando coctionem externam Natura confectam, erunt octo, harum quæ veræ & quæ per Metaphoram mereantur dici coctiones ex dictis conspicuum est. *Alimentum duplex.* Ex horum graduum notitia elicimus alimentum esse duplex, proximum & remotum, insuper potestate & actu alimentum actu est alimentum iam conuersum, quod quamuis sit redditum pars viuentis, tamen adhuc seruatur & consideratur distinctio congeniti ab eo cui apponitur, & nuper cōuersi, à præcedente. Alimentum vero potestate est alimentum antequam in substantiam partis conuertatur, quæ potestas potest esse & proxima & remota, & quoniam vnumquodque tunc absolute, & verè est tale, vt dicitur in secundo Physic. *Arist.* context. 12. dum actu est tale, ideo vere & absolute alimentum dicitur, quod in substantiam partis est conuersum. Ita explicatur sententia Aristot. in secundo de Anima dicentis alimentum in principio esse contrariū, in fine simile, nam antequam conuertatur, quia priuationem includit, semper contrarium dicitur, cum omnis conuersio fit ex contrario in contrarium. *Hippocrates. Galenus.* Hoc recte norunt Hippocrates, & Galenus, nam Galenus in primo de naturalibus facultatibus

c. 11, inquit, proprie alimentum est quod nutrit, quod vero veluti nutriens est nondum autem nutriuit, quale est quod agglutinatur, vel quod apponitur proprie nutrimentum non est, sed æquiuoce, quod autem in venis est, atque etiam magis quod in ventriculo, id tanquam nutriturum aliquando est, si probe coctum fuerit nutrimẽtum appellatur, ad huc modum edulia quæque nutrimenta appellamus, non quia animal nutriant, sed quia nutritura sint. Et hoc est quod ab Hippocrate dicitur, nutrimentũ quod nutrit, nutrimẽtum est, nutrimentum vero nutriturum, est veluti nutrimentum, siquidem quod iam assimilatur, Hippocrates nutrimentum appellauit, appositum nempe, & agglutinatum &c. Est itaque alimentum potestate, nec nutriendæ nutrimentum, alimentum vero actu, rei actu nutritæ alimentum, & actus nutritionis non in appositione, nec in agglutinatione alimenti cum parte nutrienda consideratur, sed in actu assimilationis, adeo vt terminus ad quem nutritionis sit forma viuentis in alimento recepta.

FINIS.

FRANCISCI
PICCOLOMINEI
SENENSIS,
IN ACADEMIA PATAVINA, PHILOSOPHI PRIMI,

Librorum ad Scientiam de Natura attinentium,

PARS QVINTA:

In qua considerantur pertinentia ad Animam.


Illustrissimo & Reuerendissimo MARCO CORNELIO, Pataui Episcopo dicata.



ILLVSTRISSIMO,

AC REVERENDISSIMO MARCO CORNELIO PATAVII EPISCOPO, DOMINO CO-lendissimo.

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS PERENNEM FELICITATEM deprecatur.



ORNELIA *Familia inter illustriores, splendidioresque vniuersæ Italiæ familias, omni dignitatis gradu, tanquam sydus lucidissimum, splendidissime fulget; ea enim emicat sapientia, floret prudentia, splendet probitate, per Senatores innumeros & integerrimos, qui in vniuersa Veneta Republica rerum publicarum regina, in omnique Magistratuum gradu, floruerunt & florent; fulget insuper pietate, religione, & charitate, per insignes Abbates, Episcoposque vigilantissimos, & præstantissimos; fulget præterea illustrissimè per Cardinales amplissimos, & illustrissimos; splendet etiam dignitate Regia, ob Regiam Cypri dignitatem, ei iure optimo competentem; fulget demum sublimi Serenitate ob Serenissimam Principis Reipublicæ Venetæ dignitatem, qua olim decorata refulsit, adeo vt omni tam humana, quàm diuina præstantia, tanquam sydus splendidissimum, splendidissime fulgeat, & propterea digna est, vt à singulis rectè affectis animis, celebretur, colatur, & veneretur. Et lætor ego, quod quamprimum felici sorte Pata-*

uium me contuli, mihi se occasio præbuerit, præstantissimis fratribus tuis natu maioribus, honorificè inseruiendi. At cum Deo placuerit eos cito in cœlestem patriam reuocare, lætor modo quod oblata sit mihi opportunitas, te virum religione, sapientia, & probitate insignem, omni meritorum genere cumulatissimè ornatum, Patauiique Episcopum vigilantissimum colendi, & honorandi; Tu enim ne dum ob splendidissimos Corneliæ familiæ radios, verum insuper ob conditiones præclaras tibi proprias, omni dignitatis gradu te meritissimum patefacis. Cupiens autem ego hanc meam erga te animi propensionem, obseruantiam, & obsequium, tibi, studiosisque animis, signo aliquo conspicuo, conditionique meæ congruente, patefacere, Animo tuæ amplitudinis flagrantissimo, hos de Anima libros, præclaro Animo tuo dico, & sacro. Diu vale. Patauii Kal. Octobris M D XCVI.

ELENCHVS PRINCIPALIVM CAPITVM, V. PARTIS.

De Sede Animæ.

De Accretione.

De sensibus internis.

De humana mente, lib. Primus.

De

Liber Secundus.

Liber Tertius.

FRAN-

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Sede Animæ,

LIBER VNVS.

PROOEMIVM.



ONSIDERATIO *Sedis Animæ, est consideratio sedis & fundamenti Principalium difficultatum, ad naturalem scientiam attinentium, vtilis præsertim Philosophis, Medicis, & Theologis: De qua ob difficultatem, & Philosophi inter se, & Medici ab inuicem, & Philosophi à Medicis mirum in modum dissentiunt. Qua de re ego ex sententia Peripateticorum verba facturus, explicatis primò nonnullis ad notitiam difficultatis attinentibus, vt ad veri inuentionem excitemur, opiniones celebriores referam; Mox patefaciam sedem vniuersæ Animæ vnicam esse, non plures. Tertio loco, versabor in opinione Aristotelis, eamq; explicabo & approbabo. Quarto seorsum loquar de sede Mentis. Quinto, perpendam an opiniones celebriores conciliari possint. Demum rationes cum approbata sententia pugnantes nitar diluere. Placeat Deo qui vltima Animorum & felicissima est sedes, actem Mentis pro inspectione veri dirigere & illustrare.*

De sede animæ sententia varia.

Ordo seruandus.

CAP. I.

Explicantur communia nonnulla conducentia pro notitia considerationis de sede Animæ.



VÆRITUR quænam sit Animę sedes, ideo & quid nomine Animæ, & quid nomine Sedis intelligere debeamus, prænoscendum est. Nomine Animæ non separatæ Mentes, Cœlorumque Animæ denotantur, de quibus modo non est sermo, sed Anima Mortalium. Et quoniam in homine omnes Animæ gradus inueniuntur, & est homo tanquam regula, & mensura mortalium viuentium, propterea de sede Animæ hominis verba faciam: ex quo patebit, quid de reliquis sit sentiendum. Insuper quoniam ex Aristotelis sententia diuiditur hominis anima in partem æternam, & mortalem, quatum dubium est, an eadem, vel distincta sit sedes, ideo lucidioris explicationis gratia, de illis seorsum loquar, ordiens à parte mortali, cui magis proprie sedes competit, mox de sede mentis

Quid nomine Animæ denotetur.

disputabo. Quod autem pertinet ad nomen Sedis: Sedes profectò & proprie, & per metaphoram vsurpatur. Sedes proprie sumpta, eorum est, quibus proprie competit locus, huiusmodi autem sunt corpora, propterea animæ & formæ quę corpora non sunt, solum per metaphoram, & ex accidenti dicuntur prædita loco, & sede, nempe vel ob cōnexionem cum corpore, vel ob indigentiam instrumentorum, siue communium, siue propriorum, vel ob operationem in corpus transeuntem. Et pro sedis distinctiore notitia considerandum est, septem inueniri in vniuerso distinctos rerum gradus, quibus modo distincto sedes cōperit. Nam primo occurrit materia prima, quæ duplici sede prædita est. Primo enim est in loco per compositum: nam quia compositum est in loco, materia quoque in eodem loco esse debet, vel secundum se, vel ex accidenti, vt dicitur ab Aristotele in primo de ortu & interitu, 27. Insuper pro loco habet formam, à qua terminatur, magis enim forma continet materiam, quam vice versa, vt dicitur in primo de Anima, cont. 90. Secundo occurrunt corpora, quibus proprie, & præsertim mortalibus competit locus. Tertio inueniuntur cœlestia corpora, & pręsertim octaua sphæra, siue primum mobile, quibus ex accidenti modo eis consentaneo locus competit, vt patet ex quarto Physicorum. Quarto, inueniuntur formæ ex materia pendentes, non vtentes instrumento corporeo, siue sint substantiæ, siue accidentia, quæ pro sede & loco habent vel subiectum, in quo sunt, vel locum cōpositi, in quo ex accidenti esse dicuntur. Quinto, occurrunt animæ mortales, instrumento corporeo egentes, quæ duplici ratione sedem habent: Primo, vt sunt formæ ex materia pendentes, & per corpus extensæ, vt formæ aliæ materiatæ. Secundo, vt sunt organicæ, & quoniam instrumentum earum est duplex, vnum commune, nempe calor, & spiritus, alterum proximum, & proprium, vt oculi, visus, aures, auditus, ideo hac ratione duplex competit eis sedes, vna proxima & propria, altera prima & communis, quæ est fons & origo communis instrumenti earum, de qua prima & communi sede sermo est. Sexto, reperitur mens hominis, medians inter mortales animos, & cœlestes mētes à corpore solutas: ea exposcit sedem in humano corpore, non quia sit extensa, nec ob indigentiam communis alicuius, vel proprij instrūmenti, sed ob connexionem cum Phantasia, & indigentiam eius pro suo in nobis fungendo munere. Septimo, inueniuntur spirituales notiones, quę sunt imitationes materiatarum formarum, quarum sedes est anima, nón tota, sed mens, vt inquit Aristoteles in 3. de Anima, contex. 6. His omnibus præsunt superæ mentes, de quibus loquens Aristoteles in primo de Cœlo 22. & in octauo Physicorum, 84. inquit. Cœlum esse locum deorum. Nunc autem de quinto, & sexto gradu, sermo est. Quæritur itaque sedes animæ, & humanæ mentis, sumpta pro parte aliqua principali corporis, cum qua per naturam primo nectatur, & ex qua modo aliquo pendeat, vel pro esse & conseruatione, vel pro suo fungendo munere.

[Margin notes: De nomine Sedis. — Septem sedis gradus. — 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6. — 7. — 8. — Conclus.]

CAP. II.

Duæ proponuntur, & diluuntur Difficultates ex dictis prodeuntes.

Prima dubitat. Ex his quæ de sede Animæ dicta sunt, duæ emergunt difficultates: prima est, quomodo se habeat quæstio de sede animæ, ad eam quæ sæpe proponitur, de principatu membrorum. Altera est, qua de causa anima sola, non autem aliæ formæ infra eam positæ, exposcat in corpore partem aliquam definitam, &

princi-

principalem, in qua tanquam in arce residere dicatur. Quod pertinet ad primam difficultatem, respondeo, eas duas quæstiones pro fundamento in idem venire, eademque solutione solui, ratione tamen, & relatione esse distinctas: nam si sedes animæ est vna, ea erit membrum principale: si fuerint plures, ea quæ fuerit sedes partis præstantioris, erit membrum principalius. Quod autem ratione & relatione distinguantur, patet: nam vna denotat relationem membri ad animam, altera comparationem vnius membri cum altero. Sed hoc dignum est consideratione, quid sit causa alterius, num scilicet, quia membrum est principale, ideo sit sedes animæ, vel potius vice versa? Et dicendum, quod quia est sedes animæ, ideo præsertim est membrum principale: anima enim ea est, quæ instrumenta constituit, eorum est finis, eisque tribuit facultatem, & perfectionem: præstantia membri, solum est causa in genere materiæ, at anima est causa in genere formæ, & cum distincto genere, sint sibi inuicem causæ, præsertim tamen (vt dixi) id animæ condonandum est. Altera dubitatio erat, cur sola anima exposcat in corpore definitam partem pro sede. Respondeo, huius quatuor posse assignari causas, prima sumitur ex conditione corporum, cum enim corpora animæ expertia sint consimilia, nulla est ratio, cur forma potius in vna, quàm in altera eorum parte reperiatur. Altera ratio potior sumitur ex præstantia animæ, eiusque conditione, cum enim præstet mortalibus aliis formis, obeatque functionum munera præstantiora, exposcit corpus præstantius, membris munitum, præditumque propriis & communibus instrumentis, & quia facultas, & instrumentumque se mutuo consequuntur, vt legitur in secundo de generatio. animalium, capit. tertio. ideo vt commune instrumentum exposcit sedem, & fontem, ex quo prodeat, ita anima partem illam tanquam sedem exposcere dicitur, in eaque vt in arce residere. Tertia ratio, quæ etiam sumitur ex præstantia animæ est, quia forma quo est præstantior, eo magis conditionis primi principij est particeps, conditio primi principij est, vt sit vnum, ideo forma eminentior magis ad id, quod vnum est, accedit: seruatur autem vnitas in anima, nisi ratione extensionis per vniuersum corpus, quod est ei commune cum aliis materiatis formis, saltem ratione principij & principalis sedis, in qua vt in arce resideat. Quarta ratio sumitur ex gradu distincto, & modo vario constitutionis animæ: Nam formæ infra animam positæ, vel sunt formæ primæ elementorum, æque effusæ per vniuersam materiam, in qua maxime sunt immersæ, vel sunt formæ mixtorum consimilium, æque ex mixtione & temperamento consurgentes, vel sunt formæ, quæ temperato corpori dicuntur aduenire, vt sunt animæ, & quoniam temperamentum corporis animalium est duplex, vnum proprium distinctarum partium, alterum commune, Anima autem tota communi temperamento respondet, ideo quod est fundamentum communis temperamenti, & vbi id vt in origine viget, etiam dicitur sedes animæ. Commune autem temperamentum viget in spiritu, & calore illo, cui in corpore viuente comperit definitum principium & origo, & inde mox effunditur per vniuersum corpus, quo cum solum viuentia sint prædita, iure sola anima dicitur prædita parte aliqua definita corporis, cui tanquam fundamento communis harmoniæ temperamentorum hæreat, in qua resideat, & ex qua mox in reliquas partes vires suas effundat.

Solutio 1. diffic.

Dubitatio.

Solutio.

Dubitatio secunda, cur sola anima sit indefinita parte corporis.

CAP. III.

Opiniones nonnullæ de sede Animæ.

Opinio Parmenidis. Straton. Heroph. Erasistr. Diogenis. Zenocratis.

DE Animæ sede innumeræ fuerunt virorum sapientum sententię, vt ex Plutarcho, Aristotele, Galeno, Firmiano, aliisque colligitur. Parmenides, & Epicurus, sedem Animæ dixere vniuersum pectus. Straton censuit eam esse partem inferiorem frontis. Herophilus cauam cerebri partem, siue basim. Erasistratus sinum cerebri. Diogenes Arteriam canam cordis. Zenocrates vniuersum corpus. Sed his opinionibus prætermissis, alias probabiliores consideremus. Dixere nonnulli, sanguinem esse animæ sedem: hinc anima cum sanguine funditur. Alij non sanguinem totum, sed spiritum, vel tenuem sanguinis partem: adeo Diogenes animam in cordis arteria dixit esse collocatam. Magna profecto animæ cum calore, spiritu & sanguine est connexio. adeo. vt nonnulli animam aliquid horum esse existimarint. Hinc animus à spiritu & vento deduxit nomen, ἄνεμος enim ventum & spiritum denotat, & vita Græce dicitur ζωή, quasi ζέσις, hoc est feruor, & reddere spiritū, est expirare, & reddere animam. Ac cum re vera, Anima nec calor sit, nec spiritus, videtur saltem in eo, vt in sede, residere. Quod affirmasse visus est Aristoteles in secundo de part. Animalium, cap. 7. inquiens, quod enim nonnulli perperam aiunt, animam esse ignem, aut vim aliquam eiusmodi, melius fortasse dixeris animam in quodam huiusmodi corpore insidere. Ratio est: quia ad obeunda munera calor maxime omnium vim habet administrandi. Idipsum affirmasse visus est in secundo de gener. Animal: cap. 3. inquiens: sed enim omnis animæ siue virtus, siue potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea quæ elementa nuncupantur: denotans spiritum, per quem ait semina reddi fœcunda. Hæc opinio aliquid veri includit: absolute tamen, nec est vera, nec ad rem facit. Nam hoc veri includit, quod calor naturalis, & spiritus sint commune instrumentum animæ, hoc & ab Auerr. in Paraphrasi de gener. Animalium, cap. de Cerebro, & à Simplicio, & à Philopono sæpe affirmatur, præsertim in secundo de Anima. Quod autem absolute ad rem non faciat, nec vera sit, ostenditur: quoniam aliud est aliquid esse commune instrumentū animæ, vt sunt spiritus & calor, & esse membrum principale, ex alio non pendens, & ob id sedem animæ, de quo est dubitatio. Quod autem calor, sanguis, vel spiritus talia non sint, patet primo: quia sedes animæ est membrum aliquod principale. Secundo, quia sedes animæ non debet ex aliqua corporis parte, vt ex principio fluere, & pendere. Tertio, debet esse firmum aliquid & permanens, non autem continenter aptum variari. Quarto, cum sit sedes sensuum, debet esse prædita sensu, & præsertim tactus. Hæ conditiones nec sanguini, nec calori, nec spiritibus cōpetunt, quare non sedes, sed solum instrumenta communia, & vehicula quædam, per quæ anima effunditur in vniuersum corpus iudicari merentur.

Aristot.

Euersio.

Spiritum non esse sedem animæ.

CAP. IIII.

Opinio Platonis de sede Animæ.

Opinio Platonis.

SILENTIO obuolutis cæteris omnibus de Animæ sede opinionibus, de solis sententiis Platonis, Galeni & Aristotelis, vt de probabilioribus verba faciam, ordiens à Platone tanquam seniore, ex quo Galenus multa deprompsit. Tria in animali, & præsertim in homine considerauit Plato principalia membra,

bra, quæ partium principalium Animæ essent Sedes: nempe Cerebrum, Cor, & Iecur, in quibus tamen Principatum absolute Cerebrum obtineret. Quod vt lucide constet, verba nonnulla referam, quæ in Timeo leguntur. Inquit enim: Et diuinorum quidem ipse Deus est auctor, mortalium vero generationem, natis suis tradidit absoluendam: Illi igitur suum imitati parentem, principiumque animæ immortale suscipientes, Animam mortali corpore clauserunt, totumq; corpus, animæ tanquam vehiculum subiecerunt, in quo aliam animæ speciem mortalem fabricarunt, quæ grauibus, necessariisque perturbationibus afficeretur: illi ergo hæc miscentes, mortale genus composuerunt. Cæterum ne diuinum vlla mortalium contagione, nisi quantum summa necessitas cogeret, polluerettur, seorsum ab illo, in alia corporis sede, mortale collocarunt, atque a pectore caput, ceruice, & collo interposito separarunt: in pectore igitur & Thorace mortale genus animæ posuerunt, cumque id per naturam partim melius, partim deterius esset, disposuerunt rursus Thoracis capacitatem, secernendo sedem tanquam virorum alteram fœminarum, Cartilaginem enim quandam nomine diaphragma, quod etiam Phrenas vocant, inter hæc mediam posuerunt: partem igitur animæ fortitudinis, iracundiæque participem, contentiosamque, capiti propinquiorem fecere, vt obediens rationi, vna cum ea cupiditatum genus vi illata coerceat: si quando rationis in arce capitis habitantis iussa, cupiditas respuat. Et paucis interpositis. Postremo eam animæ partem, quæ esculenta, & poculenta cupit, & reliqua omnino quibus corpus indiget, concupiscit, mediæ regioni inter diaphragma & vmbilicum applicuere, vbi quoddam quasi præsepe, ad totius corporis alimoniam extare volebant: & ibidem illam animæ vim tanquam agreste animal alligarunt. Et post pauca. Quoniam vero videbat Deus partem illam animæ talem fore, vt rationem non exaudiret, & si quo sensu pulsaretur nullo modo rationibus obtemperaret, sed simulachris, visisque nocte, dieque raperetur: idcirco naturam iecoris procreauit, & in eius habitationem disposuit, &c. Ex his necnon ex aliis verbis a Platone enunciatis, conspicue elicitur, triplicem statuisse animæ sedem, triaque principalia constituisse membra, inter quæ tamen caput imperium obtineret: Testes inter principalia membra nunquam numerauit. Sed ex his quæ de opinione Platonis relata sunt, nonnullæ emergunt non negligendæ difficultates. Prima est: quia si caput est sedes mentis, & rationis, secretumque est a pectore, ne ratio & consilium turbarentur, quid dicendum erit de iumentis & feris, quorum capita pectore secretum est, cum tamen sint animalia rationis & consilii expertia? Altera dubitatio est, quoniam Plato in Phedro, & alibi, animæ pro sede tribuit vehiculum ætheteum non autem caput, vel cor. Tertia dubitatio est, quia Plato in eodem Timeo medullam inquit esse agrum, & sedem animæ, non caput, vel cor, ait enim: Cum author rerum mortalium medullam genuit, totius generationis mortalium sementem, fomitemque constituit, postea vero serens in ea, animorum genera alligauit, figuras præterea quascunque, & qualescunque ex singulis speciebus adesse medullæ oportuit, tot penitus atque tales in prima illa distributione distinxit, & illam quidem medullæ partem, in quam velut agrum quendam, diuinum semen iaciundum erat, globosam & vndique teretem finxit, atque encephalum hoc est cerebrum idcirco voluit nominari: quia vnoquoque animali denique absoluto vasculum cerebri capax, cephalum, id est caput erat vocandum. quod autem reliquas, mortalesque animæ vires comprehensurum erat, rotundis simul, oblongisque figuris ornauit, totumque medullam voluit nominari, &c. Con-

Verba Platonis. *Quæ sit sententia Platonis.* *Dubitatio prima.* *Secunda.* *Tertia.*

ſpicue Plato his verbis animam cum æternam, tum mortalem non in iecore, & corde, ſed in medulla collocauit. Quarta dubitatio eſt, de facultate ſentiendi, nam eam nonnunquam pectori, nonnunquam capiti tribuere videtur: inquit in Timeo: tendunt a lingua venæ ad cordis ſedem, ſaporum nuntiæ. Præterea, cum in corde locauerit appetitum iraſcendi, & in iecore concupiſcendi, appetitus non eſt ſine cognitione. His accedit, quod ſenſus attinet ad partem animæ mortalem, cuius ſedem ſtatuit pectus. Ex aduerſo videtur eam tribuere capiti: nam caput iumentorum in iumentis principatum obtinet, cui tamen non mens ſed ſolus ſenſus competere poteſt, ſiue externus, ſiue internus. Et confirmatur, quia ſenſus rationi famulantur, & ob id in eadem ſede reperiri debent. & præſertim, quia Plato in eodem Timeo capiti tribuit etiam initium motus, quod cum ſenſu interno, nempe cum Phantaſia iunctum eſt: Hæc dubiam reddunt ſententiam Platonis primo relatam. Quibus additur dubitatio quinta, & eſt: quia ex ſententia Academicorum anima eſt tota in toto, & tota in quauis parte. Quare non videtur recte dici ex opinione Platonis animam eſſe in partes diuiſam, & partes varias in variis corporis partibus eſſe collocatas. Poſtrema dubitatio eſt, de mente ſupra animam rationis compotem poſita, de qua eſt dubitatio an Plato in corpore ei ſedem aſſignauerit.

Quarta. *Quinta.* *Sexta.*

CAP. V.

Solutio relatarum difficultatum de ſede animæ ex ſententia Platonis.

DVBITATIONES propoſitæ apud Academicos profecto non leues ſunt, quas ego breuiſſime nitar diluere. Prima dubitatio erat: quia dicebatur caput tanquam ſedem rationis debere a pectore, ſede facultatum mortalium diſtare: inſtantia erat de iumentis & feris, quæ ratione carent, & caput eorum a pectore diſtat & præſertim in Grue. Reſpondeo, Platonem in ea diſtributione conſideraſſe conſtitutionem hominis, de quo primo & præſertim ea vera ſunt, cætera autem animalia ſunt quidam receſſus ab humana perfectione: hinc homo eorum dicitur menſura, & ſeruantur hæc in feris vt in vmbra & imagine. Addo ſecundo in feris locatam eſſe eam animæ facultatem, quæ proportione reſpondet rationi hominis nempe Phantaſiam, quæ dicitur mens brutorum. His tertio addo, non deeſſe Academicorum plurimos, qui etiam iumentis ſi non ineſſe, ſaltem præeſſe animam rationis compotem exiſtimarint, & præſertim cum putarint cæteros animæ gradus ex rationali prodire. Hinc Porphyrius in libro de abſtinentia ab eſu carnium, latiſſime hoc demonſtrare nixus eſt, & Plato in Phedro, quia anima eſt principium motus: inferebat, quod ex ſe moueatur, ex quo eliciebat in decimo de Repub. eſſe immortalem: at etiam anima ferarum eſt principium motus. De hoc plura dixi in libro de humana mente. Secunda dubitatio erat: quia alibi æthereum vehiculum dicebat ſedem animæ. Reſpondeo, ex ſententia Platonis vario modo animæ competere ſedem: nam vel quæritur ſedes totius, vel partium, ſi totius pro vniuerſo tempore eſt propria ſtella, pro diuturno tempore ſub cœlo eſt vehiculum æthereum, pro breui tempore eſt vniuerſum corpus animalium, quod vehiculum oſtreaceum Academici appellant: at nunc ſermo eſt de partibus animæ, vt ſunt principia diſtinctarum actionum in variis partibus animalium. Tertio dubitabatur: quia Plato in eodem Timeo medullam dicebat agrum, & ſedem animæ. Reſpondeo, Plato-

Solutio primæ dubitationis. *Solutio ſecundæ dubitationis.* *Solutio tertiæ dubitationis.*

Platonem nomine medullæ denotasse cerebrum, medullam spinæ dorsi, ossium, nec non genituram. Addo secundo, sedem animæ vsurpari posse, & pro parte corporis, cum genitura & semine iuncta, in qua consideratur prima origo, & connexio animæ nobiscum, & huiusmodi est medulla ex sententia Platonis, & præsertim cerebrum, nam ex anima rationali prodeunt facultates reliquæ. Hinc eam Plato appellat agrum seminum animæ, vel vsurpatur pro membro corporis, ex quo prodeunt instrumenta, pro fungendo munere alicuius principalis partis animæ, & ita varia membra statuuntur sedes variarum partium animæ. Dubitabatur quarto, loco de sensu, an sint in cerebro vel in pectore. Respondeo, sensum esse duplicem: internum, & externum, si de interno loquimur, cuius Princeps est Phantasia, sedes eius est caput, tum quia comitatur animam rationis compotem, eique proxime famulatur & a nonnullis ab ea non distinguebatur: tum quia maxime est spiritalis, tum demum quia in iumentis & pueris obtinet locum rationis & ducis, ideo iure in principali & supremo membro debuit sibi locum optare. Si vero loquimur de sensibus externis, illi sunt duplices, nonnulli magis spiritales & animastici, alii magis materiati, spiritaliores sunt visus, & auditus, quos sequitur odoratus: hi collocati sunt in capite, nam comitantur animam rationis compotem, inseruiunt disciplinæ, & in anima seruantur seiuncta ab hoc crasso corpore: & cum vehiculo æthereo iuncta; Hinc etiam cœlorum animis Academici modo aliquo visum & auditum tribuunt, & quamuis anima cum æthereo vehiculo iuncta, non percipiat odores, eos tamē percipit iuncta cum vehiculo aereo. At loquendo de gustatu, & tactu, qui sunt sensus magis materiati, hi potius sunt in corde; ideo ait Plato in Timeo, tendere a lingua ad cor venas saporum nuntias; Absolute tamen, sensus & iudicium tribuuntur capiti, quoniam a potiori petitur denominatio: At instabatur quia in pectore sunt facultates appetentes & exposcentes cognitionem. Respondeo cognitionem cæterorum sensuum per consensionem etiam extendi ad pectus: tamen Plato præsertim considerauit, dum diuisit partes animæ in partes corporis, originem & principium instrumentorum, ei parti inseruientium pro fungendo suo munere, vt etiam affirmauit Plotinus En. 4, lib 3. cap. 23. Quinta dubitatio erat: quia ex sententia Academicorum anima est tota in toto, & tota in quauis parte, vt etiam cum Academicis existimauit D. Aug. Respondeo, animam considerari & secundum essentiam, & secundum instrumenta quibus eget pro fungendis variis muneribus: si consideratur secundum essentiam, vbi est, tota est: & ea præsertim quæ vtens ab Academicis dicitur: at secunda consideratione secus se habet, vt dixi. Insuper vel consideratur proprie sumpta anima, vel considerantur idola & vestigia eius, ea est tota in quauis parte, hæc autem diuisa sunt. Postrema dubitatio erat de mente, pro cuius solutione accipio apud Academicos duplicem esse mentem, vnam animariam, quæ eadem est cum anima rationali, de qua idipsum est dicendum quod de anima rationali dictum est. Alteram supra animam positam, aptam tamen ab anima rationali participari. Hinc homo dicitur anima rationalis, mentis particeps. Anima: quia alteri dicitur anima, ideo magis sedē exposcit: Mens vero, quia est aliquid absolutum, minus dicitur sede prædita: dicimus tamen sedem proximam eius esse animam rationalem, in qua recipitur vt lumen in perspicuo, & per animam rationalem dicitur esse in capite & cerebro, cum tamen ex se ab omni sede sit soluta. & hæc de opinione Academicorum.

Solutio quartæ dubitationis.

Solutio quintæ dubitationis.

Solutio sextæ dubitationis.

Cap. VI.

Opinio Galeni, de sede animæ & principatu membrorum.

Galenus ex Philosophis præsertim sequutus est Platonem, propterea explicationi sententiæ Platonis, iure optimo succedit explicatio opinionis Galeni. Existimauit Galenus (vt se declarat in lib. quod animi mores sequantur corporis temperaturam) facultatem nutrientem esse temperamentum Hepatis, Irascentem, & vitalem Cordis, de rationali primo ait nil certi se habere, quod aduersus Platonem proferat, in progressu tamen ostēdit eam esse temperamentum cerebri. Insuper in septimo de Placitis Hippocratis, & Plat. cap. 3. inquit: vnum Principium est in capite cuius munus, per se quidem est vt imaginationem, memoriam, intellectionemque præbeat. Aliud vero vt sentientibus animalis membris sensus, & iis quę per appetitionem mouentur, motus originem pręstet. Alterum principium in corde est, cuius opera per se sunt animæ tenor, quem *νόνον* dicunt, & in iis quæ ratio iusserit, inuicta constantia. Secundum affectum autem veluti feruor insiti caloris, dum anima vindictam sumere de eo cupit, qui videtur ostendisse, per aliud vero id efficit vt membris sigillatim omnibus calorem, arteriisque illam micationis pulsusque agitationem suppeditet. Tertium principium, tertiaque facultas est in iecore, quæ vniuersam in animali nutritionem procurat, ad eandem pertinet iucundarum rerum fruitio, in qua cum vehementius quam par est mouetur, incontinentiam, intemperantiamque procreat, &c. Ex his constat opinio Galeni, quem in parte sequitur Auicenna, sequuntur & alii multi, qui tribus relatis principalibus membris, quartum addunt: nempe testes, pro seruanda specie, de quo dissentiunt à Plat. qui inter principalia membra nullibi testes numerauit. Et quamuis Galenus de distinctione trium principalium membrorum, necnon de absoluto principatu Cerebri cum Platone consentiat, de attinentibus tamen ad essentiam, conditiones, & status cum animæ, tum mentis, summopere dissentit. At id cum non sit præsentis considerationis, prætermittitur.

Opinio Galeni.

Cap. VIII.

Principalia fundamenta opinionis Platonis, & Galeni.

Opinio Platonis & Galeni, vt est præstantissimorum virorum, ita satis firmis fundamentis niti, rationibusque validissimis confirmari videtur, feram ego potiora: Et primo, accipio vt concessum ab Aristotele in secundo de Gen. Animal. cap 3. naturam facultati instrumenta tribuere, & eandem facultatis & instrumentorum esse rationem, ex quo hæc elicitur ratio Ea est sedes & fons facultatis, quæ est origo instrumentorum eius: At cerebrum est principium instrumentorum sensus, & motus, cum sit principium neruorum per spinalem medullam, & nerui sint instrumenta sensus & motus, igitur cerebrum est sedes facultatis sentientis & mouentis, & cum cerebrum sit sedes sensus, & motus etiam est sedes rationis, quæ motum dirigit, & cum sensu nectitur, & propterea obtinet principatum inter membra. Secundo ea iudicanda est sedes facultatis sentientis, & mouentis, a qua nisi pateat via ad reliqua membra, statim ea priuantur sensu & motu: huiusmodi solum est cerebrum, a quo statim quod viæ ad reliqua membra obstruuntur, destituta remanent sensu, & motu, quod patet ex somno, in quo cum viæ crassioribus vaporibus obstruantur, quamuis

Primum fundamentum.

Alterum fundamentum.

cor sit liberum, & pateant viæ ab eo ad inferiora membra, tamen remanent priuatæ sensu & motu; Hinc somnus dicitur affectio cōmunis sensus, & primi sensiriui, & cum conspicue sit affectio cerebri, & refrigerantia cerebrum somnum inducant, necessario sequitur cerebrum esse sedem facultatis sentientis & mouentis. Hoc ipsum nos experientia docet, percipimus enim eos vapores obtundere sensus, qui cerebrum petunt, non qui cor, & Epilepsiam ac Apoplexiam, quibus morbis sensu & motu priuantur membra, non ad cor, sed ad cerebrum pertinere. Tertia ratio petitur ex comparatione cerebri cum corde, & ex conditionibus eorum. Inquit Philosophus in secundo de anima sensus consistere in quodam pati, perpessio facile recipitur in re molli, & humida, non in dura & arida, cerebrum est summe molle, aptum facile formari, cor durum & aridum, ad id ineptum. Insuper calor vehemens turbat rationem, obtundit sensum, frigus pro prudentia conducit sensusque contemperat, cor maxime est calidum, ideo iudex esset stolidus & furiosus, nam furor, & ira ad cor pertinent, quæ non recte in eadem sede cum iudicio, prudentia, & sapientia seruantur. Quarta ratio sumitur ex functionibus munerum, & læsionum consensionibus: experientia enim constat definitas capitis partes, cum definitis facultatibus sentientibus mirum habere consensum: nam si pars capitis posterior læditur, statim memoria læditur, si anterior, vel media, percipimus lædi sensum communem, vel vim imaginandi: quod non accideret nisi in illis partibus sedem haberent. Quod confirmatur: considerando quomodo disponamur & permutemur, dum per eas facultates operamur, dum enim rei alicuius recordari cupimus, caput deprimimus, partemque eius posteriorem confricamus, dum imaginari aliquid volumus, eleuamus caput. Similiter qui contemplationi, & imaginationi incumbunt, facile labuntur in dolorem, & imbecillitatem capitis, veluti qui irascuntur, in corde & præcordiis permutationem percipiunt, & per Hepatis intemperiem membra priuantur congruente alimento, quæ nobis patefaciunt facultates, vnde prodeunt ea opera, in eis partibus sedem habere. Idipsum confirmatur per instrumenta externorum sensuum, famulantium internis, quæ non in pectore, sed in capite apparent posita, & anatomici patefaciunt a cerebro tendere neruos ad ea sensuum instrumenta, deferentes facultatem sentiendi, & præsertim ad oculos, aures & odoratum. Quinto, idipsum ostenditur considerando attinentia ad nutritionem. Nam facultatum & instrumentorum eadem est ratio, cor non est principium venarum & sanguinis, quare non est sedes facultatis nutrientis: Consequutio nota est, assumptum patet consensione medicorum, idque satis conspicue estendunt Anatomici peritissimi, patefaciendo venæ cauæ truncum maiorem, & latiorem, tanquam stipitem esse in Hepate, minorem & angustiorem in corde. Insuper Venas tanquam Plantas, radices suas effusas habere in Hepate, & ob id non continenter agitari, vt agitantur Arteriæ ex corde prodeuntes, sed sine motu & pulsu requiescere. Idipsum ex eo colligere valemus: quia Hepar simillimum est sanguini, cum sit tanquam sanguis congelatus, & læsionem hebatis, sequitur deprauatio sanguinis. Neque sanguis vniuersus meat per cor, sed non exigua eius portio ab hepate per Venas in partes inferiores effunditur. Cum itaque ex hepate prodeat sanguis vniuersus, non autem ex corde, conspicuum est signum, non cor, sed hepar esse adæquatum principium sanguinis: Cor autem, quod conceditur esse principium Arteriarum, solum perficere sanguinem in Arteriis inclusum, non autem existentem in venis. Quod confirmatur: considerando constructionem ostiorum cordis:

Experientia. *Ratio 3.* *Quarta.* *Confirmatio.* *Alia cōfirmatio.* *Quinta.* *Confirmatio.*

Nam duo ostia cordis ita sunt constituta, vt valde sint dissimilia membranis & orificiis Venæ cauæ, & præsertim quia orificia Venæ cauæ introrsum aperiuntur, vt apta sint dilatato corde sanguinem in ipsum infundere, cum vice versa, orificia quæ in corde sunt, extrinsecus referentur, & claudantur intus, vt coarctato corde sanguinem aliunde receptum continere valeant. Et si quis obiiciat, quod Plato in Timeo dixit: Cor vero venarum originem, fontemque sanguinis per vniuersum corpus, impetu quodam manantis in stipatorum regione suspendere voluerunt, &c. Respondet Galenus, lib. 6. de Placitis Hippo. & Platon. cap. 9. Platonem nomine Venarum denotasse Arterias, vt mos fuit Veterum; Ideo etiam Plotinus En. 4. lib. 3. cap. 23. sententiam Platonis cum ea quæ medicorum est connectit. Præterea, idipsum constat de principio generationis, quod non videtur posse statui cor, cum semen non gignatur in eo. Quare non est cor vnica animæ sedes. Demum vtor ratione sumpta ex Plat. de Repub. Dial. 4. in quo manifestat rationem a facultate irascendi, & hanc ab ea concupiscendi differre, quia variis mouent motibus, se mutuo turbant, frequenter inuicem pugnant, & ob id Temperamenta distincta, seiunctamque sedem exposcunt.

Instātia. *Solutio.* *Postrema ratio.*

Cap. VIII.

Sedem animæ vnicam, non plures debere statui.

SATIS constans & firma apparuit Platonis & Galeni sententia, perpendenda modo est Aristotelis; Verum ante quam id fiat, operæpretium est, considerare, & decernere, an animæ sedes vnica statui debeat, vel multiplex: vt mox quæ ea sit, inspicere valeamus. Qui putant eas esse multas, præsertim ex quatuor id colligunt: Primo, ex varietate facultatum. Secundo, ex varietate instrumentorum quibus vtuntur, ex variis fontibus prodeuntium. Tertio, ex varietate Temperamentorum, quam variæ facultates exposcunt. Quarto, ex varietate officiorum in variis partibus refulgentium. Ex aduerso autem Empedocles, Aristoteles, & Stoici, vnicam statuerunt animæ sedem, membrumq; Principale vnicum affirmarunt. Quod variis rationibus ostendi potest. Primo ita argumentor, Animal est vnum, ergo forma eius quæ est anima, est vna, igitur sedes eius vnica est: Assumpta sunt nota: Consequutio deducitur, quia vnius vnica est sedes, & in omni genere ad vnum primum necesse est deuenire, quare in genere membrorum, ad vnicum deueniendum est, quod primum dicatur. Præterea, hoc ostenditur ratione sumpta ex ordine: ordo est dispositio plurium inter se, & ad vnum primum, ex quinto Metaphysicæ, context. 16. membra sunt ordinata & suo ordine constituunt animal vnum, quare est necesse, vt inter ea primum sit vnum. Confirmatur: quia si membra prima fuerint plura, vel erunt iuncta & complicata: vel ne: si non, tunc animal non esset vnum: si sic, igitur dari debet forma nectens & in vnum redigens, quæ cum vna esse debeat, & in corpore exposcat sedem, est necesse dari membrum vnum, quod sit sedes eius, & id erit membrum principale, non alia. Præterea, cum animal sit paruus Mundus ex octauo Physic. 17. & homo sit tanquam mundi compendium, & imago, vt in magno Mundo vnicum est Principium primum, vnum mobile primum, & sedes primi Motoris, ita & longe magis in paruo mundo vnica statui debet sedes prima. Quod confirmatur: quia Imperium Regium secundum naturam est optimum, hoc fulget in vniuerso, quare etiam in eius imagine reperiri

Quod sedes animæ sit multiplex, ratio quadruplex. *Quod sit vna. Ratio prima.* *Secunda.* *Confirmatio.* *Tertia.* *Confirmatio.*

petiri debet, & præsertim, quia nunquam totum aliquod recte dispositum, nisi in eo primum sit vnicum, ex quo pendeant, cuique subiiciantur cætera. Præterea, principium facultatis formatricis fœtuum, facultas formatrix, & facultas fœtus formati, sibi mutuo respondere debent, cum ordine quodam ex vno eorum, prodeat aliud: At vis formatrix, quæ in semine reperitur, vnica est, in quauis parte tota, & viget in spiritu seminis: Principium ex quo pendet vis formatrix & spiritus eius, vnicum est, non enim semen vnum ex variis principiis prodire valet, sed ex vnico, quodcunque pro nunc illud sit: quare similiter facultas formati fœtus vnica sede, vnicoque primo principio debet esse prædita. Insuper, cum anima non sit Temperamentum, vt existimauit Galenus, sed forma Temperamento vniuersi viuentis superueniens, ea debet iudicari sedes animæ quæ est commune principium & fundamentum temperamenti vniuersi viuentis, id autem non est multiplex, sed vnicum, idque est cor, vnicum itaque statui debet principale membrum. Præterea, consensio partiũ inter se, connexionem & vnitionem earum exposcit, partium animalis adinuicem mira est consensio, quare earum est connexio, & in vnum redactio, quod eis competere nequit, nisi sedes prima, primumque principium vnicum sit. Insuper, gradus animæ ita inuicem sunt dispositi, vt sequens supponat antecedentem, ac vnus includatur, & sit in alio, non secus ac trigonum in tetragono, vt dicitur in secundo de anima: hoc seruari non potest, nisi ordinatarum facultatum eadem sit sedes, alioquin illi gradus essent seiuncti, & vnus non includeretur in altero, & posset sine altero reperiri. Præterea, ex sententia Galeni gradus & facultates animæ nihil aliud sunt nisi Temperamentum suæ sedis, suique principalis membri, cum autem ea Temperamenta distincta sint, nec vnum includatur in altero, imo inuicem pugnent, anima nec erit aliquid vnum, nec vna facultas includetur in altera, nec partes eius iunctæ erunt, quod maxime est absurdum. At qui opinioni aduersæ sunt addicti, soluendo inquiunt: Principium pro prima & præstantissima sede sumptum, esse vnicum, nempe cerebrum: pro subordinatis tamen facultatibus esse multiplex, vt multiplicia etiam sunt instrumenta, & origines eorum. Insuper, addunt de Mundo paruo, vt ad institutum pertinet, & de magno secus se habere: nam vt legitur in secundo de Cœlo, mortalia & inferiora vt assequantur suam perfectionem pluribus actionibus egent, & propterea pluribus instrumentis instrumentorumque principiis debent esse munita.

Quarta. *Quinta.* *Sexta.* *Septima.* *Octaua.* *Solutio prima.* *Altera.*

Cap. IX.

Reiiciuntur solutiones, diluunturque rationes pugnantes cum vnitate sedis animæ.

Disserui aduersus multitudinem principalium membrorum, superest modo vt patefaciam aduersariorum solutiones leues esse, & rationes eorum facile dilui. Dicebant pro partiũ ordine id esse satis, vt inter membra principalia vnum dignitate, cæteris præstet. At profecto id satis non est: quia pro vnitione, exquisita consensione, & inclusione vnius facultatis in altera, requiritur vt absolute sedes vna sit, vnumque principium ex quo cætera pendeant. Et dum addunt Mundi & Animalis distinctam esse rationem, profecto, vt ad institutum pertinet, ratio eadem est: nam quamuis animalium actiones sint multæ, longe plures tamen sunt actiones partium Mundi: Et quamuis etiam illę

Euertitur primum fundamentũ solutionis. *Euertitur altera.*

sint variæ, omnes tamen in animali vno per vnum primum principium debent esse iunctæ, & colligatæ, adeo, vt ordine quodam ex eo pendeant. Neque etiam difficile est, rationes aduersas diluere; Prima sumpta ex varietate facultatum, reflectitur, quamuis enim facultates sint variæ, sunt tamen subordinatæ, & ita se habent vt vna includatur in altera, & vbi est vna, ibi reperiatur & altera, vt dicitur de Triangulo & Quadrato. Secunda ratio sumebatur ex distinctione originis Instrumentorum, quæ primo reflectitur per Aristotelem putantem vnicum esse fontem omnium organorum, qua de re agam in progressu. Secundo soluitur per fiduciariam reprobationem, quamuis enim cerebrum neruorum, & Hepar concedatur origo venarum, id tamen nil refert, quia nos primum & commune instrumentum, non proxima & propria considerare tenemur. Instrumentum commune, quod etiam instrumentum instrumentorum dicitur, sunt spiritus, quorum sedes, fons, & officina Cor est. At inquiunt, spiritus in cerebro contemperari, purioresque reddi, & inde recipere facultatem vt sensui & motui inseruiant; verum hoc non satisfacit: quia in cerebro spiritus per humorem & frigus incrassantur, & solum mutantur accidentia, seruata essentia: id autem iudicari debet absolutum principium instrumenti, a quo non accidentia sed essentiam recipit, hanc autem habet a corde, in quo spiritus per calorem ex tenui sanguine gignuntur. Ratio tertia sumebatur ex varietate temperamentorum, quam variæ facultates exposcunt, quæ leuis est: quia Temperamentum primum & commune, vnicum est, vnaque eius sedes, nempe cor, & ita ratio reflectitur. Similiter diluitur ratio quarta, sumpta ex varietate officiorum, & pugna facultatum: nam quamuis officia sint varia, omnia tamen ordine aliquo ex vno primo pendent, & varietas Temperamentorum non in primo fundamento, & sede, sed in proximis instrumentis seruari debet: Et quamuis vna facultas pugnet cum altera, non ob id sedes prima est distincta, quoniam etiam ipsamet cupiditas cum cupiditate, & ratio vna cum altera frequenter pugnat. Non itaque concedenda sunt plura membra principalia, sed vnicum statuendum est, & præsertim eorum sententia reiicienda videtur, qui inter principalia membra numerant testes: id enim concedi non debet, tum quia membrum principale constituitur per partem aliquam animæ principalem, generationis autem principium, est vis nutriens, cui pro sede tribuunt Hepar, quare non possunt eidem competere pro sede testes, cum vnius principalis facultatis vnica, & non duæ sint sedes, tum quia semen est fœcundum per spiritus, qui ex corde, non ex testibus prodeunt, & cor virtute & facultate est totum animal, quod generare valet, & a quo per arterias, spiritus effunditur: tum demum, quia non datur quartum instrumentum præter neruos, venas, & arterias, nec distinctus spiritus, vt valeant quartum principale membrum constituere.

Diluuntur rationes aduersæ. *Solutio prima.* *Solutio secunda.* *Solutio tertia.* *Solutio quarta.* *Testes nõ esse membrũ principale.*

CAP. X.

De sede animæ opinio Aristotelis & ratio prima.

CVM apparuerit membra principalia non plura, sed vnicum statui debere, quod nam illud sit, quod sibi principatum vendicet considerare tenemur. Existimauit Aristoteles in quouis animali principale membrum vnicum esse, idque esse cor, in quo vt in arce anima resideret, a quo & instrumentum commune nimirum calor & spiritus, & instrumenta secundi ordinis, nempe nerui, arteriæ, & venæ ortum ducerent, vt ex libris de partibus & generatione anima-

Proprium principatus cordis.

Animalium elicitur, necnon ex lib. de iuuentute & ſenectute, & de communi animalium motu. Rationes pro eius opinione ex variis fontibus elici poſſunt: & primo, ex communi animæ inſtrumento, Nam ea ſtatuenda eſt communis animæ ſedes, quæ eſt origo & ſedes communis inſtrumenti eius, huiuſmodi eſt cor: inſtrumentum enim commune apprime familiare animæ, eſt ſpiritus, & calor, cuius origo, ſedes, & officina, cor eſt. Soluunt nonnulli viri docti, dicentes inſtrumentum animæ eſſe duplex: vnum quo perficiuntur opera animæ, & huiuſmodi ſunt ſpiritus, & calor. Alterũ per quod vis defertur, quales ſunt nerui, venæ, & arteriæ. Inſtrumentum primi generis in variis membris contemperatur, & vires recipit, inſtrumentũ ſecundi generis abſolute ex membris diſtinctis ortum ducit. Inſtrumentũ primi generis ex membris variis recipit formam variam. Inſtrumentum ſecundi generis ex membris variis recipit & formam, & materiam, vt nerui ex cerebro, venæ ex hepate, arteriæ ex corde. Hæc ſolutio triplici de cauſa iudicari debet inanis, primo: quia pro ſtatuenda ſede, & principali membro, id ſolum inſtrumentum conſiderandum eſt, quod eſt commune, principalius, & intimius animæ, huiuſmodi eſt calor, & ſpiritus, qui adeo ſunt innati cum anima, vt nonnulli animæ eſſentiam ab eis non ſeiunxerint: non autem venæ, arteriæ, & nerui, quæ ſunt potius viæ, per quas ſpiritus deferuntur, & loca, in quibus ſanguis recipitur, quàm propriè inſtrumenta animæ; Hinc remanent pereunte anima. Secunda ratio eſt: quia de inſtrumento illo ſecundi generis, etiam (vt dixi) dubium eſt, num ex diſtinctis membris ducat ortum, vel potius ex ſolo corde. Tertia ratio eſt: quia vt pertinet ad inſtrumentum primi generis, principale, & commune, id profecto in corde reſidet, & ex corde prodit. Nam ſeorſum à corde ſpiritus, vel ex integro producuntur, vel ſolum alterantur, & contemperantur: ſi primum, (quod verum non puto,) proculdubio id fit beneficio caloris ex corde pendẽtis, & coquentis: cuncta autem ſuo primo principio tribuenda ſunt, quod enim eſt cauſa cauſæ, etiam eſt cauſa pendentium ex ea. Si vero in aliis membris ſpiritus non gignuntur ex integro, ſed cõtemperantur, quæro, vel id fit per cætera membra, vt inſtrumenta cordis, vel tanquam per principalia, quibus cor materiam ſubminiſtret: ſi primum eligis, inferam, Cor eſſe primam & communem animæ ſedem, cætera eſſe inſtrumenta eius. Si alterum approbas, varia ſequuntur abſurda: nam ſpiritus contemperatus non eſt diſtinctæ ſpeciei, quare non eſt diſtinctæ principalis virtutis. Præterea, tunc frigus cerebri ignobilius, potiori modo ad operandum concurreret, quàm calor formalior, & præſtantior. Præterea, tunc teſtes erunt membrum præſtantius, quàm cor, quia à corde ad teſtes ex eorum ſententia deferuntur ſpiritus, vt tanquam materia formentur, contemperentur, poſtremamq; perfectionem recipiant, & præſertim, quia officium proprium teſtium, quod eſt ſpecierum cõſeruatio, erit præſtantius officio proprio cordis: & demum ſequeretur, quod frigoris, & refrigerationis initium erit præſtantius principio & fonte caloris, calefactionis, & coctionis. Inſuper, id quod dicitur à Galeno, & à nõnullis Anatomicis approbatur, nempe ipſum etiam in pulmonibus ex inſpirato aere gigni, apprime dubium iudico: tum quia vnius rei vna eſt propria, & per ſe in animali generatio: tum quia ſpiritus ſunt tenuiſſima pars ſanguinis, vel ex ea geniti, ideo in eo ſolo membro valent gigni, in quo ſanguis poſtremam recipit coctionem, id autem fit in ſolo corde. Tum demum, quia ſpiritus ſunt corpus mixtum, & exquiſitiſſimum, quod ex vno ſolo elemẽto proxime fieri nequit. Similiter, id quod à nonnullis dicitur de ſpiritu naturali in hepate genito, dubium puto: nam ſpiritus ex

Ratio 1.

Solutio.

Euerſio.

De ortu ſpirituũ ex inſpirato aere.

ſanguine tenui prodeunt.in hepate ſanguis craſſus eſt,nec exacte coctus. Inſuper pro obeundo munere hepatis,ſpiritus aliquis neceſſarius non eſt, cum operetur calore ex corde recepto proprio temperamento, nec locus ei competat vllus, in quo ille ſpiritus recipiatur: Nec profecto dantur in animali ſpiritus alij, præter eos,qui ex tenuiſſima ſanguinis parte in corde gignuntur,cum enim ſint valde calidi & ſicci, in ſolo fonte caloris gigni poſſunt. Cor itaque eſt ſedes communis,tum animæ, tum primi inſtrumenti eius, & propterea eſt ſedes prima,& vnica animæ.

Cap. XI.

Ratio ſecunda, quod ſolum Cor ſit ſedes Animæ, & principale membrum.

ALTERA via, qua pro cognoſcenda eadem veritate progredi valemus,peti poteſt ex conditionibus ſedis Animæ,quæ ſoli cordi, eique cumulatiſſime competunt. Nam conditio primæ & communis ſedis animæ eſt, vt apta ſit competere cunctis mortalibus anima præditis, ſit in medio poſita, vt inde vires per vniuerſum corpus valeat effundere, ſit in loco muniriſſimo, iuncta cum cæteris omnibus partibus corporis. Hæ conditiones non aliis, ſed ſoli cordi competunt, vt conſideranti redditur notum: nam plantis & cunctis mortalibus viuentibus competit vel cor, vel aliquid cordi proportione reſpondens: non ſic ſe habet de cerebro & hepate.Neceſſitas autem cordis, vt primæ & communis ſedis, conſurgit ex calore, cuius omnium conſenſione eſt fundamentum. Præterea cum plantis aliquid competat loco cordis, quæro id cuiuſnam facultatis erit ſedes, & quia in plantis ſola ineſt vis nutriens, cogimur fateri id, quod proportione in eis reſpondet cordi, eſſe ſedem animæ nutrientis. Ex quo hæc elicitur ratio. Id eſt ſedes facultatis nutrientis viuentium, quod eius eſt ſedes in plantis, nam omnium eadem eſt ratio: ſed in plantis proportione reſpondens cordi, eſt eius ſedes,ideo & in vniuerſo viuentium genere. Confirmatur: attinentia ad hanc rationem perpendendo miram conſenſionem ſingularum animæ facultatum, cum facultate vitali, quam conſentiunt eſſe in corde, nam læſa facultate vitali, læſionem ſuſcipiunt facultates omnes. Præterea à prima & communi ſede animæ abeſſe debent excrementa omnia animæ aduerſa, hæc abſunt à corde, in cerebro autem & hepate maxime inſunt. Demum monſtra varia inſpecta ſunt deſtituta capite, prædita mutatione & deformitate reliquorum membrorum, at deſtituta corde, vel corde ſecus formato prædita, inſpecta non ſunt, quod indicat fundamentum vniuerſæ fabricæ animantium, ſedem animæ, & membrum principaliſſimum eſſe cor. At viri celebres, cum ſint aduerſæ ſententiæ, nituntur hoc fundamentum euertere, dicentes, hæc indicare cor eſſe membrum maxime neceſſarium, non autem præſtantiſſimum, & ſedem vnicam. Inſuper addunt,nec Deum in medio vniuerſi eſſe collocatum, ſed in ſede ſublimi reſpondente capiti: Nec cor in animali locum vere medium obtinere, ſed in medio eſſe vmbilicum, & viliora inteſtina, cor autem ſupra medium eſſe poſitum, & vergere ad partem leuam: vt ipſemet Ariſtoteles fatetur, qui in tertio de partibus Animalium, cap. tertio inquit, in animali id quod eſt ſurſum, eſt præſtantius, ſurſum autem eſt caput, & in ſecundo de Cœlo ſurſum cum dextro, hoc eſt, cum præſtantiore differentia coniunxit. Loquens de differentiis poſitionis cœli. Hæ ſolutiones à viris ingenio ſublimibus ex-

Conditio ſedis animæ. *Neceſſitas cordis.* *Ratio.* *Confirmatio.* *Solutio.* *Euerſio.*

bus excogitatæ, nec difficultatem remouent, nec vim nostrarum rationum minuunt: primo, quia per concessa à Medicis non cor, sed hepar, erit maxime necessarium, id enim, quod est primũ origine, & supponitur à cæteris maxime necessarium indicari debet, huiusmodi autem est vis nutriens, non vitalis. Confirmatur, quia maxime necessarium est seruari, augeri, similque generare, quæ sunt officia non vitalis, sed naturalis facultatis. Insuper, quod addunt de Deo, qui in parte sublimi, & non in medio est collocatus, ad rem non facit, docet enim Aristoteles in secundo de Cœlo, 74. medium esse duplex; vnum magnitudinis, alterum perfectionis, & naturæ, quæ duo media in mundo maxime seiuncta sunt, in animali vero minus, Deus absolute Princeps, medium perfectionis, & naturæ sibi, debuit optare, at de forma mortali, egente instrumentis, & custodia, secus se habet, Formæ à materia solutæ, solum seruare debent, & continere, non seruari & contineri, cum lædi nequeant, ideo in circulo continente seruante, & in contenta vires effundente, locari debent: formæ vero mortales, egentes custodia, & communi instrumento debent contineri, & in medio, ac loco munitissimo poni. Præterea, secus se habet de paruo mundo figurato figura recta, ac de magno figura rotũda circumscripto, ad cuius centrum viliora descendunt, continentia autem obtinent vicem formæ. Similiter id quod dicunt vmbilicum, non cor esse in medio animalis, nobis non obest, quia in animali tres inueniuntur sinus, & ventres, Cor est in sinu medio, qui Thorax est. Præterea, cor est in medio munitissimo, non in medio molis absolutæ. Dum enim exquisitum molis medium in animali consideramus, diuiditur animal in partem superam & inferam, & pars supera inferiori præfertur, adeo vt cor simul sit & in medio, & in parte supera & digniore.

Cap. XII.

Tertium rationum caput, quod Cor sit membrum principalißimum, & vnica sedes Animæ.

TERTIVM rationum caput peti potest ex mutua comparatione cerebri, & cordis: Inspicitur cerebrum quasi animæ expers, immobile, cor contra vt fons vniuersæ vitæ continenter mouetur, ex se autem moueri viuentiũ est proprium. Cor exactissimo sensu præditum citissime percipit læsiones, cerebrum sensus expers eas non percipit: id autem quod ex se non mouetur, nec sentit, sine ratione statuitur sedes vtriusque facultatis, recta ratione autem id ei tribuitur, quod ex se mouetur & sentit. Præterea, cerebrum est valde frigidum, plurimis excrementis abundans, cor apprime calidum excrementa à se longe repellens, frigus est inimicum vitæ, solum vtile ad contemperandum, calor est qualitas præstantissima, ex cœlo pendens, amica vitæ, maxime efficax ad operandum; quare cor vt caloris, ita animæ iudicandum est sedes. Præterea, cor perinde ac paruum quoddam animal ex se viuere, sentire, ac moueri aptum, se nobis offert, quod cum primo se patefaciat tale, conspicue indicat reliqua mẽbra esse talia per illud. Confirmatur: quia cerebrum tanquam pondus iners excrementum quoddam, & tanquam materia esse videtur, cor vero formæ & opificis conditiones præ se fert. Hinc Aristot. in secundo de gener. Animal. cap. 4. inquit, cor primo viuere, vltimo mori, & dũ percipere volumus, an aliquis sit vita functus, manum imponimus supra regionem cordis, considerando, an moueatur, nam vltimo desinit moueri, quare & primo incipit. Hinc Aristoteles in 3. de partibus ani-

Cõparatio cerebri et cordis.

Confirmatio.

malium;cap.3. dixit,cor perinde ac alterum animal, insitum esse animalibus eo
Solutio. præditis. Verum qui partem tuentur aduersam, his non suasi soluentes inquiūt, id quod primo oritur non esse cor, sed venam vmbilici, mox iecur, nec cor esse id, quod primo mouetur, nisi motu naturali dilatationis, & constrictionis. Similiter cum cor nec videat, nec audiat, non valet id munus aliis impartiri. Præterea, inquiunt alij ex sententia Hippocratis & Theophrasti, membra omnia simul formari virtute seminis, non autem ita vnum prius cæteris, vt id generationi cæterorum conducat, alioquin animal generaret seipsum, non autem totum
Euersio. virtute seminis formaretur. Hæ solutiones vim nostrarum rationum non labefactant, nam esto, quod prius vmbilici vena producatur, quod dubium est, non propterea tunc fœtus viuit, & actiones, quæ tunc apparent, non sunt animæ fœtus, sed partim virtutis formatricis seminis, partim animæ matris, non enim viuit fœtus sine principio vitæ, quod omnium consensione est cor. Præterea, dum conceptus adhuc non separatus corde caret, includit tamen spiritum seminarium, & aliquid illum seruās vna cum calore, quod gerit vicem cordis. Præterea, quamuis primo ea vena, vel aliud simile distinctum à corde incipiat gigni, cordis tamen generatio primo perficitur & absoluitur. Præterea, cum cor primo moueatur, iure valet esse principium motus aliorum, & quamuis tunc moueatur contractione & extensione, sat est quod mouetur primo, & motus animalis cognitionem & appetitum sequens semper, supponit motum aliquem naturalem, ex eoque principium recipit, vt cumulate docet Aristot. in lib. de communi ani-
Sententia quorundam. mal. motu, cerebrum autem cuiusque motus inspicitur expers. At inquiūt nonnulli Anatomici, cerebrum quoque extensione & contractione moueri, quod profecto inane est, quoniam si id modo aliquo apparet in cerebro, putandum est ei competere per exiguas arterias à corde per cerebri membranas effusas. Id quod dicitur, quod membrum vnum animalis non generet aliud, profecto verissimum puto, & lōge existimo à vero recedere Suessanum, & eos qui inquiunt animal posse generare se per partes, nam semen, & spiritus eius ea sunt, quæ vniuersum fœtum per virtutem formatricem formant. Hinc Aristoteles in secūdo de gener. Anim. cap. 3. ait, Genituram absoluto fœtu in halitus dissolui & euanescere, solum vnum membrum potest prius absolui, alimentumque cæteris suppeditare, hoc autem quod primo absoluitur, & vltimo moritur cor est. Demum quamuis cor nec videat, nec audiat, sentit tamen sensu tactus, est principium spirituum sensibus omnibus inseruientium, & est fundamentum cōmu-
Reliqua ad cōparationem pertinentia. nis sensus, cum quo tanquam cum centro nectuntur alij. Præterea, adhuc persistens in eadem mutua comparatione cordis & cerebri, considero cum Aristotele cor nulla graui ægritudine laborare sine interitu totius, nec viuere potest id animal, ex cuius corde portio aliqua, quamuis exigua auferatur, cum ex cerebro portiones sine interitu animalis auferantur. Hinc ait Aristoteles in tertio de partibus animalium, capit. quatto, cor nulli graui morbo esse obnoxium, & arteriam pulmonis, qua nectitur cum vena maiori, parum sine interitu lædi posse, idque ratione recta, hac enim maxime cordi associatur; at vero quæ morbo vitiisque eiusmodi pereunt animalia, his dissectis affectus morbosi in corde in-
Solutio. spiciuntur, &c. At nituntur viri docti rationem hanc dissoluere, dicentes: quod si etiam cor vulneratur, animal aliquandiu viuit, & interni sensus seruantur incolumes, & Galenus in quinto de Locis affectis, capit. secundo, ait: se in quo-
Galenus. dam homine id vidisse. Insuper Anatomicus Cremonensis fama notus, affirmat se hominem secasse, in cuius corde vlcus erat, quod proculdubio non repente

pente in eo productum fuit. Anatomici magna ex parte sunt addicti Medicis, ideo pro parte eorum tuenda multa aiunt se vidisse, quorum ipsi sunt authores & testibus carent fide dignis. Et quamuis Medicis concedamus etiam cor læsione aliqua affici posse, id parum refert, tum quia Aristoteles non inficiatur illud posse lædi, sed tantum posse lædi læsione graui sine interitu. Hinc Galenus quoque in quinto de locis affectis, capit. primo, inquit: læsione statim mori, solum contingere de læsione cordis: tum insuper, quia facta comparatione inter cerebrum, & cor, proculdubio cerebrum pluribus, diuturnioribus, & grauioribus læsionibus est obnoxium sine interitu animalis, quam cor. Demum in eadem mutua comparatione persistens, considerat Aristot. in 4. de generat. animal. capitu. 4. Animal esse vnum, vel plura, ex corde dignosci, non ex cerebro, si enim cor vel vnum, vel duo fuerint, animal quoque, vel vnum, vel duplex iudicari debet, ferunt ortum fuisse hominem duobus capitibus, & vnico corde præditum, quem profecto putandum est fuisse vnum, ideo aiunt vnum eius fuisse motum, vnam consensionem corporis, & imaginationem, quod non contigisset, si cerebrum esset principium sensus & motus. Hinc duo corda necessario exposcunt duo capita, at non vice versa, & hoc est signum euidentissimum, nam id membrum debet iudicari sedes animæ, cuius vnitatem, vel multitudinem, sequitur vnitas, & multitudo animalis, & iure, quia animal est vnum per animam vnam, duplex per duas, at non sunt duæ animæ, nisi sedes fuerint duæ.

Euersio.

Duo corda exposcunt duo capita, nõ contra.

CAP. XIII.

Quartum genus rationum, sumptum ex experientia.

QVARTVM genus comprobationum, quod cor sit membrum principalissimum, & communis sedes animæ, ex experientia sumitur, constat enim experientia dum formatur fœtus, quod genito corde, antequam formatum sit cerebrum fœtus sentit, si pungitur, contrahitur, & ad conducentia extenditur, quod nobis indicat non cerebrum, sed cor esse sedem facultatis sentientis. Et siue cor sit primum quod generatur, vt putat Aristoteles, siue id sit hepar, vel vmbilici vena, nihil refert, sat est, quod antequam cor formetur, non adest sensus, eo formato, statim adest, cerebrum autem formatur posterius. Præterea experientia constat, quod præciso capite quorundam animalium, id quod remanet, per tempus aliquod satis conspicuum, sentit, mouetur, & id ego in pica sum expertus, quod non accidit euulso corde. Dicitur tamen de Testudine, & Chameleonte, quod euulso corde viuunt, id autem eis cõpetere putandum est, quia sunt animalia frigida, satis imperfecta, & prædita humore tenaci, & præsertim testudo, & ob id seruatur spiritus & calor ex corde effusus necessarius pro sensu, motu, & vita eorum aliquandiu seruandis, quod fateri cogimur: quia omnium cõsensione cor est sedes vitæ, quæ euulso corde per id tempus seruatur, at de ablatione capitis secus se habet, eo enim præciso i nauibus & muscis maioribus, ne dum vita, verum sensus & motus conspicuo tempore seruatur. His accedit quod stirp animalia carent cerebro, prædita autem sunt corde, vel fungente vice eius, quæ tamen sentiunt, & ad libitum contrahuntur, & extenduntur. Præterea, in requiete animalis cum spiritus & facultates in suã sedem cõtrahi, ac in ea requiescere debeat, inspicimus nõ ad cerebrũ, sed ad cor reuocari, vt accidit in somno, qui est animalium requies, in quo cum spiritus ad cor contrahantur, deseruntur membra sensu & motu priuata, præcordia vero vigent, seruantur calida, & effi-

De testudine & Chameleonte.

Solutio. caciota redduntur. At huiusmodi experientiis obiiciunt nonnulli, dicentes caput hominis statim præcisum posse loqui, id non fit sine principio motus. Præterea, Paulus, Vrbinas, & Columbus Anatomici celebres hac experientia vtuntur, ligant canem supra tabulam, secant citissimè thoracem, ligant vasa quatuor cordis, mox eximunt cor, quo euulso canem soluunt, quem aiunt aliquandiu si-

Euersio. ne corde latrare, sentire & ambulare. Hæc triplici ratione nobis non aduersantur: primo, quia ea quæ dicunt, satis sunt dubia, & vt pertinet ad præcisum caput, Aristoteles in 3. de partib. Animalium, cap. 10. refert sententiam Homeri canentis caput præcisum loqui:

Ipseq; dum loquitur, miscetur puluere vertex,

Et in terra Caria ait, id pro vero iudicari, ipse tamen ex sententia inquit, sed fieri non potest, vt caput præcisa arteria & sine motu pulmonis loquatur, nec apud barbaros, qui capita summa cum celeritate amputant, tale quid vnquam euenisse accepimus, idque confirmat: quia cæterorum animalium capita præcisa nequaquam vocem edere audita sunt, similiter scio quosdam peritos Anatomicos enixos fuisse in cane id ipsum facere, quod aiunt fecisse Paulum, & Columbum, & nil ad votum eis contigisse, sed corde euulso statim canis periit. Præterea, si id contingeret, eis non prodesset, quoniam adhuc canis viueret, cum tamen fateantur cor esse vitæ principium. Altera ratio est, quia concessis illis omnibus, dico ea accidere, quia virtus sentiens & mouens, effusa à corde in reliqua membra, aliquandiu seruatur, cum enim seruetur vis vitalis ex corde prodiens, etiam est rationi consentaneum, vt aliquandiu seruetur vis mouens, & sentiens. Tertia ratio est, quia nos in comparatione persistere debemus, & quamuis euulso corde aliquandiu illæ facultates seruentur, diutius tamen, & perfectius seruantur præciso capite, ideo Aristoteles in eodem relato capite 3. de partib. Animal. ait, corpus tamen detracto capite progredi quoquam, non temere credi potest.

CAP. XIIII.

Quintum genus rationum ex animi perturbationibus depromptum.

Ratio. VIA quinta ex animi perturbationibus elici potest, quam Chrysippus & Asclepiades iure optimo magnifecerunt. Nam ea est statuenda sedes sentientis animæ, in qua eius affectiones, & perturbationes resident, & vigent. At hæ vigent in corde, vt de ira, timore, gaudio, & dolore patet. Cor itaque est sedes facultatis sentientis, & mouentis. Vt vis huius rationis clarior appareat, assumendum est, quod appetitus à facultate cognoscente sola ratione distinguitur, vt dicitur in tertio de Anima, 29. quare sedes vnius, necessario est sedes alterius. Cum itaque confiteantur omnes appetitum irascendi, & cupiendi, sedem habere in pectore, non in cerebro, etiam coguntur fateri facultatem cognoscendi in pectore sedem habere. Insuper accipio dictum Aristotelis in 3. de Anima, 54. appetitum esse quendam motum, quare sedes facultatis appetentis, necessario

Ratio alia. statui debet sedes mouentis, adeo vt hæc firma eliciatur ratio. Sedes eius facultatis, quæ est eadem cum cognoscente & mouente est sedes facultatis noscentis, & mouentis. Pectus est sedes appetitus sensitiui; qui est idem cum sensu, & cum principio motus, igitur pectus est sedes facultatis sentientis & mouentis.

Solutio. At viri præclari cum sint aduersæ opinionis soluentes, dicunt primo cum Platone, cerebrum esse sedem partis æternæ, pectus vero partis mortalis, perturbatio-

næs autem ad partem mortalem pertinere: At cum hoc dicant, sententiam Platonis proferunt, rationem autem non soluunt, vt conspicuum est. Confirmatur: quia pars sentiens & mouens, de quibus est sermo, ad partem mortalem pertinent. Propterea inquiunt alij, perturbationes competere cordi, non per proprium sensum, sed per consensum, non quia sit sedes sensus, sed quia cum sede sensus habet consensionem, & sentiendi vim ab ea, nempe à cerebro, recipit. At hoc quoque non satisfacit, quia natura tribuit instrumenta principalia facultate, in corde vigent spiritus, qui sunt instrumenta principalia perturbationum, & propterea in corde residet vis appetens, eadem cum sentiente, ad quam pertinent perturbationes. Præterea, cum sentiens & appetens sint eadem facultas, sola ratione distincta, similiter appetens, & mouens, non valemus dicere in pectore per solum consensum esse motum & sensum, vt autem in sede propria in eo reperiri appetitum, & eius affectiones, hæc enim conspicue pugnant, & mutuo se destruunt. & confirmatur: quia appetitus animalis sequitur cognitionem, quare ea est sedes vnius, quæ etiam est sedes alterius. Euersio.

CAP. XV.

Sextum caput rationum pro absoluto principatu Cordis.

POSTREMVM caput principaliũ rationum elici potest ex facultate nutriente, quæ si ostendetur in corde habere sedem, conspicue constabit non plura, sed vnicum statui debere principale membrum, cum iam de sentiente & mouente id patefecerim: Et primo ita argumentor: Cor est sedes facultatis vitalis, vt fatentur medici, igitur est sedes facultatis nutrientis, siue naturalis, consequutio deducitur, primo quia in digressione de virtute vitali patefeci eam ad naturalem redigi, hinc Aristoteles iure de ea seorsum non est loquutus, sed esse principium vitæ, animæ nutrienti condonauit, per eam enim viuentia constituuntur: Secundo deducitur eadem consequutio: quia vis vitalis est fundamentum omnium graduum animæ, qui gradus ita sunt dispositi, vt prior in secundo includatur, quare locus facultatis vitalis statui debet locus cunctorum graduum animæ. Præterea, vtor ratione, quæ colligitur ex princip. lib. de iuuentute & senect. & ita formatur: homo secundum se est animal, & viuẽs, quare cum vita prodeat ex virtute nutriente, Animal ex sentiente, vt idem homo necessario debet viuere, & esse animal, ita per idem principiũ, eandemq; sedem debet habere vtrunque, sed per cor habet vt viuat, igitur & vt sit animal, cum vnum supponat aliud, idque sequatur. Præterea aiunt Medici membra non nutriri, nisi facultate vitali viuant, vt itaque nutriri soli conuenit viuenti, ita ibi debet reperiri principium nutriendi, vbi residet principium viuendi, vt enim officium se habet ad officium, ita facultas ad facultatem, sed officium nutrientis ibi reperitur, vbi præexistit officium viuentis, quare facultas nutriens & vitalis eandem sibi sedem exposcunt. Et confirmatur: quoniam omnis actio facultatis nutrientis absoluitur per calorem, & spiritum, qui operantur secundum naturam, & pro sede cor habent. Præterea inquiunt in hepate residere facultatem concupiscendi, in corde eam irascendi, at hoc dici non potest, quia appetitus animalis sensum sequitur, & cupiditas dicitur appetitio sensus, quia ibi solum residet cupiditas, tanquam in sede, vbi residet vis sentiendi, alioquin vnum sentiret, aliud appeteret, & fieret per plura, quod longe rectius seruari potest per pauciora, nam inane penitus est secernere facultatem sentiendi ab ea appetendi, & est reddere appeti-

Ratio.

Alia ratio.

Confirmatio.

tum imbecilliorem, & ignobiliorem fecet nédo illum à cognitione, & suo principio: propterea recte Aristoteles in tertio de anima 42. enunciauit. Adhæc autem vis appetendi, quæ & ratione & facultate distincta videtur à cæteris, & absurdum est hanc secernere, in virtute enim ratiocinandi voluntas est, & in virtute expettæ rationis inest vis concupiscendi & irascendi. Constat itaque, cum animal sit vnum, vnaque anima sit prænditum, eam vnicum exposcere primum & commune instrumenrum, sedem vnicam, membtumque principale vnum, idque esse cor, quod cum præsertim de facultatibus mortalibus patefecerim, id ipsum modo de humana mente, superest explicandum.

Conclus.

Cap. XVI.

De Sede humanæ mentis, opinio Platonis & Galeni.

QVONIAM humana mens dicitur genus alterum animæ, & suspicari ob id aliquis posset, distinctam à parte mortali ei sedem competere, ideo distincte de ea mihi loquendum duxi, cui quo pacto sedes competere valear, iam sub initio libri manifestaui. Plato conspicue in Timeo inquit, cetebrũ, & caput Animariæ mentis esse sedem, & ob id caput membrorum diuinissimum nuncupauit. Claudianus docte & eleganter sententiam Platonis his catmininibus retulit:

Plato.

Illa cum corpore lapsa
Intereunt, hac sola manet, bustoq; superstes
Euolat, hanc alta capitis fundauit in arce,
Mandatricem operum, prospecturamq; labori,
Illas inferius collo, preceptaq; summa
Passuras domine, digna statione locauit
Quippe opifex virtus, confundere sacra prophanis
Distribuit partes animæ, sedesq; remouit, &c.

Galen. *Auicen.*

Galenus vt de essentia rationalis animę summopere à Platone dissentit, ita quod caput sit eius sedes summopere consentit, quem mox sequuti sunt Auicenna, & alij multi, qui tamen de modo, quo vis indicandi sit in capite non parum dissentiunt, Galenus ita putauit illam esse in capite, vt nil esset aliud, nisi temperamentum cerebri, vt nititur ostendere in libro, quod animi mores sequantur corporis temperamentum, adeo, vt cerebri temperamentum sit principium ratiocinandi & iudicandi, Plato existimauit eam non temperamentum esse, sed essentiam, ex materia nõ pendentem, quæ ita esset in cerebro, vt in quauis parte tota & indiuidua reperiretur, & capax esset eminentioris mentis supra animã positæ, vt retuli in pręcedentibus. Auicenna, cui adhærent multi, Mentem cum Platone statuit immortalem, eamq; cum Phantasia & internis sensibus censuit necti, sed internorum sensuum per sinus cerebri eam imaginatus est distributionẽ, quam nec Plato, nec Galenus excogitarunt, sensum enim cõmunem in anteriore ventriculo cerebri, memoriam in posteriore, facultates medias in mediis dixit esse collocatas, & in eis censuit propria possidere instrumenta, propriisq; muneribus fungi. Quod mens in capite vt in sua sede sit posita, id ex eo elici potest, quia pars æterna & mortalis, non eandem sibi sedem exposcunt, cum sint distinctæ naturæ & conditionis, in pectore facultas mortalis residet: non itaque in eo mens sedem habet. Præterea, ea pars, cuius conditio est operari per naturam, seorsum ab ea est collocanda, cuius officium est operari cum cognitione, spõte & libere; facultates pectoris per naturam operantur, quare sedes mentis liberæ, & cum cogni-

Quod mens residea in capite. Ratio 1. 2.

cognitione operantis seorsum à pectore debet reperiri. Confirmatur: quia imperans & dirigens in parte sublimiore exposcit sedem, vt cætera sibi subiiciat, mens imperat, & tanquam dux & auriga diriget, ideo in parte sublimi poni debet. Hinc Aristoteles in secundo de Cœlo context. 12. dixit, sursum esse id vbi est principium, & facultas mouens, mens est dux & principium dirigens ipsius motus, ideo sursum locanda est. Præterea, mens præsertim dicitur nobiscum necti per Phantasmata, & actiones ex eis pendẽtes, officia Phantasiæ, & Phantasmata in capite apparent, & ex sensibus externis illi qui magis menti sunt familiares, visus scilicet & auditus, in capite vigent, quare putandum est mentem quoque in capite sibi sedem optare. Insuper, hæc omnia comprobantur experientia, percipimus enim tunc solum turbari mentẽ, dum caput, non dum pectus turbatur, & dum caput dolore afficitur, nil valemus speculari, & recte iudicare, non autem ita se habet dum pectus læditur, nam in febre correptis quorum cor æstuat, nisi feruor cerebrum attingat, mens non turbatur, similiter varia capitis temperamenta, variæ figuræ, & magnitudinis, nobis vt signa proxima patefaciunt prudentiam, stoliditatem, cęterasque animi constitutiones, ad mentem eiusque officia pertinentes, ideo dum indicare volumus aliquem ingenii esse inopem, & ad disciplinas minime aptum, dicimus illum esse pinguis, crassi, & obtusi cerebri. Confirmatur: quia prudentiæ & caloris, non est eadem sedes, nam calor prudentiam turbat, similiter scientiæ & perturbationis, nam scientia quietem exposcit, in corde magis quam in vllo alio membro calor, & motio vigent, non itaque est sedes congruens mentis & scientiæ. Hanc sententiam videtur aliquando Aristoteles quoq; subscripsisse: Nam in 18. part. prob. 1. ait, ubi mens constiterit, & quasi fatigata succubuerit, caput grauat, vtpote quæ sita in eo sit somnumque inducit. Insuper part. 30. prob. 3. inquit, hominem esse prudentissimum, quoniam capite minimo præditus est, minori namque capite præditi prudentiores sunt, & prob. primo eiusdem particulæ inquit: Nonnulli ex his, qui atra bile abundant, cum abunde potarint, dolent; & animo vehementer succumbunt, calor enim naturalis a calore vini extinguitur, calor autem qui eam continet sedem, qua speramus & sapimus, facit vt securo animo simus, &c. ex his elici posse videtur Aristotelem putasse caput esse sedem mẽtis, qua speramus & sapimus. Hinc capite consensum tradimus, illud deprimendo, capite honoramus illud denudando, quæ cum ad mentem pertineant, indicant caput esse domicilium, & regiam mentis, & delinquentes capite priuamus, tanquam membro in quo resideat principium sceleris.

Confirmatio. *Tertia.* *Quarta.* *Confirmatio.* *Aristot.*

CAP. XVII.

Reiicitur opinio Platonis, & cum Aristotele ostenditur cor esse sedem mentis.

ARISTOTELES, & cum eo Alexander in calce sui primi libri de anima, proculdubio cor esse sedem mentis existimarunt, & iure optimo profecto. Cum enim in præcedentibus apparuerit, membrum principale vnicum esse, idque esse cor, cogimur fateri id quoque esse sedem Mentis. Præterea, vtor ratione qua etiã vtitur Alexander, cum gradus animæ antecedentes parent pro subsequentibus, & sequens præsupponat antecedentem, vbi sunt gradus antecedentes animæ, etiam reperiuntur subsequentes: gradus antecedentes (vt apparuit) sunt in pectore, quare & subsequentes: nam in mortalibus non reperitur

Cor sedes mentis. *Ratio prima.* *Secunda.*

Tertia. Mens sine antecedentibus facultatibus. Præterea, sedes est huius conditionis, vt primo, & per se sit totius, secundario vero sit partium, eadem tamen totius & partium est sedes, mens in homine consideratur vt particula animæ, quare eandem cum tota anima sibi sedem exposcit. *Quarta.* Insuper, cum mentis duplex sit principale officium, nempe iudicare, & agere, profecto vbi reperitur mens practica, reperitur etiam Theorica, cum sola ratione inuicem secernantur. Partem operantem & practicam locatam esse in corde ostenditur, operatur enim mens vel efficiendo, vel agendo, si operatur efficiendo, ad eam pertinent artes, quæ egent robore, calore, spiritu & motu, quorum sedes, & origo est cor, si operatur agendo ad eam pertinet prudentia, dux virtutum moralium, quæ nil aliud sunt, nisi moderationes perturbationum, cum autem omnium consensione perturbationes sint in pectore, virtutes quoque morales in eo esse putandum est. Si hæ, igitur & prudentia auriga earum, si prudentia, igitur & mens, cuius prudentia est habitus, & maxime profecto rationi aduersum videtur putare mětem esse in capite, virtutes vero morales per quas probarum actionum est principium, collocatas esse in pectore. *Quinta.* His accedit quod mens præstantissima partium animæ, sedem sibi exposcit præstantissimam, huiusmodi autem est cor iam est patefactum. *Sexta.* Præterea, inquit Aristoteles in secundo de Gener. Animalium, cap. 4. Calorem humani cordis purissimum esse, quod temperamentum plane significat, homo enim animalium omnium prudentissimum est, &c. conspicue affirmat Philosophus cor esse mentis sedem. Quod etiam ostenditur: quia ea est mentis sedes vnde proficiscitur oratio indicans notiones mentis, ea ex corde per pulmones & asperam arteriam proficiscitur, hinc dicimus ex corde loqui, ex corde prodire verba. Nec assentiendum est medicis nonnullis, putantibus vocem à cerebro gigni, quatenus ab eo per vim motricem mouetur thorax, iam enim ostendi facultatem mouentem in corde vigere. Eiusdem sententiæ etiam fuit *Epicurus.* Epicurus, ex cuius opinione Lucretius, lib. 3. ita cecinit:

Et dominari in corpore toto
Consilium, quod nos animum, Mentemq; vocamus,
Idq; situm media regione in pectoris heret.
Hic exultat enim pauor, ac metus, hac loca circum
Lætitia mulcent, hic ergo mens, animusq; est, &c.

Theologi. Theologi quoque eiusdem fuere sententiæ, ideo Origenes lib. 1. cap. 1. de Principiis dixit, cor in sacris literis frequenter pro mente, & intelligendi virtute vsurpari. Insuper, Matth. cap. 23. legitur, a corde prodeunt cogitationes prauæ, similiter quid cogitatis mala in cordibus vestris? *Tertullianus.* Et Tertullianus in suo lib. de Anima, multa colligit, quibus cum Aristot. tueri nititur, cor esse principem partium corporis. *D. Hieronymus.* D. Hieronymus in Epist. ad Fabiolam inquit, Plato Animæ principatum cerebro tribuit, Christus vero pectori, & cordi. Ita internam illam commotionem Natura indidit hominibus omnibus, vt de se loquentes seque indicantes, manum ad pectus apponant, quod Chrysippus Stoicus magnifecit, & leuiter a Galeno paruipenditur. Simili ratione dicimus amicum esse nobis cordi, seruare recepta beneficia corde, diligere Deum toto corde, & corde ei confiteri, sursum eleuare cor ad Deum, suspiria & salutationes ex corde prodire, cor amico donare, quæ omnia indicant mentem, ex qua ea omnia prodeunt in corde sedem habere. Est itaque cor prima, & vnica sedes vniuersæ animæ.

CAP.

Cap. XVIII.

Diluuntur rationes aduersæ.

PRo clariore difficultatis resolutione accipio mentem nobiscum duobus modis connecti, duplicique ratione ei sedem competere, primo per naturam, secundo per operationem, si consideramus connexionem per naturam, absolute dicendum est cor esse eius sedem, per naturam enim ita facultates animæ sunt dispositæ, vt sequens supponat antecedentem, & vbi reperitur antecedens, ibi reperiatur & sequens, vt se habet de Triangulo incluso in quadrato, hinc frequenter negat Aristoteles partes animæ secerni loco, & magnitudine: si vero consideramus connexionem per operationem, vtendum puto distinctione, nam vel inspicimus fundamentum, & principale principium operationis, de quo dicendum id ipsum quod dictum est de connexione per naturam; vel consideramus, loca, & instrumenta non prima communia & principalia, sed proxima, propria, & secundi ordinis, & ita dicimus nonnullas sensuum actiones, mentisque officia in cerebro exequi, & apparere. Vt enim cœlum suo lumine & motu, per definitas & varias distantias, definita & varia efficit, ita cor suo calore, & spiritibus, mensuris variis, distantia varia, variisque instrumentis proximis varia explet officia. Ex his elicio primo cor absolute esse sedem animæ, cerebrum non sedem, sed locum in quo nonnulla animæ in corde residentis officia explentur, & manifestantur. Elicio secundo, errare eos qui absolute inficiantur menti in hominis corpore conuenire sedem, apparuit enim ei, vt est particula animæ, consensione Platonis, Aristotelis, Galeni, & Theologorum modo aliquo sedem competere. Elicio tertio, comparando cor cum cerebro, in attinentibus ad præstantiam, cor absolute, per se, suaque facultate esse præstantius, caput vero solum extrinsecus, per aliud, & per exequutionem quarundam actionum, quæ in eo vt in proximo instrumento absoluuntur. Elicio quarto fundamentum solutionum aduersarum rationum, illæ enim solum ostendunt nonnullas mentis actiones apparere in capite, vt in membro in quo proxime absoluuntur, per facultatem ex corde pendentem. Ratio prima ex Platone sumpta quæ erat Parti æternæ & mortali non eandem conuenire sedem, primo reflectitur, cum enim pars mortalis paret pro æterna, inseruiatq; æternæ, eandem sedem exposcit, nec pars mortalis turbat æternam nisi ex accidenti, & per deprauatam constitutionem: secundum se autem ei famulatur. Insuper id est necessarium, quia connexio mentis nobiscum in ea sede fieri debet, in qua locum habet suprema facultatum materiatarum, demum eam rationem nullius esse roboris ex eo patet, quoniam aduersarii quoq; capiti tribuunt nonnullas facultates mortales. Dicebatur secundo, facultatem operantem per naturam, distinctam exposcere sedem, ab operante per cognitionem, & libere. Reflectitur ratio: quia vt ars præsupponit naturam, ita agens per cognitionem & sponte, præsupponit aliquid quod per naturam moueatur, vt declarat Philosophus in lib. de communi animalium motu, & ob id vtriusq; eadem debet esse sedes. Addebatur, quod principium ducens, & dirigens, debet locari sursum. Reflecto rationem quia ducens & dirigens poni debet in sede, & arce munitissima, & in medio vt singulis valeat vires suas impartiri, & congruenter cæteris partibus vt ministris vti, sat est vt eius exploratores in parte supera sint collocati, quales sunt præsertim visus & auditus, his accedit quod diuiso animali in partes duas, cor in parte supera est collocatum. Ratio sumta ex connexione mentis nobiscum per Phantasmata, iam est soluta. Afferc-

Elicitur primo.
Secundo.
Tertio.
Quarto.
Diluuntur rationes aduersæ. Et primo prima.
Solutio secunda.
Tertia.
Quarta.

Quinta. bantur quinto experimenta varia & præsertim sumpta ex febre correptis, quæ ratio solum indicat, opera illa proxime in cerebro exequi, & sine congruente cerebri constitutione non posse perfici, cum tamen id cerebro competat munere spirituum, & facultatum ex corde prodeuntium. Superest vt loca breuibus perpendamus, in quibus Aristoteles visus est indicasse caput esse sedem mentis, cuius in secundo de Anima 21. dixit esse rationem aliam. Afferebatur primo locus ex 18. part. Probl. 1. Pro solutione accipio authoritates deprompras ex lib. Probl. esse leues, cum in eis Aristoteles frequenter loquatur probabiliter, & ex sententia aliorum. Addo insuper si quædam verba ab Aristotele prolata indicant caput esse mentis sedem, id solum indicant quod in capite officia nonnulla eius exequantur, cum conspicue in libri de partibus animalium & alibi ex sententia ostenderit membrum Principale vnicum esse, & id esse cor. Demum dico relata verba dum recte explicantur ne dum approbatæ sententiæ non aduersari, verum potius illam lucidissime confirmare, & vt pertinet ad Problema primum decimæoctauæ part. latina verba parum Græcis respondent, quæ hæc sunt ὅταν δὲ σῇ, καὶ οἷον κοπιάσῃ ὁ νοῦς βαρύνει τὴν κεφαλήν, τῶν ἐν αὐτῇ, καὶ ποιεῖ τὸν ὕπνον, hoc est, cum autem stererit & tanquam laborauerit mens, caput grauat, his quæ in eo sunt, & facit somnum, quæ verba recte sumpta nullam pariunt difficultatem, non enim ait Philosophus mentem esse in cerebro, vt dicit Latinus interpres, sed in cerebro illa esse, quæ graue reddunt caput, ea autem sunt humores, & excrementa, ob quorum copiam caput inclinat, dum a spiritibus qui ad cor reuocantur, deseritur. Similiter Problema tertium, trigesimæ particulæ, indicat cerebrum & caput esse locum in quo officia nonnulla mentis exequuntur, vt dictum est, Problema primum, trigesimæ particulæ conducit pro approbata sententia, nam calor eam continens sedem qua spectamus & sapimus est calor cordis, & cor est sedes illa, non cerebrum, vt recte etiam Petrus Aponensis locum illum interpretatus est. Addebatur, nos capite consensum tribuere, honorare, & capite penas luere, respondeo id fieri capite vt parte manifestiore, vt instrumento cordis, & vt parte in qua nonnulla mentis officia perficiuntur veluti etiam iurantes vtimur manu, vt instrumento cordis, & manu fidem damus, & recipimus, cum tamen nemo eam dicat sedem mentis.

Locus ex 18. part.

CAP. XIX.

An Plato, Aristoteles, & Galenus de sede animæ conciliari possint.

Præstantia Plat. Arist. & Gal.

PLATO, Aristoteles, & Galenus viri fuere tam sublimi ingenio præditi, tam exquisito iudicio ornati, & in omni ingenuarum disciplinarum genere adeo versati, quod eam sibi pararunt gloriam, & id nomen sibi vendicarunt, vt vix credi possit eos errasse, & aliqua in re hallucinatos fuisse; hinc in studiosorũ animis suspicio orta est de concilio, adeo vt non de sententia sed de verbis, & modo considerandi inter se dissenserint. Qua de re ego verba facturus, primo fundamenta referam quæ pro concilio conducere videntur, secundo sententiam Auerrois se medium constituentis, perpendam, tertio patefaciam eos reuera dissentire, nec concilio locum derelinquere. Quod pertinet ad primum, tres sunt distinctiones parum differentes, quibus videntur sententiæ illæ posse concilliari. Prima est, quia sedes potest esse duplex, vel essentiæ animæ, vel functionis munerum eius. Altera est sedem posse vsurpari & pro sede communis & primi

Fundamenta concilii.

instru-

instrumenti, nempe caloris & spirituum, & pro sede instrumentorum proximorum & propriorum. Tertia distinctio est, sedem esse duplicem, vnam originis & principalem: alteram indicationis & manifestationis facultatum, minusque principalem; Quibus tribus distinctionibus vtentes, videmus posse dicere, dum sedes consideratur pro ea essentiæ, originis, & primi ac communis instrumenti, approbandam esse sententiam Aristotelis, sedem esse vnicam, & eam esse cor. At si nomine sedis intelligimus sedem functionis munerum, proximorum & propriorum instrumentorum, necnon manifestationis, ita membra principalia sunt plura, & recte sentiunt Plato, & Galenus, & hæc de fundamentis concilii. Veniamus ad Auerroem, Auerroes vir exquisito & acri iudicio præditus, se medium constituens, parti huius concilii adhæsit. Nam in tertio de anima, com. 6. sensus internos in cerebro ait collocatos, & subordinatos fuisse, & in Paraphr. de partibus animalium, lib. 2. cap. de cerebro, inquit, cerebrum non esse principale principium sensus, & motus, conducere tamen pro vtrisque, contemperando suo frigore naturali naturalem calorem cordis, ac ita sensum, & motum nobiliorem, & incolumiorem reddere; & addit in eodem cap. hæc cogunt nos fateri cerebro conuenire aliquem peculiarem principatum: quod quidem Aristoteles concedit de tribus sensibus, sed non de gustatu, & tactu, vt sunt sensus. Insuper in secundo de partibus animalium, cap. de medulla ossium, inquit: Sed Aristoteles putat id quod vacuitati dorsi inest, habere naturam distinctam ab ea medullæ, videtur enim quid viscidũ, nerueum, præditum calore distincto ab eo medullæ, cuius vtilitas est cum dorso nectere tanquam clauum, quam vtilitatem ab Aristotele consideratam veram iudicare debemus. At post Aristotelem inuenta fuit vtilitas alia nobilior, quæ est vtilitas cerebri pro sensu, & motu, sic Auerroes in parte se medium constituens, in parte conciliauit, non autem absolute, quia partim recedit a Medicis, inquiens cerebrum conducere pro temperamento, cor pro sensu & motu, partim ab Aristotele, cum dicat illum non nouisse vtilitatem neruorum, & necessitatem eorum pro sensu & motu. At profecto Auerroes in varios, & conspicuos lapsus est errores. Nam primo secum pugnat, quoniam in secundo de partibus animalium vt retuli, inquit Aristotelem vnicam nouisse vtilitatem neruorum: Alteram fuisse inuentam post Aristotelem, oppositum profert in secundo de Anima 108 inquiens, licet hic sermo videatur contrarius sermoni prolato in libro de animalibus, nempe in secundo de partibus animalium, capitulo sexto, sed forte sermo ille fuit vt apparuit illic, nempe vt sciuit de membris animalium illo tempore, tunc enim adhuc nesciebat neruos, & dixit quod instrumentum tactus est caro, hoc autem in loco pro instrumento tradit aliquid intra carnem, nempe neruos, & hoc confirmatur cum eo, quod post apparuit per Anatomen, nimirum quod nerui conducunt pro tactu & motu, quod itaque sciuit Aristoteles ratione, apparuit pòst sensu, & mox, commen. 116. repetit id ipsum, nam cum Aristoteles in eo context. dicat instrumentum tactus esse intus, Auerr. censuit denotari neruos, sic itaque primo inficiatur, mox affirmat Aristotelem nouisse vtilitatem neruorum pro sensu & motu. Alter error est in exponendo Aristotele, dum enim Aristoteles ait, instrumentum tactus esse aliquid intus, putauit Auerroes denotari neruos, cum tamen denotetur cor, vt Aristoteles se explicat in libro de partibus animalium, & Græci recte exponunt nec mutauit Philosophus sententiam, vt male ei tribuit Auerroes. Tertio, errat inquiens Aristotelem nouisse ratione neruos esse necessarios pro sensu, & motu, cum tamen Aristoteles in secundo de parti-

Sententia Auerr.

Euertitur sententia Auerr.

Error primus.

Alter.

Tertius.

bus animalium ratione ostendat oppositum, inquiens, nullum exangue esse
Quartum. præditum sensu, nerui sunt exangues, quare, &c. Quarto errat in statuendo numero, ordine, & sede internorum sensuum, nam quatuor numerat internos sensus, communem, Phantasiam, vim cogitandi, & memoriam, cum tamen Aristoteles nullibi plures quam tres protulerit. Insuper ait, in tertio de anima commen. 6. Aristotelem quatuor internos sensus locasse in cerebro, & in prima cerebri parte & sinu, locasse communem sensum, cui succederet Phantasia, in medio posuisse vim cogitandi, & in parte postrema memoriam, & addit Aristotelem hoc demõstrasse ratione dante causam & esse, cum tamen Aristoteles eos internos sensus nunquam in cerebro locauerit, quare longe abest a vero, vt eos esse in cerebro exacta ratione demonstrauerit, imo nec Galenus, nec Plato, sed Auicenna eam per cerebri sinus facultatum distributionem, & ordinem excogitauit: Galenus enim temperamentum cerebri putauit esse facultatem mouendi
Quintum. & iudicandi. Demum cum dicat Auerroes in secundo de partibus animal. cap. de cerebro. nos cogi tribuere cerebro principatum aliquem, quod Aristoteles concedit de tribus sensibus, at non de gustatu, & tactu, indicans secundum caput lib. de iuuentute & senect. conspicue decipitur, non enim eo loci Aristoteles pro sensu aliquo, principatum tribuit cerebro, sed contra ex eo quod apparet de gustatu & tactu, infert similiter se habere de reliquis, nempe quod in corde sedem habeant: Verba Aristotelis hæc sunt: At vero ipsum principium sensuum in corde est omnibus sanguinem habentibus, in hoc enim necesse est esse omnium commune sensorium, duos autem manifeste huc tendentes videmus, gustatum & tactum, quare & cæteros necesse est, in hoc enim & aliis sensoriis contingit fieri motum, hæc autem minime tendunt ad eum qui sursum est locum, &c. vt conspicua sunt verba & sententia Aristotelis, ita conspicua videntur esse errata Auerrois.

CAP. XX.

An per relatas distinctiones concilientur opiniones de principatu membrorum & sede animæ.

PRo conciliandis viris sapientia illustribus, non sat est extrinsecus communia quædam leuiter inspicere, sed exacte fundamenta, & principia ex quibus
Euertitur concilium. cætera prodeunt tenemur scrutari, & perpendere, quod seruãs in proposita controuersia, constanter puto eos adeo pugnare, vt concilio locus non derelinquatur, quod conspicue me patefacturum existimo. Et primo vt à Galeno ordiar,
Ratio prima. ipse putauit facultatem vitalem esse temperamentum cordis, Naturalẽ Hepatis, cognoscentem & mouentem cerebri, quare has statuit sedes essentiæ & primas, non autem solum actionum & proximorum instrumentorum, & quemadmodum tria illa temperamenta non veniunt in vnum, ita tria membra principalia nequeunt in vnum redigi, & de hoc Galenus nedum ab Aristotele, verum etiam
Altera. à Platone dissentit. Insuper Galenus absolute Hepar statuit principium venarum, cerebrum neruorum, cum econtrario Aristoteles dicat ortum ducere à
Tertia. corde. Demum Galenus ait, cor à cerebro recipere facultatem sentiendi: Ari-
Aristoteles dissentit à Plat. Ratio prima. stoteles contra ait, cerebrum cum eam sentiendi, tum eam mouendi à corde recipere, quare de principiis & fundamentis dissentiunt. Similiter re vera Aristoteles à Platone hac de re dissentit. Nam Plato in Timeo caput ait membrum corporis diuinissimum, cæterorum Principem, cui totum corpus connexum,

Dii.

Dii subesse, & parere iusserunt, existimarunt enim motuum omnium quotcunque esse queant, compos id fore, sic conspicue Plato capiti principatum tribuit, & originem motus, Aristoteles cordi. Secundo, Plato in Timeo cerebrum nuncupat medullam, qua de re Aristoteles illum carpit in secundo de partibus Animalium, cap 7. inquiens, medullæ, & cerebri distinctum esse temperamentum, verum de hoc lis posita est in verbis: nam Galenus triplicem ponit medullam, primam cerebri, alteram dorsi: Tertiam reliquorum ossium, & ita late dici potest medulla, at cum Plato addat animam primo in medulla esse collocatam, & præsertim in ea cerebri, de hoc cum Aristotele conciliari nequit, qui putat primo in corde, eiusque calore & spiritu esse positam, à cōditione cerebri longe distantibus. Tertio Plato semen, siue genituram ex medulla parentis, medullam vero prolis ex semine in Timeo ait gigni, qua de re arguitur ab Aristotele in secundo de partibus animalium his verbis: medulla natura quædam sanguinis est, non vt aiunt quidam (nempe Plato) vis genituræ seminariæ, patet hoc in his qui nuper in lucem prodierint, medulla enim in ossibus quoque eorum sanguinea inspicitur. Quarto, Plato tribuit cerebro facultatem iudicandi, Aristoteles in secundo de partibus Animalium, cap. 7. oppositum proferens, inquit, cerebrum nullam cum partibus quæ vim habent sentiendi, continuationem habere, cum intuitu patet, tum constat, quia cum tangitur nullum efficit sensum, vt nec sanguis, nec excrementum vllum. Quinto Plato sensum communem, & Phantasiam non censuit essentia distingui ab anima rationis compote, nam in Theeteto ait, animam rationis compotem in se contractam per se noscere similitudines, differentias, & essentias rerum, vt vere vtitur instrumentis sensuum, cognoscere externa sensibilia, ac ita vt essentiam vnam, eam in cerebro ait collocatam, seorsum ab appetente facultate, quam ait in pectore positam. Aristoteles contra sentiendi, & ratiocinandi facultates essentia statuit distinctas, appetitum vero & facultatem iudicandi nec essentia, nec loco putat distingui, & omnium sedem esse cor. Demum ea Platonis sententia, quam in Timeo de conditione, & officio Hepatis profert, sententiæ Aristotelis nō est consentanea, inquit enim naturam Hepatis esse lenem, lucidam, & densam, vt cognitionum ex mente descendens potentia, in ipso iecore velut in speculo figuras suscipiente, aspectuique simulachra reddente, quandoq; recepta, terreat ipsum, quandoq; cognata amaritudinis parte vsa, minasq; intendens, & toti repente suffusi iecori felleos terribilesq; colores ostendat, &c. Hæc profecto nedum cum Arist. sed cum ratione conspicue pugnare videntur, non enim rationi est consentaneū ex mente cognitionis potentiam ad Hepar descendere, hepar terrei, simulachraq; in eo inspici, cum hepar nedum facultate iudicandi careat, verum insuper non valeat perterrefieri, nec obtemperare rationi. Hoc tamen verum puto Arist. minus à Platone dissentire, quam à Galeno, consentit.n. cum Platone primo, quia animam non putant temperamentum. Secundo, quia ambo animā rationis cōpotem iudicant æternam. Tertio, quia originem gustatus, & tactus qui sunt sensus magis materiati, ambo tribuunt cordi: nam Plato capiti cōcessit solum sensus magis spiritales, rationiq; familiariores. De gustatu in Timeo dixit, tendunt à lingua venæ ad cordis sedem saporum nuntiæ, quod post Platonem protulit Arist. non autē id concessit Galenus. Demum, de corde in Timeo hęc verba consentanea sententiæ Arist. protulit: Cor vero venarum originem, fontemque sanguinis per vniuersum corpus impetu quodā manantis, in stipatorum regione suspēdere voluerunt: quib. verbis cor, & venarum, & sanguinis statuit originem, adeo vt existimasse visus sit, in

Secunda. *Triplex medulla.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Arist. minus dissentit à Platone quam à Galeno.*

bepare parati copiam alimenti, in corde perfici sanguinem. At Gal. in 6. de Placitis Hippocr. & Plat. cap. 9. ait, Platonem nomine venarum more veterum, denotasse arterias. Quæ explicatio dubia est: quoniã Plato non ad aliquas contrahit sed absolute ait, Cor esse originem venarum, insuper addit, etiam sanguinis. His accedit, quod si Plato venas cum arteriis confundit, etiam putandum est quod censuerit earum parem esse rationem, idemque principium, & præsertim quia post pauca etiam seorsum de arteriis per pulmones transeuntibus mentionem facit. Quare colligamus, per relatas distinctiones nequaquam pugnantes illas opiniones posse conciliari, sed & Galenum in parte à Platone, & Aristotelem ab vtroque, magna ex parte dissentire.

Galenus.

CAP. XXI.

Diluuntur rationes opinioni Aristot. aduersæ.

Diluuntur rationes aduersæ.

CÆTERIS fœlici aura decursis, diluendæ supersunt rationes, cap. 7. pro Platone & Galeno relatæ, quarum prima ex instrumentis petebatur: cum enim cerebrum sit principium neruorum, sentientis quoque & mouentis facultatis iudicari debet origo. Soluitur autem primo per instantiam, mox per fiduciariam reprobationem: per instantiam duobus modis, primo negando cum Arist. in 2. de part. anim. ca. 7. neruos esse instrumenta sensus, tum quia sunt exangues, & exangue non impartitur vim sentiendi, tum quia vt dicitur in 3. de hist. Animal. dantur animalia quæ vel neruis carent, vel insensibilib. neruis sunt prædita; tum demum, quia quæuis portio carnis quamuis neruo carens, tamen sensu est prædita: quod si neruosæ partes magis sentiunt, id accidit, quia per neruos magis cum corde nectuntur. Insuper secundo per instantiam soluitur: quia principium neruorum potius cor cum Arist. quam cerebrum cum aliis statuendum videtur, ratio est: quia cerebrum potius materiam eis tribuit, cor vero suo calore & spiritibus soliditatem, formam, & facultatem impartitur, ideo non est absurdum, ob materiæ copiã in recessu a corde maiores inueniri neruos. Soluitur deinde per fiduciariam reprobationem: quia concesso, neruos ex cerebro prodire, id nil refert, quia nerui & venæ non propriè instrumẽta, sed potius viæ & partes sunt per quas spiritus deferuntur, principale autem instrumentum animæ simillimum, cum quo anima primo nectitur, & per quod operatur, est calor & spiritus, h. e. instrumentum illud, quod cum sit commune, primum, & formam præ se ferens, considerandum est pro statuenda sede animæ, cuius sedes & origo cor est. His accedit, quod si sequimur principia Galeni, minime seruare valemus à membris principal. b. ad reliqua posse effundi vires animæ, quomodo ex eis sent. in lib. quod animi mores sequãtur corporis temperamentũ, facultas non est distincta ab essentia animæ, & essentia animæ est temperamentũ suæ sedis, quare cum temperamentũ cerebri non effundatur per cætera membra, facultas quoq; sentiendi, & mouendi minime poterit effundi. Altera ratio erat, quia nisi pateat via à cerebro ad alia membra, ea priuari inspiciuntur sensu & motu: Quæ ratio non secus ac prima in aduersarios reflectitur, tum quia clausa via à corde ad reliquas partes, cunctæ quauis facultate priuãtur: tum insuper, quia si ligatis neruis, membra priuantur sensu & motu, id accidit, vel quia simul ligantur arteriæ, & venæ, vel quia nerui a corde facultatem recipiunt vt dixi, cerebrũ autem est instrumentum cordis, explentis opera varia, per membra varia. Ideo iure dixit Magnus Albertus cor esse instrumentum instrumentorum. Comprobationis sumptæ ex

Aduersus Galenum.

Soluitur secunda ratio.

Albertus Magnus.

Epil-

Epilepsia, & Apoplexia, solutio patet, id enim accidit, non quia lædatur prima sedes facultatis, sed quia læditur proxima, sine qua actio non absoluitur. Vt etiam læso pede non valemus ambulare, quamuis pes non sit sedes facultatis mouentis. Similiter instantia sumpta à somno, non obest: quia somnus præsertim est affectio sensus cõmunis, & primi sensitorij, nempe cordis, vt patet ex lib. de som. & vig. Est tamen modo quodam affectio cerebri, vt membri humidioris, & sedis sensuum non principalis, sed instrumentariæ & proximæ, & cum viæ obstruantur à corde ad cerebrum, remanet caput sensuũ officio destitutum. Et quoniam tactus instrumentum suũ non habet in capite, vt cæteri sensus, inde oritur, quod dormientes minus priuantur sensu tactus, quam cæteri, hinc frigus percipiunt, se cooperiunt, socioq; adhęrent. Inquit tamen Arist. in 5. de gen. Anim. c. 1. accidunt etiã animalib. dormientibus sensus, nõ modo quæ somnia vocant, sed alij, vt iis qui dormientes surgunt, & pleraq; agunt sine somnio, nam dormiẽtes ambulant, videntque eo modo quo vigilantes, &c. & hoc putandũ censeo contingere posse triplici ratione: prima est, quia vis eorum imaginandi, qua ducuntur, efficax est. Altera, quia obstructio viarum à corde ad cerebrum facta sit in parte, non absolute. Tertia, quamuis clausa sit via, tamen seruatur virtus aliqua in instrumentis proximis sentiendi primo infusa à corde. Tertia ratio petebatur ex mutua cõparatione cordis & cerebri, nam cerebrum est humidum, aptum pati, non feruens & turbans iudicium. At ex hac cõparatione conspicue oppositum collectum est, & hæc ratio solum ostendit cerebrũ esse instrumentum nõ commune & primum, sed proximum & propriũ quorundam officiorum. Quarta ratio eliciebatur ex actionibus, consensionibus & dispositionibus capitis, in fungendo munere, & e1 instrumentis externorũ sensuum: quæ ratio solũ patefacit actiones nonnullas in cerebro exequi. Ideo recte Auer. in 3. de Anima, comm. 5. dixit, locum à consensione inducere opinionem, & non verum esse, & in secundo suarum Collectionum, cap. 20. addit: tu vides quod ægrotant facultates apprehendentes, læso diaphragmate, nec ob id fuit quispiam qui putarit eas virtutes esse in illo: sic itaque læso cerebro, læduntur varię facultates animæ, & remedia læsionum adhibentur cerebro: tum quia temperat calorem, tum quia est locus proximus alicuius actionis, nam in eo perficiuntur opera cõmunis sensus, Phantasiæ & memoriæ, non quidẽ in substantia & temperamẽto cerebri, vt putauit Gal. nec in finibus cerebri distinctis, vt Auic. sed cum cõtinuatione & connexione in cõplicationibus bipartiti cerebri, per tegentes & continentes panniculos, præditos variis venulis & arteriolis, per quas apparet pulsus quidã in cerebro, & defertur à corde ad partes illas facultas sentiendi, vt in 2. de partib. anim. cap. 10. testatur Philosophus. Et considerandũ est, internos sensus non eam exposcere instrumentorum distinctionem, & dearticulationem, quam exposcunt externi, sed eis instrumentum cõmune, nempe calor & spiritus contemperatus est satis. Ratio est: quoniã externi sensus proxime distincta sensibilia recipiunt, interni vero a re iam per externos iudicata, & magis à materiæ conditionibus secreta excitantur, ideo sunt tanquam fontes externorum, & eis cõmune instrumentum est satis, quod magis est spiritale. Addebatur quinto, satis efficax ratio sumpta ex principio venarum, sanguinis, & nutritionis, quæ soluitur & per instantiam, & per fiduciariam reprobationem. Primo per instantiam, negãdo hepar esse principium venarum, tum quia venæ eam soliditatem ab hepate recipere non valent, cum eam non habeat, tum clarius, quia vena per cor non transit, & in corde solo reperitur sanguis seorsum à vena, quæ signa conspicue indicant,

Arist.

Soluitur ratio tertia.

Soluitur quarta.

Notandum.

Diluitur ratio 5.

ſanguinem & venas ex corde oriri, adeo vt vena caua & magna ex corde ortum ducat, venulæ autem hepatis ſint ramuli eius. At inſtabatur: quia truncus eius, latior apparet verſus hepar, quam verſus cor, hoc à nonnullis peritis Anatomicis oſtenditur falſum, & iniecto ſtylo in dextram cordis auriculam, eoq; tranſmiſſo per hepar vſq; ad magnam venam ſpinæ dorſi adiacentem, patefaciunt truncum

Veſſalius. cauæ venæ cordi iunctum maiorem eſſe. Hinc Veſſalius Anatomicorũ corona, cor iudicauit principium venarum. Addebatur, venas non moueri motu cordis, ſed ſolum arterias. Reſpondeo primo per inſtantiam: nam inquit Ariſt. in calce lib. de vita & morte, pulſant venæ omnes, & ſimul inuicem, quia ortum ducunt à corde. At putant nonnulli, id dici de ſolis arteriis, quod approbandum non eſt, quia abſolute ait, pulſare venas omnes, & id verum eſt prope principium, & leuiter, adeo vt in progreſſu deliteſcat motus. Secundo reſpõdeo, per fiduciariam reprobationem, inquiens, id accidere, quia venæ ſunt molliores, & deferũt ſanguinem craſſiorem, non feruentiorem, tenuiorem, magiſq; mobilem, vt deferunt arteriæ: quę varietas pendet ex varia venarum & arteriarũ cum finibus cordis connexione. His accedit, quod experientia cõpertum eſt, in viuentium animalium ſectione, venam cauam ea ex parte, qua cordi adhæret, motu cordis agitari, quod minus competit cæteris, quia non tam proxime cum eo connectuntur.

Inſtãtia. At vrgẽt adhuc: quia ſi vena caua ex corde oriretur, profecto ex ſinu dextro prodiret, quod tamen caret cor multorum animalium. His accedit, in caua hepatis parte, multas inueniri venas, quæ nullo pacto cum corde cõnectuntur, vt patet de vena, quam portam appellant, à qua mox variæ venulæ prodeunt, & per inteſtina, & ventrem effunduntur. Simili modo venæ Meſenterij nullam cum

Solutio. corde habent connexionem. Hæ inſtantiæ minime cogunt, nam quod dicitur nonnulla carere dextro ſinu, id inficiatur Ariſt. quamuis enim ob exiguitatem ſinus ille ſeiunctus nõ appareat, ſeruatur tamen ſemper internallum, & differẽtia poſitionis dextra ventriculi apparẽtis. Id etiã quod dicunt de vena, & porta prodeuntibus ex ea, concedendum non eſt: multæ enim venulæ huius venæ cum venulis cauæ connectuntur, dum in ſubſtantiam hepatis inſinuantur. De venis Meſaraicis, & inteſtinorum, varia eſt ratio: cum enim ſanguinem crudũ, vel non purum contineant, nil cum corde cõmune habere debent, niſi per medium hepar. Sic itaque cur potius quam hepar eſt principium venarum, & ſimiliter ſanguinis, cum in eius finibus ſeorſum à venis non parum ſanguinis repeciatur. Prętерea, cum ſanguis coctione à calore facta producatur, Cor vt caloris, ita coctionis cõmunis alimenti debet iudicari ſedes: ac demum, cum cor ſanguinẽ gignat exactiſſimum, & nos ſumme perfectum quo menſurãtur vires, inſpicere teneamur, iure officium producendi ſanguinem cordi concedere debemus. Hinc ex ſanguine cordis purgatiſſimo, ſpiritus ortum ducunt. Nec nobis obeſt quod obijciebat, quoniam hepar apparet tanquam coagulatus ſanguis. nam id ſolum patefacit hepar parare ſanguinem, at cor ſuo calore & facultate poſtremam adhibet perfectionem. Hinc dum hepar ob ſui deprauationem nõ recte ſanguinem parat, variæ prodeunt nutritionis deprauationes. Addebatur non omnem ſanguinis partem membra nutrientis, ex corde prodire. Reſpondeo, conceſſo quod id accidat, dico primo, nos teneri conſiderare nutritionem perfectiorum membrorum, ex ſanguine perfecto, & abſoluto elaboratum. Addo ſecundo, cũ venis etiam necti arterias, & frequenter adeo iungi, vt ſanguis venarum ab eo arteriarum perfici poſſit. Dico tertio hepar inſtrumenti loco cordi inſeruire, recipiendo ab eo calorem, ſpiritus, & facultatem producendi ſanguinem, cum enim ſanguis

guis arteriarum & venarum sit eiusdem speciei, differẽs per magis & minus perfecte, etiam est necesse, vt ex virtute eiusdem principij pendeat, & præsertim ex virtute eius principij, ex quo vltima perfectio ortum ducit. Nec dispositio ostiorum cordis nobis aduersatur, sed fauet, ita enim constituta sunt, vt cor receptum sanguinem impurum feruet, & perficiat, non autem statim emittat. Demũ, soluendo fiduciariam reprobationem, concessõ, venas ex hepate oriri, similiter & sanguinem, nõ propterea ex eo inferre valemus, hepar esse sedem facultatis nutrientis: tum quia venæ non sunt instrumẽta prima, & vera, sed viæ, & tanquam aquæductus, vt etiam dicebat Plato: tum insuper, quia hepar sanguinem format facultate non sibi propria, sed recepta à corde. Afferebatur ratio sumpta ex semine, quod non in corde gignitur, quæ reflectitur: nam spiritus reddentes genituram fœcundam, ex corde, tanquam ex paruo animali, quod est facultate totum, prodeunt, quibus spiritibus ita aliud simile animal est aptum gigni, vt id cuius sunt, spiritus sunt apti augere, perficere, & seruare singula membra: hinc in 4. Meteor. tunc vnumquodque dicitur perfectum, dum valet simile procreare: perfectio autem, vt etiam commune temperamentum, primo & præsertim viget in corde. Afferebatur demum ratio ex Platone deprompta, quia facultates frequenter pugnant, & præsertim ratio & cupiditas; At hæc in præcedentibus soluta est: nam etiam ratio cum ratione nonnunquam pugnat, & idem per varia potest moueri motibus variis, saltem secundum varias partes; similiter eadem facultas apta est opposita agere: hinc dicitur oppositorum eandem esse frequenter facultatem.

Solutio per fiduciariã reprobationem.

Ratio feminæ.

Cap. XXII.

De sede Animæ duodecim conclusiones.

EX longa disputatione has duodecim conclusiones, ad sedem Animæ pertinentes, præter cæteras varias adnexas, elicere & proferre valemus.

Prima est, Animæ non proprie vt corpori, sed per similitudinem tantũ, competit sedes, magis tamen ei competit, quam formis infra animam positis, vel supra eam collocatis. Ratio est: quia ea sola in corpore definitam exposcit partem, cui hæreat.

Altera est, magis anima est sedes corporis, quam vice versa. Ratio elicitur ex Aristotele primo de Anima 90. dicente, magis animam continere corpus, quàm econtrario, quoniam recedente anima corpus dissoluitur.

Tertia est, totum corpus, non aliquod eius membrum, est tota sedes mortalis animæ, ratio est, quoniam ea extenditur per vniuersum corpus, & est perfectio totius, ideo vniuersum est integrum subiectum eius.

Quarta, facta comparatione inter partes, vnica est sedes animæ, eaq; est cor, vnicumque est commune instrumentum, nempe calor eius & spiritus, vnicumque membrum principale.

Quinta, Spiritus quorum cor est principium, sunt modo quodam sedes animæ, cum sint tanquam fundamentum, & vehiculum facultatum eius, nec cum Academicis, Animæ vehiculum æthereum, vel aereum ab eo distinctum concedere debemus.

Sexta, caput & hepar sunt sedes secundariæ, nec sunt sedes animæ absolutæ, sed quorundam officiorum eius, per facultatem à corde eis tributam.

Septima, membrum principalissimum & præstantissimum absolute cor est; nam cor est tale virtute propria, cætera vero facultate ab eo recepta.

Octaua, Menti non cõpetit sedes, vt cæteris animæ gradibus ex materia pendentibus. Ratio est: quia instrumento non eget.

Nona, Sedes prima Mentis, vt ei est apta competere Cor est. Ratio: quia per naturam nectitur cum Phantasia, cuius sedes est Cor, quamuis officia quædam eius exequantur in capite.

Decima, Phantasia est sedes Mentis. Ratio: quia per naturam, & per actionem nobiscum nectitur per Phantasiam, nec sine ea nobis competit, ita in orbem mortalia pendent ex æternis, & redeunt per connexionem ad ea.

Vndecima, totus homo & non pars eius est tota sedis Mentis. Ratio est: quia Mens non vtitur parte, vt instrumento proprio, ei tamen vniuersæ hominis facultates famulantur & inseruiunt.

Duodecima, Sedes postremæ, & veræ requietis humanæ mentis Deus est, trinus & vnus, in quo solo repletis vniuersis suis appetitionibus felicissime requiescit, quare nos quoque in eo requiescamus, cui honor & gloria.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Accretione,

LIBER VNVS.

CAP. I.

Procemium in quo institutum, diuisio, & ordo seruandus manifestatur.

Viuentia quando sint perfecta.



NATVRA tanquam diuina Ars, nil suorum operum inchoatum derelinquens, cunctis quæ procreat, vel statim postremam tribuit perfectionem, vel saltem eis vires, & facultatem impartitur illam assequendi in viuentium procreatione, cum non valeat primo corporis molem omni ex parte absoluere, hoc seruat, vt facultatem in eis inserat, cumulatissime illam assequendi, quam tunc dicuntur adepta, dum sibi simile valent generare. Hæc est ea, quæ accretionis facultas dicitur, cuius beneficio viuentium corpora per naturam adeo latenter & artificiose crescunt, vt nemo eam considerans non miretur, nemo non expetat modum illum mentis acie intueri, & nemo illum intuens non reddat gloriam Omnipotenti Deo: quod vt nobis competat, de Accretione mihi agendum proposui. & quoniam accretionis nomen varia denotat, & multipliciter vsurpatur, ideo ne ob eius varietatem reddamur ancipites, à varietate significationum eius ordiar. Accretionis nomen dicitur de variis, quibus vel magis, vel minus proprie cõpetit, quod vt conspicue cõstet, hac methodo progrediendum est.

Significationes nominis accretionis.

est. Accretio est motus attinens ad quantum, duplex autem est quantum, vnum ex accidenti, alterum secundum se: ex accidenti quantæ sunt qualitates, quæ crescere dicuntur, vel intensione graduum, vel extensione formæ. Proprie autem & ex se quantum est duplex, vel discretum, ita dicitur crescere numerus inuidorum & malignorum, vel continuum, & hoc vel crescit adueniente aliquo exteruo, vel nullo, si nullo extrinsecus aduenięte, id cõtingit dupliciter: vel cum interitu, vt dum aqua vertitur in aerem, vel sine interitu, vt dum aer densus, fit rarus, si autem fiat adueniente aliquo externo, vel illud aduenniens est simile, vel dissimile, si est simile, ita crescunt flumina per pluuias, si fuerit dissimile, vel id conuertitur in naturam alterius, vel ne, si non conuertitur, sed solum apponitur, tunc vel consurgit vere vnum, vt circumposito gnomone quadratum crescit, quemadmodum in Postprædicamentis inquit Aristot. Vel non consurgit vere vnum, sed cumulus tantum, vt crescit cumulus hordei, milij, & frumẽti, addendo grana leguminum, lolij, & alterius generis: si conuertitur in aliud, vel id fit non vera conuersione, vel vera, non vera crescit vinum superaddendo aquam, vera autem conuersione potest vnum verti in aliud, vel non seruatis omnibus cõditionibus principalissimæ accretionis, vt ignis crescit appositione lignorum, vel seruatis cõditionibus omnibus, suo loco explicandis, & hæc est proprie sumpta, & principalissima accretio, solis viuentibus per naturam competens munere nutrientis animæ: ex quo patet accretionis nomen esse ab vno, & dici de variis ordine quodam, & quoniam dum sermo est de his, quæ sunt ab vno, præsertim, & proprie est de primo, vt dicitur in 4. Metaphys. contex. secundo, ideo loquuturi de accretione, primum inspicere tenemur, ex cuius explicatione elucescunt cætera, cum sint quidam recessus à primo, & id primum sit tanquam mensura cæterorum. Hoc inspicimus seruasse Aristotelem, qui quamuis in primo de ortu & interitu verba faciat de transmutationibus communibus cunctis mortalibus, tamen de accretione loquens, eam viuentium declarat, quia declarans illam, virtute, & facultate explicat recessus ab ea. Nos igitur illum sequentes, de accretione viuentium disseremus. Philosophus de accretione tribus in locis verba fecit, nempe in tertio, & quinto Physic. in primo de ortu & interitu, & in lib. de Anima, & viuentibus prima est explicatio communissima, secunda minus communis, tertia adhuc magis propria, & contracta. In lib. Physic. consideratur accretio, vt vna ex quatuor generibus mutationum, ad quantitatem pertinens, in primo de ortu & interitu consideratur, vt vna ex communibus affectionibus corporis Physici generabilis, & corruptibilis, contradistincti ab æterno, quæ cum sit, ab vno explicatur ea, quæ principalissima est, vt inde elucescant aliæ. Demum consideratur in lib. de Anima, & viuentibus, vt ab anima nutriente prodiens, & viuentibus competens tanquam eorum affectio: Ego de accretione loquens tanquam de officio animæ nutrientis, cõsiderationem hanc cum libris ad Animam pertinentibus iungendam censui. quod vt distincte, & aliquo ordine exequar, quia ex notitia definitionis pendet cæterorum cognitio, ordiar à definitione, definitionisque partium explicatione, secundo loquar de modo, quo fit accretio, & vitentur absurda, considerabo tertio, qualis sit accretio, & quæ sint eius conditiones, & qua ratione seruentur. Demum de opposita diminutione, & attinentibus ad fluxum partium verba faciam.

Accretio nomẽ est ab vno.

De qua accretione sit sermo.

Ordo seruandus.

Cap. I.

Definitio Accretionis.

Definitio accretionis. Accretio præcipua, quæ solis viuentibus competit, & de qua accretionis nomen primo dicitur, cum à variis vario modo definiatur, exacte tamen, ac per omne genus causæ, ita (vt puto) definienda est. Accretio est motus, quo ex imperfecta, ad perfectiorem molem corpus viuentis perducitur per alimentum ab anima nutriente permutatum, quod sua quantitate ampliores reddit omnes partes, secundum formam consideratas, vt viuens naturalia opera exacte perficere valeat; Hæc definitio cum sit affectionis alteri competentis, pendentis continenter in fieri ab efficiente, & in finem ordinatæ, iure, vt patet ex omni genere causæ conflata est, sed quia dicitur accretionem esse motum ad quantitatem pertinentem, ideo hoc primo considerandum occurrit, an ad quantitatem valeat esse motus, id enim iure optimo dubium est: primo, qui cui non competit contrarium, non competit motus, ex Aristotele in quinto Physic. contex. 10. quantitati per eundem Philosophum in Prædicamento quantitatis, non competit contrarium, quare nec motus. Hac ratione vtitur Aristoteles in 5. Physic. contex. 10. ostendens in substantia non esse motum. Præterea in bis, quæ sunt ad aliquid, non est per se motus, vt dicitur in quinto Physicor. contex. 10. Accretio versatur inter magnum, & paruum, quæ per eundem Philosophū in Prædicamento quantitatis sunt ad aliquid, igitur accretio non potest esse motus. Demum conditio motus est, vt sit continuus, Accretio non potest esse continua, quare non recte dicitur motus, maior elicitur tum ex definitione motus, vt alibi patefeci, tum ex 6. Physic. Minor ostenditur, quia id quod necessario nectitur, cum non continuo, non valet esse continuum. Accretio necessario nectitur cum ortu & interitu substantiæ, quæ nequeunt esse continua, cum substantia non recipiat magis, & minus, quare accretio non valet esse continua. Hæc sunt dubia non leuia, nec solutu facilia. Pro quorum resolutione, & notitia generis, ac formæ accretionis, considerandi primo sunt termini, inter quos versatur accretio, ex quorum explicatione pendet resolutio variarum difficultatum. Qua de re opiniones variæ sunt. Inquiunt nonnulli terminum ad quem accretionis esse formam substantiæ, earum partium, quæ ab Arist. in ca. de Accretione nuncupantur secundum formam. Quæ sententia non est approbanda, nam termini motus ad id prædicamentum attinere debent, ad quod pertinet motus, quia motus per terminum ad quem in prædicamento constituitur, accretio pertinet ad quantitatem, quare & terminus eius: non itaque est substantia, & præsertim quia ad substantiam non est motus. Propterea, alij vt Pomponatius vir doctus aiunt, terminum ad quem accretionis esse dimensionem denuo antecedenti aduenientem, siue quod idem est, maiorem molem ex accessione nouæ materiæ consurgentem, quam sequitur maioris loci possessio, cui etiam opinioni adhærendum non censeo, tum quia accretio inanimis quoque competeret, cum ille terminus non secus illis, quam viuentibus competat, tum quia dimensio antecedens, & noua, quæ acquiritur simul seruantur, termini autem per se motus, quia sunt oppositi, simul seruari nequeunt, vt patet ex 5. Physicor. tum demum, quia dimensio noua, & antecedens, non opponuntur, quare non sunt per se termini motus; Ideo inquiunt alij, terminum esse non solam formam substantiæ, nec solam dimensionem, sed dimensionem formatam, nam dicebat Aristot. corpora augeri secundum formam, & alimentum augere quatenus est potestate quanta

An ad quantitatem sit motus.

Arist.

De termini accretionis.

Opinio 1.

Euersio.

2\. *Pompon.*

Euersio.

3\.

caro.

caro. Quæ opinio dubia est, nam accretio est motus simplex, & ab Aristotele in primo de ortu & interitu simplex dicitur, quare eius proprius terminus debet esse simplex, non autem esset simplex, si constaret ex variis prædicamentis, substantia nimirum & quantitate. Insuper ita accretio etiam inanimis competeret, cum eis competat ille terminus, demum non constat, quomodo tunc termini illi sint contrarij, vt contrarij esse debent termini cuiuslibet motus. Nec ex verbis Aristotelis ea sententia elicitur, non enim illis relatis verbis Aristoteles terminos accretionis explicat, sed requisita pro accretione. Zimara in Tabula, de re hac verba faciens ait, terminum ad quem accretionis proprium esse extẽsionem molis, sequentem materiam conuersam in naturam rei, quæ crescit, inquit enim alimentum primo verti in substantiam viuentis, mox corpus vndique à calore extendi, quam extensionem dixit esse per se terminum accretionis, id confirmatur per Aristotelem in 8. Physicorum, 31. dicentem, & quantum extenditur, nisi quid prohibeat, & hæc prius fuit opinio Burlei, quæ vt puro approbanda non est, nam inquit Zimara formale accretionis esse extensionem materiæ acquisitæ, & iam conuersæ, in omnem dimensionem: hæc sunt eius verba. At contra si id esset, tunc alimentum potius cresceret, quam corpus viuens, quia ea extensio alimento potius quam viuenti competit. Insuper ille terminus etiam inanimis competit, nec est proprius accretionis viuentium. At respondet Zimara, inquiens extensionem inanimorum differre à propria accretione viuentium, quia propria accretio pro termino habet dimẽsiones terminatas, specie distinctas ab illis, quæ sunt termini extensionis inanimorum, quia dimensio non est per se terminus accretionis Physicæ, vt est dimensio, sed quatenus est viuentis, quæ distinctio ex forma pẽdet. At cum hęc dicat cupiens vitare vnũ absurdum, in varia labitur, sibi enim primo aduersatur, nam ex vna parte ait formale accretionis esse extensionem materiæ conuersæ in essentiam alterius, si hoc est formale, vbi adest forma, adest essentia rei, nam à forma ad formatum, est consequutio necessaria, ea forma competit inanimis, quare dicere eis non competere accretionem est secum pugnare. Præterea, labitur in id absurdum, in quod labuntur illi, qui pro termino statuunt dimensionem formatam, quatenus in termino includi ait etiam formam, nam si consideratur distinctio dimensionis terminatæ, vel ab anima, vel non ab anima, aut in termino anima includitur, vel ne, si includitur, non erit simplex, si non includitur, nil referet, quod ex vna, vel alia forma pendeat. Præterea, soluens instantiam de rarefactione, quia eius opinionem videtur sequi rarefactionem esse accretionem, inquit rarefactionis terminum per se esse qualitatem, quantitatem autem, solum ex euentu, accretionis autem contra. At cum hoc dicat, etiam secum pugnat, nam dixerat antecedere conuersionem alimenti momento factam, sequi vero rarefactionem, & extensionem, & hoc esse formale accretionis, quare euersio alimenti est extra formã accretionis, & sola extensio sequens erit forma, ea autem extensio nil est aliud pręter rarefactionem, quare rarefactio ab accretione non distinguetur. Præterea, non fit noua quantitas, sine noua adueniente materia, quare cum alimentum fuerit conuersum in substantiam viuentis, solum potest rarefieri, non autem noua magnitudo per illud addi. Hinc Aristoteles ait, in accretione hoc secundum esse, vt non dicatur fieri sine aduentu nouæ materiæ.

Euersio.

4. *Zimara.*

Burlei.

Euersio.

Sol. Zim.

Euersio.

Cap. II.

De terminis Accretionis opinio propria.

Opinio verior. Dvbiæ satis apparuerunt relatæ opiniones de terminis accretionis, propterea cum Aristotele, & Græcis interpretibus dicendum puto, magnitudinem perfectam, & imperfectam esse per se terminos accretionis. Nam Aristoteles quotiescunq; de huiusmodi terminis loquitur, semper hos statuit, nunquam alios, vt patet in 3. Phys. 5. ex 5. Phys. 18. ex vndecimo Metaphys. cap. 8. ex *Arist.* *Alex.* octauo Phys. 61. & locis aliis, Alexander in 1. natur. qq. cap. 7. eiusdem fuit opinionis, inquit enim, an non simpliciter in magnitudinem, & paruitatem mutantur ea, quæ crescunt, & minuuntur, sed quæ crescunt secundum naturam, hæc autem sunt, quæ nutriente anima sunt prædita, & imperfectione ad perfectam molem tendunt, quæ autem minuunt à perfectione recedunt, & in magnitudinem imperfectam contrahuntur. *Quæ sit magnitudo perfecta.* Pro notitia considerandum, quod magnitudo perfecta ea dicitur per quam corpus, ea præditũ valet congruenter obire munera naturæ, & præsertim generare simile, quod opus naturalissimum appellatur, Hinc Aristoteles in 4. Meteor. ait, tunc vnumquodque esse perfectum, dum valet simile generare. Hæc perfectio proprie solis viuentibus competit, non inanimis. Ratio est, quia sola viuentia valent proprie generare, cum id sit opus animæ nutrientis. Insuper viuens proprie est corpus vnum, suis partibus præditum. Inanimum est veluti multa indiuidua iuncta, & colligata, in quibus id, quod est maximum etiam est minimum, nam minimum ignis valens seorsum seruari, & subsistere, etiam est perfectum, & maximum, & valet simile generare; sic inanima gignuntur cum mole perfecta, ideo non egent accretione, sed eorum accretio est quædam aggeneratio & connexio nouorum indiuiduorum. Cum itaque perfecta moles, quæ solis viuentibus competit, sit per se terminus accretionis, ea perfectio in viuentibus specie distinctis varia est, alia enim est perfectio molis formicæ, leonis, equi, & similium, & ea distinctio pendet ex varietate animæ, & formæ, quælibet enim mortalium anima secum proprios terminos defert. Hinc Aristoteles in secundo de Anima, 41. ait in ignem infinitum crescere, cum careat anima, & animæ officium esse terminos præscribere, non quod ea anima sit pars termini accretionis, sed terminus ex ea pendet, ab eaque præscribitur. *Quo quantitati competat contrarium.* Ex quo constat, quomodo in quantitate sit, & non sit contrarietas, nam si quantitas consideratur, vt viuenti competens, requisita pro obeundo generationis munere sic prædita est magno, & paruo, non in sola relatione posito, sed absolute & est contrarietas, quæ est satis pro constitutione motus, nam contrarietas, quæ pro motu requiritur, est oppositio terminata formarum, quæ cum continuatione sint natæ, acquiri in eodem subiecto, quod actu sit: huiusmodi *Prima dubitatio.* autem oppositio competit moli viuentium. At duæ oriuntur difficultates, prima est, quia sic accretio non competet quanto, vt quantum est, & per se, sed vt est quantum viuentis corporis. *2.* Altera est, quia perfectum, & imperfectum sunt ad aliquid, sunt eiusdem speciei, & opponuntur per priuationem & formam, termini autem motus debent esse absoluti, & cum sint contrarij, debent esse distincti specie, & cum motus differat per terminos, eius termini debent esse vere contrarij, non autem solum oppositi per priuationem, & for- *Solutio 1.* mam. De prima difficultate dico accretionem late sumptam competere quidem omni quanto mortali, at proprie sumptam solis competere viuentibus, ideo hoc verissimum est, ad quantitatem non est accretio, vt quantitas est, ita enim esset

ad

ad omnem, sed vt talis est quantitas, nempe perfecta, & quatenus est differentia magnitudinis viuentium, & dum infertur, igitur accretio ex accidenti erit ad quantitatem. Respondeo ex accidenti esse ad genus quantitatis, quatenus id, quod est per partem, est modo quodam ex accidenti, dico modo quodam, quia vt inquit Auerroes sub initio quinti Physic. differt per partem, ab eo, quod est ex accidenti, quia quod est per partem, potest esse per se, dum parti tribuitur, & ideo quamuis accretio sit ex accidenti ad quantum, non ob id est ex accidenti ad omne contentum sub eo. Ex his pendet solutio primæ difficultatis. Pro solutione secundæ, quia instabatur perfectum & imperfectum esse ad aliquid, dico se habere de perfecto, & imperfecto, vt de magno, & paruo, inquit Aristoteles in quinto Metaphysicæ 18. in quinto de Gener. anim. cap. 7. necnon Alexander in quinto Metaphysicæ 18. & in primo Naturalium qq. cap. 7. magnum, & paruum vsurpari, & absolute, & cum relatione, nam dum contrahitur ad species rerum, eis competit magnum, & paruum absolute, sic dantur homines absolute magni, & absolute parui, id ipsum dicẽdum de perfecto, & imperfecto, quæ insequuntur magnum, & paruum, addebatur quod sint eiusdem speciei. Respõdeo sub ratione absolute perfecti, & imperfecti, differre forma, specie, & definitione, & est differentia, quæ est satis pro terminis, & eorum distinctione. Addebatur quod est oppositio per formam, & priuationem, respondeo semper contrariorum vnum formam, alterum priuationem præseferre, absolute tamen imperfecta moles est forma, cum moles sit, & non prorsus priuatio. *Solutio secunda.*

CAP. III.

An accretio ex parte suorum terminorum sit continua.

QVONIAM accretio est motus, & cõditio motus est vt sit continuus, quicquid dicat Auerr. in octauo Physic. 23. ideo videndum est, an accretio ex parte suorum terminorum, qui in præcedente cap. sunt declarati, sit continua; *An accretio sit cõtinua.* Zimara inquit ex parte propriorum terminorum continuam esse, non tamen id de accretione ita constare, vt de motu loci, nam considerauit Zimara extensionem molis, quæ continua est, at contra si accretio, ob eam extensionem est continua, quæro vel est continua, quia debet assequi maiorem locum, vel ob productionem nouæ molis, vel solum ob eius extensionem, si ratione primi, igitur ex accidenti ei competet vt ipse fatetur, si ob productionem nouæ molis, quia ea moles acquiritur dum producitur substantia, & ea conuertitur per minima, & momento. vt ipse censet, nequaquam ob eam poterit esse continua; si demum id ei competit solum munere extensionis, ea est rarefactio, non accretio. Pomponatius inquit accretionem ex parte proprii termini non esse continuam, ait enim definitionem motus esse ab vno non, & non eodem modo veram esse de omnibus. At contra tunc ei non cõpeteret definitio motus, quæ est actus imperfectus, tendens ad perfectionem, nam omnis talis actus continuationem includit, cum continenter partim sit in termino a quo, partim in eo ad quem, vt in sexto Physic. ostenditur. Pro solutione itaque considero sententiam Platonis in Parmenide, necnon Galeni in secundo Methodi, dicentium motus simplices solum esse duos, lationem, & alterationem, hi namque duo soli, ita se habent, vt subiecto competere possint, sine connexione cum alio motu, vt consideranti notum est. Insuper dico motum, & mutationem posse considerari dupliciter, vel ex parte sui termini ad quem, vel ex parte, qua fit, & requisitorum pro eo, *Zimara.* *Euersio.* *Pomponatius.* *Euersio.* *Motus simplex.* *Motus consideratur dupliciter.*

vt fiat, si consideratur ex parte sui termini accretio non necessario est continua, ei tamen continuum non repugnat, si autem consideratur ex parte conspirantium ad id vt fiat accretio, sic ea necessario est continua, probantur hæc pro omni parte. Dicebatur primo ex parte sui termini ad quem, non necessario esse continuam, hoc denotauit Aristoteles in octauo Physic. 23. inquiens, nonnunquam simul effodi lapidem, & formam aliquam acquiri, addebatur secundo ex parte sui termini, ei non repugnare continuũ, id patet, quia terminus est moles perfecta, moles aũt continua est, & adeptio perfectionis eius quę fit progrediẽdo ex minori ad maiorẽ molem, potest esse continua, cum moles, quæ acquiritur sit continua: dicebam tertio, ratione conspirantium ad eius constitutionem, necessario esse continuam, hoc ostenditur, quia accretio non fit sine alteratione, & latione, qui sunt duo simplices motus vt dixi, quibus per se primo competit vt sint continui, aliis munere eorum. At consideremus, an accretio sit continua munere alterationis tantum, vel etiam ratione motus in loco, inquiunt nonnulli esse cõtinuam ex parte vtriusque, quia necessario acquiritur locus maior, qui non acquiritur sine successione, & tempore, quæ sententia est dubia, quia in accretione consideratur primo appositio alimenti, secundo agglutinatio, tertio assimilatio, dum fit assimilatio proprie per molem fit accretio, sæpe autem id, quod assimilatur non mutat locum, sed eo in loco, in quo erat agglutinatum assimilatur, & vertitur in substantiam viuentis, quare tunc si ea assimilatio fiat simul, etiam locus dicetur simul adeptus; Respondens itaque dico, si consideratur accretio proxime, quatenus fit per assimilationem solam, ea non est necessario continua per adeptionem loci, at si consideratur pro congregato ex appositione, & agglutinatione, quæ non fit sine extensione, ita est continua ex parte adeptionis loci, & comitantium dispositionum, sic itaque accretio vt fit, necessario est continua, ex parte autem sui termini non necessario, ita vera est sententia Pomponatii, non omnibus motibus consimiliter continuum competere, similiter liberatur Aristoteles ab apparente controuersia, nam in tertio Physicorum, inquiens motum esse actum imperfectum, indicat esse cõtinuum, quod mox ostendit in sexto Physicorum. Ex aduerso autem in octauo Physicorum 23. ait accretionem, & diminutionem nonnunquam fieri simul, nam in octauo Physic. 23. considerat attinentia ad proprium terminum, in tertio & sexto Physicorum, conspirantia necessario ad id vt fiat: qua de re latius verba feci in libris de Motu. At ostendebatur accretionem non esse continuam, quia necessario nectitur cum generatione, & interitu, qua ratione præsertim vtitur Auerroes in octauo Physicorum 23. soluitur autem primo per instantiam, mox per fiduciariam reprobationem, dum enim dicitur generatio non est continua, quare nec accretio, id assumptum non est verum, nam formæ elementorum & mixtorum consimilium, vt suo loco patefeci, recipiunt magis, & minus, nulla autem fit generatio, sine mutatione aliqua in his facta. Insuper quamuis generatio non esset continua, congeneratio tamen potest esse continua, quia potest dari minus minimo iunctum alteri, quamuis non detur seiunctum, soluitur secundo concesso eo antecedente, negando consequutionem, nam quamuis generatio ex parte sui fit simul, adgeneratio tamẽ ratione continuationis partium, quæ fiunt, potest esse continua, accretio iunctam habet congenerationem, non autem absolutam generationem, vt dicitur in primo de Ortu, & interitu. Præterea, quamuis etiam ex parte formæ substantiæ ei aduersaretur continuum, non tamen ei aduersaretur ex parte quanti, & ex parte qualitatum, quæ tunc permu-

Resolutio diffic. | *Sentẽtia quorundam.* | *Euersio.* | *Sentẽtia propria.* | *Diluitur in Arist. controuersia.* | *Solutio aduersæ rationis.* | *Quomodo detur minus minimo.*

permutati debent, ideo quamuis non continuate mutetur substantia, continuate saltem paratur ad mutationem, & mutantur partes.

Cap. IIII.

Explicantur reliquæ partes definitionis.

CONSTAT ex dictis, quomodo accretio sit motus ex imperfectiore, ad perfectiorem molem producens, & hæc est forma communis eius, cui formæ materia respondere debet, materia autem accretionis est triplex: vna cui vt subiecto competit accretio tanquam eius affectio: altera circa quam versatur vis augens eam permutando: tertia est res, quæ acquiritur, prima dicitur materia in qua, secunda circa quam, tertia ad quam, hoc est viuens, alimentum, & moles, & quælibet per definitionem indicatur, denotatur materia prima, & tertia vna cum termino eius, dum dicitur ad molem perfectam deduci corpus viuens, accretio enim primo competit viuentibus, cæteris autem secundario, & adumbrate, vt dixi, reliqua denotatur, dum additur per alimentum permutatum. Vt pertinet ad primam materiam, ea est duplex, vel tota, & est corpus vniuersum, vel pars eius, de qua dicimus seruata proportione quamlibet partem augeri, in definitione tamen subiectum totum accipi debet, id autem seruari debet idem sub vtroq; termino, & hoc omni motui commune est. Vt pertinet ad reliquam materiam, quod est alimentum, considerandum cum Aristotele idem alimentum distincta ratione tribus conducere, nam vt potentia talis substantia, nempe corporis illius viuentis, nutrit, vt includit aliquid redundans vtile, generat, vt potentia quanta caro, vel quantum os, auget. Materia, ex qua proxime fit accretio potest dici & actu, & potestate quanta, actu quanta est mole terminata per formam antecedentem, potentia ad recipiendos terminos per subsequentem, hinc dicitur potētia quanta caro, non potentia quanta absolute, quantum enim absolute non fit, sed necessario materiam comitatur, insuper ita loquitur Philosophus: vt indicet necessario iunctam habere permutationem substantiæ. Declarata materia, & forma, debet declarari efficiens: id autē est duplex, vel principale, vel instrumentū, principale est anima nutriens, instrumentum est calor coquens, in definitione accipi debet principale, ideo dictum est ab anima nutriente permutatum, nomine animæ nutrientis, intelligo eam, cuius tria sunt officia, nutrire, augere, & generare, vtor tamen nomine nutrientis, & non augentis, vt commune denotem à quo permutatur alimentum, quæ vis nutriens, & augens, extensa per vniuersum corpus, vtens calore tanquam communi instrumento, efficit mutationes communes, vtens vero temperamēto, & propria forma, vel carnis, vel ossis, vel neruis, mutat alimentum paratum in carnem, os, & neruos, sic proxime caro fit à carne, os ab osse, neruus à neruo, at non sine ope animæ. Demum addi debet finis accretionis, qui est duplex, vel eius vt motus, vel rei per motum constitutæ: Finis accretionis, tanquam motus, est terminus ad quem, nempe magnitudo perfecta, qui coincidit cum forma, quę acquiritur, & dicitur finis internus: finis autem rei per motum constitutæ, qui dici potest externus, quia non intrinsecus motum constituit, adhuc est duplex, vel cui competit, & est anima, cui tanquam principio inseruit perfecta moles: animans vero est totum operans, cui vt operanti completo ea perfectio famulatur. Alius est finis cuius gratia, & est operatio, Finis internus patet ex declaratione termini ad quem, & formæ: Finis externus cui inseruit, qui est ipsamet anima, includitur in

Triplex materia accretionis.

Materia in qua.

Materia ex qua.

Causa efficiens.

Finis accretionis.

fine cui, completo, ideo hic debet explicari, & vna cum eo etiam finis cuius gratia, quod fit, dum dicitur vt viuens naturalia opera exacte perficere valeat. Dicebatur etiam in definitione, alimentum sua mole maiores reddere omnes partes secundum formam consideratas, & id addebatur, vt distinctius materia accretionis pateret, & conditio rei, quæ crescit: sed quia ex definitione elicitur accretionem iunctam habere permutationem substantiæ ideo quæritur an ea mereatur dici generatio, & interitus: Nam videtur nuncupanda generatio, tum quia denominatio debet fieri à nobiliore, tum quia accretio est via ad perfectionem generationis, vt diminutio ad interitum: via autem denominatur a fine. Lucide, & breuibus difficultati respondens, dico accretionis nomen dupliciter vsurpari: vel pro eo quod est peculiare, & proprium eius, vel pro congregato ex omnibus mutationibus pro ea necessariis: in secunda significatione accretio est conspiratio omnium mutationum quæ pro ea sunt necessariæ, & dicitur generatio rei perfectæ, ducens ad esse perfectum: denominatur tamen accretio pro distinctione à generatione quæ ducit ad esse absolute. At in prima significatione, ea est motus simplex ad quantitatem pertinens, qui solum potest dici generatio: quatenus motus omnis est generatio quædam, vt dicitur in quinto Physic. ex se tamen dum consideratur inter terminos, qui formæ sunt, est motus a generatione distinctus. Differentiæ autem accretionis a generatione possunt dici octo: nam primo differt ex parte proprii termini, qui est moles perfecta. Secundo ex parte subiecti, quod actu est, & idem manet sub vtroque termino. Tertio ratione communis formæ, nam accretio vere est motus, non autem generatio. Quarto, ex parte efficientis, nil enim se generat, sed auget & perficit. Quinto, ratione connexionis cum loco, & eius mutatione, id enim quod crescit, necessario mutat locum, non ita quod generatur. Sexto, ex parte eius, cui vt affectio competit, vera enim accretio soli viuenti competit, generatio autem etiam non viuentibus. Septimo, ex parte materiæ, ex qua, nam pro accretione externa materia adueniens requiritur, non autem pro generatione, & interitu. Octauo, quia accretio est perfectio rei præexistentis, cui aliquid additur, generatio absolute ex non esse ad esse permutatio est, denotatur ea accretio & diminutio complicata cum cæteris mutationibus per adolescentiam, consistentiam, & senectutem, ideo adolescentia est via ad perfectionem, & ad esse perfectum, senectus est ægritudo secundum naturam, & via ad interitum.

An accretio sit generatio. *Resolutio* *Differentia octo accretionis.* *Adolescentia, & senectus.*

Cap. V.

De modo quo fit accretio.

CVMVLATE satis ea explicata iudico, quæ ad primam partem, nempe ad definitionem accretionis pertinere videntur. Sequitur secundo, vt de modo agamus quo fit accretio, qui satis est obscurus, & latens, ideo de eo loquitur Auerroes in primo de ortu, & interitu 38. Philoponus, context. 94. Alexander in calce, cap. de mixtione, Galenus in primo de naturalibus facultatibus, & alii viri celebres. Pro cuius rei explicatione, accipiendum primo cum Platone corpus viuentium simile esse horto & viridario, in quo & fontes, & aquæ ductus varii cum latiores, tum angustiores inueniantur, quibus similes in animali sunt ventriculus, venæ, arteriæ, ac demum exigui meatus, vel pori, per hos ex hepate, & corde sanguis quasi salutaris aqua, tanquam ex fonte effunditur per vniuersum corpus: qui sanguis ex sententia Aristotelis est alimentum vltimum, & prox-

Modus quo fit accretio. *Corpus viuentis simile horto.*

proximum ex parte formæ, quamuis non ex parte dispositionum, ita loquor: quia inter sanguinem non paratum, & partem nutriendam mediat quidem aliquid, at non forma distinctum, sed dispositione tantum, sic ros, gluten, & cambium, quæ ex sententia Auicennæ in prima Fen primi Canonis mediare dicuntur, sunt quidem media, per dispositiones superadditas, pro parte nutrienda, at non per formam substantiæ ab extremis distinctam, nisi forte aliquando, per magis, & minus, cum formæ mixtorum consimilium (vt suo loco patefeci) magis, & minus suscipiant.

Facultates famulantes.

In hac alimenti per partes corporis distributione, refulgent opera facultatum, animæ nutrienti famulantium, quæ re vera quatuor sunt: nempe attractio, retentio, assimilatio, & expulsio: trahitur enim primo alimentum cōmune, nempe sanguis, hoc retinetur, vt coquatur, & perficiatur, & dum detinetur, alteratur, & disponitur, adeo vt primo reddatur simile per qualitates, & tunc non nutrit, mox per formam substantiæ, & tunc absoluitur officium nutritionis, sic simile simili nutritur, & quoniam per coctionē secernuntur excrementa, ideo adest vis expultrix, ea reiiciens, Auerroes his quatuor, quintum officium & facultatem addit, nempe, secernendi concoctum à non concocto, siue vtile, ab inutili; at hæc ad præcedentes redigitur, pars enim nutrienda, trahens alimētum, id solum trahit, quod sibi est vtile, dum fuerit recte affecta, inde mox inutile secernitur, at de re hac alibi cumulate verba feci.

Motus varius alimenti.

Insuper in hac alimenti per membra distributione, consideratur motus eius varius, cum ad partes superas, tum ad inferas, de quo dubitatio occurret, à quo fiat, & qualis sit, post alimenti per singulas partes distributionem;

Tria antecedentia nutritionem.

Vt absoluatur nutritio tria sunt necessaria, nimirum appositio alimenti, agglutinatio, & assimilatio, quæ recte cō siderauit admirabilis Galenus in primo libro de Naturalibus facultatibus, nam cum sanguis per venas tenuissimas ad partes nutriendas veluti ad carnem deuenerit, ab ea, tanquam à spongia imbibitur, & præsertim dum calida, & sicca fuerit, veluti ab excalefacto pane inspicimus citissime imbibi vinum, & humorem quemlibet: & quoniam pars nutrienda prædita est meatibus variis à calore resoluente, & extendente genitis, in quibus semper humoris tenuis aliquid reperitur, ideo fit in eis prima quædam aduenientis cum præcedente humore permixtio, per quam appositionem, & permixtionem membrum extenditur, mox humor ille inclusus, & per angustissimos meatus cum parte nutrienda iunctus, sensim ei agglutinatur, & per calorem à corde infusum, vt per commune instrumentum animæ, & per propriam formam, & temperamentum partis, vt per contrahens commune, ad proprium, alimentum id redditur simile carni, vel alteri parti, & tunc per substantiam alimētum dicitur nutrire, si autem id, quod denuo fuit cōuersum in carnem, superauerit molem carnis resolutæ dicitur sua mole operari, & augere: si autem mole non superauerit, non dicitur operari quantitate, sed sola substantia, quamuis enim semper substantiam sequatur quantitas, tamen non semper quantitas noua excedit deperditam, ideo nonnunquam eam non seruat, vt in diminutione: nonnunquam solum seruat, vt in consistentia, nonnunquam vero etiam auget, vt in adolescentia, & tunc dicitur accretio. Appositioni consideratæ à Galeno respondet Ros Auicennæ: nam est quædam irroratio, agglutinationi gluten, assimiliationi cambium.

Duplex mixtio.

In hoc accretionis cursu, primo considerare debemus duplicem mixtionem, vna est alimenti aduenientis cum humore antecedente, in poris incluso: altera minus proprie dicta, & est cum parte, quæ nutritur, dum alimentum ei apponitur, & agglutinatur, ideo Aristoteles, in context. 39. primi de Ortu, & interitu inquit,

quid igitur patiens ab hoc, nempe alimento, auctum est, an mixtum, vt si quis vino superinfundat aquam? Auerroes, comm. 38. & Alexander præsertim in calce, cap. de Mixtione, concedunt quidem huiusmodi mixtionem: inquit tamen Auerroes, & recte quidem, eam non esse satis, nam pro accretione alia requiruntur, conducit tamen ea mixtio primo vt accretio sit quædam congeneratio: secundo, vt magis res per omnem partem crescat, tertio, vt facilior sit transmutatio alimenti in id, cum quo miscetur, à quo tamen superatur, & vincitur, quarto, pro vitanda penetratione corporum. Insuper considerandum, quod dum alimentum à re augenda imbibitur, eiq; cõglutinatur, tunc necessario fit extensio, adeo vt extensio antecedat conuersionem alimenti, non autem eam sequatur, vt minus recte cum Ioann. Gandau. in octauo Physicorum, ait Zimara in Tabula. Præterea animaduertendum, quod dum pro accretione fit appositio, & alimentum attrahitur, id quod trahitur non est minus minimo, non enim posset separatum seruari, plus autem minimo esse potest: at dum alimentum agglutinatum conuertitur, & simile redditur, potest etiam per partes minores minimo, interire, & in partes carnis, vel alterius minores minimis in infinitum conuerti. Ratio est: quia datur minus minimo coniunctum alteri, at non seiunctum, hinc elicitur congenerationem non euertere continuationem accretionis, etiam si forma substantialis magis, & minus non reciperet, adhuc enim seruare potest continuationem ratione continuationis partium, vt quantæ sunt, membra, & partes, quæ nutriuntur, debent viuere. Ratio est: quia vis vitalis ad naturalem redigitur, ideo per animam nutrientem partes primo viuunt, secundo nutriuntur, tertio origine crescunt, & cum viuant, vitali & naturali calore sunt prædita, qui calor est instrumentum congruentissimum, ad ea omnia perficienda, quæ pro accretione sunt necessaria, ille enim intus existens, mouet, coquit, purgat, attenuat, extendit, alterat, & simile reddit. Per explicatum modum seruatur accretio, & nullum eam sequitur absurdum, nam accretio fit corporato aliquo, nempe alimento, quod corpus necessario est, & cum fiat alimento corporeo, non ob id datur penetratio corporum, nec vacuum: quia transit alimentum per venas, & poros, miscetur cum præcedente humore, & parte, & à calore fit extensio congregati: Et hæc sunt ea tria, quæ præsertim monente Aristote vitanda sunt, dum loquimur de accretione, videlicet ne accretio fiat sine aduentu noui corporis, alioquin non adesset plus molis absolute, cum moles sequatur materiam; alterum est, ne detur vacuum, tertium ne corpus meet per corpus.

Extensio antecedit cõuersionem.

Quæ nutriuntur debent viuere.

Tria vitanda.

Cap. VI.

Quomodo alimentum moueatur ad partes nutriendas.

PRo nutriendis, augendisque partibus viuentium, alimentum, quod primo in vna parte, veluti in ventriculo Hepate, vel corde reperitur, effunditur per vniuersum corpus adeo vt partium eius nonnullæ tendant sursum, aliæ deorsum, quædam ad latus, quod profecto mirum est: nam motus ille ex cognitione non pendet, quæ ad opposita valet dirigere; cum igitur fiat sine cognitione, vel est secundum naturam, vel violentus: non secundum naturam, quia alimentum graue per naturam non ascenderet, non præter naturam, tum quia sanguis deorsum non fluit, præter naturam: tum insuper, quia non constat, à quo inferatur violentia; Auerroes in septimo Physicorum, commen. 10. inquit,

Sententia Auerroes

perinde moueri alimentum ad membra, ac elementa ad suum locum, & ferrum ad Herculeum lapidem, vt enim grauia per suam grauitatem feruntur deorsum, & ferrum qualitate à lapide Herculeo recepta tendit ad illum, ita alimentum alteratum, & à membro nutriendo propria aliqua qualitate ei membro simili affectum, ad illud tendit, adeo, vt motus ille sit secundum naturam, quatenus proxime per illud internum principium constituitur, Drusianus Monachus in tertio Artis Medendi, commen. 60. de tribus carpit Auerroem, Primo, quia inspicimus motum illum fieri per villos cogentes, & vim inferentes, quare non per naturam; Secundo, quia frequenter alimentum consimile, eademque qualitate præditum, vt sanguis, fertur ad opposita membra: Tertio, quia vis nutriens, ea est, quæ cum teneatur seruare viuens corpus, dirigit alimentum ad partes nutriendas, non autem natura, & qualitas interna alimenro, illud ad opposita mouet.

Drusianus carpẽs Auer.

Proprerea ex propria sententia, inquit, motum alimenti ad duo posse referri, ad alimentum mobile, & ita esse violentum, & ad motorem, ac ita esse naturalem, nam motor est anima, quæ per villos & cætera instituta perficit motum illum, anima autem est natura, & principium internum, cui opinioni etiam adhæret Ludouic. Boccaf.

Sententia eius.

Verum hi minus recte Auerroem carpunt, quoniam mouens alimentum ad membra, est duplex, vnum principale, & commune, quod omnium consensione est anima nutriens, vt patet ex 2. de Anima, & 2. de partibus Animalium, hoc vt notum prætermisit Auerroes, aliud est proximum, & proprium, de hoc est dubitatio, hoc considerauit Auerroes, illi autem de primo illum carpunt. Præterea, minus recte absolute inquiunt motum ex parte alimenti esse violentum, quia alimentum dum fuerit pararum, & dispositum per receptam dispositionem, ad illum motum est procliue. Tertio adhuc errant, cum dicant motum illum esse naturalem ex parte animæ: nam anima est interna animali, at non alimento, quod mouetur; Vt autem motus sit naturalis ex parte motoris, oportet motorem internum esse rei mobili, veluti Aristoteles in octauo Physicorum 27. ait, multos motus animalium esse naturales ex parte totius, quia sunt ab anima ei interna, at esse contra naturam corporis granis, nisi enim motor sit internus mobili, motus non dicitur naturalis, ex parte eius.

Euersio. *Aristot.*

Quare dicamus motum alimenti ad membra ad duo posse referri, primo ad alimentum, secundo ad corpus viuens: si referatur ad alimentum, id vel non est dispositum, & ita violentia mouetur, vel est dispositum, & procliue redditum, & ita mouetur secundum naturam, & hoc considerauit Auerroes; Si vero referatur ad corpus viuens, cuius Natura est anima, ita vna cum nutritione dicitur motus naturalis.

Sentẽtia propria.

Instantiæ relatæ aduersus Auerroem facile diluuntur. Instabatur primo: quia motus ille fit per villos vim inferentes. respondeo, non semper moueri per villos cogentes, sed cum alimenrum fuerit proximum, & paratum moueri, etiam sine villis. Insuper villi aliquando conducunt, quia quamuis alimentum per internam dispositionem fuerit facile ad illum motum, ea tamen dispositio & illud internum principium non est satis, vt non est satis pro motu cœli propensio eius ad illum motum. Dicebatur secundo, illud alimentum moueri ad partes oppositas, respondeo id esse alimentum commune, non proprium partium, quod dum distat, distribuitur, & dirigitur à virtute, quæ vniuerso animali præest, instrumento caloris, calor enim coquens, excrementa secernens, consimilia parans, directus ab anima, alimentum cõmune primó per vias varias dirigit mox partes nutriendæ proprio calore præditæ partem trahunt sibi congruentem, hinc oportet vt viuant, alioquin alimentum non

Diluũtur rationes aduersa.

traherent, alimentum demum paratum, redditum procliue ad illum motum, per naturam modo aliquo moueri dicitur. Tertiæ instantiæ solutio patet ex dictis: sic percipimus à flamma trahi humorem olei, vel ceræ, nam calor per sui nutritionem trahit humorem, & id facit parando illum, adeo vt humor paratus reddatur procliuis ad motum illum. Similis dubitatio est de pane arido, semimerso in vino, vel aqua: nam inspicimus humorem ascendere & madidam reddere partem superiorem non morsam, inquiunt nonnulli re vera aquam non ascendere, sed in aquam vertere aerem inclusum in cauitatibus panis: quæ sententia falsa est, primo: quia aperte aqua minuitur, secundo, id ipsum facit vinum, & acetum, cùm tamen vinum non valeat vertere aerem in vinum, nec acetum in acetum. Insuper cur similiter in aquam non verteret aerem sibi proximum non inclusum in panem, ideo dicamus, vnumquodque per naturam id trahere, quod sibi congruum est, dum eo fuerit priuatum, & quoniam panis est mixtum quoddam ex farina, & aqua, qui humor per calorem fuit desiccatus, ideo panis præter naturam aridus, humorem per partium continuationem trahit, imbibens illum sic trahit per contactum, nam pars proxima haurit, mox trahitur à subsequente, & id facit corpus aridum, quotiescunque ariditas ei competit præter naturam, non autem secundum naturam. Insuper, quia siccitas est tanquam priuatio humoris, ideo magis siccum trahit humidum, quam contra, aridum trahens humidum, id facit per formam suam substantialem, vt per principale mouens, per eius vero dispositiones, vt per instrumenta ariditas concurrit vt terminus à quo, aduersus ei subiecto, hinc humidum ei iunctum ab eo imbibitur vt potus à sitiente, & tractio illa est naturalis, ex parte trahentis, violentus ex parte tracti non parati, ita dicimus aridum, sui natura appetere humidum. Hunc in modum, in bonum sensum redigi potest sententia Alexandri dicentis tractionem fieri per amicitiam, nam in amicitia consideratur indigentia eius, quod diligitur, sic Terra arida seiuncta ab aere, humorem non traheret, quia non sibi congruit, Ignis trahit pro sua restauratione, ideo trahit consumendo, non seruando, panis aridus trahit vt sibi consentaneum, & ideo non consumendo. At duo supersunt diluenda dubia, vnum est: quia dicebatur, alimentum paratum ob eam dispositionem per naturam moueri, at contra ea dispositio est accidens, non aût est natura. Altera dubitatio est, quia adhuc non constat, quomodo anima nutriens cognitionis expers recte valeat alimentum in oppositas partes dirigere: prima dubitatio soluitur, quia non ea dispositio est principale principium motus, sed forma quæ natura est cum ea dispositione, & præsertim, quia ea dispositio non est sine mutatione aliqua substantiæ, secundum magis, & minus, nam per gradus existentiæ omnis forma præter animam recipit magis, & minus. De altera difficultate dico quamuis anima nutriens non cognoscat, tamen quia pendet ex ipso bono, per naturam habet insertam rationem boni, & cum per naturam operetur, id facit, quod bonum est, maxime autem bonum est sui conseruatio, ad quam dirigit anima vt princeps, famulantur spiritus, calor, & venæ vt instrumenta conspirant, partes variæ trahentes id, quod sibi proprium est, & demum conducit dispositio congruens alimenti, per quam redditur procliue ad illum motum.

Dubitatio de pane trahente humorem. *Opinio propria.* *Sententia Alexandri.* *Prima dubitatio.* *Solutio tertia diffic.*

CAP. VII.

Conditiones pro Accretione requisitæ quæ sint, & quomodo seruentur.

IAM apparuit, quid sit accretio, & quomodo fiat: vt autem tertio loco elucescat qualis sit, & quæ competant, ea sunt accipienda, quæ communi consensione principali, & proprie sumptæ accretioni conueniunt: ea autem sunt tria, vt inquit Philosophus in capit. de Accretione: primum est, vt eius quod crescit quæuis portio molis seruata proportione crescat: Alterum, vt accretio fiat aliquo corporeo extrinsecus adueniente. Tertium, vt id quod crescit, seruetur idem post accretionem, quod fuerat ante, ratio primi est: quoniam accretio est affectio vniuersi corporis, non autem tantum partis, per quam totum denominetur, vt visio, & cum sit affectio totius, non debet soli parti competere, id enim quod est per partem, est per accidens: nos autem principalem accretionem, & per se consideramus, demum quæuis pars debet crescere, quoniam accretio fit per facultatem vniuerso corpori communem, & si qua pars non cresceret, ea esset præter naturam affecta, & tunc nec totum absolute vere cresceret, nec seruaretur proportio partium, & figura. Ratio secundi est, vt accretio secernatur à rarefactione, & extensione, ac insuper vt vere sit accretio, hoc est, vere sit adeptio nouæ molis, quæ acquiri non potest, nisi noua superueniat materia, moles enim coæua est materiæ, nec denuo gignitur. Ratio tertij est, quia accretio est permutatio per se accidētis, accidens dum per se variatur, & acquiritur, exposcit, vt subiectum sit idem sub vtroq; termino, nam si subiectum variatur, accidens dicitur mutari ex accidenti, quia sequitur mutationem alterius, nos autem consideramus mutationem per se. Insuper id requiritur, vt seruetur distinctio inter accretionem, & generationem; termini per se generationis sunt forma, & priuatio, ex quorum varietate pendet varietas nominis, & definitionis absolutæ rei, termini motus sunt contrarij, nati fieri in eodem subiecto actu, quorum mutationem non sequitur permutatio nominis, nec definitionis, sed vtrumque seruatur, cum seruetur subiectum, quod substantia est, cui absolute, nomen, & definitio competit. Hæc sunt quæ pro accretione requiruntur: considerandum modo est, quomodo per ea, quæ dixi, hæc tria seruentur, iam patet id seruari quod accretio fiat corporeo aliquo extrinsecus adueniente, de cæteris est dubitatio, nō enim quæuis pars videtur crescere, cum continenter partes viuentis varientur, & fluant, id autem quod fluit, crescere nō dicitur, & ob eandē rationem id quod crescit, non videtur seruari idem sub vtroque termino, cum partes nonnullę fluxerint, & denuo aliæ sint genitæ, præterea si quæuis pars, & quoduis sensile punctum (vt ait Philosophus) deberet crescere, tunc id, quod cresceret, deberet reddi duplum, quia minimis partibus etiam si minime superaddantur totum duplo maius consurgit, Aristoteles videns hæc, quæ obijci possent, soluens dixit, id quod crescit posse dupliciter considerari, secundum materiam, & secundum formam, idipsum est dicendum de partibus, eas nempe & secundum materiam, & secundum formam considerari posse, qua data distinctione, inquit partes omnes crescere, & totum seruari idem post, quod erat ante; verum esse, dum totum & partes considerantur secundum formam, at non dum considerātur secundum materiam; Pro re obscura illustranda vtitur exemplo ab vtre sumpto, per cuius ostium vnum maius, ingrediatur copiosior aqua, per alterū minus effluat, apparet tunc vndiq; vtrem crescere, & inflari vndiq;, crescit totus cōsidera-

Tres conditiones accretionis.

Ratio 1. conditionis.

Ratio 2. conditionis.

3.

Quo seruentur conditiones.

Arist.

tus secundum formam eius, at non consideratus secundum materiam, hoc est, portiones humoris, quæ continenter variantur. Verum Philosophus cupiens difficultates diluere, eas auxit, & in inuios labyrinthos, suos interpretes deduxit: cum enim dicat mutari materiam, seruari formam, hoc dubium est, quia forma non transit ex subiecto in subiectum, & præsertim quia materia, & forma sunt aliquid, ac alterius formæ, altera est materia, ex secundo Phys. 26. quare nō apparet posse mutari vnum sine mutatione alterius, sed quoniam vniuersa dubitatio in eo est posita, vt percipiamus quid nomine materię, & nomine formæ Philosophus denotauerit, ideo de hoc primo occurrit disserendum.

Cap. VIII.

Quæ sint partes rei crescentis secundum Materiam, & quæ secundum formam.

Quæritur quid significet Aristoteles in primo de ortu & interitu 35. inquiens caro, & vnaquæque talium partium est duplex, vt & aliarum in materia formam habentium, etenim materia dicitur, & forma, & quamlibet partium crescere secundum formam quidem, fieri potest, secundū materiam non: Nonnulli in quorum numero est Conciliator, differentia 56. & Albertus aiunt, partes secundum materiam esse partes consimiles, vt caro & neruus, secundum formam vero esse dissimiles, vt membra. Quæ sententia vera non est, tum quia etiam corpora similium partium augentur, immo Aristoteles dixit ob accretionem earum crescere membra, quare oportet etiam in eis reperiri partes secundum formam, & partes secundum materiam, tum insuper quia Aristoteles in 1. de Cœlo 92. de omnibus ex materia, & forma constantibus dixit hoc esse verum, vt aliud sit forma, aliud ea cum materia iuncta, quare etiam de mixto consimili id verum esse debet, tum demum quia Aristoteles, vt patet per verba relata, de carne, osse, & consimilibus, dat eam distinctionem, ideo aperte pugnāt cum verbis Aristotelis, solum Aristoteles ait in contex. 37. differentiam illam in organicis magis esse conspicuam. Propterea alij, vt Marsilius, Ægydius, Caietanus aiunt, per partes secundum formam denotari minima naturalia, quæ seorsum seruari, & operari valent: per partes vero secundum materiam, partes minimorum, & quoniam in huiusmodi minimis reperiuntur pori, ideo dixit Marsilius denotari partes poris præditas, hoc aiunt denotasse Aristotelē, dum in contex. 35. dixit quoduis punctum, siue sensile signum reddi maius. Quæ sententia etiam non est approbanda: primo, quia etiam ea minima constant ex materia, & forma, ideo vtrisque partibus sunt prædita, secundo, quia minima illa etiam fluunt, & variantur, Aristoteles autem id negauit de partibus secundum formam. Demum hoc non respondet exemplo Aristotelis, vtitur Philosophus exemplo mensuræ, vel vasis dimetientis aquam, adeo vt aqua materiam, mensura, & vter formam denotet, minima naturalia non se habent ad mensuræ instar. Nonnulli inquiunt partes secundum formam esse humorem ab ortu insitum, quem radicalem appellant, partes secundum materiam esse humorem, & partes ex alimento genitas; Nec desunt, qui opinionem hanc tribuant Alexādro, at errant, tum quia Alexander, vt patebit, alterius est sententiæ, tum insuper quia opinio ex se falsa est, nam Aristoteles eam distinctionem de omnibus ait esse veram, quæ ex materia, & forma constant, at vterque humor est talis. Præterea vterque humor à calore consumitur, & vterque variatur. Demum exemplum sumptum à carne,

Quæ sint partes secundum formam.
Conciliator.
Euersio.
Opinio 2.
Euersio.
Opin. 3.
Euersio.

carne,& osse,& explicatio per mensuram,& aquam, nequaquam ei congruit,vt patet. Quidam ex recentioribus aiunt nomine materiæ denotari quatuor elementa,& præsertim humorem, nomine formæ denotari formam mixtionis, & animam: quæ opinio etiam approbanda non est,tum quia Aristoteles de omni ex materia, & forma constante ait veram esse distinctionem illam, quare etiam in elementis, & humoribus illæ duplices partes inuenientur: tum insuper, quia etiam humores modo aliquo crescunt,tum demum quia anima quoque, & forma mixti secundum partes variantur, nam fluente materia, etiam fluit forma ex ea pendens,& educta. Propterea D. Tho. Auerr. Philoponus, Alexander de hoc consentiunt, quod voces debeant vsurpari proprie, ideo nomine formæ aiunt veram denotari formam eius quod crescit,quæ natura etiam est,nomine autem materiæ id, quod vnicuique formæ, tanquam propria eius materia respondet, nam forma terminans materiam,se habet ad instar mensuræ,cui propriæ,& internæ formę,respondet extrinsecus in corpore viuente figura seqnens formam, ideo Aristoteles dixit in contex.37.manum seruata partium proportione crescere,ita hæc distinctio vera erit (vt ait Philosophus) de omni ex materia, & forma conflato, & voces in propria significatione vsurpantur, non autem tam improprie, vt ab aliis. At cum de hoc consentiant viri relati, dubium tamen non leue est, quæ nam sit hæc forma substantiæ rerum, quæ crescunt, quæ autem etiam seruari dicitur, duplex enim est forma, vna totius, altera partis, quam formam denotat Aristoteles? multi aiunt denotari formam partis, quæ est altera pars compositi, at errant, quia forma partis, & materia sunt ad aliquid, vt dicitur in secundo Physicor.26. ideo fluente materia, necessario etiam fluit forma, & vtriusque eadem est ratio, non enim transit ex subiecto in subiectum, & confirmatur per exemplum, quo vtitur Aristoteles de vtre, & aqua, nam fluente aqua, etiam fluit forma, quæ est altera pars eius: Quare dicamus Aristotelem denotasse formam totius, de qua dixit in primo de Cœlo,92. qui dicit cœlum, dicit formam, qui hoc cœlum, formam cum materia, & in secundo Physicorum 31. ait, totum, & compositionem esse formam, nam forma partis est altera pars compositi, cui respondet materia partis, & hæ sunt partes compositam substantiam constituentes,forma autem totius est vniuersa essentia rei, ex materia, & forma consurgens,ea excludens,quæ sunt præter essentiam rei,vt caro,animal,& consimilia: materia totius ei respondens non est hecceitas,vt putat Scotus, sed sunt partes cum suis conditionibus indiuiduantibus consideratæ, quæ conditiones sunt accidentia, indiuiduantia, & sunt præter essentiam rei, quæ excludimus, dum solam essentiam consideramus. & nuncupantur materia, quia materiam contrahunt ad vnam definitam formam, & pro ea disponunt, insuper, quia sine eis essentia non subsistit, nec seorsum ab eis reperitur, denotatur hæc forma totius,dum dicimus cœlum,caro,os,eius partes sunt quælibet portio cum vniuersalis reduplicatione,dicendo caro digiti,vt caro,neruus digiti, vt neruus: portio autem considerata secundum materiam est, dum consideratur cum conditionibus indiuiduantibus, & reduplicatur cum eis, vt dicendo hæc portio carnis, vt hæc signata portio est, & sic de cæteris, quod Aristoteles hoc denotauerit, nec aliud denotare valuerit, ex sequenti capite reddetur conspicuum.

Quarta. *Euersio.* *Quinta.* *Qua forma denotetur.* *Denotari formam totius.*

Cap. IX.

Quomodo id, quod crescit, seruetur idem, & quauis eius pars secundum formam crescat.

VT pateat exactius Aristotelem nomine formæ denotasse formam totius, id considerare debemus, quomodo seruetur sententia Aristotelis, id quod crescit seruari idem, & quamlibet eius partem secundum formam crescere, id enim propterea est dubium, quia fluente materia, fluit forma, & cum varientur partes, non videtur id, quod crescit, seruari idem numero sub vtroque termino.

Marsil. Et ob difficultatem varij varia dicunt. Marsilius, & cum eo plurimi Latinorum inquiunt, idem numero tripliciter vsurpari: maxime proprie, proprie & late: maxime proprie, dum nil variatur, sic cœlum idem numero seruatur. Proprie, dum principalis pars seruatur, vt hominis seruatur immortalis anima. Late seruantur reliqua mortalia, quorum partes continenter variantur, at non simul, & manere dicuntur per æquiualentiam: quia partes denuo genitæ succedunt loco antecedentium, & earum officio funguntur.

Euersio. Hæc opinio non videtur approbanda, quoniam Philosophus non considerat accretionem totam ab initio ad finem vitæ, ea enim non est motus vnus: sed considerat partes eius, in quibus magis idem numero seruatur, quam ita late sumptum, vt aiunt illi. Præterea, quod dicunt de forma hominis ex sententia Aristotelis est apprime dubium, ex eius enim opinione mens sola est æterna, reliquæ partes animæ sunt extensæ per corpus, ad quas cum pertineat accretio, illæ non secus fluunt, ac cæteræ formæ materiatæ. Præterea id, quod addunt seruari idem, secundum æquipollentiam, ad rem non facit: quia sic etiam aqua vtris maneret eadem, cum tamen Aristoteles dicat eam variari.

Opinio secunda. Ideo inquiunt alij: accretionem veram, solis viuentibus competere: & quia eorum forma est anima, quæ modo quodam super materiam est eleuata, & est tota in toto, & in quauis parte, ideo fluente materia, ea contrahitur, & effunditur in partes denuo genitas.

Euersio. Hæc opinio longissime abest à vero, primo quia Aristoteles eam distinctionem ait veram esse de omnibus ex materia, & forma cōstantibus, adeo vt etiam de inanimis concedat seruari secundum formam, variari secundum materiam. Præterea, dicere animam contrahi, & extendi, verum non est: & præsertim de anima plantarum, & iumentorum, forma enim pendens ex materia, non transit ex subiecto in subiectum, nec in materia reperitur, ex cuius potentia non sit educta: nam forma & materia sunt ad aliquid, & vno variato, necessario variatur & alterum, nec potest eadem forma distinctæ materiæ competere: insuper, non potest contrahi, & extendi, cum solum moueatur per motum corporis, & ob id inquit Aristoteles in secundo de gener. animalium, cap. 3. non potest extrinsecus accedere: & propterea, dum viuens crescit, non est putandum antecedentem animam per partes denuo genitas extendi, ita enim sequerentur omnia relata absurda, sed putandum est, in partibus denuo genitis nouas extensionis formæ partes gigni per facultatem animæ in antecedentibus præexistentem.

Philopon. Philoponus de re hac se valde ancipitem patefacit, nam comm. 94. ait: quamuis materia fluat, forma tamen manet eadem, vt fluente aqua, eadem in ea seruatur vmbra, Mox com. 98. sententiam mutat, inquiens, re vera fluente materia, etiam fluere formam, & variari partes, seruari tamen sententiam Arist. quia nos inspicere debemus totum, cuius accretio est passio, & cum intueamur crescere totū, dicimus crescere singulas partes, vt sunt partes totius, & quoniam totum denotat formam, ideo dicimus seruari secun-

secundum formam,& partes,secundum formam,hoc est,vt partes totius crescere. Hæc sententia satis est dubia: quoniam totum est suæ partes, quare si adest mutatio partium, aderit etiam mutatio totius. Insuper, ait Philosophus, quamuis partem considerari posse,& secundum materiam, & secundum formam, ideo non considerauit progressum illum à toto ad partes, sed absolute considerauit quodlibet compositum, siue totum sit, siue pars. Insuper, seruari eo modo partes, est seruari nimium improprie, ita enim etiam aqua ex vtre fluens, & ingrediens seruari diceretur. Nonnulli iuniorum Philosophorum aiunt Aristotelem non de vniuersa accretione loqui ab initio vitæ, ad ætatem cõsistentem, sed de parte, quæ vnus motus numero sit, pro cuius vnitate etiam requiritur vnitas mobilis, vt dicitur in quinto, & in 8. Physic. Addunt facta alimenti in substantiam viuentis conuersione, naturalem calorem, in tempore, quod momentum conuersionis sequitur, accretionem efficere, extendendo partem corporis nutritam, in quo tempore inquiunt calorem nil partium viuentis dissoluere, quoniam agit in humorem alimenti, ob cuius inopiam solum agit nonnunquam in suum subiectum. Hæc opinio varia includit cum vero pugnantia: primo, verum non est, conuersionem antecedere extensionem partis nutritæ, vt patuit in præcedentibus. Secundo aduersatur Aristoteli dicenti materiam viuentis fluere, seruari formam: hi autem aiunt, nil viuentis tunc fluere. Tertio, verum non iudico, tunc temporis nil nostri corporis resolui: cum enim corpus constet ex contrariis, & ex partibus dissimilibus, continenter aliquid eius permutatur, vt dicitur ab Aristotele in libro de Respiratione, & in primo de ortu & interitu, in cap. de Accretione, ait esse simile fluenti aquæ, & nisi mutaretur ab interno, saltem mutaretur ab ambiente: nam calor agens secundum naturam, in quoduis humidum agit, quod sibi proximum fuerit. Quarto, verum non est, conuersionem alimenti fieri momento, tum quia ea est congeneratio, non generatio, tum insuper, quia forma mixti recipit magis, & minus. Demum non desunt, qui dicant, humidum ex semine derelictum esse fundamentum vitalis caloris, & id non posse resolui, quia nil agit in suum subiectum, & ex parte eius viuens dicitur seruari. Sed hæc quoque sententia non est approbanda: primo, quia ex sententia Philosophi non reperitur in viuente ea secretio humoris naturalis, ex semine, & humoris ex alimento geniti, omnis enim humor viuentis ex sanguine oritur, vel menstruo, vel alimenti: genitura autem ex sententia Aristotelis non est materia prolis, ideo non datur humor seminarius, distinctus & seorsum positus: quia (vt patuit) humor adueniens cum antecedente miscetur. Præterea, verum non est, humorem illum non resolui, vt nuper dixi. Ideo Alexander in primo Natur. qq. cap. 5. ait, nil viuentis corporis seruari idem ab initio ad finem vitæ. Tertio, omnibus concessis, nil propterea dicunt, quod ad rem faciat: id enim quod seruari debet, idem sub vtroque termino est subiectum motus, at humor ille non est subiectum accretionis, sed membrum, vt inquit Aristoteles, veluti crus. Præterea, tum ille humor ex materia & forma constet, ille quoque considerabitur, & secundum materiam, & secundum formam, & variabitur secundum materiam, vt ait Philosophus. Ex his patet, per aliorum opiniones nequaquam seruari posse sententiam illam Aristotelis: id quod crescit, manere idem, & quamlibet partem crescere secundum formam, non autem seruari idem, nec quamlibet partem crescere secundum materiam. Ex quo colligo approbandam esse explicationem traditam in præcedenti capite, quod Aristoteles per formam & partes secundum formam denotet formam totius, & partes extensionis eius,

Euersio. *Quarta.* *Euersio.* *Quinta.* *Euersio.* *Alexan.* *Colligitur sententia vt approbada.*

non autem formam partis, quia forma partis, vnà cum materia fluit, veluti sunt partes singulæ signatæ, adeo quod manet caro, vt caro, & vt pars carnis, at non hæc, & illa signata pars carnis, nam particulare designatur per materiam, & vnum numero est id, cu u, materia est vna, vt dicitur in quinto Metaphysicę, contex. 12. & ideo attinentia ad signatas partes, materiam modo attinere dicuntur, & nisi concederetur forma totius, dicendum esset denotari formam, vt est essentia rei, non vt indiuiduata per definitas materiæ partes. Et quod hæc sit recta explicatio sententiæ Aristotelis ex variis locis lucidissime colligo; nam primo inquit Aristoteles in 4. Metaphysicæ 22. disputans aduersus Heraclitum, dicentem, omnia fluere: ea fluere quidem secundum quantum, at non secundũ quale; id quod hoc in loco ait seruari, vel fluere secundum formam, vel materiam, eo loci ait secundum quantum, attinens ad materiam, & secundum quale attinens ad formam, nam quantũ indicat singulare signatum, quod per materiam quantam denotatur, quale denotat essentiam, & vniuersale, quod est forma totius, vniuersale enim denotat quale, quid, vt dicitur in prædicamento substantiæ, Alexander explicans locum illum quarti Metaphysicæ, inquit, similiter se habere de accretione, & confirmat sententiam ibi prolatam, per hanc prolatam in cap. de accretione. Insuper, clarius Aristoteles in cap. de Accretione, contex. 41. inquit, vt alimentum solum est potẽtia caro, nutrit, hoc autem forma est sine materia, tanquam facultas materiæ expers, in materia existens: si autem aliqua aduenerit materia, quæ sit potestate sine materia, habens & quantum potestate, ita erunt maiores partes expertes materiæ, & omnes consentiunt, Aristotelem per expertes materiæ, denotare consideratum secundum formam: at alimentum cum dicatur potentia immateriale, profecto est potentia caro, non sola forma partis, ideo aperte tunc denotat Philosophus, hanc formam totius, de qua dixit in primo de Cœlo, qui dicit carnem, dicit formam, & sic potentia caro, est potentia ad eam formam totius, nempe essentiam compositi. Præterea, Aristoteles in 5. Metaphysicæ, contex. 11. enumerans significata vnius, inquit: Item vnum ea dicuntur, quorum ratio quid erat esse, dicens, indiuisibilis ad aliam est, quid erat esse rei significantem, ipsa enim per se omnis ratio diuisibilis est, sic enim quod crescit, & minuitur vnum est, quoniam ratio vna, quemadmodum in superficiebus est ipsius speciei, &c. aperte Philosophus semetipsum declarat, inquiens: quod crescit esse vnum, quia vna est ratio, ratio autem est essentia, quæ & forma, & quale dicitur. Similiter in primo de Cœlo 92. ait, Cœlum denotare formam, hoc cœlum, formam cum materia, in idem redigens formam, & essentiam rei, contradistinctam ab ea iuncta cum conditionibus signatis indiuiduantibus. Quod autem eo loci denotet formam totius, ex eo patet: quia ibi ait cœlum, & carnem denotare formam, cum tamen in tertio de Anima, contex. 9. dicat differre carnem ab esse eius, nam caro est forma totius, esse eius est forma partis: hæc caro, est forma totius, cum conditionibus indiuiduantibus, & hoc patefit exemplo ex figura sumpto, quo vtitur Philosophus, & in quinto Metaphysicæ, & in primo de ortu, & interitu: nam seruata proportione crescunt partes, & figura consimilis seruatur. Huius opinionis visus est fuisse Alexander in calce, cap. de mixtione, inquiens, manere in accretione carnem secundum essentiam, nam carnis essentia totus est, in tanta autem magnitudine non idem permanet ob materiæ fluxum, sed in tali forma idem manet, donec aliquid carnis supersit. Et similiter in 1. Nat. qq. c. 5. inquit: an cum duo sint in eo, quod crescit, quale scilicet, & quantum, est enim hoc quod crescit, hoc autem est composita ex vtroque.

Approbatio. *Alexan.* *Alex.*

e substantia, & cum ipsum quantum vt materia subiiciatur, forma vero
locum teneat, quantum quidem non manet idem, quale vero quod est
ma rei, quæ crescit, manet, &c. Sic itaq; quale denotat speciem, & formam
s, hoc est, essentiam, vt patet ex 4. Metaphysicæ 22. quantum vero mate-
Philopenus quamuis obscurius, tamen idipsum indicasse visus est, cum di- *Philoponus.*
spiciendum esse totum, & à toto progrediendum ad partes, vt retulit ve-
tum est essentia rei, & forma totius. Auerroes idipsum indicauit, comm. 38. *Auerroes*
iens, non manere quatenus sunt partes, sed quatenus habent qualitatem: at
e est essentia, & vniuersale. D. Tho. veritate coactus, suis exemplis idipsum *D. Thom.*
obauit, nam inquit manere populum, ignem, fluuium, & similia, fluentibus
ibus, at manent cum conditione communis, non autem signatarum par-
. Denotat itaque Aristoteles per formam, essentiam rei existentem in eo
iculari quod crescit: sic seruatur caro, vt caro, os, vt os, similiter de cæteris.
re colligamus Aristotelem per formã denotasse essentiam, quæ vel sit for-
torius, vt puto, vel saltem si: forma partis, vt indefinite est cum materia iun-
per materiam vero definitas, & signatas partes per conditiones indiuiduan-
& præsertim per proprium quantum coarctatas.

CAP. X.

Difficultates ex dictis emergentes.

X resolutione huius arduæ, & obscuræ difficultatis, quatuor præsertim pro- *Prima*
leunt dubia, quæ resolutionem illam reddunt obscuram: primum est, quia *dubitatio*
r illam non seruatur id, quod crescit manere idem numero sub vtroque ter-
ino, quod tamen necessario requiritur pro vnitate motus, nam idem numero
cuius materia est vna: quare dum dicimus materiam variari, solum seruatur
anere idem specie, non idem numero: quia essentia ad speciem pertinet. Alte- *Secunda.*
dubitatio est, quia si per formam intelligimus essentiam, cum essentia sit vni-
ersale, sequitur non singulare, sed vniuersale crescere, cuius oppositum ait Phi-
sophus comment. 40. inquiens non fieri quantum vniuersale, & præsertim
uia mutationes omnes singulariũ sunt. Tertio dubitatur: quia essentia, & for- *Tertia.*
a totius non habent partes extensionis, & quantitatis sub sensum cadẽtes, illæ
nim sunt partes singularis; At Aristoteles ait, quoduis sensibile punctum reddi
naius. Quarta dubitatio est, quia si inspicimus essentiam vt manet forma, ita *Quarta.*
manebit materia, vt manet vter, & mensura, ita aqua, seruatur enim aqua vt a-
qua. At Aristoteles ait seruari formam, non materiam, exemplo aquæ denota-
tam. De prima difficultate dico primo, dum Aristot. inquit id quod crescit debe- *Solutio*
re seruari, minime tunc considerare, quomodo accretio sit motus vnus numero, *prima*
non enim de hoc erat ei sermo, sed id proferre, vt distingueret id, quod crescit, *diffic.*
ab alimento quod in alterius substantiam vertitur, & ab aqua infusa in vinum,
quæ videtur in vinum verti, ideo nec aqua, nec alimentum crescit. Insuper, id di-
cit, vt seruet quamuis partem crescere, & adueniente aliquo, vt patet text. 35.
quod recte seruatur per approbatam explicationem. Addo insuper, quod si ob
pleniorem explicationem volumus loqui de vnitate accretionis, dico primo ac-
cretionem non esse motum vnum ab initio infantiæ vsque ad ętatem consisten-
tem, vt elicitur ex octauo Physic. 23. Addo insuper, particulares accretiones ser-
uare vnitatem, quatenus subiectum earum secundum partes solidas, vel nil, vel
adeo parum mutatur, vt per id non varietur denominatio, & ea mutatio sensum

fugiat. Demum, in accretione id crescere dicitur, quod manet, non quod fluit, id autem idem est. Inquit Simplicius in tertio de Anima comm. primo in compositis, in quibus forma inest indiuidua, secundum quam ex Stoicorum sententia dicũtur qualia, quæ simul aduenit, & recedit, eandem per totam ætatem formam manere, licet partes aliæ alibi fiant, & intereant. At sententia Simplicij alibi est perpendenda. De secunda difficultate, quæ erat, quia tunc accretio nõ singularium, sed vniuersalium esset: respondeo, accretionem esse vniuersalium existentium in singularibus, & singularium per conseruationem essentiæ, & vniuersalis in eis, ideo Arist. in com. 40. dixit, quantum vniuersale, non gigni, quod non sit particulare aliquod. Id protulit Arist. vt obiectioni huic satisfaceret, & ideo dixit crescere, & fieri quantũ, vt est in singularibus. Instabatur tertio, quia essentia non habet partes sensibiles: Respondeo, essentiam mente secretam, non habere partes sensibiles, sed iunctam cum materia eas habere: insuper, non habere partes sensibiles, essentia distinctas, sed essentia easdem, distinctas materia, ideo Aristoteles in contex. 41. dixit, hæc autem species sine materia, in materia est, indicans crescere essentiam non secretam, sed cum materia, & signatis partibus iunctam, & hac consideratione etiam ei competunt termini accretionis, nam obijciunt nonnulli huic expositioni, quia in essentia non inueniuntur termini accretionis. Solutio patet: quia termini competunt essentiæ iunctæ cum particularibus, non seiunctæ. Quarta dubitatio erat, quia sic etiam seruaretur materia, vt aqua vtris, respondeo, dum considerantur signatæ partes cum conditionibus propriis earum, tunc considerantur secundum materiam: sic in primo Physic. 60. inquit, Philosophus, materiam differre specie, & forma à priuatione, indicans, quod dum consideratur secundum propriam essentiam, dicitur considerari secundũ formam, & hoc conducit pro confirmanda relata explicatione. At vna adhuc superest diluenda difficultas, quia si id crescit, quod manet, manet autem forma, non compositum, quare forma, non compositum crescet: insuper, si viuens secundum omnem partem, seruata proportione crescit, quomodo vnicuique eius parti aliquid additur, cum frequenter portio alimenti adeo sit exigua, vt in tot partes nequeat diuidi. Respondeo, aliud est loqui de eo, quod crescit, & denominatur crescere, aliud de eo quod est inspiciendum, vt seruentur conditiones accretionis: id quod crescit, vt ait Aristoteles contex. 34. est crus, hoc est compositum, quod cum crescat, seruantur conditiones accretionis, vt ait Aristoteles considerando illud secundum formam, non secundum materiam, hoc est, crescit caro cõposita, & secundum formam eius seruantur conditiones. Insuper quia per formam dixi denotari essentiam, quæ est forma totius, ideo vere etiam dicitur crescere cõpositum ex materia & forma partis, cum crescat forma totius, nõ enim crescit hæc signata caro, includens indiuiduantes conditiones, sed caro, non tamen sine materia. At instabatur, quia exigua portio alimenti, non in tot partes diuidi potest, vt vnicuique parti viuentis aliquid eius apponatur. Solutio elicitur ex Aristotele in contex. 36. dicente, non vnicuique parti consideratæ secundum materiam, hoc est, signatæ per indiuiduantia signa, aliquid addi: sed consideratæ secundum formam, hoc est, essentiam extensam. Dat exemplum Alexander in calce cap. de Mixtione, inquiens: si Terræ in centro vniuersi positæ ex vna tantum parte, vel ex oriẽtis, magna terræ denuo productæ addatur portio, quia grauitas centrum petit, ideo tota per medium grauitatis erit in medio mundi, & tunc dicemus terram totam auctam, & quamlibet partem, veluti medietates, quartas, & sic de cæteris: hoc sensibilius apparet in aqua,

Marginal notes: *Simplic.* (beside line 2); *Solutio 2.* (beside line 5); *3.* (beside "ideo dixit crescere"); *Diluitur obiectio quorundam.* / *4.* (beside "particularibus, non seiunctæ"); *Quinta dubita.* (beside "tione. At vna adhuc"); *Solutio.* (beside "eo sit exigua"); *Alexan.* (beside "Dat exemplum Alexander").

aqua, cum enim fluuius vnus influat in alium, tota aqua, & omnes partes secundum formam consideratæ dicuntur crescere, quod si verum est de inanimis, longe verius erit de viuentibus, in quibus alimentum per vniuersum corpus effunditur.

CAP. XI.

Quomodo per nutritionem, & accretionem seruetur nedum substantia viuentis, sed etiam figura.

NATVRA cum in cunctis operibus se admirabilem patefaciat, in attinentibus ad accretionem, hoc præter cætera mirabile est, quomodo ea, quæ non cognoscit per nutritionem, & accretionem, nedum seruet, & perficiat substantiam, verum insuper figuram quoque, adeo vt in viro adhuc ea appareat effigies, quæ in eo puero prius reperiebatur, cum tamen partes eius omnes fuerint permutatæ. Auerroes in primo de Ortu, & interitu 38. ait, naturam esse, quæ seruat figuram illius membri in hora accretionis, & diminutionis. Et duodecimo Metaphysicæ 18. ait, id posse fieri: quia dirigitur ab intelligentia non errante. At hæc sunt communia quædam dicta ab omnibus. De modo proximo & proprio est dubitatio quomodo id efficiatur. Alexand. in calce cap. de Mixtione, & cum eo Philoponus com. 98. primi de Ortu, & interitu aiunt, cum facultatis nutrientis officium sit, seruare viuentia, ea maxime seruat si nedum substantiam, verum etiam figuram eorum seruat, & quemadmodum natura per nutriendi facultatem viuens produxit ea forma præditum, ita de eius conseruatione est solicita: seruatur autem per appositionem, quæ fit singulis partibus seruata proportione, figura enim ex partium proportione consurgit, ideo Arist. cont. 37. primi de Ortu & interitu, dixit, manum secundum omnes partes seruata proportione, crescere, seruat natura enim Geometricum medium, Geometricamq; iustitiam, de qua in 5. Moralium Nicomachiorũ agitur. Hæc profecto verissima sunt: at sunt effecta, quæ inspicimus: nos modum proximum quærimus, quomodo inquam per naturam non cognoscentem, ea effici, & exequi possint. Academici per hæc excitati, seriem quandam, & catenam excogitarunt, cuius munere hæc absoluerentur: dixerunt enim cuncta dirigi à Deo per Ideas, & rationes medias, & demum per semina infusa materiæ absolui: quamuis enim Ideæ sint vniuersalium rationes, tamen, & demum semina etiam singularium sunt. At ab Aristotele ea catena negligitur Ideæ & rationes menti, & animæ insertæ reiiciuntur, & statuitur natura aliud quiddam seminibus per mundi animam materiæ insertis. Præterea, adhuc dubitatio per ea non soluitur: quia similiter quæram, quomodo ea semina, & rationes sine cognitione, ea opera valent absoluere? Cogimur itaque ad id confugere, de quo loquebar in præcedentibus, & dicere omnia pendere ex Deo, non alia ratione, nisi quia bonus est, & propterea cuncta insitam habere rationem summi boni. Sic ens, & bonum reciprocantur, cum ens sit participatio ipsius boni, ea autem ratio boni non est quid distinctum à forma, & essentia rei, sed est ipsamet rei essentia: & quemadmodũ ars est recta ratio effectibilium, quæ ea efficit etiam sine ratiocinatione per solum habitum insitum, vt dicitur in secundo Physic. & prudentia est recta ratio agendorum, ita natura est recta ratio generabilium, vel in specie, vel in indiuiduo, & ob id Natura dicitur ordo rerum, quia insitam habet rectam rationem ordinis. Et in secundo Physic. 28. Forma dicitur exemplum, quia per naturam producit simile ad exemplar sui, vt

Auerroes

Alexander Philoponus.

Academici.

Aristot.

recte exposuit Alexander. Hinc natura frequenter dicitur similis arti, vt in secundo Phys.86. & alibi. Quare, dum quæritur, quomodo natura id efficiat, respondẽdum, quod id efficit, quia natura est, cuius id est proprium, cum tanquam bona, sit recta ratio efficiendi illa, quæ bona sunt: ita natura communis ducit ad bonum commune, propria vero ad proprium, in figura consideratur varietas figuræ animalium distinctæ speciei, & varietas figuræ indiuiduorum eiusdem speciei, vt pertinet ad primam, ea sequitur formam speciei, vt vniuersè est natura eius, anima enim quæ Natura est ex sui conditione, secum defert terminos magnitudinis rei, & figuram: altera sequitur formam propriam singulorum, & variatur per varietatem caloris temperamenti & materiæ recipientis, se habet autem spiritus, & calor in eo, quod crescit, perinde, ac spiritus ille, qui ab artifice in materiam vitri inspiratur, quo spiritu, per congruentes vias intrinsecus progrediente, prædito mensura, & directo ab artifice, liquatum vitrum extenditur, & ad libitum dirigentis formatur, & figuratur, dirigens per naturam dirigit consimiliter: quia dirigit vt est, dirigens per cognitionem, dirigit dissimiliter, quia diriget vt cognoscit, & expetit.

Solutio principalis diffic.

CAP. XII.

Proponuntur nonnulla Problemata, & dubia ad accretionem pertinentia.

VIVENTIA quæ sola per nutrientem animam proprie crescunt, seruata partium proportione vndiq; extenduntur, quod præsertim viuentib. competit, quoniam ea sola certam sibi figuram exposcunt, quæ in partium proportione est posita, anima autem, definitis numeris, & mensuris, sua opera absoluit, & facta comparatione inter viuentia. Hoc lucidius, & exactius illis competit, quæ eminentiorem vitam viuunt, propterea inspicimus in Plantis id seruari obscurius, lucidius in animalibus absolutioribus, lucidissime demum in homine, qui figura est præditus omnium exactissima, & exquisitissima, Et cum dicamus viuentia seruata partium proportione crescere, non propterea putandum est, eam proportionem in puncto esse positam, nec in parte modo aliquo variari posse. Hinc prodeunt dubia nonnulla, & problemata quædam se diluenda offerunt. Quæritur primo, cur (vt ait Philosophus) pueri primo sint pomiliones præditi, inquam capite inspecta proportione, maiore inferiorib. membris, mox partes inferiores magis crescunt, quam superiores. Insuper qua de causa, ea quæ crescunt, vt ossa, caput, crura, pro facultate, magna ex parte crescunt, in orbem, & figuram rotundam seruant? Tertio quæritur, cur in consistente ætate crescit, & reficitur caro, nerui autem, & ossa nec crescunt, nec reficiuntur. Insuper cur primo viuentia magis secũdum longitudinem crescunt, mox vero potius secundum latitudinem. Præterea, cum viuentia semper nutriantur, & nutrimentum iunctam habeat molem, cur non semper crescunt? Insuper, cum inanima corpora gignantur prædita sua congruente mole, qua valent simile generare, cur etiam per naturam non gignuntur viuentia absoluta, & perfecta? & præsertim, quia natura nil dicitur efficere imperfectum, & diminutum. Demum quæritur, num principium accretionis viuentium debeat dici internum, vel externum, & si internum est, num collocatum sit sursum, vel in medio? De qua prima difficultate, cur pueri nascantur pomiliones, vt dicitur ab Arist. in 2. de hist. Anim. ca. 1. dicendum,

Primum Problem. *Secundũ.* *Tertium.* *Quartũ.* *Quintũ.* *Sextum.* *Septimũ.* *Diluitur primum.*

cendum, id prodire ex humiditate, & frigiditate cerebri, in quam partem multi confluunt humores, in eaque multa excrementa congregantur, quæ mox cursu temporis à calore coquuntur, & secernuntur, alimentũ etiam minus secundum naturam fertur ad superas, quam ad inferas partes. Quærebatur secũdo, cur partes crescant in orbem? dicendũ, id ex eo oriri, quia calor in medio positus, æque est aptus in omnem partẽ extendere, idq; conducit: quoniam per orbiculatam figuram particulæ exactius connectuntur, magis læsiones vitant, redduntur robustiores, ac demum per id imitantur cœlum, ex quo pendent, imo si vniuersus homo consideratur, in eo inuenietur rotunda quædam figura, cuius vmbilicus est centrum, extremitates pedum, & manuum circumferentiam constituunt, à centro æque distantem. Quærebatur tertio, cur in consistente ætate reficiatur caro, non ossa, & nerui: diuidunt medici mẽbra seminaria, quæ ex semine duxere ortum, à sanguineis, ex sanguine ortis, prima negant refici, sed secunda solũ, quia orta ex sanguine per sanguinẽ reficiuntur; Hac distinctione cum Arist. putante partes omnes prodire ex sanguine vti nõ debemus, ideo dicamus, neruos pro sui extensione copiosiorem humorem exposcere, ossa puerorum non adeo esse arida, vt seniorum: ideo posse extendi, refici, & consolidari, in viro adulto ossã esse aridiora, & ob id non posse amplius extendi. His accedit, quod pueri multo calore sunt præditi, apprime humido, quo valent ea opera efficere, calor autem virorum acutior, & siccior est, adeo vt non valeat amplius humectando extendere. Quærebatur insuper, cur primo viuentia præsertim secundum longitudinem crescant? Ratio vna est: quia calor dum potest, sursum tendit, & recto motu mouetur. Alia est: quia primo ossa, & nerui facilius extẽduntur, cum sint humidiora, quod in progressu fieri non potest. Demum primo iacienda sunt fundamenta, & ducendæ lineæ principales, mox cætera addenda sunt, & perficienda. Cur autem viuentia non semper crescant, ratio est conspicua: non enim dum calor fuerit imbecillior, valet plus alimenti cõuertere in partes viuentis, quam id fuerit, quod prius fuit resolutum: at de hoc latius infra. Quærebatur insuper, cur viuentia non statim gignantur perfecta, vt corpora inanima? Respondeo, id ex variis oriri: Primo, inanima non valent se perficere, cum sint corpora consimilia, quorum pars vna non agit in aliam, at viuentia valent ob partiũ dissimilitudinem in se agere, & se perficere. Secundo, id pendet ex conditione viuentium distincta ab ea inanimorum, inanima enim ob vilem eorum conditionem, dummodo valeant per se subsistere, statim perfecta dicuntur: de viuentibus, quæ sunt maioris dignitatis, secus se habet. Tertio, natura ex imperfecto ad perfectum ducit, nec momento res pręstantes perficit, nec ob id dicitur opera imperfecta parere, quia eis largitur facultatem assequendi suam perfectionem, & primo parit opera perfecta facultate, mox ea per illam facultatem actu perficit. Demum quærebatur, an principium accretionis sit internum, vel externum, qua de re Arist. sibi constare non videtur: nam in cont. 34. primi de Ortu, & int. ait, sed alterans, & principium motus in eo quod crescit, & quod alteratur est; idq; latius confirmat in 2. de Anima, & de part. Anim. manifestans principium illud esse animam nutrientem. Ex aduerso, in 4. de Cœlo, 24. inquit, quod crescit, & sanatur extrinsecus habere principium. Et in 8. Phys. 20. & 51. inquit, sola latione animalia se mouere posse. Insuper, cum principiũ motus accretionis sit internum, adhuc non constat vbi sit collocatum: nam in lib. de Iuuen. & senect. ait Arist. Principiũ motus accretionis esse in medio viuentis. In secundo autem de Cœlo, cont. 8. inquit, Principium accretionis esse sursum. Breuibus dico, omnia quę dicuntur à Philo-

Secundũ. *Homo rotundus.* *Tertiũ.* *Quartũ.* *Quintũ.* *Sextum.* *Septimũ.* *Solutio.*

ſopho vera eſſe: principium accretionis ſumptum pro materia, & alimēto, quod pro accretione neceſſarium eſt, externum iudicari debet, ideo accretio dicebatur fieri adueniente aliquo; Sic etiam vera eſt ſententia Ariſt. in 8. Phyſ. ſola latione animal ſe mouere, quatenus eo ſolo motu ſe ad libitum mouere valet, nullo extrinſecus adueniente, Principium autem principale & inſtrumentum nempe anima, & calor, interna ſunt, inſuper principium accretionis eſt ſurſum, in eligendo os, per quod recipitur alimentum, vt dicitur in 2. de Cœlo, eſt autem in medio conſiderando ſedem animæ, quæ ex ſententia Ariſtotelis eſt cor.

Cap. XIII.

De diminutione, & primo declaratur, quomodo mali, & priuationis detur cauſa.

CVMVLATE ſatis vt inſtituto noſtro inſeruiebat, de accretione loquuti ſumus, ſupereſt vt demum de eius oppoſito, nempe de diminutione verba faciamus: ſed quia diminutio eſt malum, & via ad interitum, conſiderandum primo occurrit an diminutio detur, & eius cauſa aſſignari valeat? Quod diminutio non detur, ita oſtendi poteſt: & primo, calor viuentis vel eſt efficax, vel debilis: ſi efficax, accretionem efficiet, ſi debilis, vt parum valet reficere, ita parum valebit reſoluere, & ob id non diminuet, ſed reſolutio æqualis erit reſtaurationi. Præterea, diminutio eſt priuatio & malum, nam via eſt ad interitū, mali autem non datur cauſa efficiens, omne enim agens operatur propter finem, finis autem obtinet locum boni, & præſertim natura bonum efficit, cum pendeat ex ſummo bono: Hinc Ariſt. in principio moralium Nicomachiorum ait; omnem artem, omnemq; actionem ac effectionem eſſe gratia boni. Et Magnus Dionyſius in lib. de diuinis nominib. inquit: malum deſtitutum eſſe eſſentia, efficiente, & fine. Quod approbauit Simplicius in Epictetum. Præterea, omne quod mouetur, debet manere idem ſub vtroq; termino, id quod minuitur, quia minuitur non ſeruatur idem, quare non debet concedi motus diminutionis. Demum ſi aliquid minuitur, vel minuitur id totum, quod præceſſit, vel id ſolum quod remanet, non totum quod præceſſit, quia variatur, nec idem eſt, non id ſolum, quod remanet, quia id nunquam fuit maius. Ex aduerſo dari diminutionem, ſenſu & experientia conſtat, adeo, vt ſuperuacaneum ſit in ea comprobanda morari. At pro explicatione difficultatum hoc primo conſiderandum occurrit, an mali, & priuationis detur cauſa? Ex vna parte apparuit non dari, quia omne agens agit gratia boni Et confirmatur: quia malum non eſt ens, cum ſit receſſus ab ente, lege, & ordine, cauſæ autem ſunt eorum, quæ ſunt. Ita Algazel negabat priuationum dari cauſas. Ex aduerſo vitiorum dantur cauſæ, & puniuntur qui peccant, datur cauſa Eclypſis, per quam demonſtratur, datur cauſa ægritudinis quietis, cum violentæ, tum naturalis, vt inquit Ariſt. in 8. Phyſ. con. 7. & de Eclypſi id affirmat ſub initio 8. Met. Auerr. in 5. diſp. ſoluens primum dub. inquiens. Quod dixit Algazel priuationem non habere cauſam, neq; de ea dici quod ſit ex ſe, aut à ſua cauſa: Verba ſunt erronea, imo dico, id eſſe verum, maxime de illis, quę per negationem ponuntur. & in diſp. 7. in ſol. 4 dub. inquit: declaraui negationis, & priuationis dari cauſas. Datur itaq; cauſa priuationis, & præſertim materia, & efficiens, nam forma caret, non enim priuationis eſt forma, ſed ipſamet modo aliquo forma dicitur. In 2. Phyſ. 15. & 5. Met. c. 12. fine quoq; nonnullæ priuationes carent, & præſertim illæ, quæ prodeunt, ex neceſſitate materiæ, ideo Ariſt. in 8.

An diminutio detur & quod nō. Ratio prima. — *Secunda.* — *Magnus Dionyſius.* — *Tertia.* — *Quarta.* — *Quod detur.* — *An detur cauſa mali & priuationis.* — *Auerr.*

in 8. Met. cont. 12. dicit, Eclypsim fortasse carere fine. Pro resolutione difficultatis, cum quaeratur an mali detur causa, accipiendum malum vsurpari tripliciter; primo pro negatione, secundo pro priuatione, & diminutione, tertio pro deprauatione; Malum sumtum pro negatione, absolute est non ens, & nil ponit: sumtum pro priuatione, remouet formam, ponit subiectū aptum recipere formam. Sumtum pro deprauatione, ponit subiectum, & deprauationem formae, vel dispositionis eius. Insuper accipiendum cum Arist. in 2. Phys. 38. & 2. Post. causam semper debere respondere rei effectae, ideo si malum est negatio, causa accipi debet cum negatione, quia à nullo productum est, si priuatio, afferenda causa priuans, vt terra impediens transitum radiorum, est causa Eclypsis. Si fuerit deprauatio causa deprauans, & deprauata, vt deprauata consultatio vel praeelectio causa est peccati. Tertio accipiēdum quod cum detur malum oppositum enti, quod dici potest Metaphysicum, malum Physicum, & malum morale, hoc tertium est duplex, vnum culpae, prodiens ex deprauatione causae, alterum poenae: malum poenae prodire potest ex principe iusto, & ex ipso Deo, quia est purgatio ad bonū ducēs, malum culpae non potest proxime prodire ex principe iusto, vt iustus est, nec ex Deo, dico proxime, quia etiam Deus modo aliquo est causa peccati, nam eius est causa, primo, quia legem imponit, sine qua nō seruatur peccatum, secundo, quia permittit, tertio, quia ex eo pendet libertas arbitrii, cuius homo est particeps, demum, quia per communes causas ad id efficiendum conspirat, non est malum, sed vt boni aliquid includat. Accipio quarto, aliquid habere causam, dupliciter contingere, vel ex se, & primo, adeo, vt id expetatur, quatenus tale est: vel secundo loco, siue ex accidēti, hoc explicauit Auer. 12. Met. 18. loquens de causa priuationis. Demū accipio dum quaerimus, an detur causa mali quod praesertim quaestio est de efficiente, nam de materia nemini dubium, multa enim naturae mala, vt seniū, imbecillitates, & huiusmodi, prodire dicuntur ex necessitate materiae, & ex impotentia, non ex virtute aliqua. His praeassumtis, pro resolutione tria profero, & praetermisso malo poenae, cui aperte cōpetit causa, quia absolute bonum est, & vt tale expetitur, de malo culpae dico id habere causam potius deficientem, quam efficientem. Alterum est, malum habet causam ex accidenti, non per se, veluti etiam interitus. Tertium est, malum sub ratione boni, & entis, habet causam, at non vt malum, & non ens, vel recessus; Haec patent ex dictis. Ex quibus elicio concilium Auerr. cum Algaz. ille affirmat, hic inficiatur priuationi competere causam, Algaz. id considerat per se, & 1. Auer. vniuerse, & sine ea reduplicatione: adeo tamen, rectius loqui Algazelem, quomodo vt dicitur in 1. Phys. 74. sermo absolute prolatus id significat, quod est per se, nam vt ait Alexan. in 2. de Anima, c. 45. quod est ex accidenti, est non ens, cum sit recessus ab ente, hunc in modum Arist. in 2. Phys. loquens de casu in rectam significationem redigit eorum sententiam, qui dicebant, casum, & fortunam nullius esse causam; ait enim Philosophus, nullius esse causam per se, at redeundo ad institutū principale, nempe ad diminutionem, dico diminutionem esse interitum quendā, cum sit via ad interitum, nec fiat sine aliquo interitu, idem Arist. in 2. de Ortu, & int. 57. ait generationem esse aequalem interitui, denotans per generationem accretionem, quae est via ad perfectionem, per interitum vero diminutionem, diminutio & interitus, vt mala sunt, prodeunt ex conditione, & impotentia materiae, & sunt aliquid necessarium, & cum ex se sint mala, ex accidenti redduntur bona: quia nil in vniuerso est adeo malum, quin per Dei prouidentiam dirigatur in bonum, nam ducunt ad alterius generationem, loquendo de efficiente: diminutio,

Resolutio. *Malum tripliciter dicitur.* *Causa debet respōdere rei effectae.* *Malum triplex.* *Malum morale duplex.* *Quartū assumtū.* *Quintum assumtū.* *Tres conclusiones.* *Conciliū.* *Alexan.* *De diminutione.*

vt priuatio, accretionis, & perfectionis pendet ex remissione, impotentia, & imbecillitate caloris vt instrumenti, Quatenus vero iunctam habet effectionem quandam, & alterationem, dicitur intrinsecus fieri à proprio calore, qui cum sit tanquam flamma, continenter pro sui restauratione agit in humidum, ac ita sensim per senium reddimur sicciores, ad id conspirant curæ animi, quæ cor vrunt, & extrinsecus aer ambiens, & motus, quæ corpora resoluunt, loquendo de fine, diminutio non habet finem cui, sed prodit ex imbecillitate, habet autem modo aliquo finem eius, & est alterius generatio cuius gratia optatur interitus, forma diminutionis est ipsamet imperfectio molis, materia in qua versatur est corpus, quod minuitur, materia vero ex qua, est diminutio alimenti cocti, & recte elaborati.

Cap. XIIII.

Explicantur nonnulla ad diminutionem pertinentia, & aduersæ rationes diluuntur.

Cur Aristot. sit vsus exemplo vini cum quo aqua misceetur. ARISTOTELES de diminutione loquens breuissime, mira tamē arte eam explicauit, vtens exemplo vini, cum quo aqua permisceatur, & aqueum redditur: quod exemplū inquit Philoponus simile est, si referatur ad virtutem, at non si ad molem. Id autem Philosophus consulto fecit, primo, vt ostenderet originem diminutionis esse diminutionem virtutis, pedentem ex permixtione impurioris humoris, cum præcedente puriore, & ex continuata actione, & repassione caloris: Insuper eo exemplo est vsus, vt patefaceret imperfectionem molis, quæ est terminus ad quem, diminutionis, potius attendi penes remissionem virtutis, non valentis simile generare, quam penes diminutionem molis: senes enim sunt imperfecti, nec valent generare ob remissionem virtutis, non molis; imo senum partes nonnunquā ob excrementorum, & non cocti alimenti copiam intumescunt, cum tamen minui dicantur. *Cur diminutio potius sit in latitudine.* Insuper considerandum, quod diminutio potius consideratur in latitudine, quam in longitudine, accretio autem contra. & ratio est: quia ossa arida, longitudinem constituentia, nō contrahuntur, sed solum partes humidæ consumuntur: euenit tamen vt nerui contrahantur, & ob id senes euadunt gibbi, quod etiā eis competit ob impotentiam, & diminutionem virtutis erigentis, ob quam non valent corpus extollere, & re- *Qualis sit nutritio senum.* ctitudinē seruare. Demum considerandum, quod in nutritione decrescentium, raro noua caro, vel os, vel neruus reficitur: sed eorū nutritio est potius quædam solidorum irroratio, & humoris effusio, veluti dum inspersione aquę herbas seruamus virides; Congeneratio autem quæ præsertim est necessaria pro conseruatione viuentis, est restauratio caloris, & spirituum se habētium ad instar flammæ, quæ nisi reficiatur, marcescit. Hic est ille calor, qui cōtinenter humorē nostri corporis cum insitum, tum ex alimento genitum, consumit, & ob id carnes senum redduntur magis terreę, & resolutis humoribus, & partibus magis aereis, & dulcioribus, remanent partes aridiores, quæ sunt deterioris odoris, coctionis, *Diluuntur rationes aduersa.* saporis, & nutritionis. His explicatis, superest, vt aduersis rationibus respondeamus; ostendebatur primo, diminutionem nō dari, nec dum calor fuerit potens, nec dum fuerit impotens R. Clariss. L. Boccaf. inquiens, primo à calore resolui *Euersio solut. L. Bocc.* partes corporis mox refici, & restaurari, ideo primo calor erat potentior, mox quia sensim minuitur est imbecillior. Hæc solutio mihi non satisfacit; cum quia calor senum, dum ei præbetur alimentum congruens, frequenter euadit potentior,

dior, ideo parum, & sæpe sunt nutriendi: tum insuper, quia calor continenter agit, & in alimentum, & in substantiam viuentis, nam quia operatur per naturam, simul agit in omne, in quod agere potest, & ea exigua temporis differentia non valet esse causa eius varietatis. Dicamus potius, instátiam nullius esse roboris, alioquin similiter ostenderetur non dari accretionem, sed semper diminutionem, quia semper prius est potentius, vel saltem solam consistentiam, si tantum potest resoluere, quantum reficere, & pro solutione dicamus, in operibus interni nostri caloris considerari ordinem facilitatis, & difficultatis. Facillima, & necessaria est sui restauratio, ex alimento elaborato, secundo nouū parare, tertio difficillimum est, alimentum in solida vertere, insuper facilius est dissoluere, quam reficere, & præsertim quia resolutio frequenter fit ab ambiente, & à nimio motu, insuper dissolutio ex eo pendet, quia calor continenter, & necessario debet refici, quæ restauratio est ei facillima: at nouū parare humorem, & illum in substátiam viuentis cōuertere, difficilius est, & ob id in sene seruatur opus quod est prius origine, & est facilius, & necessarium, alterum euanescit. Addebatur diminutionem esse malum: concedo, inferebatur, igitur non habet causam, consequutio negatur, quia sequitur necessitaté materiæ, & ei competit agens deficiens, vt patuit. Instabatur tertio, quia non manet idem sub vtroque termino. Inquiunt nōnulli, id quod decrescit diminutione particulari, & vna, manere idem, non autem id, quod vniuersa diminutione decrescit. & ratio est: quia corpus primo resoluitur, mox cum aliquid eius fuerit resolutum, minor portio reficitur quam fuerit resoluta, & dum reficitur, nil resoluitur, & cum minor portio reficitur, tunc dicitur minui. Hæc solutio varia includit errata, primo verum non est, quòd non continenter aliquid nostri resoluatur, vt prius dixi. Secundo, quia diminutio consideratur in resolutione nostri corporis, non in restauratione, alioquin potius esset accretio, quàm diminutio. Demum aduersatur Aristoteli dicenti secundum materiam semper aliquid fluere. Quare dicamus id, quod minuitur dici seruari idem, pro distinctione ab alimento, nam quod minuitur manet magna ex parte idem, seruans nomen & definitionem, non autem alimentum, secundo manet idem secūdum formam, quamuis non secundū materiam, & quæuis pars minuitur secundum formam, non secundum materiam, vt dixit Aristoteles. Demum dico, id subiici motui, quod manet, & seruatur, non quod fluit: & id quod seruatur, dicitur diminutum. At instabatur postremo, id quod remanet nōn minui, quia nunquam fuit maius. Respondeo, id fuisse maius, quia fuit coniunctum cum partibus resolutis, à quib. mox est seiunctum. Insuper, manet semper idem, dum consideratur secundum formam, vt dixi de accretione. Demum pulchra controuersia ad diminutioné pertinens occurrit in Arist. nam in 2. de Ortu, & int. cont. 57. inquit, generationé æquari interitui, intelligendo nomine generationis accretioné, nomine interitus diminutionem. Oppositum profert in 2. de Cœlo, 38. inquiens, impotentia præter naturam est, nec æquali tempore aliquid potest esse præter naturam, & secūdum naturam, neq; omnino potens, & impotens, &c. Hæc inter se cōspicue pugnare videntur, quia diminutio cum prodeat ex impotentia, est dispositio præter naturam: quare non est æqualis ortui, & accretioni. Respondeo, sententiam Aristot. in secundo de Cœlo, veram esse de dispositione quæ est penitus præter naturam, non de ea quæ fit lege, & cursu naturæ, vt diminutio. Insuper Aristoteles in secundo de Ortu, & interitu, præsertim inspicit accessum solis ad nos, afferentem communem generationem, & recessum, afferentem interitum cōmunem, & vniuersalem. Demum

Ordo facilitatis.

Solutio secunda.

Solutio tertia.

Solutio quorundam.

Euersio.

Verior solutio.

Solutio postrema dub.

Controuersia.

Solutio.

sententia in 2. de Cœlo est vera vt plurimum, præsertim, quia paucissimi absoluunt cursum, & attingunt terminum periodi suæ vitæ, eis per naturam præscriptum.

Cap. XV.

An in viuentes ita partes fluant, vt nulla in Ortu producta seruetur eadem, vsque in finem.

EX eo, quod Aristoteles dixit, partes viuentium secundum materiam consideratas, continenter fluere, pulchra emergit dubitatio, num omnes ita fluant, & mutentur, vt nulla ab initio vitæ ad interitum seruetur eadem, vel necesse sit aliquam seruari eandem, vt illud viuens dici possit idem numero; res est dubia, & rationes afferri possunt variæ, pro vtraque parte, quod nulla seruetur eadem. *Quo va-rientur partes omnes.* Ostenditur primo, quia partes secundum materiam consideratæ, omnes sunt eiusdem rationis, quare vt mutantur nonnullæ, ita mutari possunt omnes. Hinc Aristoteles dixit, partes secundum materiam consideratas, similes esse aquæ ingredienti in vitem, & egredienti: at illæ frequenter mutantur omnes, vt patet de flumine: corpus autem nostrum est simile vtri, in quod ingreditur, & è quo egreditur aqua. *Alexan.* Alexander lib. primo, cap. quinto Natur. qq. ait, nullam in viuente materiæ partem reperiri, quæ eadem sit ab initio ad finem vitæ, quamcunque enim sumpseris, ea permutatur, & nulla eadem numero manet. Insuper, hoc patet exemplo maximarum plantarum, vt Pini, Quercus, & similium, quarum principium est semen exiguum, & mox in magnam molem crescunt, adeo vt rationi sit consonum, eam exiguam primo genitam partem omnino posse dissolui, & præsertim quia ex vite, & variis plantis singulis annis partes variæ exscinduntur, & nouæ ex toto renascuntur, quare si multæ eis competunt partes, nil eius includentes quod primo genitum fuit, idipsum de tota planta posse contingere putandum videtur. *Plato.* Plato in conuiuio inquit: enimvero eo ipso in tempore, quo animalium vnumquodque viuere dicitur, idemque esse, vt à pueritia ad senectutem, quamuis idem dicatur, numquam tamen in seipso eadem continet, sed nouum semper efficitur, & vetera exuit secundum pilos, carnem, ossa, sanguinem, & vniuersum corpus, &c. idipsum affirmat in Phedone. *Pro parte aduersa.* Ex aduerso quod necessarium sit partes quasdam seruari easdem, euidentioribus rationibus ostenditur, & primo, si nulla materiæ pars seruaretur eadem, non seruaretur idem numero, nam vnum numero est cuius materia est vna, quinto Metaph. contex. 12. similiter idem numero est, cuius materia est eadem, quare si materia omnino fuerit varia, omnino etiam distinguetur numero, quod videtur absurdum, ita enim non ille qui oritur, obiret. Secundo nomen de eo diceretur æquiuoce. Tertio, non ille, qui cresceret, minueretur. Quarto, anima nutriens non fungeretur officio suo conseruandi idem numero. Insuper ait Philosophus in crescente mutari materiam, seruari formam: si seruatur forma, igitur est necesse vt etiam seruetur aliquid materiæ, alioquin transiret ex subiecto in subiectum, & non esset in subiecto, è quo educitur. Præterea, ait Philosophus, quod minuitur simile esse vino, cui superinfunditur aqua, at in ea mixtione semper aliquid vini, & materiæ eius seruatur. *Philoponus.* Præterea, argumentatur Philoponus, commen. 94 primi de Gen. Si vniuersa materia flueret & reficeretur, tunc animal posset seruari immortale, non secus ac vniuersitates Elementorum, quæ seruantur æternæ per innouationem omnium partium, cōsequens esse absurdum,

satis-

satis patet. Insuper inspicimus corpora senum sensim reddi aridiora, quod non fieret, si denuo omnes regenerarentur, ea enim quæ denuo gignuntur, humidiora sunt. Hæc confirmantur authoritate Auerrois in 1. de Ortu, comm. 38. dicentis, materia non tota dissoluitur, sed semper in ea aliquid fixũ remanet, quod nisi esset, posset forma separari; idipsum confirmat in Paraphrasi eiusdem libri, vtens ratione, qua vsum ait fuisse Alexandrum sumpta ex cicatrice, & accidentibus, quæ in viuente seruantur eadem, quod non contingeret, si vniuersum corpus variaretur. qua ratione etiam vtitur Philoponus, com. 94. Medici inspicientes humorem seminarium, & diuidentes partes in seminarias, & sanguineas, aiunt partes ex semine ortas, non omnino consumi, sed ortas ex sanguine posse penitus variari: hinc aiunt, partes seminarias si inciduntur, non refici; id confirmant nonnulli, quia humor seminarius est radix vitæ nostræ, & est subiectum proprij, & naturalis caloris, nil autem agit in suũ subiectum. Insuper ille humor est huius conditionis, vt eo consumpto moriatur viuens, quare est necesse, vt semper aliquid eius seruetur, donec seruatur vita. Quæ sententia est dubia, quia iam patefeci humores præcedentes, & denuo genitos permisceri, esse consimilis conditionis, nec vnum dissolui super stite alio. Philoponus, com. 94. primo concedit partes omnes materiæ fluere, mox magis ex sententia loquens, ait nõ fluere omnes. Alex. in 1. Nat. qq. c. 5. inquit, non fluere partes omnes, & Auer. hoc ei tribuit, mox in calce eius cap. magis ex sententia loquens, ait, nil manere idem. Insuper in 4. Met. comm. 51. (si idem est Alex. quod non credo) ait: Manet itaque dum puer est, dum crescit, decrescit, & senescit, idem Socrates, eadem est ratio de lapide, ligno, auro, & cæteris. Ita Simpl. in 3. de Anima inquit, seruari idem indiuiduum ab initio ad finem vitæ, dubitatio itaque est valde perplexa.

Medici. *Euersio.* *Philopon.* *Alexan.* *Simplic.*

CAP. XVI.

Resolutio Difficultatis.

VT de proposita difficultate dicam id, quod sentio, & probabilius mihi videtur: vtor primo duabus distinctionibus. Prima est: Viuentia sunt duplicia, quædam imperfectiora, vt plantæ, alia præstantiora, vt animalia, & præsertim homo. Altera distinctio est, partem seruari eandem, contingit dupliciter: vel sine vlla prorsus varietate, vel cum aliqua mutatione qualitatum, & perfectionis. His præassumptis, duas profero conclusiones. Prima est, loquendo de vilioribus viuentibus, sæpe contingere puto, vt totum, & singulæ partes omnino mutentur, non autem de præstantioribus. Altera est, dum seruantur eædem partes vsque ad finem vitæ, non seruantur sine vlla varietate. Ratio primæ conclusionis est, quia initium plantarum est apprime exiguum, & resolubile, terminus ad quem magnus est, & solidus, insuper plantæ ob imperfectionem sunt minus vnum, quàm animalia perfectiora. Hinc ait Aristoteles in secundo de Anima, Plantas esse vnum actu, plures potentia, vt etiam aqua eiusdem fontis. Tertia ratio petitur ex innouatione, & regeneratione integrarum partium, quæ non competit perfectioribus viuentibus, ideo Aristoteles in lib. de long. & breu. vitæ ait, plantas singulis annis reddi iuuenes, nõ ita animalia. Ratio secundæ conclusionis est, quia singulæ partes continenter ob varietatem partium agunt, & patiuntur, & continenter quoque ab externo mutantur, ideo quamuis seruentur in parte secundum substantiam, variantur tamen accidentia, temperamenta, & formæ, quę remitti possunt, impuriores redduntur, sic seruantur modo ali-

Prima distinct. *2.* *Prima conclus.* *2.* *Ratio 1.* *2.*

quo ſecundum formam, id eſt eſſentiam, at accidentia variantur: hoc elucescit ex illo exemplo, quo vtitur Ariſtoteles ſumpto ex vino, cuius partes omnes redduntur impuriores: & hoc indicare voluit Alexander in 1. Natural. qq. cap. 5. Et ſi quis quærat, an ea quæ variantur, vel penitus vel in parte dicantur ſeruari eadem numero? dicamus, duplicem poſſe fieri comparationem, vnam inter id, quod eſt in principio, & id, quod eſt in fine, & hæc ſunt duo diſtincta numero, vel penitus, vel in parte. Alteram inter indiuiduum vnum, cui competat ortus, accretio, & interitus, & indiuiduum aliorum, cui ea tria, principium ſcilicet, medium, & finis, competant, & accipiendo indiuiduum pro conſtituto in toto hoc curſu, & prædito ea periodo, ſic idem erit indiuiduum, quia idem principium, medium, & finis ei competet. Ex his elicio primo, pro ſolutione nō eſſe fugiendum ad diſtinctionem partium, quæ vel ex ſemine, vel ex ſanguine prodeant, omnes enim ex ſententia Ariſtotelis prodeunt ex ſanguine, omnes variātur, quædam tamen minus, vt partes ſolidiores, quædam magis, vt humores. Elicio ſecundo, ſolutiones aduerſarum rationum; Oſtendebatur primo partes omnes variari, quæ quomodo varientur, patefactum eſt; Oſtēdebatur ex aduerſo, non poſſe variari omnes, cuius oppoſitum de plantis nonnullis abſolute conceſſi, de cæteris in parte. Ratio prima erat: quia tunc non ſeruaretur idem numero; iam dixi quomodo ſit, vel non ſit idem numero, quibus addo, quod ob ſimilitudinem regeneratarum partium, & quia non ſimul vniuerſæ variantur, & quia demum ſumitur indiuiduum pro conſtituto in curſu vitæ, cui vnum principium, vnum medium, & vnus finis competant, & idem ſit nomen, ideo idem numero ſeruari dicitur, nomen enim & deſcriptio indiuidui pro hoc aggregato eadē eſt, & officium animæ nutrientis eſt ſeruare, at non ſine fluxu partium, Ariſtoteli dicenti ſeruari formam, iam dixi denotari eſſentiam. Exemplum ex vino ſumptum eſt verum in parte, inſuper in vino nulla remanet pars, ſine aliqua alteratione, & permutatione. Addebatur ratio Philoponi, quia viuens poſſet ſeruari immortale: reſpondeo, id non ſemper, quoniam ea regeneratio ſemper eſt cum aliqua degeneratione, remiſſione, & impuritate, vt de vino dixit Ariſtoteles. De Elementis ſecus ſe habet: nam partes eorum ſunt indiuidua perfecta eiuſdem virtutis, apta ſeruari ſeorſum, & generare. Addebatur corpora ſenum reddi aridiora, & magis terrea: dico hoc contingere nedum de partibus ex ſemine, vel menſtruis ortis, verum etiam de ortis ex alimento, calor enim ſemper humorem trahit, qui dulcior eſt, leuior, & magis aereus, & inde elicitur ratio ſalſedinis maris. Addebatur ratio Alexandri relata ab Auerroe & Philopono, quia ſeruantur accidentia, & forma non valet ex ſubiecto in ſubiectum tranſire; Reſpondeo, non tranſire formam, ſed nouam ſecundum partes extenſionis refici, & accidentia ſeruari in parte ſimilia, non penitus eadem. Poſtrema ratio ſumpta ex ſeminario humore, facile ſoluitur: quia ille quoque reſoluitur, & cum alio ſuperueniente permiſcetur, & dum dicitur eo conſumpto conſumi vitam: Reſpondeo, conſumpto eo, vel cōſimili vices eius gerente. Addebatur, nil agere in ſuum ſubiectum. Reſpondeo cum Ariſtotele in lib. de longit. & breuit. vitæ, calorem eſſe tanquam flammam, & ſpiritum calidum, & ſiccum, non autem purum accidens: humorem vero vt oleum, flamma continenter debet refici, alioquin extinguitur. Dicere quod non agat in humorem, eſt idem ac dicere flammam non agere in oleum, agit itaque calor, qui eſt ſubſtantia calida tanquam flamma ab humore diſtincta in humorem, ex quo reficitur, & dum amplius refici nequit, tunc extinguitur. Ideo Ariſtoteles in libro de longitud. & breuit. vitæ inquit:

Alexan. | Elicitur primo. | Secundo. | Ratio Philopo. | Ariſtot.

Alimentum sumentia animalia, & plantæ intereunt, consumit enim ipsum seipsum, vt multa flamma consumit paucam, eo quod alimentum consumit, ita insitum calidum primum coquens consumit materiam in qua est, &c. Conspicue Philosophus difficultati satisfacit, & humorem nuncupat materiam eius caloris, non in qua sit tanquam accidens, sed ex qua reficitur, ideo agit in eam. Ex his elicio primo, quomodo id intelligi debeat, quod enunciatur in secundo de Anima, nimirum viuentia eousque nutriri, quousque viuunt, id enim non est necessarium de partibus solidis, quæ non continenter reficiuntur, sed solum de calore vitali sumpto pro spiritu calido, qui se habet perinde ac flamma, quæ pro sui conseruatione continenter ex oleo debet refici, vt patefecit Philosophus. Insuper colligo de plantis, & cæteris viuentibus, magis dici posse non ea quæ nascuntur interire, quam de homine, in eis enim nil superest, quod à permutatione sit immune, in homine autem superest mens, quam sine medio à Deo suscepimus, cuius essentia mutationi non est obnoxia, ideo niti pro facultate tenemur, eam seruare puram, vt tanquam generosam prolem sine macula Parenti, & creatori suo illam restituamus.


FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Sensu visus,

LIBER VNVS.

CAP. I.

De Obiecto visus.



CVLI & Visus inter sensus adeo præstant, & fulgent, vt per Metaphoram tribuãtur Cœlo, tribuantur Menti, tribuantur Deo, cuncta ad hunc sensum conspirantia, digna sunt consideratione: ideo de cunctis loquens, ordiar ab Obiecto: agam secundo, de medio, nempe de perspicuo, & opaco; tertio, de Lumine; quarto, de functione muneris, & modo quo videmus; quinto, de facultate videndi; sexto, de Instrumento; & denum de præstantia sensus Visus. Videndi sensum ob id præsertim maxime diligimus, quia plutimas rerũ differentias nobis patefecit, vt docuit Philosophus in procemio Metaphysicę. Propterea iure dicitur Dux nostrarum inuentionum; Et quoniam vnius facultatis cognoscentis, vnum debet esse per se, & proprium obiectum, ideo, quodnam obiectum Visus statui debeat, primo considerandum occurrit. Sub Obiecto per se & proprio, nec ea quæ ex accidenti sentiuntur, nec sensibilia communia contineri debent, sed ea cuncta, eaque sola, quæ per se ab eo solo sensu iudicantur.

Ordo seruandus.

Cur sensũ visus maxime diligamus.

De Obiecto.

Quæ sensibilia omnia, in vnum commune genus, vel vniuocum, vel ab vno redigi debent, cuius differentiæ eodem sensu iudicentur: oppositorum enim eadem est facultas, & disciplina. Vt obiectum sensus visus inueniatur, numeranda primo sunt ea omnia, quæ videtur, hæc autem sunt lucida omnia, & cum eis lux, radij, lumen, & perspicuum lumine præditum, quæ vt videantur, alio non egent; Secundo, colorata, quæ solum videntur præsente lumine; Tertio, dantur nonnulla, quæ in solis tenebris inspiciuntur, vt oculi, & squammæ piscium, fungi nonnulli, quercus putrida, & similia; Demum tenebræ; Hæc cum sint varia, in duo tamen capita rediguntur, in lucem, ad quam redigitur lumen, radius, splendor, perspicuum, illuminatum, quod solum videtur per lumen; Vmbra, & tenebræ, quæ per luminis priuatione͂ iudicantur, & in colores; Propterea de his duobus est dubitatio, an ambo, vel alterum, vel aliquid commune vtrisq; statui debeat obiectum proprium, & per se facultatis videndi; Academicorum nonnulli, id sumentes ex Phœnicum Theologia, dixerunt, quod cum in superioribus ea sint coniuncta, quæ apud nos seiuncta sunt, vt in attinentibus ad mentem, primum intelligens, nempe diuina mens etiam est primum intelligibile, ita in attinentibus ad sensum visus, primum sentiens est primum sensibile, huiusmodi autem dixerunt esse solem, quem & primum visibile, & primum videntem oculum affirmarunt. Hinc Orpheus solem, primum & communem mundi oculum nuncupauit, & ob id sol videtur debere statui obiectum visus, cum omne quod per se videtur, vel sit sol, vel quædam eius participatio. Hæc opinio id veri includit, quod sol est fons præcipuus luminis, sine quo nil inspicitur. Absolute tamen non est vera, primo, quia sol non videt, cum cœlum careat sensibus, ex tertio de Anima, 61. Secundo, quia sol non videtur, sed solum lumen ex sole in alia effusum, vt recte ait Simplicius. Tertio, quia nonnulla etiam noctu no͂ præsente sole videntur. Quarto, quia sol suo lumine potius illustrat obiectum visus, quam sit eius obiectum. Quinto, quia facultas materiata, obiectum aliquod materiatum exposcit. Sexto, quia etiam alia lucent pręter solem, vt incensiones, & flammæ. Propterea alij probabilius dixerunt, lumen debere statui obiectu͂, omne enim quod videtur, vel est lumen, vel videtur per lumen, & vt Simpl. enunciauit in 2. de Anima, 67. omne quod inspicitur, vel est lumen, vel lumini cognatum. Et Alex. in 1. de Anima, c. 13. dixit, Lumen maxime, & præsertim visibile est, & est causa vt cætera videantur. Auer. com. 72. 2. de Anima affirmauit, Lumen per se esse visibile, colorem vero mediante lumine. Confirmatur hæc sente͂tia: quia visibilia debent redigi in vnu͂ primum genus, & id statui debet obiectu͂: hoc primum non est color, cum sit posterior lumine, participatio luminis, & solum videntur ope luminis: quare id primu͂ genus lumen est, & id videtur debere statui obiectum visus. Hæc opinio aduersatur Arist. qui in 2. de Anima colorem dixit per se visibilem, aduersatur experientiæ, quia nil videmus, & per nil terminatur vide͂di officium, nisi per colorem, & coloratu͂, nam si lumen inspicimus, semper id intuemur, vt aliquo colore prędictum, aduersatur rationi, quia instrumentum, debet esse immune ab obiecto, vt id recipere valeat: oculus autem omnium partium nostri corporis maxime lucidus est. Propterea est opinio tertia, dicentium obiectum visus esse colorem, hoc enunciauit Galen. in 7. de Placitis, Hippo. & Plat. inquiens, proprium, & primum sensibile sensus visus, color est. Et Plato in 6. de Repub. non dixit lumen esse obiectum visus, sed esse iugum, quo obiectum cum facultate, & instrumento videndi connectitur. Confirmatur: quia lumen ad colorem redigitur, lumen enim ab Aristotele dicitur tanquam color perspi-

Quæ videntur. *Academici.* *Orpheus.* *Opinio 1.* *Euersio.* *Opin. 2.* *Simplic.* *Alexan.* *Auer.* *Confirmatio.* *Euersio.* *Opin. 3.* *Galen.* *Plato.* *Confirmatio.*

perſpicui, & Lumen dum videtur, ſemper videtur vt colore aliquo præditum. Hæc opinio dubia eſt, quia male per eam Lumen ad colorem redigitur, nã prius non debet redigi ad poſterius, ſed econtrario, Lumen eſt prius colore, & qualitas cœli, quare non Lumen ad colorem, ſed potius color ad Lumen redigi debet. Confirmatur: quia non Lumen per colorem, ſed contra, color per Lumen videri dicitur. Et demum in aſſignando obiecto, vti debemus vocibus propriis, dum Lumen dicitur tanquam color perſpicui, non proprie, ſed per metaphoram dicitur color, hæc itaque opinio non eſt approbanda. *Euerſio.*

CAP. II.

De Obiecto Viſus opinio propria.

VT conſtet quodnã ſtatui debeat per ſe, & proprium obiectum viſus, præacipio huiuſmodi Obiectum tripliciter poſſe vſurpari, primo, pro omni per ſe viſibili, ac ita Color, & Lumen eſt obiectum facultatis videndi. Hoc indicauit Ariſt. in principio, cap. de ſenſu viſus, inquiens, viſibile eſt color, & id quod nomine caret, indicans varia quæ videntur vt luce prędita. Secundo vſurpari poteſt pro primo quod eſt cauſa aliorum vt videantur: huiuſmodi eſt Lumen, vt recte ex ſententia Theophraſti dixit Priſc. Lydus in lib. de anima, cap. 22. vel demum vſurpatur pro eo, in quod deſinit officium videndi, & proprie facultatem videndi format, quod magis proprie obiectum dicitur, & huiuſmodi eſt color. At ex hac reſolutione varia prodeunt dubia; Primum eſt, quia per eam non ſoluitur dubitatio: nam adhuc eſt dubium quodnam abſolute ſtatui debeat obiectum proprium, & adæquatum, quod vnum eſſe debet. Inſuper, ſi color eſt obiectum, vel huiuſmodi eſt color vniuerſalis, vel particularis, nõ vniuerſalis: quia vniuerſale non apprehenditur ſenſu, non particularis, & quia tunc facultas vidẽdi non apprehenderet omnes colores. Præterea, ſi color eſt obiectum, vel huiuſmodi eſt color ex temperamento conſurgens, & ita non includeret colores Iridis, & nubium, vel eſt color late ſumptus, vel ex temperamento, vel ex lumine in nube recepta prodiens, & hoc non eſt genus vnum, cum ſint colores diſtincti generis. Reſpondeo, dum dicimus obiectum debere eſſe genus vnum, id verum eſt de obiecto proprie, & eodem modo ſumpto, huiuſmodi eſt color, in quem deſinit actio videndi, Lumen & Color ſunt duo ſubordinata, & ambo diſtincta ratione ſunt obiecta, vnum vt cauſa, aliud vt terminus, quæ ſubordinatio in ſolo reperitur viſu, non in aliis ſenſibus ob eius dignitatem: ideo Plato in Timeo dixit, Viſum eſſe ſenſum ſumptuoſiſſimum, cum multis egeat, & expoſcit Lumen, quia eſt ſenſus maxime ſpiritalis, motio etiam colorum ſpiritalis, Lumen expoſcit, ea autem duo ſubordinata, ſi in vnum deberent redigi, ob rationes ſupra relatas, potius in Lumen, quam in colorem redigenda eſſent, quamuis color magis proprie dicatur obiectum. De ſecunda difficultate dico, colorem tribus modis poſſe ſummi: Primo, pro hoc definito, vel illo colore. Secundo, pro colore indefinite & vniuerſe ſumpto, exiſtente in particularibus, quod dicitur vniuerſale in re. Tertio, pro colore vniuerſe ſumpto ſecreto per Mentem a particularibus: color tertii ordinis pertinet ad mentem, color ſecundi ordinis pertinet ad facultatem videndi, & eſt eius obiectum, color primi ordinis pertinet ad particulares viſiones: hoc indicauit Ariſtoteles in calce ſecundi Poſter. inquiens, facultatem ſentiendi eſſe ipſius vniuerſalis, actum vero ſingularium, facultas ſentiendi dicitur eſſe ipſius vniuerſalis, quatenus æque valet iudicare colorem o-

Obiectũ tripliciter vſurpatur.

Prima dubitatio.

Secunda.

Tertia.

Solutio.

mnem, quia color est, non tamen est vniuersalis seiuncti, sed existentis in particularibus, actus autem videndi contrahitur ad varia particularia, facultas & actus dicuntur esse eiusdem obiecti, at non eodem modo. De tertia difficultate dico, nomine coloris debere intelligi colorem omnem, vel ex tẽperamento, vel ex lumine prodeuntem, quia consimiliter mouent, & formant facultatem videndi, & quamuis non sint eiusdem generis secundum essentiam, tamen sunt eiusdem generis per repræsentationem, & apparentiam, & sunt eiusdem generis modo quodam ab vno, non vniuoce.

CAP: III.

De Perspicuo quid sit, & vnde prodeat.

Medium variorũ sensibilium variorum.

VT obiecta sensuum quæ per externum medium iudicantur, agant in sensus nostros, exposcunt in medio definitam quandam affectionem, munere cuius ea actio deferatur instrumenta sensuum, seruetur consensio, & consurgat connexio extremorum per medium. Hæc affectio inseruiens pro deferendo sono, a Græcis dicitur διηχὲς pro deferendo odore δίοσμον, pro deferendo Lumine, & actione colorem, dicitur διαφανὲς Latine perspicuum, & perlucidum, de quo nunc differendum occurrit. dari perlucida corpora ex se constar, ideo solum quid sit, vnde prodeat, quibus competat, & quos vsus præbeat, considerare tenemur. *Quid sit.* Perspicuitas cum sit aliquid, necessario vel est Substantia, vel Accidens, Non Substantia, quia hæc solum ex accidenti sensu percipitur. & non magis vno, quam altero sensu: perspicuitas autem solo sensu visus iudicatur. Et confirmatur: quia vt consideranti redditur notũ, nec Materia, nec Forma, nec Substantia composita esse potest, quare est accidens, & cum sit accidens, ad illud vllum Prædicamentum non videtur posse pertinere, nisi vel ad Quantitatem, vel ad Qualitatem: nõ est Quantitas, quia ea est sensibile per se, & commune, perspicuitas autem a solo visu, & ex accidenti percipitur, vt lumine formata. *Perspicuitas est Qualitas.* Confirmatur: quia corpus denominatur perspicuum, quod non accideret, si perspicuitas esset corpus. Est igitur Qualitas, & iure, cum per eam corpora denominentur Qualia. Sed cum sit Qualitas, vel est Qualitas prima, vel secunda, non prima, quia primæ Qualitates sunt Calor, Frigus, Humor, & Siccitas, quare est Qualitas secunda. Quæ secunda Qualitas vsurpatur dupliciter, vel proprie, & huiusmodi sunt Qualitates ex temperamento prodeuntes, competentes solis mixtis, in quorum genere non est perspicuitas, vel late pro omni Qualitate in mortalibus, sequente primas, quæ etiam Elementis competere potest, & huiusmodi est perspicuitas, grauitas, leuitas, raritas, & densitas, quæ tamen in mixtis magis proprie sunt. *Qualitates secundæ.* Est igitur perspicuitas Qualitas tertiæ speciei, similis Qualitatibus secundis. Perpendendum modo est, vnde prodeat. *Vnde prodeat perspicuitas. Auerroes.* Dixit Auerroes in secundo cap. de Substantia Orbis, densitatem & raritatem videri causas perspicuitatis, & opacitatis, & ob id Terra cum sit apprime densa, fortasse perspicua non est. Verum hæc causa non videtur esse approbanda, nonnulla enim sunt rara, & non perspicua, vt Lana & lignum aridum, alia perspicua, & densa, vt preciosi Lapides, vitrum, & similia. Potius itaque est dicendum, raritatem & densitatem conducere quidem pro perspicuitate & opacitate, non autem esse causam totam & principalem, sed eam hanc esse, quia perspicuitas habet quandam cum Luce consensionem, & affinitatem, & propterea sequitur naturam & conditionem Cœli immunem a fece Terrea,

Terrea, vel ei ſimili, & competit omnibus quæ cum Cœlo, & Luce habent quandam affinitatem, cuius conditionis maxime expers eſt Terra, & ob id opacitas primo competit Terræ, & includentibus cōditionem eius, veluti Lunæ quæ cæleſtis Terra eſſe dicitur; perſpicuitas vero primo, ſequitur naturam, & conditionem cęleſtem, immunem a fece Terrea, & eius conditione, mox conditionem Elementorum cum cœlo affinitatem quandam habentium, & immunium a fece & conditione Terrea. Hinc dum aliquid cupimus perſpicuum reddere, a fece Terrea illud nitimur expurgare. Ideo recte Alexander in primo de Anima, capitulo decimotertio, enunciauit, Terram impedire perſpicuitatem, idque ei competit ob conditionem ſuam alieniſſimam ab ea cœli. Sic in Vniuerſo, ſuprema corpora ſimul ſunt perſpicua, & lucida, infima, nec perſpicua, nec lucida, Media cum non ſint lucida, ſaltem ſunt perſpicua; Cum apparuerit quid ſit perſpicuum, & vnde ortum ducat, conſiderandum occurrit an ſit natura vna, vel multiplex? Enunciauit Philoſophus in ſecundo de Anima 68. nec aerem, vt aer eſt, nec aquam vt aqua eſt, eſſe perſpicuam, ſed quatenus in his & perpetuo ſupero corpore, eadem ineſt natura: at hoc eſt dubium, quomodo æternis & mortalibus eadem, valent competere natura. Dicamus cum Ariſtotele in quinto Metaphyſicæ, contextu duodecimo, eſſe vnum contingere variis modis, nimirum, numero, ſpecie, genere, & analogia. Inſuper, eſſe vnum genere, contingit dupliciter, vel genere vniuoco, vel ab vno, perſpicuitas eſt natura vna, non vniuoce, ſed vnitate ab vno, primo enim competit æternis, mox mortalibus ordine quodam, & quibuſdam exactius, aliis obſcurius, non tamen ita eſt ab vno, vt primum ſit cauſa quod ſequentia ſint talia, ſed ſolum ordine quodam perfectionis, nil enim commune vniuocum eſt æternis & mortalibus. At dubitatio eſt, quoniam eorum quæ ſunt ab vno, non eſt natura vna in omnibus eadem, Ariſtoteles autem dixit, eandem perſpicui naturam, cœlo & mortalibus competere, dixit Zimara his quæ ſunt ab vno reſpondere conceptum vnum, at non naturam vnam: quod confirmat authoritate Themiſtii, ſed errat, neque enim Themiſtius id dicit neque ſententia vera eſt, non enim conceptus poteſt dici vnus, niſi natura ſit vna, conceptus enim vnus eſt per naturam quæ concipitur, cum ſit res quæ concipitur per repræſentationem, nam quia res eſt, vel non eſt, enunciatio dicitur vera vel falſa. Præterea, aduerſatur Ariſtoteli qui per verba relata, dixit eſſe naturam vnam. Quare dicamus, his quę ſunt ab vno, competere quidem naturam vnam, at non vniuoce, ſed ab vno, & ſimilter putandum eſt ſe habere de conceptu & notione eius.

Alexander.

An perſpicuitas ſit natura Vna.

Solutio.

Dubitatio.

Solutio.

CAP. IIII.

Quibus corporibus competat perſpicuitas.

EXPLICATA perſpicuitatis conditione & origine, ſequitur vt conſideremus quibus corporibus competat, pro notitia conſiderandum perſpicuitatem vſurpari dupliciter, per Metaphoram & proprie; per Metaphoram, tribuitur Menti, ingenio, & aliis nonnullis: proprie autem ſolis competit corporibus, cui opacitas opponitur. Inſuper accipiendum perſpicuum eſſe duplex, vel terminatum, vel non terminatum, diſtinctio elicitur ex libr. de Senſu & ſenſili. Perſpicuum interminatum eſt id, quod omnino lumini eſt peruium, & ab opaco eſt immune, vt eſt aër, orbes cęlorum & ſimilia, perſpicuum terminatum, eſt id perſpicuum, quod cum opaco eſt iunctum, adeo vt opaco terminati dicatur,

Diuiſio perſpicuitatis.

veluti sunt metalla & alia mixta, quæ quamuis constent ex Elementis perspicuis, tamen includunt opacum Terreum quo terminari dicuntur, adeo, vt lumini peruia non sint. Hinc Aristoteles Lumen ait esse actum perspicui interminati, colorem vero esse actum perspicui terminati. His præassumptis, cum quæratur quibus corporibus perspicuitas competat, proculdubio ea nō competit corpori Mathematico: id enim abiunctum est a Qualitatibus cum primis, tum secundis, sed competit corpori Physico; sed dubium est, an competat omni. Aristoteles in secundo de Anima, 68. dixit competere nō omnibus, sed multis corporibus, & confirmatur: quia si in Vniuerso reperitur vnum contrariorum, etiam alterum reperiri debet: perspicuo opponitur opacum, quare cum dentur corpora perspicua, etiam debent dari opaca, & huiusmodi est Terra. Ex aduerso Iulianus in lib. de Sole, Iamblichus & multi Academicorum inquiunt, perspicuitatem competere cunctis corporibus Physicis, vel magis, vel minus, & ea quæ opaca dicuntur, non opaca penitus, sed minus perspicua iudicari debere, veluti Terra. Quod autem etiam Terra perspicuitatis sit particeps, ostendunt, quia in eius visceribus per radios solis multa gignuntur, quod nō fieret nisi Terra Lumini esset peruia. Id confirmant: quoniam Terram putabant Anima præditam, Mentis compotem, ex anima, quæ vita est, aiunt prodire calorem, & quoniam est vita Mentis, inquiunt ex ea prodire Lumen, & vnà cum Lumine perspicuum, quod est via Luminis. Hinc inferunt puras Tenebras non dari, nam adeo potēs est diuinum Lumen, adeoque cætera eo egent, vt per omnia meet, cuncta seruans, & perficiens. Confirmatur horum sententia, quia Terra apparet colorata, color dicitur actus perspicui terminati, quare etiam in Terra perspicui aliquid includitur, quamuis sit terminatum. Ideo Alexander in primo de Anima, cap. 13. in secundo de Anima 39. in lib. de Sensu, & sensili, comm. 13. omnia corpora aliquid perspicuitatis includere affirmat, quod etiam enunciauit Simplicius, in 2. de Anima. 68. Res itaque dubia est. Pro solutione dicamus, in Vniuerso inueniri, & corpora prædita perspicuitate interminata, veluti aer, orbes cœlorum, & similia, & corpora opaca penitus, veluti est Terra sincera, & pura, vel saltem ei proxima. Et corpora prædita perspicuitate terminata, qualia sunt mixta, includentia perspicuitatem, crasso Terreo terminatam, vt metalla. Dantur etiam quædam prædita perspicuitate, partim termino prædita, partim non, vt vitrum, lapilli preciosi, qui simul & colorati & lumini peruii sunt. Cōcedendum est itaque opacum: hoc tamen verum est quod cum Terra pura nō detur, vix reperitur Terra omnino perspicuitatis expers, sed quamuis in parte lumini det aditum, id tamē efficit per exiguam portionem, & tam obscure, vt sensum fugiat. Alexander dixit omnia corpora aliquid perspicuitatis includere, quia Terra apud nos pura non reperitur, cætera autem vel sunt perspicua sine termino Terreo, vel termino prædita. Rationes aduersæ facile diluuntur. Soluitur prima, quia per radios Solis varia gignuntur, in antris & cauitatibus Terræ, externæ superficiei proximioribus, ad quas radii effundi valent per meatus exiguos terræ aere plenos. At in visceribus intimioribus Terræ nullum mixtum gignitur. Addo insuper, radios potius facultate, quam propria essentia ad eas partes extendi: cum enim radii calefaciant superam Terræ faciem, per illam excalefiunt mox interiores ei iunctæ partes, quo calore, varia mixta gigni possunt. Addebant, cuncta debere perfici & seruari a Cœlo per Lumen. Respondeo, pro generatione Terræ etiam conducere lumen cœli, id tamen est necessarium pro conseruatione ordinis Vniuersi, & totius Elementi Terræ, at non pro di-

Quibus corporibus competat perspicuitas. *Iulianus. Iamblichus.* *Alexander. Simplicius. Resolutio.* *Alexander. Diluuntur rationes.*

stincta conseruatione singularum partium eius. Id quod addunt de Anima, Mentis compote, per Terram effusa, & per reliqua Elementa, reiicitur ab Aristotele in primo de Anima. His explicatis duæ occurrunt difficultates: Prima est, quomodo dari possit perspicuum terminatum, nam id simul erit perspicuũ, & opacum, quæ duo sunt contraria, & inuicem pugnantia. Altera est quomodo dari possit corpus, quod simul sit Lucidum & perspicuum, vt ignis, cum recipiens debeat esse nudatum forma recipienda. Prima dubitatio soluitur, dicendo, contraria posse simul seruari cum aliqua remissione in mixto, ita in eodem seruari potest & opacitas & perspicuitas, & exiguum opacum potest plurimum perspicui terminare, quia facile est inficere, & fœdare id quod purum est. Altera dubitatio soluitur, dicendo, perspicuũ esse duplex, vel actu, vel potestate: perspicuum cum luce, est perspicuum actu sine luce vel Lumine, est potestate. Corpus Lucidum non valet recipere lumen, pro eo gradu in quo habet, sed pro eo quo caret, vt Cœlum ex se lucidum, vlteriorem gradum luminis recipere aptum est: in Luna hæc omnia insunt, ea ex se partim est opaca, hinc parit Eclypsim in Sole, partim lucida, cum sit ex se prædita luce aliqua exigua & obscura; partim demum est perspicua, cum recipiat in externis partibus lumen a Sole.

Prima dubitatio. *Secunda.* *Solutio prima.* *Solutio secunda.* *Luna.*

CAP. V.

Quos vsus Perspicuitas, & Opacitas præbeant.

NIL in Vniuerso reperitur redundans, quod vtilitatem aliquam non præbeat: ideo perspicuitas, Cœlo & mortalibus competens, sine destituta iudicanda non est. Eximia profecto vtilitas ex perspicuitate in vniuersum effundi videtur: nam eius auxilio Cœlestia munera per Vniuersum effunduntur: nisi enim cuncta vsque ad Terram perspicua essent, non mearet per ea Lumen, cuius munere gignuntur, seruantur, & perficiuntur mortalia. Ideo recte Priscu. Lydus, Simplicio coætaneus, in Theophr. de anima c.17. inquit: Perspicuũ esse speciem conciliatricem eorũ corporum, quæ in generatione sunt posita, pro recipienda Luminis perfectione. Lumen & perspicuum adeo familiaria sunt, & per naturam iuncta, vt Lumen non nisi in perspicuo recipiatur, ac insuper valeat sua facultate reddere corpora perspicua. Cum enim Lumen calefaciat, attenuet, & purget, purgando & atrenuando, reddit ea perspicua. Et cum Lumen sit Qualitas quædam Cœlestis, id solum vitat quod Terreum est, & a Cœli conditione summe distans. Terra cum non sit perspicua, sed opaca, quamuis Lumen non recipiat, tamen id non recipiendo, ei inseruit, nam repercutiendo radios, eos geminat, potentioresque reddit; Et mira Prouidentia factum est, vt opacum in centro Vniuersi positum sit, ita enim inferioribus corporibus non obest, superioribus vero prodest, reflectendo radios in ea. Et quãuis Terra opaca sit tamen in supera eius facie cum lumine nectitur, redditur fœcunda, & innumeras parit mixtorum & viuentium species. Insuper conducit perspicuum pro generatione colorum tanquam materia proxima pro officio videndi, & pro diei constitutione. Tres hoc in loco se offerunt diluendæ difficultates: Prima est, cum perspicuum dicatur capax Luminis & tenebrarum, num eodem modo eorum sit capax? Altera est, an re vera Lumen in perspicuo recipiatur? Tertia, quomodo perspicuum videatur. Soluitur prima dubitatio præassumendo tenebras esse priuationem luminis, & quia forma est quæ recipitur, non autem priuatio, & potentia respicit formam, non priua-

Vtilitas perspicuitatis. *Solutio prima diffic.*

tionẽ, alioquin daretur priuatio priuationis, ideo dico, in perſpicuo nō duas eſſe potentias, ſed vnam, eamque ad lumen, & lumen in eo recipi, non tenebras, quia Tenebræ cum ſint priuatio, nil aliud ſunt niſi abſentia luminis in ſubiecto apto recipere lumen; Si tenebræ eſſent contrariæ lumini, & non pura priuatio, vt nonnulli exiſtimarunt, tunc potentiæ, & formæ quæ reciperentur, duæ eſſent. Hinc Simplicius dubitauit in ſecundo de anima, an potentia ad lumen & tenebras vna ſit, vel duæ: nam ſi tenebræ ſunt priuatio, potentia eſt vna, ſi ſunt forma contraria, potentiæ erunt duæ. Altera dubitatio erat, num re vera lumen in perſpicuo recipiatur; Sententia fuit Auicennæ ſexto naturalium, cap. primo & ſeptimo: Lumen non recipi in perſpicuo, ſed in corpore opaco, & colorato, quod cum extrinſecus illuſtretur, dicitur illuſtrari perſpicuum: nam perſpicuitas nil denotat niſi priuationem impedimenti, perſpicuitas enim impedimento non eſt corpori colorato, diſtanti ne a lucido illuſtretur. Eiuſdem opinionis fuerunt Auempaces, Linconienſis, & alij viri docti: Quibus profecto aſſentiendum non puto, quoniam nil tranſit ad extremum, niſi in medio recipiatur, inſuper in medio perſpicuo varia apparent opera luminis, nam attenuatur, calefit, purgatur, quæ non fierent, niſi lumen in eo reciperetur. Inſuper, ab Ariſtotele, lumen dicitur actus, & color perſpicui, & perſpicuum dicitur videri per alienum colorem, nempe per lumen, & ſi medium eſſet inane, quia nō poſſet deferre lumen, etiam non poſſet a Lucido corpore opacum diſtans illuminari. Putandum itaque eſt, lumen in perſpicuo recipi, non autem a nobis inſpici, niſi a ſolido & opaco repercutiatur, quia (vt ſuo loco patebit) Lumen in medio habet eſſe ſpiritale, agentia autem ſpiritaliter non percipiuntur, niſi vel per repercuſſionem, vel directe in nos agant. Quærebatur poſtremo, quomodo perſpicuum videatur? Reſpondeo breuibus, perſpicuum non videri per ſe, nec vt ſenſibile commune, quia ſolo viſu percipitur: nec vt proprium, quia non mouet ſua forma inſtrumentum videndi, ſed ſentiri ex accidenti, non vt ſenſibile vnius ſenſus, ex accidenti percipitur ab aliis, nullo enim ſenſu per ſe percipitur, nec vt Subſtantia: nam Subſtantia ab omni ſenſu ex accidenti percipitur, perſpicuũ a ſola facultate videndi. Inſuper, Subſtantia non defert ſenſibile alicuius ſenſus, perſpicuum vero tanquam medium defert actiones colorum. Neque ſentitur ex accidenti vt puta priuatio, quemadmodum videbatur exiſtimare Auicēna, quoniam perſpicuum præter id quod non impedit tranſitum viſibilium, etiam Lumine formatur, per quod videtur. Quare colligendum eſt, perſpicuum ſentiri ex accidenti a ſolo viſu, quatenus videtur per formam alienam, nempe per Lumen, & videntes per medium perſpicuum cetera per ſe viſibilia, dicimur videre perſpicuũ, præſertim tamen iudicatur ſenſu interno, ope ſenſus viſus: Et dum accidit vt idem ſit perſpicuum, & coloratum, vt vitrum viridi, id tanquam coloratum videtur per ſe, vt perſpicuum videtur ex accidenti, modo explicato. Ex his colliguntur Definitiones.

Soluitur ſecunda. Auicenna. *Euerſio.* *Solutio tertia diffic.*

Definitiones.

Color quid. Color eſt actus perſpicui terminati, ex eius lucidiore cōditione tanquam flos emicans, oculo congruens, in quem ſpiritaliter ope Luminis agit.

Perſpicuitas quid. Perſpicuitas eſt Qualitas ſecundis ſimilis, ſequens conditionem corporis a Terrea fece immunem, competens ordine aliquo cœlo & mortalibus, lucidorũ munera viſibiliumque actiones in alia deferens.

Perſpicuitas terminata quid. Perſpicuitas terminata eſt ſecunda Qualitas, conſtituta ex interminata perſpicuitate, & opacitate Terrea, per quam terminatur, & colorum eſt fundamentum.

Opacitas

Opacitas est Qualitas secundis similis, nec luminis, nec tenebrarum capax, sed tenebrarum origo, Lucido obsistens, eiusque radios reddens repercussione validiores. *Opacitas quid.*

Cap. VI.

De Luce & Lumine an sit corpus, opiniones variæ.

Apparvit quid sit perspicuum: at nisi refulgeat Lumen, in tenebris versamur, Luminis consideratio cum ex se vtilis est, & præclara, tum pro notitia attinentium ad Visum, apprime necessaria. De quo agens, hæc quinque capita præsertim nitar explicare. Primum, an sit corpus. Alterum, si non est corpus, an sit Qualitas spiritalis. Tertium, quibus competat, & ex quo principio fluat. Quartum, quos vsus præbeat. Demum, pro quo requiratur vt videamus, num pro medio, vel pro obiecto. Ordiens a primo, cum quæratur an Lumen sit corpus, accipio octo in attinentibus ad Lumen considerati gradus, respondentes octo gradibus constituentibus Vniuersum; In gradu supremo, est Lucidum, nempe Sol, proportione respondens Deo. In secūdo, Lux eius, proportione respondens Sapientiæ Dei. In tertio, Radius ex Lucido prodiens, respondens cœlorum Mentibus. In quarto, Lumen respondens Animæ rationali. In quinto, splendor apparens in vmbra, ex radio repercusso a speculo, & similibus, respondens animis brutorum. In sexto, Vmbra prodiens ex leui repercussione Luminis, veluti arbores vmbram parientes impediunt directum transitum radiorum, sed non leuem & obliquam luminis repercussionem, vmbra proportione respondet Naturæ, & formis infra Animam collocatis. In septimo gradu sunt tenebræ, respondentes priuationi primæ Materiæ. In octauo, reperitur opacum, respondens conditioni materiæ, quæ est tanquam fex rerum. Hi gradus ita sunt iuncti & colligati, vt inferiores per superiores perficiantur, & ex eis pendeant, & per inferiores detur ascensus ad superiores. Cum itaque gradus varii sint, ego potissimum loquar de Lumine, & tenebris, ex quorum explicatione cæteri refulgebunt. De Lumine (vt genus appareat) primo considerandum occurrit, an sit corpus: qua de re opniones sunt variæ. Nonnulli existimantes Lumen esse corpus, vt Democritus, Leucippus, & Epicurus dixere, dari ex corporibus defluxus quosdam, qui essent tanquam exuuiæ, & simulachra rerum, & ideo ex Lucido corpore putarunt defluere simulachrum eius, quod cum sit simulachrum corporis, seruat conditionem eius, Hinc cecinit Lucretius libr. 4.

Quinque de Lumine declaranda.

An Lumen sit corpus.

Octo gradus ad Lumen attinentes.

An Lumen sit corpus.

Opinio Democriti, Leucippi, & Epicuri.

Praeterea si quae penitus corpuscula rerum
Ex alto in Terras mittuntur, Solis vti Lux.
Ac vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei
Per totum cœli spatium, diffundere sese,
Perque volare mare, ac Terras, Cœlumque rigare. &c.

Putarunt itaque hi, radios esse copora; meare per poros, ac momento effundi. Cuius opinionis etiam fuit Empedocles. Ex aduerso multi Academicorum dixere, Lumen esse quidem corpus, sed spiritale, quod cum materiæ sit expers, meare valet per materiata corpora, non enim putarunt absurdum, corpus vnius generis, meare per aliud distincti generis, vt corpus Prædicamenti Quantitatis, simul est cum corpore Prædicamenti Substantiæ. Huius opinionis præsertim fuit Iamblichus; Plato frequenter indicauit Lumen esse corpus, &

Empedocles. Academici.

Iamblichus.

Plato.

præsertim in Timeo, dum Lumen dixit esse speciem ignis, at ignis corpus est. Insuper, dum dixit ex Lumine prodeunte ex oculis, & ex externo, vnum confici corpus. Aristoteles etiam nonnunquam Lumen dixit corpus, vt in vndecima partic. Problematum 33. inquiens: radios autem corpora esse dixeris. Et in secundo de Cœlo, 44. inquit, Calorem & Lumen gigni attrito a Solis latione aere, & quia Sol non tangit nisi per Lumen, ideo denotauit Lumine teri aerem, quod non fieret, nisi esset corpus. Hinc Lucillus Philalteus, eo loci ait, Lumen esse corpus. & Flamm. Nob. in primo de Ortu & interitu, inquit Aristotelem loqui supposita veterum vulgata opinione, quod Lumen sit corpus. Simplicius hac de re loquens, non sibi constat: nonnunquam cum Aristotele negat Lumen esse corpus, vt in secundo de Anima 62. nonnunquam ait esse copus, & transire per meatus aliorum corporum, vt in secundo lib. de Cœlo 29. Nonnũquam esse corpus, cui reliqua corpora impedimento non sint, vt in sexto Physic. 23. Non defuere nonnulli, qui Lumen dixere esse spiritum ex Anima Vniuersi, Mentis compote prodeuntem, & per omnia effusum, quam etiam Quintam nuncuparunt essentiam.

Arist. *Lucillus.* *Flamminius.* *Simplicius.*

CAP. VII.

Rationes putantium Lumen esse corpus, & aduersa.

QVOD Lumen sit corpus Philosophi varii, ex variis desumpserunt, Democritus & Epicurus vtebantur ratione sumpta ex defluxu ex uuiarũ & simulachrorum ex rebus, quem Lucretius lib. quarto variis experimẽtis nititur comprobare, quæ silentio prætereo. Academici id ostendunt: quia colores mouent Lumen, quod exit ex oculis, & cum externo lumine nectitur, quod Lumen non moueretur, nisi esset corpus. Insuper, id eliciunt ex perfectione sphęrarum cœli, sphęra enim vt sit perfecta, debet extendi vsque ad centrum, non autem ita extenderentur, nisi Lumen per quod extenduntur esset corpus; quo fundamento vtitur Simplicius in 6. Phys. 23. Insuper, vtuntur fundamento sumpto ex Mente, vnà cum anima, effusa per omnia: nam ex mente cuius anima est particeps, dixere prodire Lumen tanquam spiritum, & cum Lumine perspicuum; Hinc Iulianus in lib. de Sole, ex opinione Iamblichi & Phœnicum dixit, Lumẽ esse diuinum actum, ab actu diuinæ Mentis per cuncta extensum. Stoici id approbarunt ratione sumpta ex cõnexione corporum, suo ordine vniuersum constituẽtium, quæ cum sint varia, exposcunt quasi communem spiritum, quo nectantur, huiusmodi est Lumen, quod non necteret corpora, nisi esset corpus. Comprobatur etiam eadem opinio rationibus nonnullis communibus, veluti quia Lumen turbat oculos, agitat eorum spiritus, quod non efficeret, nisi esset corpus. Insuper Lumini & radiis competunt conditiones corporum, figurantur enim, extenduntur, ingrediuntur, egrediuntur, repercutiuntur, quæ solis corporibus competere posse videntur. Non itaque iniuria plurimi celebres Philosophi, Lumen esse corpus existimarunt. Ex aduerso tamen, Aristoteles in secundo de anima 69. inquit: Lumen itaque non ignis est neque omnino corpus, neque defluxus corporis vllius, esset enim corpus aliquod, sed est præsentia ignis, aut alterius huiusmodi, in perspicuo, &c. His verbis Philosophus damnat sententiã Platonis, & Democriti, ac insuper, opinionem suam profert, pro qua comprobanda vtitur præsertim duabus rationibus: prima sumitur ex penetratione: Nam si Lumen esset corpus, quia meat per corpora, corpus vnum mearet per aliud,

Rationes. Academici. *Iulianus.* *Stoici.* *Opinio Aristot.*

& cum sit corpus Prædicamenti Qualitatis, corpus eiusdem Prædicamẽti meare per aliud. Altera non sumitur ex motu, nam si lumen esset corpus, quia sine tempore effunditur per vniuersum hemisphærium, daretur motus corporis per maximum interuallum sine tempore, quod fieri nequit, nec dicere valent id fieri tempore exiguo, & nos latere, quoniam de motu per exiguum interuallum id dici posset: at per maximum, nulla ratione potest concedi. Similiter absurdum est dicere, quod transeat per meatus medii, nã tunc non corpus medium totum esset lumine præditum sed soli meatus. His accedit, quod nec aër, nec aqua, nec ignis, sunt corpora prædita poris. Similiter vitare non valent absurda, dicendo, quod lumen sit corpus materiæ expers, nam sat est quod est dimensionibus præditum, dimensio enim vna non meat per aliam, vt docet Philosophus in quarto Physic. loquens de Loco. Præterea, dicentes lumen esse corpus materiæ expers, inquiunt esse substantiam, quod reiicitur: Primo quia nulla Substantia per se percipitur sensu, Lumen autem per se visibile est. Secundo Communis Substantia immunis a Materia, dicitur Mens, & est Intelligens, quod lumini non competit. Insuper, si lumen, quia est corpus materiæ expers, meare potest per materiata corpora, saltem meare non poterit per corpora eiusdem generis: at experientia constat, plura lumina in eodem perspicuo recipi. Præterea, corpus non recipit magis & minus, vt dicitur in Prædicamento Qualitatis, sed solum maius & minus, lumen autem & intensius, & remissius esse potest. Missas facio rationes Alexandri in secundo de Anima, cap. 36. & in libr. de Sensu, & Sensili, necnon Magni Alberti, Philoponi, & aliorum. Cum itaque res apprime sit dubia, & non sit rationi consentaneum, viros sapientes omnino delirasse, vtendum puto concilio aliquo, & dicendum. Lumen esse corpus, dupliciter posse intelligi, vel proprie vt proprie semper loquutus est Aristoteles, & ita non est corpus, omne enim corpus vel Physicum est, naturam includens: vel Mathematicum, quod est accidens: vel Artificiosum, Lumen nullius generis horum corporum esse potest, vt considerantí notum est. Vel potest dici corpus per metaphoram, per similitudinem per imitationem, & per participationem conditionum, in qua significatione lumen potest dici corpus, cum sit spiritalis quædam repræsentatio Lucidi, quod corpus est: & in hac significatione puto Platonem dixisse lumen corpus esse. Rationes pro parte putantium lumen esse corpus, vel sunt leuissimæ, vel hoc solum patefaciunt, quod sit corpus modo explicato, Aristoteles in libro Problematum, ex aliorum sententia ait, Radios esse corpora. Locus ex secundo de Cœlo 42. in Libro de Cœlo a me explicatus est, quod non repeto.

Lumen non ex substantia.

Alexander.

Resolutio.

Rationes aduersa.

CAP. VIII.

Quid sit Lumen.

APPARVIT quid lumen non sit, declarandum modo occurrit quid sit, cum lumen non sit corpus, & sit aliquid, vel est Substantia, vel accidens; non Substantia, quia per se cadit sub sensum, quare est accidens, non Quantitas, quia iam apparuit non esse corpus & intendi ac remitti, quod corpori non competit, & præsertim quia Quantitas ea est, quæ primo in materia recipitur, Lumen autem in sola materia non valet recipi, sed in corpore absoluto & perfecto: Nec ad aliud Prædicamentum reduci posse videtur, nisi ad Qualitatem, per Lumen enim corpora perspicua dicuntur Qualia. Insuper, omnia quæ per se,

Res in Prædicamento varijs modis. & primo sensum mouent, Qualitates sunt: quare Lumen vel proprie, vel per similitudinem; est Qualitas, & ad Prædicamentum Qualitatis pertinet: Nam res ad prædicamenta varijs modis rediguntur, vt alibi patefeci, cuncta enim vel directe sunt in serie Prædicamentorum, vel sunt infra Prędicamenta, vt indiuidua, vel supra, vt principia, vel locantur a latere, vt differentiæ: Vel sunt in Prædicamento per similitudinem, & eminentiam conditionū, vt æterna: vel per repræsentationem, vt spiritales actiones. Cum itaque Lumen ad Qualitatem pertineat, quæritur, quod esse ei competat in medio perspicuo, an spiritale, vel potius reale, adeo vt sit Qualitas in perspicuo vt in subiecto recepta. Nonnulli aiunt *Opinio D. Tho.* ei competere esse principale, & reale, vt D. Thom. in secundo de Anima, exponens context. 70. Similiter Philoponus indisput. contra Proclum cap. 7. & 8. necnon Ioan. Baccan. in secundo Senten. Dist. 13. qui tamen vtitur distinctione, inquiens, Lumen relatum ad medium, habere esse reale vt in subiecto, relatum *Rationes.* vero ad sensum visus, habere esse spiritale, & id ipsum dicit de cunctis sensibilibus, per medium delatis. Pro horum comprobanda opinione, hæ possunt afferri rationes: & primo, id quod solum habet esse spiritale & non materiatum, non cadit sub sensum, sed eo cætera sentiuntur: Lumen nedum est id quo Lucida videntur, sed etiam est id, quod videtur, & sensum mouet, quare &c. Insuper, qualis actio, talis forma, Lumen producit actiones reales, & materiatas, attenuando, & calefaciēdo, est itaq; forma Physica in materia recepta. Præterea, per actiones spiritales veluti colorē, medium non denominatur, per Lumen denominatur illuminatum. Insuper Aristoteles ait, per Lumen videri perspicuum, esse actum perspicui, esse tanquam colorem perspicui, quæ indicant esse in perspicuo, vt in subiecto, non tanquam in solo deferente; Confirmatur: per colores Iridis, qui sunt Lumen receptum in nube, & numerantur inter Meteorologica, non inter spiritalia. Similiter cum Sol tribuat lumen Lunæ, & reddatur tanquam proprium Lunæ, id lumini non competeret, si solum haberet esse spiritale sed tantū a luna repercuteretur, vt repercutiuntur a speculo actiones Co- *Diversio.* lorum. Hanc opinionem approbandam non puto, sed existimo, lumen in medio solum reperiri spiritaliter, repræsentando lucidum, vt actionem & imaginē eius. Quod ostendo, perpendendo conditiones vtriusque generis formarum: Nam formæ & Qualitates quæ tanquam principales in subiecto recipiuntur, sunt præditæ contrario, recipiuntur per transmutationem subiecti, in tempore, propagantur vsque ad definitum quendam terminum, mouentur moto subiecto, permiscentur cum affectionibus alijs subiecti, non sunt imago, & repræsentatio alterius, non sunt totum in quauis parte nec in eadem parte subiecti distinctæ seruantur multæ Qualitates solo numero differentes. Lumini opposita competunt, nam plura lumina distinctorum lucidorum distincta seruantur in eadem parte mediū, & per quamlibet partem repræsentat totum lucidum, & agitato medio a ventis, non agitatur lumen, & sic de cæteris. Præterea, sensibile reale positum supra sensum non sentitur: Lumen attingens oculum videtur, Formæ quæ tanquam in subiecto recipiuntur, in qualibet constitutione monēt sensum; at Lumen solum directe ferit oculos, repræsentando Lucidum. Formæ principales receptæ in subiecto seruantur aliquandiu recedente formante, Lumen nequaquam. Præterea, eadem qualitas non potest competere cœlo, & mortalibus, subiecta enim distincti generis, non sunt apta recipere eandem formam, at lumen ex Sole prodiens per vniuersum effunditur. Demum, si lumen & forma, quæ in medio recipiatur vt in subiecto, vel inducitur, vel educitur,

non

non inducitur, alioquin crearetur, vel migraret ex subiecto in subiectum, neque etiam educitur, quia eductio formæ est per transmutationem subiecti, at perspicuum non transmutatur. Colligamus itaque Lumen siue referatur ad medium, siue ad oculum, esse actionem, & Qualitatem spiritalem, repræsentantem Lucem, quæ est Qualitas principalis corporis Lucidi. Huius opinionis etiam fuit Prisc. Lydus in Theophrasti explicatione de sensibus: necnon Diuinus Iamblichus, & Magnus Syrianus, Aristoteles hoc conspicue indicauit, dum in secundo de Anima, necnon in libro de Sensu, & sensili, dixit Lumen esse præsentiam Lucidi: nam spiritale cum sit imago, & repræsentatio alterius, dicitur præsentia illius: quia est id per imaginem, actionem, & repræsentationem. Eiusdem opinionis fuit Scotus in secundo Senten. Dist. 13. Auerroes in secundo de Anima 70. id ipsum existimasse visus est, inquiens, Lumen esse præsentiam intentionis in perspicuo. Recte etiam Simplicius in secundo de Anima 67. dixit, Lumen esse actum agentis in perspicuo, non tanquam in subiecto, nam separatur, & sequitur Lucidum corpus, iunctum illi. Neque difficile est aduersas rationes diluere. Pro quarum solutione accipio tantum Lumen, non aliud apud nos reperiri, quod primo, & proprie sit spiritale: cum enim Lumen ex cœlo prodeat, experte materiæ, vel saltem ex corpore participe conditionis eius, vt ex Igne cœlo proximo, hac conditione, & proprietate est præditum, vt spiritaliter effundatur, & eius ope mox colores spiritaliter agunt. Accipio secundo superiora facultate, & eminentia ea includere, quæ per propriam formam competunt inferioribus; Hinc absurdum non est, Lumen cum sit repræsentatio primi, & potentissimi Lucidi, posse nonnulla efficere, quæ fiunt a formis materiaris, veluti etiam Aristoteles in libr. de Motu Animalium dixit, res imaginatione conceptas mouere facultate rerum quarum sunt imagines. His præassumptis, soluitur prima ratio ex eo sumpta, quia Lumen videtur, nam Lumen non proprie videtur, sed coloratum, vel Lucidum, & dum in nubibus intuemur lumen, non secus id videmus, ac imagines rerum à speculo repercussas. Hinc nisi adsit repercussio aliqua, non videmus Lumen, & ob id ratio retorquetur. Hinc recte Simplicius in secundo de Anima, 74. dixit, non videri Lumina in medio, sed colores, & Lucida per ipsum. Addebatur, Lumen producere actiones Physicas, & per Lumen denominari medium, patet solutio ex secundo assumpto: nam actio spiritalis est vehemens, & operatur facultate principalis agentis: hinc actio albedinis, quamuis sit spiritalis, tamen obest oculis, nimium agitando spiritus eius, ita etiam dum transeunt nubes inter Solem, & Plantam, formant Terram colore viridi, adeo vt viridis denominetur, quamuis ille sit color spiritalis, & imago viriditatis Plantæ. Addebatur, lumen esse actum perspicui, & tanquam colorem eius. Respondeo, lumen esse actum illuminantis, vt producentis: perspicui, vt deferentis, colorati, vt eius quod virtute Luminis agit spiritaliter, dicitur tanquã color; quia vt coloratum videtur per colorem, ita perspicuum per Lumen, quod est actio lucidi; Et quia ea actio per medium defertur, dicimur per lumen videre perspicuum. Instabatur per colores Iridis, & Lumen Lunæ: dico, colores Iridis esse spiritales, & esse repræsentationem corporis Lucidi, in nube Meteorologica, ideo inter Meteorologica numerari. Similiter dico, Lumen ex Sole prodiens, & in Luna receptum, habere esse spiritale, sed quia Luna etiam Luce aliqua propria est prædita, propterea, quamuis lumen a Sole receptum sit spiritale, tamen cum propria Luce iunctum, redditur tanquam proprium Lunæ, tribuendo lumini proprio perfectionem.

Conclusio. — *Prisc. Lydus.* — *Scotus.* — *Auerroes.* — *Simplicius.* — *Diluuntur rationes aduersæ.* — *Solum Lumen est primo spiritale.* — *Diluitur ratio prima.* — *Simplicius.* — *Diluuntur alia.*

CAP. IX.

Quid sit esse Spiritale.

APPARVIT Lumen esse imaginem lucidi, eique competere esse spiritale; At dubium modo est, quidnam sit hoc esse spiritale. Censuit Auicenna in sexto suorum Naturalium, cap. 1. & 7. Lumen in medio non recipi, sed in superficie opaci, in qua cum insint colores potestate, rediguntur ad actum, recipiendo a Lumine formam, adeo, vt esse spiritale eius in medio, nil aliud sit, nisi mutua relatio lucidi & opaci, sine impedimento medij, & pura Lucidi repræsentatio. Eiusdem opinionis fuit Auempaces, & Linconiensis. Nonnulli recentiorum parum ab Auicenna recedentes inquiunt, in medio, quod dicitur illuminatum, nihil recipi, sed solum per id, sine impedimento aliud repræsentari: nam vt nomen, quamuis nil recipiat, tamen dum alicui imponitur, id significat: ita perspicuũ, cum sit Lumini subordinatum, per solam Lucidi præsentiã redditur instrumentum Lucidi, pro eo repræsentando. Id ipsum visus est sensisse Alexander: qui in secundo de anima, cap. 38. dixit, perspicuum non ita Lumen recipit, vt quę alterantur, sed ita patitur, vt si quis pati dixerit eum, qui ex sinistro redditur dexter, cum nec moueatur, nec affectionem suscipiat. Hæc sententia iam in præcedentibus, cap. 5. est reiecta, & iure profecto: nam si perspicuum nil deberet deferre, tunc per medium inane possemus videre, quia inane non impedit: quod aduersatur Aristoteli in secundo de anima, disputanti contra Democritum. Peterea, nil agit in externum, nisi sua prima actione agat in medium, actio enim fit per tactum, ex primo de Gener. & interitu, quare non valet Lucidum agere in opacum distans, nisi agat in medium, & præsertim, quia inquit Auicenna colores recipere esse a lumine: at extremum non valet formare extremum, nisi eius actio prima recipiatur in medio. Præterea, cum medium dicatur repræsentare Lumen, vel ea repræsentatio in medio est aliquid, vel nihil: si nihil, nil repræsentaret, si aliquid, igitur in medio aliquid recipitur. Hinc Aristoteles in secundo de anima 73. dixit, colorem mouere perspicuum: at quod mouetur, recipit aliquid. Propterea est opinio Scoti in secundo Sent. dist. 13. dicentis, Lumini in medio cõpetere esse spiritale, ac (vt ait) intentionale, quæ intentio, siue id esse spiritale, est res quædam, & præter id est signum, nam omne signum est res, at non contra. Est itaque lumen in medio talis res, vt sit intentio, & signum, & ita intentio, vt simul sit res. At dubia videtur sententia Scoti: nam cum dicat lumini in medio competere esse spiritale, etiam ait per id esse spiritale reperiri in perspicuo, vt accidens in subiecto, ideo dubium adhuc est, quidnam sit id esse spiritale, & ea res quæ simul sit signum. Præterea, id quod in alio recipitur vt in subiecto, habet esse principale, & proprium, non autem spiritale, & præsertim quia vel inducitur, & tunc crearetur, vel educitur, & tunc haberet esse principale, & proprium. Propterea pro resolutione tria præaccipio: primum est, quod rebus competit esse, tribus modis: vel per originem, vt in prima causa, vel per formam propriam, vt homo, qui animal rationale est: vel per imitationem, vt imago hominis dicitur homo. Ens spiritale (de quo loquimur) est esse huius tertii generis. Accipio secundo, Rem & Ens dupliciter vsurpari, vel vt contradistinguitur a nihilo, ac ita actiones spiritales sunt Res. Secundo, pro Ente principali, contradistincto ab imagine, & imitatione eius, in qua significatione, actiones spiritales non sunt Entia, & Res, sed imagines. Accipio tertio, esse in alio, contingere dupliciter, vel

Auicen. *Auempaces.* *Alexander.* *Euersio.* *Scotus.* *Dubitatio.* *Tria præaccipiuntur.*

vt in Subiecto, ac ita in alio illæ formæ sunt, quæ educuntur ex eius potentia, quibus competit esse principale, quo pacto actiones spiritales non sunt in medio: Vel est in alio tanquam in repræsentante, & deferente imitationem, in qua significatione spiritales actiones sunt in medio. Ex quo colligo quod Ens spiritale, est res per imitationem, egens medio vt deferente, & id quod principale est, repræsentante. Hoc ens spiritale relatum ad medium, est Qualitas per imitationem, & similitudinem: relatum ad principale, dicitur actio eius: adeo, vt simul sit Ens, non ens, in medio, non in medio, Qualitas, non Qualitas, actio, nō actio: nam de illis quæ sunt ancipitis conditionis, distincta consideratione, & significatione ea vera sunt, quæ inuicem pugnare videntur. Imitationes nec creari, nec gigni dicuntur, sed per solam principalis præsentiam dicuntur esse in medio sine vlla generatione, nam principales qualitates illæ sunt, quæ egent Subiecto, ex cuius potentia educantur, & ob id Aristoteles dixit, Lumen esse præsentiam Lucidi in perspicuo. Et quamuis Alexander per verba in præcedentibus relata, visus sit id sensisse: Auicenna tamen in libro primo de Anima, cap. 13. secus loquitur: inquit enim perspicua quæ perlustrantur Lumine, quodam modo moueri, id potissimū argumento est, quod vbi plerunq; colores visuntur in Lumine, Lumen colori sibi oblato concolor efficitur, purpureum a Purpura, ab Herba herbaceum; Conspicue Alexander fatetur medium perspicuum modo aliquo affici per imitationē, vt etiam affirmat Themistius, sequens Alexandrū in Paraphrasi conte. 68. & 69. secundi de Anima. Colligamus itaque, Lumini in medio competere esse spiritale, & id spiritale Ens, nō esse puram relationem, sed actionem, Qualitatem per imitationem, formam quandam secundam, imaginem primæ, actionem alicuius principalis, quæ exposcat deferens, & repræsentans, non proprie subiectum. Ex quo patet ratio, cur momento huiusmodi spiritales actiones effundantur: nam solum apparent per præsentiam principalis. nec vere gignuntur, sed sunt & nō sunt, sine ortu & interitu: nec creantur, quia creatio est formæ principalis, non imitationis eius, nec absolute transeunt ex non esse ad esse, sed transitus est ex non imitari ad imitari, ex non repræsentari ad repræsentari; Et hac consideratione Lumen dicitur extrinsecus aduenire, vt inquit Simplicius in secundo de Anima, 75. id tamen est verum per Metaphoram.

Quid Ens spiritale.

Conclusio.

CAP. X.

An lumen seruari possit sine medio, & an motu Lucido moueatur Lumen.

EX eo quod dictum est, Lumen, & spiritales actiones non egere medio tanquam proprio subiecto, oritur dubitatio an Lumē sine medio seruari possit. Existimauit Plotinus, Enn. 4. lib. 5. cap. 6. Lumen non egere deferente, sed etiam in vacuo, & sine deferente seruari posse. Ratio est: quia non pendet ex medio, sed ex corpore lucido, vt vita ex Anima. Id confirmat: quia potius Lumen continet illuminatum, quàm contra. Reiicitur hæc sententia ab Aristotele in secundo de Anima, 74. & iure: nā omne quod repræsentatur, debet per aliquid repræsentari, Lucidū Lumine repræsentatur, ideo debet dari medium repræsentans. Insuper, omnis vmbra, & imitatio eget fundamento, Ens spiritale est vmbra quædam, & imitatio. Præterea, omnis actus exposcit id cuius est actus, Lumen est actus perspicui. Demum, cum id esse spiritale sit tenuissimū, si accidens ob e-

Opinio Plotini.

Euersio.

ius diminutionem eget fundamento, longe magis ens spiritale: & quamuis non pendeat ex medio, quia educitur ex eius potentia, tamen pendet ex medio vt deferente imitationem, & repræsentationem. Sed maior emergit dubitatio, & est an moto corpore Lucido, & variato medio, Lumen idem seruetur, & sequatur corpus lucidum: vel potius continenter lumẽ nouum per nouam actionem, in distincto medio producatur. Opiniones sunt pro vtraque parte: nonnulli in quorum numero est Plotinus, En.4.lib.5.cap.6. inquiunt, lumen seruari semper idem, & sequi corpus Lucidum. Cum his est etiam Simplicius, ideo in secundo de Anima, comm. 67. dixit: Lumen dicitur actus, quia in perspicuo ingignitur, non vt in subiecto, sed separabiliter ipsi adest, ipsumq; perficit, nunquã seiungens se ab eo quod ipsum adducit, sed in illo radicatus est, & lucido translato vnà transfertur, at non ita transmutatur transmutato perspicuo, &c. Confirmatur hæc opinio: quia lumen est actio spiritalis, non pendens ex medio, sed ex eo tantũ cuius est imitatio, & propterea vt seruatur, & reuoluitur lucidum corpus, ita putandum est seruari & reuolui lumen, & imaginẽ eius. Ex aduerso est Philoponus in prima dis. contra Proclum, qui inquit lumen in perspicuo gigni præsente lucido, & interire eo recedente, non autem sequi lucidum, & id ipsum ait existimasse Proclum. Similiter D. Th. & quicunq; putant lumen esse in perspicuo, vt accidens, & Qualitatem in Subiecto, coguntur idipsum affirmare, quoniam accidens non migrat ex subiecto vno in aliud. Et confirmatur hęc opinio: quia absurdum videtur in distincto perspicuo idem numero seruari lumen, idem enim & vnum numero est, cuius materia est vna, ex quinto Metaphysicæ. Præterea, lumen dicitur actus, & perfectio perspicui, distincti autẽ perfectibilis distincta est perfectio, cum sint ad aliquid. Insuper si id esset, tunc lumen Solis nos illuminans semper esset numero idem: & si Lumen, etiam artificiales dies, quare dies præteritus esset idem cum præsenti, & iidem numero dies reuerterentur, quod apprime videtur absurdum. Pro solutione dico, lumen esse duplex, vnum prodiens ex flamma, & Lucido variabili, aliud ex lucido æterno: de prodeunte ex lucido mortali, non est dubitatio, nam eo variato, necessario variatur lumen: solum est dubitatio de prodeunte ex lucido, quod non variatur, & præsertim ex Sole, de quo loquendo, supposito (vt ostensum est) quod ei competat esse spiritale, dicendum puto, id lumen posse dupliciter considerari: vel ex parte suæ conditionis, vt est spiritalis imitatio, & repræsentatio lucidi, ac ita cum Lux sit eadem, etiam imitatio, & imago ex ea fluens est eadem, & sequitur Lucidum. Vel consideratur ex parte repræsentantis, ac ita est varium, quatenus includit distinctam relationem ad Lucidum, & delationem per varias partes perspicui. Et confirmatur: quoniam spiritalia sunt totum in toto, & totum in quauis parte deferentis, cum non educantur ex eo, vt patet de actionibus colorẽ, & propterea vt actio coloris est tota in toto ambiente aere, ita est tota in ea parte quę vni oculo respõdet, & repræsentat totum visibile, & similiter est tota in altera parte, quæ alteri oculo respondet, & cum repræsentet idem numero visibile, quia eadem vni tertio, sunt eadem inter se istæ actiones ex parte suæ conditionis inter se non distinguuntur, sed eædem sunt: sic lumen Solis in Oriente, ex parte sui, est idem cum lumine in Occidẽte, & sequitur lucidum, nec variatur, nisi variato lucido, vt eadem est imago vnius rei, quæ per varia specula repræsentatur, & eadem numero vox, a variis auditur, solũ adest varietas ex parte nostri, & partium repræsentantium, ea autem ex se, nec fit, nec interit, sed eadem prodit ex eodem lucido, idq; insequitur: & dum nubes obumbrant Solem, non destruunt lumen, sed

Alia dubitatio. *Plotinus.* *Simplicius.* *Confirmatio.* *Opinio aduersa.* *Resolutio.*

sed impediunt ne Sol per aerem nobis repræsentetur. Similiter Lumen non diuiditur, quia ea sola diuiduntur quæ extenduntur, spiritalia non pendentia ex materia, non extenduntur, sed sunt totum in toto, & totum in quauis parte: solum diuiditur lumen per diuisionem lucidi, vt dixit Auer. in prima disp. in sol. 8. dubii: Ita lumen non proprie, sed tantum per Metaphoram per fenestras ingredi, vel egredi dicitur, an non sit corpus, nec Qualitas extensa, & materiata, sed solum dicitur adesse, vel non adesse repręsentatio Solis. Similiter repercussio radii, est ipsiusmet lucidi iterata repræsentatio, adeo, vt radius primo progrediens, mox repercussus solum differant, quia progrediens est imitatio prima, repercussus secunda, & quasi imitatio imitationis, variata per repercutiens, quod eiusmodi actiones contra reddere aptum sit, & ea sententia idem numero est, cuius materia est vna, vera est de materiatis, non de spiritalibus, & imitationibus, & vera est, vt ex materia pendent, ad eamque referuntur.

C A P. XI.

An Illuminatio sit operatio immanens, An ex pluribus Luminibus in medio consurgat Lumen vnum. De distinctione Luminum, & de aliis ad Lumen attinentibus.

CVM Lumen sequatur corpus Lucidum, & nec in perspicuo recipiatur vt in subiecto, iure quæritur, an sit operatio immanens, vel transiens. Academici aiunt esse immanentem, vt Platoni tribuit Philoponus in prima disput. contra Proclum: nam se habet ad Lucidum, vt vita ad animam. Vita nono Metaphysicę 16. dicitur immanens, & iure: nam Lumen pro fundamento habet Lucidum. Ex aduerso D. Thom. & alii multi, aiunt, esse operationem transeuntem, cum recipiatur in alio, & per aliud deferatur, nec secus dicere possunt, qui existimant Lumen esse qualitatem herentem medio perspicuo, tanquam subiecto. Respondens dico, illuminationem esse similem operationi transeunti, pendenti ex producente, pro esse, & conseruatione, vt etiam motus, dico similem, quia diuisio operationum immanentium, & transeuntium proprie cōpetit principalibus operationibus, non imitationibus, & iure dicitur transiens, quia lumē non in lucido recipitur, nec per id lucidum denominatur, sed perspicuum distinctum a lucido: hinc a lucido per Metaphoram dicitur moueri perspicuum. Academici eam dicunt operationem immanentem, sumendo immanentem pro pendente a suo principio secundum esse & conseruationem. Sed dubitatio occurrit de vmbra, num scilicet dum reuoluitur Lucidum, circa corpus aliquod opacum erectum etiam ex aduerso reuoluatur vmbra, vt reuoluitur Lumen sequens Lucidum. Respondeo nequaquam umbram reuolui. Ratio est: quia vmbra est priuatio in perspicuo, priuatio non circumfertur, sed solum dicimus quod consurgit priuatio eiusdem Luminis in distincto perspicuo: est eadem ex parte formæ cuius est piuatio, distincta ex parte partium perspicui. Sed quæritur adhuc: Si quis stet iuxta fluentē aquā, in qua eius imago appareat, num in fluento aqua eadem seruetur imago, vt seruari videtur, vel potius continenter varietur. De hac difficultate id ipsum est dicendum, quod dictum est de Lumine modo Lucido. Sed maior occurrit dubitatio, an ex præsentia plurium

Academici.

D. Tho.

Solutio.

Academici.

Vmbra.

Alia dubitatio.

An in medio plura lumina veniant in vnum. Lucidorum in eodem medio consurgat Lumen vnum, vel potius tot Lumina seruentur distincta, quot sunt Lucida. Aiunt nonnulli, ea lumina secundum esse reddi vnum, seruari tamen distincta secundum imitationem, & repræsentationem: quæ sententia non est approbanda: quia esse Luminis est repræsentatio, & imitatio; De hac difficultate qui tribuunt Lumini esse reale, & aiunt in perspicuo recipi, vt in subiecto, etiam tenentur dicere, ex eis vnum consurgere, quia plura accidentia solo numero distincta, in eodem Subiecto recipi nō possunt. At quoniam ea sententia est reiecta, & ostensum, Lumini competere esse spiritale, ideo cum sit imitatio, & repræsentatio, etiam in eodem medio Lumina distinctorum Lucidorum seruantur distincta, vt etiam spiritales actiones distinctorum alborum. Hinc per quamuis partem medii repræsentantur distincta lucida, pariunt distinctas vmbras, & progrediuntur in distinctas partes oppositas. Et hæc etiam *Alia diffic.* est sententia Perspectiuorum, & Academicorum. Verum aliæ adhuc se offerūt difficultates: nam quæritur Primo, an Lux & Lumen distinguantur specie. Secundo, an omne Lumē sit eiusdem speciei, similiter & Lux omnis. Tertio, num Lucidum simul dicatur vniuersum perspicuum illuminare, vel prius partem sibi *Solutio.* proximam, mox distantem. Pro solutione accipio in specie locari res, non imagines rerum, imagines vt imagines rediguntur ad speciem rei cuius sunt imagines, per imitationem & repræsentationem, pro suo autem esse proprio, in specie non sunt, ideo non eiusdem, nec distinctæ speciei esse dicuntur a lucido, sed non eiusdem speciei: vera enim est negatio non affirmatio. Ex hoc elicitur solutio primæ dubitationis, an lux & lumen sint eiusdem speciei: nam sunt eiusdem speciei per imitationem, absolute autem, nec eiusdem, nec distinctæ, sed non eiusdem speciei esse dicuntur. Similiter soluitur secunda dubitatio, an omne lumen sit eiusdem speciei: nam per imitationem vt se habet de luce, ita de lumine, pro suo esse absoluto, nec eiusdem, nec distinctæ speciei est, sed non eiusdem speciei, & non distinctæ speciei, quia proprie, cū non sit forma, sed imitatio, ad speciem non pertinet. De luce secus se habet, ea enim est Qualitas lucida, & si lucida fuerit eiusdem, & conditionis vel distinctæ, similiter Lux, veluti est lux incensionis & lux lapilli preciosi, sunt distinctæ speciei. Lux cuiuslibet flammæ est eiusdem speciei, lux cæli & mortalium, non eiusdem speciei sunt, nec eiusdem generis vniuoci, nil enim commune vniuocum æterno, & mortalibus, sed sunt eiusdem generis ab vno, primo enim lucida sunt cœlestia, secundo mor-*Auer.* talia, & sunt ab vno cum magna varietate, adeo, vt Auerroes in secundo, cap. de Substantia orbis dixerit, lucem, & illuminationem, de cælestibus & mortalibus, magis videri dici æquiuoce quam per prius & posterius: at re vera absolute æquiuocat, Quæ dicuntur æquiuoca quam per prius & posterius: at re vera absolute æquiuocat; Quæ dicuntur æquiuoca, a casu non sunt, cum pertineant ad eundem sensum, & consimiliter conducant pro inspectione colorum, sunt tamen prædita principiis valde distinctis. Erat tertia dubitatio, an Lucidum simul, *Solutio tertia diffic.* vt potius cum quadam successione, & ordine medium illuminet? Philoponus in *Philoponus.* secundo de anima, digrediens pro attinentibus ad sensum Visus, inquit, lucidum cum successione partium perspicui id illuminare, illuminando primo partem sibi proximam, & per eam reliquas. Quam sententiam approbandam non pu-*Euersio.* to: quia tunc seruare non possemus a Sole Vniuersum hemisphærium momento illuminari, in momento enim non seruatur successio. Præterea, ea est actio spiritalis, quæ est actus perfectus, simul totus, non habens partem post partem, vt motus qui ob id dicitur actus imperfectus. Demum, quia illuminatio est non prin-

principalis forma, sed imitatio eius, imitatio autem vnius totius, simul tota esse debet. Et hæc est opinio Aristotelis in lib. de Sensu & sensili, negantis illuminationem esse partis post partem. Quod autem lumen per successionem partium medii extendatur, consentaneum est opinioni putantium ei competere esse reale, vt Qualitatibus in Subiecto existentibus: nec est absurdum, quod imitatio Lucidi consurgens ex sola præsentia Lucidi, simul sit in partibus medii distinctis. Vtilitates prodeuntes ex Luce & Lumine, tam vberes, præclaræ, & salubres sunt, cunctisq; notæ, vt superuacaneũ sit in eis referendis morari.

Est itaque Lux cœli Qualitas prima cœlestis, sequens conditionem naturæ cœli, & visui congruens, facultate includens Qualitates primas mortalium, & præsertim calorem. Lumen ex parte causæ est præsentia Lucidi, ex parte perspicui est actus spiritalis eius, totus simul. Absolute autem Lumen est spiritalis imitatio lucidi, in medio perspicuo, ex lucidi præsentia prodiens, visuiq; cõgruens. *Definitio.*

CAP. XI.

De Tenebris.

QVONIAM oppositorum eadem est disciplina, & opposita proxime posita, magis elucescunt: ideo explicationi Luminis, succedit consideratio Tenebrarum. De quibus agens, breuibus perpendam, an sint, quid sint, & quibus competant. Pro quorum explicatione, considerandum, de tenebris tres fuisse Philosophorum opiniones. Nonnulli negarunt dari puras tenebras. Alii eas cõcesserunt, & dixerunt esse formam Lumini contrariam. Nonnulli dixerunt esse puram luminis priuationem, in medio perspicuo. Primæ opinionis fuit Iamblichus in libr. de Mysteriis Ægyptiorum, necnon Iulianus Platonicus, in libr. de Sole, adeo enim potens dixerunt esse cęleste lumen, vt per omnia mearet. Hæc opinio in præcedentibus cap. 4. reiecta est, & præsertim, quia in attinentibus ad sensum, tenemur fidem sensibus adhibere, sensu cõstat dari puras tenebras, veluti noctu in clausis domiciliis & Terræ antris, adeo, vt dicere ibi adesse exiguum lumen, sit conspicue pugnare cum sensu. Confirmatur: quia datur opacum (vt apparuit) quare & tenebræ ex opaco pendentes. Ideo est secunda opinio Prisc. Lydi, in Theophrastum, cap. 17. concedentis Tenebras, & dicentis esse formam contrariam lumini. Quod etiam alii viri docti affirmarunt; nituntur id ostendere primo, quia Tenebræ efficiunt Eclypsim Lunæ. Præterea, lædunt oculos nostros, pariunt in animis timorem, ab eis ad lumen datur regressus, non autem a priuatione ad formam, præditæ sunt causa efficiente, nempe opacitate. Hæc opinio non est approbanda, primo, quia tunc lumini Cœli competeret contrarium: Insuper, tunc per se caderent sub visum, vt nigredo contraria albedini, non momento lumen per medium tenebricorum effunderetur. Demum apparet eas, ex sola absentia Lucidi consurgere. Propterea, rectius videtur sentire Aristoteles qui in 2. de Anima, cont. 70. inquit: Sunt autem tenebræ, priuatio Luminis in perspicuo. Confirmatur: quia contraria sub communi genere cõtinentur: luminis & Tenebrarum nullum est commune genus. At pro resolutione difficultatis dicamus: Tenebras dupliciter posse considerari, primo, ex parte sui, ac ita sunt pura priuatio & sola absentia luminis in perspicuũ. Secundo, ex parte connexorum cum eis, & hac consideratione sunt modo quodam forma, quia tenebras ob recessum solis comitantur frigus, humor, & similia denotantia formam. Rationes aduersæ facile diluuntur: nam si pariunt Eclypsim, id accidit, quia Eclysis est priuatio. Lædunt oculos tum per con-

Opiniones tres. *Iamblichus.* *Iulianus.* *Euersio.* *Opinio secunda.* *Ratio.* *Euersio.* *Opinio tertia.* *Resolutio.*

nexa,tum quia oculis consentaneum est lumen,quo per tenebras priuatur: tum demum,quia ocio torpescunt,ingerunt tenebræ timorem,quia nos priuant duce patefaciente viam, & manifestante aduersa, producuntur ab opacitate, non vt a generante simile, sed vt ab impediente transitum radiorum, sunt itaque tenebræ sui conditione priuatio, & opponuntur non luci, sed lumini, nam lucido,& luci contrarium non competit: & quoniam lumen in solo perspicuo aptum est esse,ideo tenebræ quoq; in solo perspicuo inueniuntur. Quod affirmauit Aristoteles in secundo de Anima, 71.inquiens,eadem natura(nempe perspicuum)modo lumen est, modo tenebræ. Ex quo infero,in centro Terræ non reperiri tenebras,nisi adsit aer, vel corpus aliud perspicuum, aptum recipere Lumen,non enim Terra opaca valet lumen recipere. Infero etiam, nullum corpus esse capax tenebrarum. Ratio est:quia priuatio non dicitur recipi, sed forma, & datur potentia ad recipiendam formam,non priuationem. Sunt itaque tenebræ priuatio luminis in perspicuo, ex absentia Lucidi, & impedimento ab opaco prodeunte.

Conclusio.

CAP. XIII.

Pro quo requiratur lumen, vt videamus, opiniones variæ.

Quatuor opiniones.

LVMEN pro visu esse necessarium consentiunt omnes: at pro quo requiratur, magna est controuersia. Et opiniones sunt quatuor. Nonnulli aiunt, solum requiri pro obiecto illuminando. Alii, solum pro medio. Quidam, pro vtrisque. Nonnulli demum inquiunt, requiri, & pro obiecto, & pro medio, & pro instrumento Visus. Primæ opinionis fuerunt Auempaces(referente Auer.in 2. de anima 67. Auic.in 1. Natur.cap.1.& Linconiensis, hi dixerunt colores in tenebris non actu, sed solum potestate esse colores: nam putarunt ex mixtione consurgere in mixto dispositionem quandam pro recipiēdo lumine, quæ dispositio esset tanquam materia coloris, in qua lumen tanquam forma reciperetur, & ex varietate receptionis prodirent formæ variæ colorum, & si alicui corpori lumen superueniat,in quo ea dispositio non reperiatur, vt in vitro, tunc solum lumen apparet. Eiusdem opinionis longe prius fuit Epicurus, cuius sententiam eleganter retulit Lucretius lib. 2. inquiens,

Auempaces. Auicenna. Linconiensis.

Epicurus.

Præterea quoniam nequeunt sine Luce colores
Esse, neque in Luce existunt primordia rerum,
Scire licet, quam sint nullo velata colore,
Qualis enim cæcis poterit color esse tenebris, &c.

Comprobatio. Linconiensis.

Pro hac cōprobanda sententia vtebatur Epicurus exemplis, & experientia sumpta ex collo Columbæ, cauda Pauonis, & nube, quæ per variam luminis receptionem variis coloribus apparent colorata. Linconiensis experientia vtebatur sumpta ex pariete albo, per quem aula magis conspicua redditur, quam per alium colorem, quod nobis indicat Lumen esse naturam, & essentiam coloris. & ob id parietes disponuntur pro colore albo, vt domus clarior & fulgentior reddatur: & ob eandem causam albedo visum disgregat, quia plurimum luminis includit. Præterea, id ipsum confirmatur: quia experientia cognoscimus, quod quamuis illustretur medium tamen nisi lumen attingat obiectum, non inspicitur, statim autem quod obiectum est illustratum, statim apparet, etiam medio existente obscuro, immo obscuritas medii nobis prodest: inquit enim Aristoteles in quinto de Gen. Animaliū, cap. primo, hominem in profundo puteo constitutum,

Aristot.

ſtitutum, etiam interdiu poſſe videre Stellas. Id ipſum alia quoq; conſpicua experientia confirmatur: quia lumen in medio minime inſpicitur, niſi ab obiecto aliquo opaco repercutiatur, hinc noctu non videmus radios ſolis tranſeūtes per aerem, & lunam illuſtrantes. Quod patuit experientia, confirmatur ratione, & primo: luminis conditio eſt patefacere, & manifeſtare, quare pro eo requiritur quod patefaciendum eſt, huiuſmodi autem eſt obiectum. Inſuper lumen pro eo requiritur, quod cum ex ſe ſit materiatum, debet ſpiritaliter agere, talis eſt color. Hoc affirmauit Ariſtoteles in tertio de Anima 18. inquiens, Lumen facere potentia colores, actu colores. Et in ſecundo de anima 86. inquit: vt colores non videntur ſine Lumine, ita acutum & graue non audiuntur ſine ſono: at ſonus eſt iunctus cum acuto & graui, quare ſimiliter lumen debet eſſe iunctum cum colore. Inſuper actiones rerum ſenſibilium deferuntur ad internos ſenſus, apud quos non eſt Lumen, ideo eſt ſatis vt lumen illuſtret obiectum. Id confirmabat Auempaces: quia recipiens debet eſſe nudatum eo, quod recipere debet: recipienda eſt actio coloris, qui color includit conditionem luminis, quare medium recepturum actionem coloris debet eſſe immune a Lumine. Quod confirmo: quia omnis potentia vna, expoſcit obiectum quod vnum ſit: vis videndi eſt potentia vna, quare vnum expoſcit obiectum, & cum videamus colorem, & Lumen, & Lumen non redigatur ad colorem, quia eſt ſimplicius, eſt neceſſe vt color redigatur ad Lumen, & ſit Luminis participatione per quam ſpiritaliter moueat inſtrumentum Viſus. Requiritur itaque lumen pro ſolo Obiecto. Et ſi quis obiiciat, quia Ariſtoteles in ſecundo de anima inquit, colorem mouere perſpicuum actu, hoc eſt illuminatum: explicabat id Auempaces (referente Auerroe) quod color moueat perſpicuum actu, hoc eſt redigendo id ex poteſtate ad actum: quæ inpretatio parum eſt conſona verbis Philoſophi; Ideo rectius Auicenna in ſexto Naturalium, inquit, vt perſpicuum ſit actu, non eſt neceſſe vt aliquid recipiat, ſed tunc dicitur actu, dum coloratum eſt illuminatum, & hac ratione obiectum illuminatum dicitur mouere perſpicuum actu. Ex aduerſo eſt Auerroes D. Th. & multi viri docti, putantes lumē eſſe neceſſarium pro medio; & a primis diſſentiunt, tūm quia putant nō requiri pro Obiecto, tum quia aiunt requiri pro medio, & recipi in medio, tum demum, quia negant colores recipere eſſe a lumine, & affirmant etiam in tenebris ſeruari; lumen requiri pro medio, eliciunt ex Definitione coloris tradita ab Ariſtotele, quæ eſt, quod color ſit aptus mouere perſpicuum illuminatum. Inſuper, ex Definitione luminis, quæ eſt, vt ſit actus perſpicui interminati, at coloratum terminatum eſt Lumen non requiri pro Obiecto; oſtēditur Primo, quia in Obiecto non recipitur ſed ab eo repercutitur. Secūdo, quia color eſt per ſe viſibilis, quare formam per quam videtur, non habet a lumine. Tertio, quia obiecta cęterorum ſenſuum, per propriam formam, non per aliud extrinſecus receptum mouent ſenſum, quare ſimiliter color. Alii tertio, ſuaſi rationibus vtriuſq; partis dixere, lumē requiri, & pro medio deferente & pro obiecto mouente. Plato autem in ſexto de Repub. addit etiam requiri pro inſtrumento, nempe pro oculo, & dixit lumen eſſe iugum, quo res viſibilis cum vidente nectitur, & ob id oculum nuncupauit Solarem. Et in Timeo, igneum, ob Lumen, quod pro eo requiritur. Et hæc pro opinionum varietate.

Ratio. *Ariſtot.* *Auempaces.* *Opinio ſecunda.* *Tertia.* *Quarta.*

Cap. XIV.

Resolutio difficultatis pro quo requiratur Lumen.

Theses quatuor. VT de proposita difficultate lucide patefaciam quod sentio, quatuor profero Conclusiones. Prima est, Lumen requiritur pro obiecto. Secunda, requiritur pro medio. Tertia, requiritur pro instrumento. Postrema, colores in tenebris partim sunt potestate, partim actu. *Prima conclusio.* Prima conspicue in præcedentibus est ostensa, & eam protulit Aristoteles in tertio de anima 18. Hinc Theophrastus in lib. de sensibus, Prisc. Lydus, & Simplicius constanter affirmant, Lumen pro obiecto requiri, & iure: nam coloratum cum ex se sit materiatum, virtute luminis spiritalis, spiritaliter agit, quod ei non competeret, nisi illustraretur. *Secunda conclusio.* Altera cõclusio lumen requiri pro medio, elicitur cum ex definitione luminis, tum ex definitione coloris: Nam lumen pro eo requiritur in quo recipitur, & cuius est actus: at dicitur actus perspicui interminati, & hac ratione Aristoteles lumen semper retulit ad medium: nam cum recipiatur in medio proximo obiecto, illustrat obiectum: hinc requiritur lumen, non pro vniuerso medio, sed pro parte iuncta rei visibili, qua illustrata, illustratur visibile, & in ea parte fit translatio obiecti materiati in spiritale: ob id Aristoteles dixit, lumen reddere potestate colores, actu colores. *Dubitatio.* At [illegible] emergit dubitatio. Si lumen requiritur pro obiecto vt moueat, & pro medio vt moueatur, idem conducit pro actione, & passione eiusdem, quod videtur absurdum. Respondeo, Lumen in medio non mouetur, sed est id quo imitatio coloris prodiens ex colore virtute luminis, manifestatur per medium, adeo vt semper vnà cum colore agat illumque patefaciat, & manifestet, pati autem per Metaphoram competit perspicuo, cui non competit agere, sed esse id per quod aliud repræsentetur, quod nõ habet a lumine. *Tertia.* Tertia Conclusio, quod lumen requiratur etiam pro instrumento conspicua est, nisi enim oculi fulgerent, non essent instrumentum videndi, nam cognitio exposcit mutuam quandam consensionem & similitudinem facultatis & obiecti, vt dicitur ab Aristotele in sexto Nicomachiorum, cap. primo. Hinc Plato, Pythagoras, & Galenus in decimo de vsu partium, oculum dixere Solarem, & igneum. Id affirmauit Aristoteles in lib. de sensu & sensili, inquiens: Aspectus æque lumen intus & extra exposcit, vt cernere valeat. Id affirmauit & cõprobauit Scotus in secundo sentent. distinct. 15. Similiter Simplicius in secundo de anima 74. & 75. inquiens, lumen esse necessarium & pro obiecto, & pro vidente. At dum dicimus, lumen requiri pro instrumento videndi, id lumen non debet esse externum, nam obest, sed internum, ex spiritibus prodiens: & propterea rectius dicitur lux, & oculus lucens, quam illuminatus, nec lux oculi debet esse nimia, sed moderata, oculi enim nimium fulgentes diminutius vident. *Quarta.* Addebatur quarto, in tenebris colores partim esse actu, partim potestate: Nam actus colorum est duplex, vnus per quem absolute sunt, & in specie collocantur: Alter, per quem spiritaliter agunt, ille est prior, hic posterior: hinc ille potest dici tanquam materia posterioris. Colores in tenebris includunt actum primum, sed non secundum; & pro explicatione considerandum, in mixto ex Elementis inueniri perspicuitatem terminatam ab opaco Terreo, cum aliqua portione Lucidi corporis, qualis est ignis, ex qua præsertim prodeunt colores, qui sunt tanquam inchoatæ & adumbratæ luces, quæ per lumen superueniens alterum actum recipiunt, per quem valent spiritaliter mouere. Ex quo patet discrimen inter colores Iridis, & mixto-

mixtorum. In coloribus Iridis repetitur actus & forma illa secunda, in nube recepta sine prima, ideo non distinguuntur specie a lumine. Ex quo etiam constat, lumen requiri pro obiecto, non vt absolute sit, quemadmodum Auicenna & Linconiensis, visi sunt putasse, sed solum pro actu secundo, vt spiritaliter moueant: obiecta autem cæterorum sensuum, in medio non sunt spiritaliter, ideo alio non egent, sed solum spiritaliter in sensu recipiuntur, virtute animæ indicantis. Ex his etiam elicio, colores omnes posse dici eiusdem, & non eiusdem speciei, ex parte enim prioris actus sunt distinctæ speciei, at ex parte posterioris, sunt eiusdem speciei, & solum distinguuntur per intensius & remissius lumen. Ex resolutione difficultatis facile est elicere solutiones aduersarum rationum. Dicebat Auerroes si lumen requireretur pro obiecto, tunc color non esset per se visibilis, respondeo instantiam habere vim contra opinionem Auicennæ, at non contra approbatam: nam lumen non tradit colori formam, quam in oculo imprimat, eam habet ex se, sed cooperatur cum ea patefaciendo illam, & conducendo ad hoc, vt spiritaliter operetur. Et si Auicenna, per dispositionem mixti, ad recipiendum lumen, actum illum primum denotauit, non errauit. Ratio qua Auempaces ostendebat lumen non requiri pro medio, quia recipiens debet esse nudatum natura rei recipiendæ. Soluitur primo, cum Auer. actum primum coloris distingui ab actu, & forma luminis. Addo secundo, lumen non esse id quod mouetur, & recipit, sed esse id quod vna cum colore, & eius imitatione agit in oculos videntium, fungitur enim munere illustrantis, formantis, patefacientis, & monentis, non recipientis. Afferebatur ratio: quia obiectum debet esse vnum. Respondeo, obiectum vno modo sumptum esse vnum, lumen est obiectum quo, color est obiectum quod videtur, & ita sunt subordinata, vt pate feci loquens de obiecto. Rationes ostendentes lumen requiri pro obiecto, necnon pro medio, nobis non aduersantur: nam vtrunque concedimus. & de his satis.

Quomodo colores sint & non sint eiusdem speciei.

Diluuntur rationes aduersa.

Cap. XV.

De modo quo videmus.

TAm sublimi Prouidentia, & arte pertinentia ad visum parata sunt, suoque funguntur officio, vt accurate modum indagantibus, summa cum difficultate appareat, vixque inspiciatur. Hinc de modo quo videmus, opiniones sunt variæ. Qua de re verba facturus, referam primo sententias varias. Secundo, minus approbandas reiiciam. Tertio, opinionem quam puto veriorem explicabo. Quarto, diluam rationes aduersas. Demum an derelinquatur concilio pugnantium opinionum Locus, considerabo. Sententiæ de modo quo videmus, in tria capita rediguntur, Nonnulli aiunt, animalia videre per solam radiorum ex oculis emissionem. Alii, per solam receptionem spiritalium actionum in oculo. Quidam, per conspirationem vtrorumque. Primæ opinionis fuerunt nonnulli Perspectiuorum. Secundæ, Leucippus, Democritus, Aristoteles, & Epicurus. Tertiæ, Empedocles, Plato, & Galenus. Mox sub singulis his capitibus, multæ inueniuntur varietates. Putantes visum fieri per emissionem radiorum, & cuspidem eorum esse in oculo, basim vero in re visibili, dissentiunt de eo quod emittitur, nonnulli putant esse corpus, nempe spiritus, vel lumen, quod corpus existimant. Alii esse spiritalem actionem oculi Lucidi: insuper, dissentiunt de interuallo. Multi enim perspectiuorum & præsertim Hipparchus Niceus, putarunt radios effundi vsque ad visibile, quantumuis distans,

Ordo seruandus.

Opinionum tria capita.

Primum caput.

Hipparchus.

ex ipsoque coloris speciem elicere, eamque offerre facultati videndi. Macrobius in primo de Somnio Scipion.cap.15.& 7. Saturnalium, ait extendi per centum & octuaginta stadia, in quem terminum cum radii oculorũ peruenerint, accessu deficientes, in rotunditatem recuruari affirmauit: distantiora autem videri, quatenus ea se nobis videntibus offerunt. Proclus existimauit diametrum orizontis radiorum ex oculis prodeũtium esse duorum millium stadiorum; inquit enim: Est vero orizõ duplex, alter qui sensu vsurpatur, alter qui sola ratione percipitur. Sensilis orizon est, qui a nostro visu in termino visionis circumscribitur, hic adeo non amplius duorum millium stadiorum dimetientem habet, qui autẽ ratione percipitur, ad stellarum fixarum sphęram pertinet, mundumq; totum in duo secat. Simplicius in secundo de Cœlo, comm.9. inquit: nam a decem stadiis non videmus, nisi eleuata sint. Sententiam horum retulit Aristoteles in libr. de Sensu & sensili, inquiẽs, Radios ex eorum opinione extendi, vel vsq; ad Cęlum, vel quodam tenus. Qui etiam secundæ sunt opinionis, & aiunt nos videre per receptionem, dissentiunt: nõnulli enim vt Democritus, Leuc. Epicurus, inquiunt, id fieri per defluxum idolorum ex re visibili, per poros medii perspicui trãseuntium, quæ sunt tanquam exuuiæ & simulachra rerum visibilium. Aristoteles vero ait id fieri per solam spiritalem actionem coloris, delatum per vniuersum perspicuum vsque ad oculos, vt se declarat in lib. de Sensu & sensili. Similiter, qui censent pro visu requiri vtrunq;, & emissionem ex oculis, & actionẽ rei visibilis, inter se dissentiunt: cum enim ex horum numero fuerint Pythagoras, & Empedocles, ex relatione Aristotelis in lib. de Sensu & sensili, Plato, Stoici, & Galenus, hi præsertim in tres classes sunt distributi: Phytagoras (vt refert Galenus) & Stoici dixere, prodire radios ex oculis, & tanquam virgas ad obiectum extendi, ab eo figurari, & ita figuratos reuerti in oculos, & videri. Quam opinionem arguit & reiicit Galenus. Altera opinio approbata a Galeno, pręsertim septimo de Placitis Hippocr. & Plat. cap.5. & sequentibus, insuper, in lib. de oculis, cap.6. Et de vsu partium, lib.10. est, quod cum nerui optici visui famulantes sint perforati, per eos meanr spiritus ad oculos, per quos oculi fulgore afficiuntur, adeo, vt ad ambientem aerem perinde ac Sol se habeant, ex cuius pręsentia momento aer illustratur: Et quoniam id Lumen prodiens ex oculis ex spiritu pendet, in quo inest vis videndi, ideo etiam videndi facultate præditum est, & propterea cum attigerit visibile, & a visibili quoque moueatur & formetur, per suam videndi facultatem illud iudicat, adeo vt antecedat passio illata a visibili, sequatur iudicium, quod est actio facultatis videntis: ita id quod videtur, ibi inspicitur vbi est, & indicari potest distantia, magnitudo, & figura rei visibilis, quod nõ fieret si in solo oculo videremus. Quod Galenus existimet præter exitum radiorum vnà cum facultate videndi ex oculis etiam requiri passionem ab obiecto illatam, conspicue affirmat in 7. de Placitis Hippocr. & Plat. cap.7. inquiens, oculum debere esse fulgentem, quia sola fulgentia a colorib. alterantur: quemadmodum ex lucido prodit lumen, ita a colorato momento ait immutari illuminatum, & de hoc commendat Aristotelem dicentẽ sensibilia agere, & vtitur comprobatione sumpta ex Planta viridi per quam Terra viridis redditur: qua vtitur Alexander in primo de anima, cap.13. Sic itaque ex Sententia Galeni facultas videndi cum lumine ex oculo prodit, attingit rem visibilem, patitur, & figuratur ab eã, & vbi visibile est illud, iudicat. Plato secus officium videndi effici existimauit, non enim putauit ex oculo prodire facultatem videndi, neque visibile eo loci videri vbi est, sed iudiciũ in solo oculo fieri. Ideo in Timeo inquit.

Iraque

Macrobius. *Proclus.* *Simplicius.* *Secundũ caput.* *Democri.* *Leucippus.* *Epicurus.* *Aristot.* *Tertium caput.* *Pythagoras.* *Stoici.* *Galenus.* *Conclusio.* *Plato.*

Itaque cum diurnum Lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inuicem similia, concurrentia ac commixta, quo oculorum acies diriguntur, ibi in vnius iam domestici corporis cohærent speciem, & totum hoc ob similitudinem passionem eandem sortitum, cum aliud quid tangit, vel ipsum ab alio tangitur, motum huiusmodi ad corpus omne, perque id ad animam vsque effundens, sensum efficit, qui visus vocatur: at cum in noctem discesserit cognatus ignis, visionis radius euanescit. Hæc Plato. Ex quibus, & ex aliis eius verbis, elicitur eius opinio de modo videndi, quæ hæc est. Ex oculo prodit Lumen, quod nectitur cum Lumine externo, id connexum attingit visibile, a quo mouetur, & formatur, motio ea per id Lumen attingit oculum, & facultatem eius formantem, a qua redditur spiritalior, mox per facultatem vtentem instrumento videndi iunctam cum formatrice, per insitam sibi illius speciei visibilis rationem, eam iudicat, adeo vt per vnam albedinis sibi insitam rationem, omnem iudicet albedinem: & ita de cæteris coloribus. Hæc est opinio Platonis, conspicue distincta ab ea Galeni. Et quod Plato putet etiam visibilia mouere agere, & formare, nedum patet per relata verba; verum insuper elicitur ex Memnone, in quo vnà cum Empedocle concedit, ex re visibili defluxum quendam. Et in Philebo inquit, motū in communi corporis & animæ passione factum, si sensum vocaueris, haud abre nominabis. De varietate opinionum hactenus. *Opinio Platonis.*

CAP. XVI.

Reiiciuntur opiniones minus approbandæ.

SI cuncta attinentia ad varietatem opinionum exacte discutere vellem, nimium in longum protraheretur disputatio: propterea in solis principalioribus capitibus versabor. Sententia illa Galeni, quod ex oculo prodeat vis videndi, effundatur per aerem, & ibi res videatur vbi est, cum rationi, tum experientiæ, conspicue aduersatur, eamque varia sequuntur absurda: nam sequitur primo, aerem reddi præditum anima, quia ex eius sententia in libro quod Animi mores sequantur temperamentum, facultas ab essentia animæ non secernitur. *Aduersus Galenum.*

Sequitur secundo, eundem aerem per quem multi homines vident, variis animis esse præditum, & simul esse præditum Anima hominis, canis, & equi, cum per eundem aerem videant, homines, iumenta, & feræ. Sequitur tertio, aerem proxime videre, non hominem, nisi per medium aerem. Sequitur quarto, oculum minime esse necessariū vt videamus, cum solum sit via per quam prodit lumen, & Vis videndi. Sequitur quinto, rem eandem distantem, & proximam, eiusdem semper magnitudinis debere iudicari, cum visio ibi fiat, vbi visibile est. Sequitur sexto, oculos fulgentiores exactius debere videre, cum lucem potentiorem emittant. Præterea considero, sententiam Galeni 7. de Placitis, Hippocr. & Plat. cap. 7. dicentis, Animam vel esse corpus æthereum, vel esse in eo vt in vehiculo. Ex quo infero, si in aere medio inest vis videndi, ergo Anima, ergo id vehiculum, ergo ex oculo vt videamus prodit corpus, & oculus minuitur: quod verum non est. Præterea, definitæ facultatis definitum est Subiectum, & instrumentum. At ex sententia Galeni definitæ videndi facultatis Subiectum & instrumentum erit indefinitum, cum videamus per aquam, per aerem, per Cœlum. At respondet Galenus id non esse absurdum, quia nerui in animali etiam carni quæ medium est, tribuunt vim tangendi: quæ euasio est inanis, quia caro est pars sanguinea corporis nostri, & viuens, non sic aer, & medium

externum. Mitto alia innumera absurda. Hinc iure Plotinus Enn. 4. lib. 15. cap. 3. sententiam hanc quod prodeat vis videndi, & ibi res videatur vbi est, parui pendit & reiicit. Cum autem ex oculis non prodeat facultas videndi, considerandum secundo est, an prodeant radii per quos videamus. Quod etiam minime approbandum videtur. Nam radii, vel sunt corpora, vel non, quod sint corpora iam suo loco reiectum est, sunt itaque incorporei, & actus Lucidi corporis ex oculis prodeuntes: At contra, non videmus noctu oculos Lucere, nisi quorundam animalium diminute videntium. Respondet Plato, per tenebras extingui. Sed hoc aduersatur experientiæ, Lumen enim exiguum, & tenue in tenebris redditur potentius. Hinc nonnulla prædita luce exigua, in solis tenebris fulgent, vt Nicedulæ. Insuper, si noctu in tenebris extinguitur, igitur homines in profundo puteo constituti non viderent stellas, quod aduersatur Aristoteli in quinto de Gen. animalium cap. primo, nec existentes in tenebris viderent collocata in luce, quod experientiæ aduersatur. Insuper, tenebræ sunt pura priuatio vt apparuit, non contrarium, ideo non valent extinguere, sed aptum reddere medium ad recipiendam formam, vt reliquæ priuationes. Præterea, si id esset, tunc oculi fulgentiores acutius & potentius viderent, quod experientiæ aduersatur: noctuæ enim & feles obscure vident. Insuper radii quos prodire aiunt, vel extenduntur vsque ad visibile (vt aiunt nonnulli) vel quodam tenus, vt inquiunt alii. Primum fieri nequit, non enim noctu exiguum oculi lumen effundi potest vsque in cœlum, cum nec magna flamma id assequi valeat: si quodam tenus quid est quod terminum imponit? qua ratione quantum sit id interuallum noscitur? cum oculorum lumina sint varia, quomodo idem extensionis terminus eis tribuitur? Præterea, si magis distantia videmus, quia in termino extensionis radius a visibili moueatur, longe magis patietur & figurabitur in oculo, etiam si non exeat, ille itaque exitus non prodest. Insuper, cum natura quæ valet per pauciora, non efficiat per plura, & ex sententia Platonis, & Galeni visibilia prædita sint facultate mouendi & formandi, cum id facere valeant sine exitu radiorum, inaniter aiũt etiam prodire radios. Præterea, aspicilia senibus plurimum conducunt, vt exactius, distinctius, & per maius interuallum inspiciant: Aspicilia non prosunt sed potius impediunt emissionem, conducũt autem pro receptione, ne actio visibilium lædat, & in vitro vt in proximo speculo clarior refulgeat, hinc color viridis oculos restaurat, & recreat, quod non efficeret nisi oculũ moueret. Confirmatur id ipsum exemplo oculorum piscium, & cancrorum, qui quamuis valde fulgeant, tamen quia duri sunt, minus mouẽtur, rationesque colorum difficilius recipiunt, & ob id diminute vident, vt ait Aristoteles in secundo de anima, 93. Præterea, aiunt Academici, Dæmones per omnem partem suorum vehiculorum videre, & audire, cum tamen non ex omni eorum parte prodeant radij. Insuper, aiunt Perspecti ui, radiorum cuspidem esse in oculo, basim vero esse rem visibilem, quod rationi, & experientiæ aduersatur: nam prodeuntia ex aliquo, primo sunt latiora, mox sensim minuuntur, & præsertim flamma, quæ desinit in cuspidem. Præterea, exitus ille luminis vel conducit pro visibili, vel pro medio, vel pro instrumento: non pro visibili, quia id ab externo lumine debet illustrari, & sæpe adeo distat, vt ad id lumen oculi peruenire non valeat: non pro medio, cum valeat externo lumine illustrari, & noctu per medium etiam, obscurum videamus, nõ pro instrumento quia ei non exitus Luminis prodest, sed conseruatio eius in seipso, vt Lucidum sit. Præterea, id ostenditur ratione sumpta ex conditione instrumenti, formatus est oculus in media eius parte a natura

An prodeant radij.

Academici.

a natura sine colore, vt valeat ab eis moneri, & formari, factus est aqueus, vt tanquam speculum recipere valeat imitationes colorum, munitusque fuit toto lumine, quantum ei soli esset satis: at si visio fieret per emissionẽ, quamuis oculus haberet proprios colores, videre tamen posset alienos. Demum id confirmatur ex conditionẽ agentium, & patientium: dum enim ad agendũ duo conspirant, absolute ei tribuenda est actio, quod est potentius, impotentiori vero passio, at color a potenti lumine illustratus lõge est potentior oculo obscure Lucido: quare actio illuminato colori est tribuenda. Non itaq; pro visu ex oculo prodit facultas videndi, nec necessaria est emissio radiorum.

Cap. XVII.

Opinio propria de modo quo Videmus.

SATIS conspicue ex dictis colligere valemus visum fieri per motionem factam ab Obiecto visibili, & receptionem eius in oculo: sed quia receptio triplex excogitari potest, ideo distinctius quid recipiatur explicare tenemur. Putarũt Democritus, Leucippus, & Epicurus, ex visibilibus defluere simulachra, idola, & tãquam tenues exuuias eorum, quæ corporea essent, & per poros mearent, quæ sententia iure ab Aristotele in lib. de Sensu & sensili reiicitur: nam repellerentur a vento aduerso, minuerentur visibilia, nõ possent per magnum interuallum effundi, pugnarent inuicem idola in eodem medio, & alia innumera sequerẽtur absurda. Propterea alii dixerunt, in oculo recipi species rerum visibilium, ex eis emissas. Quę opinio etiam nõ est approbanda: quia species rei visibilis proprie sumpta non distinguitur ab actu videndi, nã species rei visibilis proprie sumpta, est actus sentiendi, quo facultas iudicat obiectum, ob quem actum facultas indicans, dicitur recipere speciem sine materia, & fieri id, quod iudicat: vt in tertio lib. de Mente patefeci. Quare colligo ex re visibili prodire actionem spiritalem auxilio Luminis, eamque in oculo recipi & iudicari, adeo, vt passio oculi desinat in actionem: Illa spiritalis actio coloris late posset dici species, quatenus repræsentat visibile, propria tamen species constituitur dum iudicatur. Hęc est opinio Aristotelis latissime in libr. de Sensu & sensili, tanquam in loco proprio explicata. Quod si nonnunquam vsus est emissione radiorum ex oculis, vt in tertio Meteorum, & in 30. part. Problem. 15. 16. 25. id facit more suo in loco alieno vtens communibus aliorum decretis, & præsertim, quia pro assignanda causa rerum de quibus loquitur, nil refert, siue dicamus nos videre per emissionem radiorum, siue per receptionẽ actionis visibilium. Confirmatur hæc opinio per reliquas cognoscentes facultates, nulla enim in homine est facultas cognoscẽs, quæ primo ab Obiecto non moueatur, ita Mens a Phãtasia, hæc a Sensu Communi, hic ab externis Sensibus moueri dicitur. Similiter reliqui externĩ Sensus per solam receptionẽ sentiunt. Quare non est putandum de solo Visu secus se habere. Confirmatur: quia non est consonum rationi quod sensus eminẽtior cæteris, sibi solus mendicet Obiectum, & præsertim, quia conditio iudicandorum est, vt ea iudicanti se offerant, ac ita iudicio subiiciãtur, inde oritur, quod frequenter oculi ab Obiecto vehementer mouente, vt ab albo, lædantur, & in nobismet experimur, quod dum vehementer ab Obiecto mouentur oculi, etiã illis clausis seruatur motio quædam & agitatio, quæ mox memoria seruatur. Similiter quia vis videndi ab Obiecto moueri debet, oculus dexter non potentius videt sinistro, vt videre deberet, si id ei cõpeteret per actionem, & emissionem, vt considerauit Aristoteles. Similiter, transeuntib. nubibus inter Solem & Plã-

Democriti. *Altera senten- tia.* *Senten- tia pro- pria.*

t: m, inspicimus collocata sub Planta apparere colorata colore viridi, non ob aliud, nisi ob spiritalem actionem illius coloris per lumē nobis oblatam; Lumen etiam means per vitrum viride, se nobis offert eodem colore præditum. Insuper, ex oculi anathome innotescit christallinum humorem, in quo præsertim videndi officium absoluitur, in anteriore parte aliquid plani includere, vt commodius recipiat, quod emissioni potius obesser. Præterea, si visio fieret per emissionem, noctu non valeremus intueri stellas, quia radij oculorum eleuati, non secus turbarentur à luce, ac turbentur & disgregentur interdiu. Colligamus itaque, nos videre per receptionem actionum rerum visibilium. Nec propterea inficiari debemus, ex oculis nostris Lucidis aliquid luminis prodire, conspicue enim id apparet de oculis noctuæ, felis, & similium. Similitur, Basiliscus dicitur oculis necare, & ex oculis mulierum tempore menstruorum prodeunt spiritus, qui affirmante Aristotele in lib. de Somniis, Speculum inficiunt. Scribitur de Tiberio Cæsare, & D. Augustino, fuisse præditos oculis adeo fulgentibus, vt inspicientes cogerentur oculos auertere. Potest itaque ex oculo tum lumen, tū spiritus prodire, id tamen pro visu non conducit, sed est aliquid sequens conditionem oculi Lucidi. Propterea Arist. in lib. de Sensu & sensili dixit, aspectum æque intus & extra lumen exposcere, vt suo fungatur munere.

Conclusio.

CAP. XVIII.

Afferuntur & diluuntur instantiæ variæ, quæ modo videndi approbato aduersari videntur.

SENTENTIAM quam cum Aristotele approbaui, varii viri docti, & præsertim Plotinus, & Galenus, rationibus variis euertere nituntur, quarum potiores referam, & qua potero breuitate dissoluam. Vtitur Galen. 7. de Placitis, Hippocr. & Plat. c. 5. ratione sumpta ex sensibilibus communibus: nam si visio fieret per receptionem in oculo, non possemus iudicare molem rei visibilis, nec distantiam, nec figuram, nec situm, non enim hæc in angusto meatu pupillæ recipi possunt. Secundo, non visibile inspiceremus, sed eius imaginem. Tertio, non esset necesse aciem oculi in obiectum cōuertere, sat esset eos aperire, vt patet de auribus & naribus. Quarto, tunc inspiceremus sensibile positū in instrumento sensus, quod tamē ipsemet Arist. renuit. Quinto, cum agens, & patiens commune aliquid includere debeant, anima, & sensibile nil habeant commune, non videtur sensibile posse agere in sensum. Sexto, passio turbat iudicium, quare anima vt iudicet, non debet pati. Septimo, tunc idem oculus videns albedinem, & nigredinem, simul reciperet cōtraria, & moueretur motibus contrariis. Octauo, possemus videre etiā collocata post terga, quia per aerem medium effunderentur actiones. Nono res vna, iudicarentur duæ, quia in duobus oculis reciperetur. Decimo, res deberent apparere conuersæ, pars enim anterior rei visibilis vergeret ad centrum oculi. Vndecimo, non posset assignari ratio, cur quidam homines vident distantia, alii non, quia sensibilia recepta in oculis, æque proxima essent. Duodecimo, refert Arist. in 3. Meteorum, quod Antipheronti Orieti ambulanti, semper eius imago ante oculos apparebat, eius ratio hæc esse videtur: quia radii oculorum eius debiles ab aere proximo repercutiebantur. Demum, si visio fit recipiendo, quæ est ratio, quod idem visibile quo magis distat, eo videtur minoris molis. Hæc non leuis sunt ponderis, & solutionem exposcunt. De prima ratione sumpta ex sensibilibus cōmunibus, quæ iudicare

Instantia Gal. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octaua. Nona. Decima. Vndecima. Duodecima. Diluitur prima.

dicare non possemus, nisi res eo loci videretur vbi est, dico primo, errare Galenum, qui in 7. de Placitis, Hip. & Plat. c. 6. inquit, sensibilia cōmunia solū ex accidenti & non per se sentiri, cuius oppositum dicitur in secundo de anima, ab Aristotele, & iure: nam communia vnà mouent sensus externos cum propriis, nec egent memoria, & ratione vt sentiantur, vt Galenus dixit, ac etiam ab expertib. memoriæ, & rationis percipiuntur. Insuper, minus rectè ait Galenus sensibilia communia non posse repercuti, & per repercussionem ad nos deferri, & videri, nam cum repercutiantur actiones propriorum sensibilium, quæ iunctæ sunt cum figura, & quanto, etiam hæc connexa repercutiuntur, vt patet de repercussione eorū a speculo: & quamuis quantitas non primo agat, tamen operatur vnà cum sensibilibus propriis, vt actione materiata, ita spirituali. Soluens itaq; rationem, dico: Cum visio fiat per receptionem, vt videntur propria, ita etiam videntur cōmunia sensibilia, quia hæc vnà cum propriis iuncta, vnà operantur, simulque cum propriis figuram, & magnitudinem repręsentāt: quod ex eo patet quia communia sensibilia etiam a cæteris sensibus iudicantur, cum tamen sentiant recipiendo, & quemadmodum actiones spiritales cōtrariorum inuicem in medio non pugnant, ita actio spiritalis partium magnitudinis, sine extensione in centro oculi recipitur, spiritale enim potest esse totum simul. Confirmatur solutio, quia audiru distantiam percipimus, & sitū, quamuis iudicet recipiendo. Similiter pictores cupientes maiorem distantiam repræsentare, vtuntur colore obscuriore, dum minorem distantiam, colore clariore potentius mouente, & quamuis illæ figuræ æque distent, tamen ob varietatem colorum vario modo mouentium, non æque distare videntur, quod non accideret, si res viderentur vbi sunt, & ita perciperetur distantia. Præterea, frequenter multorum maiorem & minorem distantiam iudicare non valemus, quia intermedia sensum nō mouent, vt inspicientes Planetas, indicamus æque distare, & inspicientes viā Lacteam non valemus iudicare an sit in aere, vt putat Arist. vel in Cœlo: at si exitu radiorū mensuraretur distantia, id non accideret. Quare dicamus distantiā percipi, quia remota & proxima eo ordine mouent oculos, quo sunt disposita, & iudicantes multa mediare, coniicimus distātiā, & si intermedia sensum non mouent, vt dum sereno aere inspicimus Cęlum, distantiam non percipimus. Hinc in Planis minus quam in Montium varietate, distantiā iudicamus. Similiter distantiam percipimus quatenus sensibile vel lenius, vel vehementius mouet sensum, vt patet de auditu sonorum, per quos distātiam percipimus. Instabatur secundo, quia tunc non visibile, sed imaginem videremus. Respondeo, nos non videre actionem colorum, sed per actionem iudicare obiectum, vt Mens per Phantasma indicat obiectum suum. Addebatur, Quod non esset necessarium aciem oculi in rem visibilem conuertere. Patet solutio: Nam id est necessarium, quia actiones spiritales solum directe mouent, cum sint præsentia obiecti, cętera sensibilia aliorū sensuum non spiritaliter deferuntur per aerem. Dicebatur quarto sensibilia posita supra sensum, nō posse percipi. Dico id esse verum ꝑ esse eorum crasso, & materiato, non ꝑ esse spiritali. Addebatur quinto, agens & patiens debere cōmune aliquid includere. Soluitur primo, Quia hæc non est actio, & passio propriè sumpta, ꝑ qua id requiritur. Additur secundo, Sensibilia & sensus hoc cōmuni esse prædita, quod sint materiata, & cum corpore iuncta, omne enim sensibile est in materia, ex primo de Cęlo. Dicebatur sexto, Quod passio turbat sensum. Dico, nimium vehemens turbat, at moderata excitat, imprimit, & necessaria est pro iudicio. Instabatur septimo, quod idem simul reciperet

Quemodo percipiatur distantia.

Solutio secunda instantia.

Solutio tertia.

Solutio quarta.

Solutio quinta.

Solutio sexta. contraria. Respondeo, Actiones spiritales in eodem recipi posse sine pugna. *Solutio septima.* Insuper, desinunt in idem, distincta ratione, vt distinctæ lineæ in eodem circuli centro connectuntur, veluti de sensu communi dixit Aristoteles. Instabatur octauo, Quia tunc videre possemus etiam a tergo posita. Hoc non sequitur: *Solutio octaua.* Quia agentia spiritaliter solū directe mouent, nisi eorum actiones repercutiantur a leni aliquo. Addebatur nono, Quod tunc res vna iudicarentur duæ, Aui- *Solutio nona.* cenna in sexto suorum Naturalium, quem sequuntur Albertus in secundo de Anima, 73. & Diuus Thomas, inquiunt, rem vnam non iudicari duas, quia iudicium fit in connexione neruorum, qui ὀπτικοὶ nuncupantur; Quę solutio vera nō est, tum quia iudicium visibilium in oculo, fit non in neruorū connexione, tum insuper, quia oculi cancrorum non ita per neruos iuncti sunt. Præterea refert *Vesalius.* Vesalius optimus Anatomicus, se hominem secasse cuius nerui optici minime erant iuncti, nec ob id iudicabat rem vnam esse duas. Tum tertio, quia per aures duas, omnino seiunctas, vox vna, non iudicantur duæ. Quare dicamus, quod cū duo sint oculi, geminatur iudicium eiusdem rei, & vt oculus vnus iudicat visibile vnum, ita alter, adeo vt vtroq; oculo rem vnam iudicemus vnam: & id iudicium in communi sensu in vnum venit. Et si quis quærat, cur nerui illi oculorum sint *Cur nerui optici iuncti sint.* iuncti? non est dicendum cum Auicenna, id fuisse factum, ne res vna iudicarentur duæ, quamuis id ipsum approbatum fuerit a Galeno decimo de vsu partium, cap. 14. quo loci profitetur se inuentorem eius vtilitatis, monitum a Dæmone, at puto, illum fuisse mendacem Dæmonem, & potius approbanda est ratio altera a Galeno addita, quod id factum fuerit, vt vno oculo clauso facultas tota transiret in alterum. Insuper, addere possumus, id conducere, vt per connexionem fa- *Decima.* cultas videndi primo seiuncta connecteretur & redderetur potentior. Addebatur decimo, Quod tunc res apparerent conuersæ. Respondet Albertus in secūdo de Anima 73. id nō accidere, quia species visibilis, non generatur nisi a forma rei, vt forma est: ea autem non habet anterius & posterius, sed suam speciem ita emittit in oculum, vt id visibile reperitur extra oculum. At hæc solutio est dubia: quia quamuis in forma ex se non insit dextrum & sinistrum, tamen ea vt iuncta corpori, est particeps vtriusq;, & vnà cum ea differentia mouet, & vtranque repræsentat oculo. Ideo dicamus, actiones visibiliū ita repræsentare visibile, vt se habet, & vt percipimus vnum sensibile magis altero distare, ita iudicamus partes anteriores rei visibilis, nobis esse viciniores posterioribus: hoc tamen verum est, quod in oculis pars dextra rei visibilis in parte sinistra recipitur, & sinistra in dextra, vt apparet in speculo, & declarauit Plato in Timeo, & ob id Aristoteles in secundo de Cœlo dixit per relationem ad nos ea dici sinistra, quæ vergunt ad nostram dextram, & dextra, vergentia ad nostram Leuam. Dubitabatur vndeci- *Vndecima.* mo, Quia nō posset assignari ratio cur hominum nonnulli solū vident proxima *Auerroes.* alii etiam distantia. Auerroes tertio suarum Collect. cap. 38. cum varias reprobasset veterum opiniones, ex propria sentētia ait, id accidere ob vehementiorē, vel leuiorem impressionem rei in oculo, oculus enim debilis, non valet perferre vehementem actionem, ideo solum distantia valet iudicare: oculi duriores, vt iudicent, est necesse vt vehementius moueantur, ideo solū proxima iudicant: oculi autem recte formati, & affecti, & proxima, & distantia valent iudicare. Hæc ratio dubia est, quoniam multi inueniuntur, quorum oculi valde fulgent, nec duri sunt, & tamen solum proxima vident. Aristoteles in 31. parti. Problem. 25. inquit, senes abducunt visibile, vt in eo magis vniantur radii: at hoc dicitur ab Aristotele per principia perspectiuorum, per propria vero diceret, vt visibile magis

magis illuminetur, congruentius agat in vtrumq; oculum, & agendo non lædat, sic itaque eius varietatis ratio conspicua non est, & a variis varia dicuntur, quos eatenus errare puto, quatenus vnius rei pendentis ex variis causis causam vnicã quærunt, cum tamen vna non sit. Quare dicamus, quod oculi proxima tantum iudicantes, varii sunt, nonnulli sunt nigri, cõcaui, satis duri, & de illis vera est sententia Auerrois, quod vehementer moueri debent. Similiter de omnibus habentibus oculos duros vt de cancris, & ob id solum proxima iudicãt, oculi debiliores, vt illi senum & præditorũ humoribus tenuioribus, leuiorem exposcunt motum. Alii reperiuntur oculi editiores, & fulgentes, qui a lumine externo facile disgregantur, vt Noctuarum, equorum, & quorundam hominum, hi nõ distantia, sed proxima iudicãt: nam ob eorum Lucem, nisi vehemẽter moueantur, non vident: & ob propriç Lucis disgregationem melius vidẽt noctu quàm interdiu, hinc seruare licet quod hominum diminutę visionis quidam habent oculos nigros, cauos, & duros, alii fulgentes & eminentes. Hinc causa vna quærenda non est, cum sint variæ. De eo quod Antipheronti Orieti accidere dicebat Aristoteles, quod ei ambulanti propria imago ante oculos apparebat, dicendum id contigisse ob imbecillitatem oculorum eius: inspiciebat enim actionem propriç faciei, repercussam ab aere ei proximo, nam vt inquit Aristoteles in secundo de Anima agens de sono, semper soni in aere fit aliqua repercussio, at non semper conspicua. Similiter & visibilium. Vtrum qui occulos habent imbecilles, a leuissimis repercussionibus mouentur, & per eas iudicant. Quærebatur postremo, vnde pendeat quod res quo magis distant, eo apparent minores? Communis sententia est perspectiuorum, necnon Alexandri in secundo de Anima, c. 38. & Ludouici Boccaferrei, id inquit accidere, quia distantiora inspiciuntur per angulum in oculo, vel radiorũ, vel actionum rei visibilis acutiorem, proximiora vero, per angulum Latiorem. Quæ Opinio variis de causis mihi apprime dubia videtur, primo, quia manus prope oculum posita constituens angulum ęqualem, ei quem cõstituit hemisphęrium cœli, deberet iudicari æqualis hemisphęrio. Præterea, si oculus cõstituatur in centro circuli, & intueatur varios semicirculos cõcentricos, proximos & distantes, eos videbit per ęqualem angulum, non tamen eos iudicabit æquales. Pręterea, idem homo nobis proximus magis & minus distans, dummodo totus distinctè inspici possit, semper iudicatur æqualis, quãuis inspiciatur per angulos inæquales, Mitto alia. Et cum Plotino dico, id non esse primo & præsertim tribuendum varietati angulorũ in oculo, sed id accidere, per totum videmus videntes partes, dum visibile est nobis proximum videre valemus partes eius cum maiores, tum minores, & cum apppareat pluribus partibus præditum, iudicamus id maius, & præsertim, quia simul earũ distantiam distinctius percipimus: dum autem visibile magis distat, partes minores nõ apparent, & maiores debilius mouent, adeo vt secernere particulam vnam ab altera non valeamus, & ob id totũ videtur minus. Hinc oritur etiam, quod corpus dissimilium partiũ, quamuis æquale sit alteri partium similiũ, tamen videtur maius ob clariorem partium distinctionem, ea angulorum varietas, quamuis non sit causa tota, conducit tamen quatenus corpus proximius, quamuis sit minus, tamen obumbrat maius, & illud modo quodam mensurare, eique æquari videtur. Sed vna remanet diluenda dubitatio. Si visio fit per solam receptionem, vnde euenit, quod inspiciendo in speculum oculos recreamus? respondeo id accidere, ne dum ob Lucis oculorum recreationem, verum præsertim quia speculum apprime simile est oculis, ideo oculi per simile refocillantur & recreantur.

Solutio propria.

De Antipheronte.

Cur distantiora videãtur minora.

Plotinus.

Dubitatio.

Cap. XIX.

An Aristoteles de modo videndi cum Platone conciliari possit.

Prima conclusio. SVPEREST considerandum, an Aristoteles de modo videndi valeat cum Platone conciliari, qua de re breuibus dico, Aristotelem cum putantibus nos *Secunda.* videre per solam radiorum emissionem, omnino pugnare. Addo secundo Galenum, & ab Aristotele, & a Platone dissentire, cum nemo horum putet facultatem videndi per medium effundi, & rem ibi videri, vbi est: sed in solo oculo, & putent nedum sensibilia propria, verum etiam communia sentiri per se eorum- *Tertia.* que actiones repercuti, quod de cōmunibus negauit Galenus. Addo tertio, Aristotelem cum Platone in parte consentire, non autem penitus. Pro cuius distincta explicatione considerandum, quod qui hac de re Aristotelem cum Platone conciliare nituntur, id faciunt vel redigendo opinionem Aristotelis in eam Platonis, vel vice versa, Primum efficit Gabriel Buratellus, in suo excogitato concilio, afferens loca nonnulla ex tertio Meteorum, & libro Problemarum, in quib. Aristoteles vtitur emissione radiorum pro causis assignandis: at conspicue errat, nam Aristoteles in loco proprio, nempe in lib. de Sensu & sensili, damnat sententiam dicentium, nos videre per emissionem radiorum, & connexionem interni cum externo Lumine, ex loco autem proprio, non ex alieno elicienda est opinio *Mainettus.* propria. Ideo alii, vt Mainettus in lib. de Sensu & sensili, probabilius id faciunt, redigendo opinionem Platonis in eam Arist. nam inquiūt, ex vtriusq; sententia nos videre per actionem rei visibilis, eiusq; in oculo receptionem. Et dum Plato indicauit nos videre per emissionem, id fecit vt ostēderet oculū debere esse lu- *Euersio.* cidum, nō enim imprimeretur actio rei visibilis in oculo, nisi lucidus esset. Horum tamen sententia approbanda non est, quia quāuis Arist. in parte consentiat cum Platone, nō autem consentit penitus, nos autē dum iudicium promere de- *Sententia propria.* bemus, non partē, sed totum tenemur considerare, vt nos monuit Arist. in 1. de Ortu & int. loquens de actione. Propterea dicamus, Arist. cū Platone consentire: primo, quia ambo aiunt oculū debere esse lucidum. Secundo, ambo putant facultatem videndi nō prodire ex oculo & rem in oculo videri, non extrinsecus vbi est. Tertio, ambo aiunt lumen esse quoddam mediū per quod videmus, quatenus sine lumine nil videmus. Quarto, ambo putant visibilia agere spiritaliter, idq; eis competere per lumen, eorumq; actionē deferri vsq; ad oculos: ideo Plato in Menone concessit defluxum ex coloribus, oculo congruentē. Et in Timeo inquit, compositum ex lumine interno oculorum, & externo, ob similitudinem, passionem eandem sortitum, cum quid aliud tangit, vel ipsum ab alio tangitur motum huiusmodi ad corpus omne, perq; id ad animam vsq; diffundens, sensum efficit, qui visus vocatur, &c. Conspicue ait Plato, sensibilia formare & mouere lumen & per id transferri motū ad oculum & animam. Insuper ait, atq; ea quæ visum sic afficiunt alba, nigraq; vocamus, &c. Similiter Plotinus En. 2. lib. 8. vnà cum Platone fatetur visibila formare radios intermedios, & mouere oculos.

Dissensio. Consentiunt itaq; in parte Arist. & Plato, at non penitus. Dissentiunt enim primo, quia Plato exitum radiorum, & connexionem eorum cum externo lumine, iudicauit necessarium, & visum fieri per quandam consensionē interni cū externo lumine, quod non censuit Arist. sed solum ex necessitate oculorum Lucidorum putauit lumen aliquod prodire, id tamen pro visu non iudicauit necessariū, vt patet ex lib. de Sensu & sensili. Insuper, dissentiūt: quia Plato putauit ab Obie-

ēto formari id cōplicatum ex lumine prodeunte,& externo,& per id complicatum tanquam oculo familiare,deferri actionem ad Animam: Arist. vero censuit obiectum per medium quod actu sit,mouere & formare oculos. Praeterea, Aristoteles ait in speculo repercuti actiones visibilium, Plato vero ait, repercuti a speculo complicatum ex vtroque lumine,inquit enim in Timeo, at vero simulachrorum quae vel in speculis oboriuntur, vel in perspicua lenique cernuntur superficie,facilis assecutio est, nam ex vniuscuiusq; ignis tam intimi, quàm extra positi communione,& concursu,qui rersolenique corpori accommodatus est, necessario haec omnia oriuntur. Mitto alia. Constat itaque, Arist. non de omnibus cum Platone cōsentire,nec dissentire penitus. Missum facio, quod Platonici aiūt, visibilia spiritaliter agere virtute Idearum,& animae Mundi,& iudicium sensibilium fieri per rationes in anima insertas, quae longe absunt a Principiis Peripateticorum. At demum,tanquam attinens ad modum videndi, quaeritur, vnde pendeat,quod dum mouemur, iudicamus Montes & alia quiescentia moueri, & praesertim dum mouemur velociter. Dicendum est, id ex eo euenire, quia variato vno relatorum, variatur & alterum,& quia nos intuemur alia, non nos ipsos,ideo alia a nobis recedere. & ex dextris ad sinistra tendere iudicamus, non autem nos ipsos. *Dubitatio.* *Solutio.*

Cap. XIX.

De facultate videndi.

Decvrsis quatuor propositorum Capitum, sequitur vt de quinto agamus,nempe de facultate videndi: in cuius notitiam per obiecta,& opera eleuamur; Et quoniam facultas videndi omnium consensione est principium quo animal ea facultate prçditum visibilia iudicat,ideo de hoc principio dubium est,an sit idem cum essentia animae, vel distinguatur ab ea: sed quia de hoc iam egi in lib. de Materia,& manifestaui, quae potentia distinguatur, & quae non distinguatur ab essentia fundamenti: ideo tanquam ostensis, vtar declaratis in eo libro,& in nonnullis leuioribus versabor. Variae sunt distinctiones potentiae, quae tamen ad rem faciunt,tres sunt. Diuiditur facultas primo in agentem & patientem. Secundo, vtraque ab Aristotele diuiditur sub initio noni Metaph. quia vel absolute est principium agendi, siue patiendi, vel non absolute, sed ipsius bene,& facile agendi,& patiendi. Tertio, diuiditur ab Academicis, in vtentem, & formantem. Quod pertinet ad primam distinctionem, facultas videndi est & patiens,& agens: nam vt ex materia pendet,& excitatur ab obiecto, pati dicitur: vt vero iudicat, dicitur agere, adeo, vt passio desinat in actionem; compositum veluti homo, est totum agens, totumque patiens. Ratio autem principalis,& origo vtriusq; distincta est facultas agens & patiens, fundamento est eadē, ratione autem, & relatione est distincta, nam relata ad Obiectum, dicitur pati, relata ad iudicium agere, iudicare enim est agere, & hoc est commune sensui visus, & aliis sensibus. Secunda distinctio erat in potentiam agendi absolute,& ipsius bene,& facile, similiter patiendi: vtraque locum habet in facultate videndi, nam principale principium videndi est essentia animae sentientis, cum relatione ad visibile, adeo vt haec potentia vltra essentiam animę solum addat relationem ad obiectum: de hac intelligi debet Arist. 2. de anima 65. inquiens: Si senex reciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, indicando hanc potentiam in sene & iuuene esse eandem, quia essentia animae non recipit magis & minus, solum dici- *Tres distinctiones potentiae.* *Prima distinctio.* *Secunda.*

mus,quod in sene ob imbecillitatē corporis, est magis parata ad interitum:potentia autē bene,& facile agendi,vel patiendi,est potentia proximior,& instrumentaria,consurgens ex recta dispositione,& constitutione instrumenti;Prior potentia est consimilis in omnib.eiusdem speciei:secunda autem est varia,nā ex varietate temperamentorum & constitutionum instrumenti, pendet varietas eius:per hanc nonnulli acute,& eminus inspiciunt, alii econtrario,capri oculis, dicuntur destituti hac secunda potentia,nō prima.Hæc secunda potentia Qualitas est,prima vero, Substantia.Hæc secunda potentia solum est in oculo, prima vero,vt in sede principali,est in corde,vt in sede integra, est in vniuerso Animali,vt in instrumento,per quod operatur,est in oculo.Inquit Arist.in 2.de Anima contex.9.Si oculus esset animal, ὄψις,hoc est vis videndi eius,esset Anima; quæritur, quid denotet per facultatem videndi? Respondeo non denotare facultatem secundam,& organicam,nam ea est accidens,cum prodeat ex temperamento,& constitutione oculi,sed denotare facultatem principalem, quæ absolute est principium vidēdi,vt in oculo reperitur;At hoc videtur dubium: quia ea facultas cum non distinguatur ab essentia Animæ, absolute est Anima,cuius oppositum indicat Arist.nam ait,quod esset Anima,si oculus esset Animal:quare cum oculus non sit Animal,non videtur iudicanda Anima.Respondeo,in Animali facultas prima existens in oculo non est anima,sed pars extensionis eius: At si oculus esset Animal, totum,ea absolute esset Anima.Hinc Aristoteles rationem format,inquiēs:vt pars ad partem,ita totus sensus,ad totum corpus sentiens.Diuidebatur tertio potentia in formantem & vtentēm. Hæc distinctio approbanda est per principia Academicorum, sed non Arist.& Simplicius cum frequenter ea vtatur, potius sequitur Platonem,quam Arist.Nam ex sententia Academicorum,ex Anima prodit,tanquam idolū, & vestigium quoddam,formans instrumenta quod extēditur ad extensionem corporis, Anima autē principalis,est tota,& indiuisibilis in quauis parte,& ea vtitur instrumento formato. Hoc ex sententia Arist.dicere non debemus,tum,quia ea distinctio & multiplicatio facultatum est redundans:vna est principalis videndi facultas,quæ est forma instrumenti,finis,& efficiens,vt in 2.de Anima 37. ostenditur:tum insuper, quia sic Anima videret, non compositum, nam Anima vteretur instrumento composito,non autem id compositum sentiret, quod reiicit Arist.in 1. de Anima 65.Demum, loquendo de facultate videndi, quæritur,cui Animalium exactior & præstantior videndi facultas competat?fertur

Dubitatio.

Solutio.

Tertia.

Dubitatio.

Nos Aper auditu,sed vincit Aranea tactu,

Vultur odoratu,Lynx visu,simia Gustu.

De veritate horum carminum non parum dubito.& præsertim, quia Arist.in 2. de Anima dixit,tactum homini exactissimū competere, idq; esse indicium præstantiæ ingenii:At quicquid sit de carminibus,pro resolutione difficultatis,cum Arist.in 5.de Gen. Anim.cap.2. vtendum est distinctione,& dicendum,Sensum præstare,dupliciter contingere,vel quia plures sensibilium differentias iudicet, vel quia distantiora,& minora percipiat, in prima significatione sensus hominis præstant sensibus cæterorum animalium, nulla enim est species, & differentia sensibilium,quæ per sensus hominis non iudicetur:Hinc famulatur Menti, aptę omnia intelligere, & sunt principia scientiæ: At in altera significatione sensus multorum Animalium præstant sensibus hominis, vt etiam robore corporis Animalia multa homini præstant.

Solutio.

CAP.

CAP. XXI.

Nonnulla de instrumento sensus Visus.

SINGVLA sensuum instrumẽta exquisite, & mira arte formata sunt: At quemadmodum visus præstat cæteris sensibus, ita instrumentum eius, instrumẽtis reliquorum longe antecellit, oculus enim æmulatur mundum, æmulatur cœlum, æmulatur solem, æmulatur aciem mentis. Et silentio obuoluens attinentia ad Anatomen eius, ad cõpositionem ex partibus, ad perfectionem, & venustatem, de eo loquar, de quo inter Platonem & Arist. lis est: an ex parte dominantis, debeat iudicari igneus, vel potius aqueus. Existimarunt Pythagoras & Plato, oculos ex parte dominantis, esse igneos; Quorum sententia comprobatur: primo, quia plurimis spiritibus abundant, qui calidi, sicci, & ignei sunt. Secundo, quia maxime lucent, lux ad ignem pertinet, & à Platone in Timeo, inter species ignis numeratur. Hinc in 6. de Repub. oculum dixit solarem. His assentitur Gal. qui in 10. de vsu partium, ob copiam spirituũ, oculos dixit igneos: id ipsum prius affirmauit Empedoc. Hanc sententiam atguit Arist. in lib. de Sensu, & sensili, & oculum affirmat aqueum: quod indicat copia lachrymarum, & si pungatur, plurimum aquæ fluit. Cõfirmatur: quia oculus perinde ac speculum debet esse constitutus, vt exacte valeat actiones visibilium recipere. Insuper, debet esse lumini peruius: hæc mixtis competunt, præsertim per aquam, nam aer non tam facile intus clauditur, & seruatur, quemadmodum aqua, vt docuit Arist. in lib. de Sensu & sensili. Id ipsum elicitur ex principio generationis, dũ enim primo formantur oculi, apparent valde humidi. Propterea Arist. in 2. de Anima 130. dixit, auditum aeris, pupillam aquæ esse, ignem autem nullius sensus esse proprie, sed omnibus communem, quia nil sine calore valet sentire. Pro distincta resolutione huius controuersiæ, quatuor præaccipienda puto. Primum est, in oculo partes inueniri duplicis generis, vel enim magis ad corpus & materiam pertinent, vel magis pertinent ad formam: Primi generis sunt humores, secundi spiritus, & lux. Insuper, imperium potest esse duplex, vel virtutis, vel molis. Addo tertio, nomine ignis varia denotari posse, Plato lucem & lumen denotauit. Arist. calorem, & spiritus. His quarto addo, dum consideramus attinentia ad oculum, vel inspicimus conducentia pro receptione actionum obiecti, vt Aristoteles, vel ad emissionem luminis, vt Plato. Ex his elicitur resolutio. Nam dico primo, oculus vel consideratur ex parte cõmunis instrumenti, nempe spirituum, & ita est igneus, vt dicitur in 2. de Anima 130. Vel consideratur ex parte eorum quæ sunt propria oculi, secundum quam considerationem dico secundo oculum per partes magis materiatas esse aqueum, per partes magis formales igneum. Insuper dico tertio, oculum imperio virtutis esse igneum, imperio molis aqueum. Præterea, oculus est igneus, sumpto igne pro luce, Vt sumebatur à Platone, non est igneus, sumpto eo pro calore, & elemento ignis, vt sumebatur ab Arist. Demum dico, consideratione Platonis inspicientis exitum radiorum, oculus est igneus, consideratione autem Arist. inspicientis receptionem actionum, est aqueus. Est igitur oculus distincta consideratione & igneus, & aqueus. Sed de oculo hoc superest considerandum, quænam sit eius portio, in qua obiectum iudicatur, & facultas videndi exequitur munus suum. Pro notitia considero varia significatione varium esse instrumentum visus: nam si nomine instrumenti intelligimus principale membrum, in quo inest facultas, id ex sententia Arist. est cor, ideo in lib. de Sensu & sensili, cap. 2. dixit: non enim in vltimo oculi anima, aut animæ sensite-

An oculus sit igneus. *Pythag.* *Plato.* *Emped.* *Arist.* *Resolutio diffic.* *Dubitat.* *Solutio.*

tium, sed manifestum, quod intus est, &c. At hæc est sedes prima & communis. Insuper, sententia est Arist in 2. de part. Anim. cap. 1. facultatem sentiendi in corpore similium partiũ esse positam, actionem vero fieri per ea, quæ sunt dissimilium partium: sic totus oculus est instrumẽtum integrum visus. At quæritur, quænam sit ea pars consimilis, in qua præsertim recipiuntur actiones visibilium, & inest facultas videndi? dixere nonnulli, visum fieri in connexione neruorum deferentium spiritus visui inseruientes; At hoc in præcedentibus est reiectum, non enim in omni animali vidente iuncti sunt nerui illi. Propterea Galenus 10. de vsu partium, necnon quarto de Symptomatum causis, & cum eo Alexander inquiunt, facultatem videdi fungi suo officio in humore Christallino, ideo dum inter illum humorem & spiritum inseritur aliquid, adeo, vt spiritus ad eum peruenire non valeat, aboletur officium videndi, qui humor christallinus in centro oculi collocatus, est splendidus, lucidus, & non omnino rotundus. Auerroes in Paraphrasi de gen. Animal. cap. 1. id officium tribuit telæ araneæ, qua cum talpæ careant, non vident. Et in secundo suarum collectionum, cap. 15. inquit: Galenus fatetur araneã esse summe perspicuam, & lucidam, quia colores imprimuntur in ea, igitur ea est proprium instrumentum visus, vel ex se, vel auxilio christallini. Arist. in 1. de hist. Animalium, cap. 9. inquit, id fieri in humore, qui dicitur, κόρη, hoc est pupilla, quam ambiri dixit nigro, & per pupillam denotauit humorem christallinum, quamuis pupillæ nomen potius denotet viam ad humorem christallinum; At profecto, hæc omnia conducunt pro officio facultatis videndi, & considerando varia, etiam variis id officium tribui potest. Inquit Philosophus in secundo de Anima, 83. si membrana intra aures laboret, nõ audimus, veluti dum laborat tunica, quæ est super pupillam, non videmus, hoc est, super humorem christallinum: nam frequenter Arist. ait, in tunicis esse positam vim sentiendi, ob exiguas venas & arterias in eis inspersas. Colligamus itaque, oculum totum esse instrumentum integrum, neruos perforatos tendentes ex cerebro ad oculos, esse viam, per quam deferuntur spiritus, Spiritus autem esse instrumentum commune omnium sensuum, præsertim tamen visus, tunicam supra pupillam esse instrumentum munere exiguarum arteriarum in ea inspersarum, & nigrum christallino iunctum, conducere pro congregandis spiritibus & radiis, christallinum autem humorem esse partem principaliorem, in quam desinunt actiones visibilium, & propterea esse collocatum in medio, esse solidiorem, satis iunctum cum neruis spiritus deferentibus, & propterea in eo præsertim absolui officium videndi. Partes itaque variæ, varios præbent vsus, ex quibus instrumentum integrum, eiusque officium consurgit.

Cap. XXII.

De præstantia sensus Visus.

Præstantia sensus Visus. Ex obiecto.

SENSVS visus vt est origine postremus, ita secundum institutum naturæ est primus, & vt est postremus necessitate, minusq; conducit pro esse, ita est primus dignitate, summopereque conducens vt bene simus. Refulget eius præstantia ex obiecto, ex requisito pro obiecto, ex medio, ex instrumento, ex modo operandi, & ex insignibus vtilitatibus ex eo prodeuntibus. Primo ex obiecto, quia color omnium qualitatum ad sensus pertinentium, præstantissimus est, & extenditur ad omnia corpora: nam & mortalia & æterna tanquã colorata iudicio oculorum subiiciuntur. Color tamen cœlestium à lumine distinctus nõ est:

hoc

hoc solo sensu, non alio vllo, valemus æterna iudicare. Elicitur secundo, ex requisito pro obiecto, nempe ex lumine, sine quo nil videmus, & per quod videmus corpora omnia, eius præstantia ipsomet lumine clarior, & splendidior est. *Ex requisito pro obiecto.* Refulget tertio ex medio, per quod actio obiecti defertur, id enim est perspicuum, quod puritatem, & sinceritatem præsefert, adeo, vt etiam cœlo competat. *Ex medio.* Elicitur quarto ex instrumēto, quod est corpus sphæricū, perspicuum, fulgens, panniculis & humoribus tanquam orbibus præditum, quod proprio mouetur motu, perinde, ac animal absolutum, perinde ac cœlum, perinde ac mundus totus. *Ex instrumento.* Refulget quinto ex modo operandi, & connexis cum eo, iudicium eius est exactissimum, & certissimum, nil enim certius oculata fide, operatur spiritaliter, & sine tempore, non secus ac mens, iudicat maxime distantia, iudicat quæ directe aciem eius mouēt, percipit sensibilia communia cuncta, eaq; exactius quam cæteri sensus, vt docuit Aristot. in lib. de Sensu & sensili. *Ex modo operandi.* Oculus dum iudicat, sibi soli credit, cum auditus credat aliis. Hinc pluris fit vnus oculatus testis, quam auriti decem, vt dixit Plautus. Demum fulget præstantia visus ex insignibus vtilitatibus, quæ ex eo in nos redundāt: munere enim huius sensus, plurima cognoscimus, vt dicitur in procemio Metaphysicæ, & vt in lib. de Sensu & sensili testatur Philosophus, auditus ex accidenti magis conducit pro disciplinis, quatenus accidit vt voces sint signa notionum animi: Visus vero per se. *Ex vtilitatibus.* Insuper, quamuis auditus dicatur sensus disciplinæ, quia per illum ab aliis addiscimus, visus tamen est sensus inuentionis scientiarum, inuentio autem longe præstat disciplinæ. Præterea, beneficio oculorum præsertim eleuamur in notitiam Dei, nam cœli enarrant gloriam eius, Cœli autem solo visu percipiuntur. Demum ex oculorum constitutionibus, & conditionibus congruenter elicimus institutionem vniuersæ vitæ nostræ, illi enim sua puritate & perspicuitate indicant nos teneri esse puros, & despicere terrenas opacitates, & suo fulgore & luce indicant, nos debere inscitiæ tenebras longe repellere, sua colorum varietate, indicant nos virtutibus variis debere ornatos refulgere. Ideo Plato in Timeo inquit, ob hanc potissimum rationem Deum oculos genuisse, vt mentis circuitus, qui in cœlo peraguntur intuiti, in vsum redigeremus nostræ mentis, cogitationisque nostræ discursiones illis cognatas, sed perturbatas, quodam modo ad illorum temperiem redigeremus, &c. Cum itaque oculi adeo præstent cæteris sensibus, iure eos maxime diligimus, iure in tenebris eorum beneficio destituti, formidamus, cum tuto duce priuemur, iure oculis capti hūc sensum flagrantissime appetunt, iure in suprema & anteriori corporis parte sunt collocati, tanquam duces, & exploratores, iure interni & latentis animi & cordis nuncupantur fenestræ: in oculis enim apparent indicia morum, & signa affectionum animi, in eis refulgent Gratiæ, & exiguo motu suo, inspicientium animos vehementer mouent & rapiunt.

Cap. XXIII.

Dubia aduersus ea, quæ dicta sunt de præstantia Visus.

SATIS conspicuam refulsisse puto Oculorum & visus præstantiam: at nō deuere qui in hac luce deliquerunt, & rationibus nonnullis satis leuibus suasi, ausi sunt auditum ei præferre. Inquiunt enim obiectum auditus nempe sonum esse simpliciorem colore, cum non ex temperamento consurgat. *Instātia.* Id confirmant: quia vox, quæ est species principalis obiecti auditus longe est nobilior

colore, cum manifestet affectiones animi, & sit signum notionum eius. Hinc sermo est hominis maxime proprius. Praeterea, veritas primorū principiorum, quae est principium vniuersae nostrae scientiae, in solo auditu est posita. Similiter, Musica humani animi adeo propria, & familiaris, ac pro affectuum compositione valde vtilis ad auditum pertinet. Et Pythagoras auditu Musicam, & Musicae

Fides. rationes adinuenit. Praeterea, nostra fides, ex qua pendet salus nostra, in auditu est posita: Beati enim qui non viderunt, & crediderunt. At pro fide auditus re-

Cabala. quiritur. Similiter Cabala apud sapientes Hebraeorum, miris laudibus commendata, ex auditu originem, conseruationem, & continuatam successionem recipit. Visus solum externa nobis denunciat, auditus haurit interna, &

Socrates. internum iudicat hominem; Ideo Socrates intuens formosum adolescentem, sed silentem, dixit: si vis vt te videam, loquere. Praeterea, cum verbum auditui respondeat, scimus verbum fuisse Deum, Verbum factum esse carnem, & verbo Dei facta esse omnia. Sic ex obiecto elici posse videtur praestantia auditus. Quae etiam elicitur ex instrumentis auditus mira arte elaboratis, & solidis ossibus munitis. Insuper, ex officio: nam auditus est sensus disciplinae, & caecus euadere potest doctior, quàm surdus: immo Democritus vt diligentius specularetur, sponte

Solutio oculos à se abiecit, quod de Homero quoque nonnulli referunt. Vt harum, & cōsimilium rationum refulgeant solutiones, accipiendum primo sensum vnum alteri praestare, contingere dupliciter, vel ex se, vel accidenti: Dum traduntur regulae, id considerandum est, quod ex se. Visus ex se praestat caeteris sensibus, Auditus solum ex accidenti, quatenus accidit, vt ea quae sunt in voce, sint signa affectionum animi, & rerum: vt etiam surdi, videntes signa percipiunt animi notiones. Insuper sensum conducere pro scientiis, dupliciter accidit: vel pro eis formandis & inueniendis, vel pro addiscendis iam inuentis. Visus magis conducit: primo modo, quia praestantior est auditus altero. Accipio tertio, verbum dupliciter accipi, vel pro eo voce prolato, & hoc pertinet ad auditum, vel pro verbo in eminentia sumpto, denotante voluntatem & mandata Dei, cui praeest mens, & sapientia dirigens, quae eminenter Dei oculus nuncupatur; Addo demum ea, quae apprime conducunt, etiam apprime obesse, dum perperam illis vtimur: ideo ex deprauato oculorum vsu, varia prodire possunt detrimenta; ob id Homerus oculos nuncupauit domum mortis, & propheta enunciauit mortem ingressam per fenestras. Ex his eliciuntur solutiones omnium aduersarum rationum, & cōprobatio praestantiae sensus visus. Ratio sumpta ex simplicitate obiecti, inanis est: tum quia obiectū simplicius non est praestantius, vt patet de tangibilibus simplicioribus colore, tum quia lux simplicissima est, tum demum, quia sonus est motus quidam, & actus imperfectus, pendens ex percutiente & percusso, pro esse & conseruatione, quod denotat diminutionem conditionis eius.

Est itaque visus dignitate primus, proportione aciei mentis respondens, per cuius in Deum conuersionem perficimur, & beamur.

FRAN-

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Sensibus internis,

LIBER VNVS.

Procemium in quo institutum authoris proponitur.



HOMO *tam incerta & dubia est conditionis, vt nil definitum esse videatur, sed ad Prothei instar, omnem valet recipere formam, omnem valet viuere vitam, omnia valet per artem imitari, & omnia demum valet per cognitionem fieri: quod iure Dei Prouidentia ei tributum est, vt in eius manibus perfectio propria, Propriumque detrimentum esset positum; Vt autem cuncta quæ in vniuerso sunt modo sibi consentaneo cognoscere posset, & per id (vt ei liceti) redderetur similis Deo, singulis facultatum cognoscentium gradibus debuit esse munitus. Et quoniam perfectio rerum ex principio, medio, & fine consurgit, ideo in gradibus quoque cognoscentium facultatum, hic trinus perfectionis ordo, & numerus conspicue refulget: Externi enim sensus, principium nostræ cognitionis constituunt, interni medium adhibent, Mens denique finem, & propterea nos cum postremo omnium fine fælicissime nectit. Externi sensus tanquam primi exploratores, ea quæ primo iudicant, offerunt internis, interni ea iudicant menti. Tenuis & adumbrata satis est cognitio externorum sensuum, exactior ea internorum, exactissima illa mentis. Externi in imaginibus, & rerum vmbris versantur, interni intimiora considerant, mens nedum intima, sed etiam rerum causas scrutatur & quærit. Absoluta hæc iudicantium facultatum perfectio, non iumentis & feris, sed soli homini, mortalium omnium absolutissimo competit, qui ob id etiam mortalium finis iudicatur. De sensu visus, vt etiam de mente separatis sermonibus verba feci: Nunc autem de internis sensibus, quorum consideratio est vtilissima, mihi ex sententia Peripateticorum differendum propono. At vt distinctius pateat de quibus facultatibus sit agendum, accipio primo internas animi facultates, vel cognoscentes, vel cum cognitione iunctas, infraque mentem collocatas, in quatuor gradus distribui, in iudicantes, seruantes, appetentes, & secundum locum mouentes. De appetente non est sermo, quia ad iudicantem redigitur, ab eaq; sola ratione distinguitur, vt legitur in tertio de Anima, 29.*

In facultatibus animi principiũ, medium, & finis.

Perfectio ordinis facultatum iudicantium, soli homini competit.

Quatuor gradus.

De quo, & quo ordine agendum. *Insuper non est facultas principalis, sed principales sequitur, nempe cognoscentes, ob eandem causam etiam non est sermo de mouente, quia non est facultas principalis, sed cognoscentem & appetentem sequitur: nec proprie est facultas animæ à cæteris distincta, sed potius distinctum quoddam eius officium. Ideo Aristoteles in tertio de anima, Phantasiam & appetitum, statuit Principia motus. Sermo itaque erit de facultatibus internis sentientibus, & seruantibus: pro quarum ordinata explicatione, declarabo primo communia nonnulla, agam secundo de earum numero, tertio de obiectis, quarto de officiis earum, quinto considerabo, quæ facultates quibus animalibus competant, demum de ordine perfectionis earum aliquid dicam.*

CAP. I.

Explicantur nonnulla dirigentia ad considerationem internorum sensuum.

CONSIDERANDOS mihi proposui sensus internos, ideo cur sensus, & cur interni dicantur, prænoscendum est. Quod pertinet ad nomen sensus, quemadmodum eorum quæ sub nostram cognitionem cadunt, quædam sensibilia, alia intelligibilia dicuntur: ita cognoscendi facultates in sentientes & intelligentes distribuuntur. Refertur facultas sentiēs ad sensibilia, quæ & singularia, & materiata sunt, cum omne sensibile sit in materia, vt dicitur in primo de Cœlo: facultas vero intelligens, propria conditione ad ea refertur, quæ modo aliquo sunt à materia secreta. Nam si mens percipit singularia, id efficit, vt iuncta cum sensu, & instrumento eorum. Insuper, sensus iudicando vtuntur instrumento aliquo corporeo, mens vero supra corpus eleuata, eo non eget. Nuncupantur autem sensus interni, pro distinctione ab externis, nempe à visu, auditu, & similibus, qui dicuntur externi, non quia eorum facultates solum in externis instrumentis sint positæ (vere enim hi quoque præsertim pro sede cor habent, & præcipue tactus) sed externi dicuntur, quia per intermedias externas partes, externa & præsentia sensibilia primo recipiunt, & iudicant, interni autem id faciunt præcurrente iudicio externorum, & nonnunquam sine præsentia sensibilium, vt suo loco patebit. Insuper, latere nos minime debet, quod dum quærimus numerum internorum sensuum, non quærimus quot sint essentiæ absolutæ, & substantiæ eorum, vnica enim sentientis animæ essentia est, sed quot sint facultates, si non essentia, saltem ratione inter se, & à fundamento distinctæ. Pro cuius notitia considero, potentiam vsurpari vel pro absoluto, ac ita à fundamento non distinguitur, vel cum superaddita relatione, secundum quam considerationem distinguitur ratione. Insuper, hæc potentia cum superaddita relatione potest esse, vel prima, vel proxima, quæ proxima exposcit definitum temperamentum & constitutionem proximi instrumenti, & est proximum principium operandi, de qua modo sermo est. Insuper, cum numerus & distinctio internorum sensuum ex notitia distinctionis actionum elucescant, tenemur primo considerare, quæ actionum distinctio, distinctionem facultatum sit apta ostendere. Propterea dico, tria præsertim esse, quæ facultatū distinctionem apta sunt patefacere. quorum primum est, gradus distinctus abstractionis: alterum est indigentia instrumenti distincti temperamēti vt memoria exposcit instru-

Sensus cur interni.

Potentia dupliciter vsurpatur.

Tria indicantia distinctionem.

instrumentum siccius, Phantasia humidius: tertium est pugna & oppositio actionum, quatenus nonnullæ facultates mouent, aliæ mouentur, sed vt melius paremur, & cuncta distinctius explicentur, operæpretium est considerare, actiones varias internorum sensuum, per quas in eorum notitiam deuenimus. Vna earum est iudicium differentiæ sensibilium distinctorum sensuum, vt soni à coloribus, quod per sensus externos fieri non potest, vt in calce secundi de anima, patefecit Philosophus. Altera est, exactum iudicium sensibilium communium. Tertia, iudicium quod sentiamus. Quarta est, cognitio exquisitior priuationum, vt silentii, tenebrarum, & similium, quæ quamuis sine externis non cognoscuntur, earum tamen iudicium in sensu communi absoluitur. Quinta actio est, iudicium & consideratio sensibilium absentium. Sexta est subnotio quædam pugnæ & amicitiæ, quatenus cognoscimus rem vt nobis aduersam, vel conducentem, veluti Agnus Lupum iudicat, vt sibi inimicum, pastorem & canem, vt amicum, quod non est putandum effici per distinctam amicitiæ, vel inimicitiæ insensatam speciem, vt aiunt, id enim est commentum quoddam, sed per solam subnotionem quandam eiusdem speciei, & in iumentis & feris ad id iudicandum maxime conducit instinctus naturæ, per quem formicæ grana condunt, tanquam eis vtilia, & alia animalia multa efficiunt, quæ admirationem pariunt. Septima est, quia in actionibus locum habet varietas iudicandi obiecta, & seruandi ea, quæ iudicauimus. Octaua est, subministratio, per quam vna alteri obiecta offert & suggerit. Hæ sunt præcipuæ actiones, quæ nobis numerum & conditiones internorum sensuum aptæ sunt patefacere. *Officia internorum sensuum.*

CAP. II.

De gradibus abstractionis eorum quæ cognoscuntur.

QVONIAM inter cætera quæ pro notitia internorum sensuum summopere conducunt, cognitio graduum abstractionis mirum in modum prodest, ideo de illis vt ad institutum nostrum pertinet, verba faciam. Abstractio late sumpta concretioni opponitur, & est secretio vnius ab altero. Hæc fieri potest & per naturam, & per cognitionem: Si fiat per naturam, vel est abstractio rei incorporeæ, vel corporeæ. Incorporeæ, vt superæ mentes à corporea mole dicuntur solutæ, & mens hominis dicitur separari vt æternum à mortali. Si autem fuerit rei corporeæ, ita dicimus cœlum esse separatum à quatuor Elementis, & Elementa educi ex mixto, aquamque ex vino diluto, quod quamuis fiat per artem, tamen redigitur ad idem caput, quatenus est secretio secundum subsistentiam vnius naturæ ab altera. Ex aduerso abstractio per cognitionem etiam est duplex, vel enim est cum compositione & diuisione, in qua locum habet veritas, & falsitas, vt si dixero, linea potest esse sine subiecto, est abstractio fallax, ignis separatur à mixto, vera. Vel est abstractio sine compositione, apprehendendo vnum, non considerato alio, vt Mathematicus considerat lineam, non considerato subiecto, & dicitur seiunctio vnius ab altero ei iuncto, quæ multos habet gradus: nam primo datur abstractio à materia, de qua ait Aristoteles in secundo de anima, sensum recipere sensibiles formas sine materia, nam spiritaliter eas recipit, & iudicat. Altera est abstractio à præsentia materiæ, per quam frequenter absentium sensibilium formas imaginamur. Pro tertio abstractionis gradu, Latini illum numerant, quem appellant abstractionem speciei insensibilis, ex specie sensibili, siue intentionis, ex imagine vt Agnus ex specie Lupi, *Abstractio per naturā.* *Abstractio per cognitionem.*

dicitur elicere intentionem inimicitiæ: quam sententiam non puto approbandam, cum ea non sit noua abstractio, sed tantum subnotio quædam (vt dixi) eiusdem formæ: nam res iudicari potest, & pro suo esse absoluto, & cum quadam relatione ad nos. Primo origine iudicatur Lupus ab Agno notione absoluta, quod sit Lupus, non canis, non pastor. Secundo, cum quadam relatione & subnotione, vt sibi aduersus: vt enim naturalis illa amicitia, vel pugna non distinguitur à rebus inuicem pugnantibus, nisi ratione, & per superadditam relationem, ita non distincta abstractione, sed solum per superadditam subnotionem apprehenduntur: de qua loquens Aristoteles in tertio de Anima 28. inquit: Sentire igitur simile est ipsi dicere solum, & ipsi intelligere. Cum autem Animal id iudicat, vt delectabile, vt molestum, tanquam affirmans, vel negans, prosequitur, aut fugit: non igitur tunc distincta & noua species abstrahitur, sed eadem distincta subnotione apprehenditur. Insuper Auerroes in secundo de Anima, 63. & 65. his aliam addit, quæ est abstractio formæ à præsentia & conditionibus materiæ, sed non à singulari, per quam putat vim cogitandi apprehendere intentiones indiuiduorum decem Prędicamentorum, ideo in comm. 63. hæc verba profert: sensus hominis comprehendunt intentiones indiuiduales omnium decem Prædicamentorum, & hæc intentio indiuidualis ea est, quam distinguit virtus cogitatiua à forma imaginatiua, & exspoliat eam ab illis quæ sunt iuncta cum ea, nempe à sensilibus communibus, & propriis, & recondit eam in facultate memoriæ, &c. Sententiam hanc Auerrois approbandam non puto, tum quia indiuiduum non est, nec seruatur sine materia, & eius conditionibus. Hinc ab Aristotele in quinto Metaphysicæ, contex. 12. & à Porphyrio per eam definitur, tum insuper, quia indiuiduum substantiæ seorsum ab accidentibus non habet propriam speciem, natam à sensu interno concipi & seruari memoria, tum demum, quia ea vis cogitandi posita ab Auerroe approbanda non est, vt suo loco patebit. Propterea, quatenus ad sensum pertinet, solum concedendi sunt duo abstractionis gradus, vnus à materia, alter à præsentia materiæ, siue sine subnotione, siue cum subnotione, quibus mox succedunt gradus abstractionum attinentes ad mentem, qui sunt vel vniuersalis à singularibus, vel magis vniuersalis à minus vniuersalibus, vsque ad prædicata prima & simplicissima, qui gradus abstractionis sunt trium conditionum: vel enim abstrahimus prius à suo posteriore, vt Mathematicus speculatur superficiem non considerato calore. Vel abstrahimus posterius à suo priore, vt Mathematicus imaginatur, & speculatur superficiem non considerato subiecto, quod fieri potest consideratione non distincta, sed confusa: vel tertio, abstrahimus aliquid ab altero eiusdem gradus, & ex accidenti iuncto, vt imaginamur lac album, non considerata dulcedine. Hi sunt gradus abstractionum ex cognoscentibus animæ facultatibus prodeuntes.

Auerroes

Cap. III.

De numero internorum sensuum opinio prima eiusque euersio.

Opinio statuentium sensum internum vnum.

SENSVS interni sunt animæ sentientis facultates, quæ intrinsecus in eis sensibilibus versantur, quæ per externos sensus illis offeruntur, de quorum numero opiniones sunt variæ, partim extremæ, partim mediæ. Extremarum vna est quorundam & Philosophorum, & Medicorum, qui aiunt internum sensum vnicum esse, distinctis muneribus fungentem, ac ita sola ratione distinctum, variisque nominibus designatum. Nituntur præsertim hoc fundamento, quia ea omnia

omnia munera, quæ proficisci dicuntur ex sensu communi, à Phantasia quoque perfici possunt, & quia natura superuacaneis non abundat, propterea sequentes nos leges eius, has non duas facultates distinctas, sed vnicam statuere debemus. Præterea, fundamentum interui sensus, siue cum Aristotele dicatur cor, siue cum medicis cerebrum, vnicum est, vnicoque spiritu vtitur, quare facultas quoque debet iudicari vna, & præsertim quia obiectum est idem, nempe genus sensibilium, & vtrisque eadem competit definitio, vtraque enim dici potest motus factus à sensu, qui actu est, vt definitur ab Aristotele Phantasia, in secundo de anima. Hæc opinio eatenus est vera, quatenus potentiæ animæ considerata pro absoluto, vt dixi in præcedentibus, inter se, & à fundamento non distinguuntur. Approbanda tamen non est, quia modo non est sermo de essentia animæ, & de potentiis pro fundamento, & absoluto consideratis, sed de propria earum ratione, & formalitate, & de illis vt sunt principia proxima distinctarum actionum: qua consideratione Aristoteles iudicat esse plures, easque vt distinctas seorsum considerat. Et in tertio de Anima. 41. ait, Phantasiam ipso esse ab aliis distingui. Præterea, idipsum ex operibus colligitur: nam mouens & motum, non recte sumuntur pro eadem facultate, nil enim mouet se: at Phantasia mouetur à communi sensu, quare ab eo distinguitur. Præterea, per somnum sensus communis priuatur sua muneris functione, cum tamen Phantasia tunc vigeat, & operetur. Insuper nonnulla animalia carent memoria, & prædita sunt sensu communi, quare memoria ab eo secernitur. Similiter hominum nonnulli valent memoria, non autem virtute imaginandi, nonnulli contra: Præterea, læditur sæpe memoria, non læsa Phantasia, exposcunt hæ facultates instrumenta varia, temperamenta distincta, & variis vtuntur abstractionibus: nam sensus communis solum circa præsentia versatur: Hæc & huiusmodi alia indicant sensus internos, non vnum, sed plures esse. Nec alicuius momenti iudicari debent rationes pro ea opinione relatæ, iam enim patuit opera internorum sensuum non posse vnica facultate effici, ob pugnam mouentis, & moti, ob varietatem læsionum temperamentorum, & propriorum instrumentorum. Obiecta quoque esse varia, ex eorum explicatione patebit: & quamuis prima sedes vnica sit, id tamen nil refert, quoniam etiam vniuersæ animæ vnica est sedes, cum tamen omnium consensione variis facultatibus sit prædita. Similiter definitio Phantasiæ non competit sensui communi: quia dum ab Aristotele definitur, quod sit motus factus à sensu qui actu est, Aristoteles per sensuum actu, denotauit coniunctum ex communi cum externis.

Euersio.

Diluuntur rationes aduersæ.

Cap. IIII.

De numero sensuum internorum opinio secunda eiusque euersio.

CVM apparuerit non esse satis statuere vnicum sensum internum, propterea est opinio secunda putantium eos esse duos, qui tamen inter se dissentiunt: nonnulli inquiunt, eos duos esse, communem sensum, ad quem redigunt Phantasiam, & facultatem cogitandi, ad quam aiunt redigi memoriam, alii vt Iacobus Forliuiensis, aiunt, eos duos internos sensus esse facultatem iudicandi, & facultatem conseruandi: nam hæc sunt ea munera, quæ prodeunt ex sensibus internis, quæ exposcunt temperamenta distincta, & per duos distinctos cerebri ventriculos indicantur. Quæ opinio etiam est reiicienda, primo, autho-

Sensus interni duo.

Euersio.

ritare Aristotelis, qui plures numerat, & declarat. Secundo, ratione: nam si eas facultates dicimus esse sensum communem, & vim cogitandi, (vt aiunt primi) recedimus ab Aristotele, qui inter sensus internos vim cogitandi non numerauit. Insuper hi male redigunt Phantasiam ad sensum communem, cum Phantasia dicatur à communi sensu moueri. Si autem cum aliis eas duas facultates dicimus esse memoriam, & vim iudicandi, in plura labimur absurda: ita enim cum sensus communis moueat Phantasiam, idem mouebit se. Præterea, communis sensus cum sit tanquam centrum externorum, magis nectitur cum sensibus externis, quam cum Phantasia: ideo eius actio est quædam absolutio iudicii externorum sensuum: hinc solum vna cum eis circa sensibilia præsentia versatur. Et Aristoteles conspicue communem sensum à Phantasia seiunxit, illumque cum externis iunxit: nam in 2. de Anima, 149. cum egisset de sensu communi, colligit se egisse de sensu, & ad Phantasiæ explicationem tanquam distinctæ, se transfert. Insuper, Phantasiæ actio est in nostra potestate, non autem ea sensus communis: ratio attingit Phantasiam, non communem sensum, Phantasia in somno libera est, sensus autem communis ligatus, sensum communem Aristoteles tribuit omnibus animalibus, non autem Phantasiam, Phantasiæ competit maior abstractio quam communi sensui, per Phantasiam animalia efficiunt opera varia admirationem excitantia, non per communem sensum. Hinc Phantasia dicitur mens Brutorum, non autem sensus communis. Rationes aduersæ facile diluuntur, nam munera tam varia sunt, vt cogant nos fateri, facultates esse distinctas, vt apparuit. Et quantum pertinet ad temperamenta, ea sunt duo genere, & prædita latitudine, & distinctione. Ratio sumpta ex duplici sinu cerebri, ex sententia Aristotelis est inanis: tum quia illæ non sunt propriæ sedes, & instrumenta harum facultatum, tum insuper, quia viæ & sinus in cerebro longitudine sunt præditi, & in distinctis partibus eorum inueniuntur spiritus, vel magis, vel minus puri, qui variis facultatibus inseruire valent. Similiter ea ratio ex sententia Galeni est inanis: quia censet ea officia perfici per cerebri temperamentum.

Diluuntur rationes aduersæ.

CAP. V.

De numero internorum sensuum opinio tertia, & euersio.

Opinio Auerr.

TERTIA opinio Auerrois est, & elicitur ex sexto comm. tertii de Anima, ex dictis ab eo in lib. de memoria, & reminiscentia, & ex secundo suarum collectionum, cap. 20. putat Auerroes sensus internos esse quatuor, nempe communem sensum, Phantasiam, vim cogitandi, & memoriam. De communi sensu, Phantasia, & memoria distincte, & cõspicue loquitur Aristoteles. Quod autem præter has debeat concedi vis cogitandi in homine, cui iumẽtis & feris respondeat vis existimandi, ostenditur primo: quia inter sensus internos debet reperiri facultas, quæ appetitum excitet, & sit principium motus, hoc non efficit Phantasia: nam inquit Philosophus in secundo de Anima, 154. per Phantasiam non mouemur sed perinde afficimur, ac illi qui picturas intuentur, quare præter Phantasiam debet dari vis cogitandi, per quam appetamus & moueamur. Insuper Aristoteles in context. 153. eiusdem secundi de Anima inquit, Phantasia non fit sine sensu, & sine hac nõ est existimatio; ex quo patet, præter Phantasiam concedere vim existimandi, siue cogitandi. Præterea, Aristoteles in tertio de Anima 57. duplicem ponit Phantasiam, vnã sine ratione, alteram cum ratio-

Necessitas virtutis cogitandi.

ratione, quam Phantasiam cum ratione clarissimus M. Antonius Genua, exponens cont. 153. secundi de Anima, dixit esse vim cogitandi. Insuper addit, Aristotelem eam indicasse in lib. de Memoria & reminiscentia, dum dixit: De memoria dictum est, agendum est de altera virtute, quæ dicitur reminiscencia; at inquit reminiscentiam ad vim cogitandi pertinere, cum exposcat discursum qui competit facultati cogitandi. Circa singularia demum eadem facultas comprobatur per eius actionem, ea namque componit, diuidit, & ratiocinatur de singularibus: insuper, elicit intentiones, siue species non sensibiles, amicitiæ, & inimicitiæ, per quas appetitum excitat, & est principium motus, elicit intentiones indiuiduas decem Prædicamentorum, easque in memoria recondit, quod non efficit Phantasia. Per hanc vim cogitandi inquit Auerroes in tertio de Anima, 20. homo distinguitur à feris, & ex varietate constitutionis eius, prodit varietas ingeniorum, & propensionum hominum. D. Thom. cum Auerroe, de hoc consentit, quod inter internos hominis sensus numerari debeat vis hæc cogitandi, cui in brutis vis existimandi respondeat, vt elicitur ex prima part q. 78. Art. 4. quamuis de nonnullis dissentiat. Hæc opinio conspicue, & cum Aristotele, & cum ratione pugnat, & qui ei adhærent, manifestissime decipiuntur. Primo errat Auerroes cum dicat in tertio de Anima, comm. 6. Aristotelem in lib. de Sensu & sensili eas quatuor facultates numerasse: ac in ordinem redegisse, cum tamen Aristoteles in eo lib. de solo communi sensu, & Phantasia verba fecerit. At qui sequuntur Auerroem inquiunt, per lib. de sensu & sensili denotasse librum de Memoria & reminiscentia, in quo Aristoteles per verba supra relata, vim cogitandi denotauit: sed hoc non satisfacit, quoniam neque etiam in lib. illo aliquid protulit, quod ad rem faciat, solum dixit: Quid igitur Memoria, & meminisse dictum est, quoniam Phantasmatis vt imaginis, cuius Phantasma est habitus, & cuius particulæ earum quæ in nobis, quia primi sensitiui, & quo tempus sentimus, de ipso reminisci autem reliquum est dicere. His verbis Philosophus nil denotat quod ad rem faciat, solum patefacit reminiscentiam nobis non competere sine vsu rationis, quæ ad intellectum pertinet, hinc solis præditis intellectu, competit. At nituntur alii adhuc defendere Auerroem, dicentes vim cogitandi ab eo additam, nil aliud esse, nisi excessum quendam, quo hominis Phantasia Phantasiæ brutorum antecellit. Sed hoc quoque dici non potest, quoniam Auerroes & cum eo D. Thom. aiunt, virtuti cogitandi hominum, respondere in Brutis virtutem existimandi, ac ita eam statuunt facultatem distinctam, non solum excessum. Quod confirmatur: quia Auerroes absolute ait virtutes has internas esse quatuor, eis tribuit sedes proprias distinctas in capite, ait esse subordinatas, & earum varia esse officia, quæ omnia indicant, putasse Auerroem esse facultates distinctas. Præterea, errat Auerroes in voce: nam cogitatio ad mentem, non ad sensum pertinet, & est ea facultas, quæ Græcè dicitur διάνοια. Similiter existimatio: & dum Aristoteles in secundo de Anima, 153. Phantasiam dicebat mediare inter existimationem, & sensum, per existimationem non aliquem internum sensum denotabat, vt nonnulli perperam exponunt, sed iudicium mentis: quod etiam nouit Auerroes. Insuper, Auerroes ex secundo errore in tertium labitur, quia minus recte in tertio de Anima, comment. sexto, Galenum carpit, putandum vim cogitandi ad Mentem pertinere, & esse propriam hominis. Auerroes inquit eam esse quidem propriam hominis, at non attinere ad mentem, sed ad sensus internos. Galenus, vt Græcus, recte nouit dianoeticam siue cogitandi vim pertinere ad Mentem,

D. Tho.

Euersio.

Error primus Auerr.

Secundus error.

Tertius error.

Galenus.

Diluuntur rationes aduersæ. quamuis errauerit, cum putarit humanæ menti instrumentum competere. Quam longe etiam Auerroes recedat à vero, loquendo de operibus huius quarti interni sensus, ex dicendis patebit. Rationes autem pro eius parte relatæ, facile diluuntur. Dicebatur primo, Phantasiam non excitare appetitum, & esse principium motus. Respondeo, eam non mouere per primam eius operationem, quæ est absoluta apprehensio obiecti, sed per subnotionem, nempe dum rem iudicet tanquam sibi iucundam, vel aduersam: quod affirmauit Aristoteles in tertio de anima 28. inquiens: Sentire est simile ipsi dicere solum, & intelligere, cum autem delectabile, aut molestum, tanquam affirmans, vel negans, prosequitur, aut fugit. Confirmatur: quia Aristoteles in calce secundi de anima inquit, iumenta & feras per Phantasiam multa agere, similiter hominẽ, dum caret vsu mentis. Et in tertio de anima, loquens de facultate mouendi, id officium tribuit appetitui, & Phantasiæ, & nullibi inter Phantasiam & mentem Aristoteles posuit aliam facultatẽ mediam, sed frequenter dixit, Phantasiam offerre Phantasmata menti. De contex. 153. secundi de anima iam dictum est. De quinquagesimoseptimo, tertii de Anima, vbi Aristoteles duplicem ponit Phantasiam, vnam sine ratione, alteram cum ratione, Respondeo Aristotelem non denotasse facultates duas, sed duo munera humanæ Phantasiæ, & duas eius constitutiones, formatur enim nonnunquam Phantasia, & dirigitur per sensus, & sensibilia, nonnunquam vero per mentem & rationem, dum ab ea corrigitur & dirigitur, veluti in viro prudente. Quod pertinet ad comprobationem postremam, sumptam ex varietate actionis, quia de huiusmodi actionibus dissentio ab Auerroe: ideo suo loco patebit quid sit dicendum.

Cap. VI.

De numero internorum sensuum opinio quarta eiusque euersio.

Opinio, statuentiũ quinque sensus internos. OPINIONI primæ statuentium sensum internum vnicum, opponitur ex aduerso opinio Auicennæ in sexto suorum Naturalium, parte quarta, capitulo primo, necnon Magni Alberti, in secundo de anima, qui de numero internorum sensuum cõsentientes, inquiunt eos esse quinque, dissentiunt tamen de eorum nominibus, & officiis. *Auicenna.* Auicenna, primum statuit sensum communem. Secundum, vim imaginandi, quam nuncupat vim formalem, quia seruat sensibilium formas, necnon Phantasiam, ideo inquit sensum communem, vim imaginandi, & Phantasiam, sola ratione distingui, vt enim iudicat hoc in hoc, veluti hoc mobile esse album, dicitur sensus communis, vt seruat, dicitur Phantasia, & Imaginatio, quæ non iudicat album in mobili, sed formam in se, vt albedinem absente subiecto, quod non faceret nisi seruaret. His tertio ait succedere vim cogitandi, quæ sensibilia componit, & diuidit: Hæc dicitur vis cogitans dum ei imperat mens, dum vero ei imperant sensus infra rationem positi, dicitur vis animalis & imaginatrix. Quarta est, facultas extimatiua, quæ elicit species non sensatas, vt amicitiæ, ex sensatis, & componit eas inter se. Po-*Albertus Magnus.* stremum est, memoria. Albertus vero primum, statuit sensum communem, cui ait succedere vim imaginandi, quæ formalis dicitur, seruans, & eliciens species sensibiles, quas etiam iudicat absentibus sensibilibus. Tertiam nuncupat vim existimandi, quam ait elicere intentiones amicitiæ, & inimicitiæ ex speciebus sensibilibus. Quartam statuit Phantasiam in Brutis, in Homine, vim cogitandi, quæ species, & intentiones componit. Quintam memoriam.

Hanc

Hanc opinionem apprime redundantem iudico, primo superuacaneum est, duplicem statuere memoriam, vnam specierum sensibilium, alteram intentionum, siue (vt aiunt) specierum non sensibilium, & præsertim, quia (vt patefeci) per sensum nulla intentio percipi potest, distincta à specie sensibili, sed solum circa eam subnotio quædam fieri potest, iudicando eam vlteriore quodam actu, nempe vt amicam, vel aduersam. Per memoriam principaliter seruatur species sensibilis, & per quandam consecutionem seruatur subnotio. Insuper, male tribuunt internis sensibus apprehensionem subnotionis, vt amicitiæ, seorsum à re amica, similiter inimicitiæ: nam id sola mens valet efficere, considerando conditionem eius. Præterea, phantasiam male secernunt à facultate imaginandi, cum sint duæ voces, vna Græca, altera Latina, idem significantes. Similiter minus rectè vim cogitandi, & existimandi numerant inter sensus internos, cum cogitare, & existimare sint officia mentis, vt iam dixi. Insuper, Auicenna confuse imaginationem primo nectit cum sensu communi, & phantasia secundo, cum cogitatione. Demum minus recte aiunt imaginandi facultatem seruare, cum imaginari nil aliud sit, nisi sensibiles formas concipere, conceptasque considerare, & iudicare. Verum qui eius sunt opinionis pro ea approbanda inquiunt, quod in somno imaginatio libera est, iudicium autem pertinens ad existimationem est ligatum, & multi valent imaginari varia, non autem recte iudicare, quod indicat vim existimandi, ab ea imaginandi secerni. Hæc instantia inanis est, quoniam eiusdem facultatis officium est, sensibilem speciem concipere, & eam iudicare. Hinc Aristoteles in tertio de Anima, 28. eidem facultati tribuit apprehensionem obiecti absolute, & iudicium eius quod sit iucundum, vel molestum, id tamen primum, saltem origine, antecedit, & præsupponitur ab altero, indeque oritur, quod vis imaginandi dum fuerit imperfectior, vel minus libera, valet efficere primum, non autem secundum, te vera tamen in dormiente, & imaginatio, & iudicium ambo confusa sunt.

CAP. VII.

Opinio verior de Numero internorum sensuum.

RELATIS & reiectis aliorum opinionibus, cum Platone, Aristotele, Græcisque interpretibus, internos sensus partim duos, partim tres esse puto, duos iudicantes, qui magis proprie nomine sensus denotantur, tertium seruantem. Aristoteles nullibi de pluribus verba fecit, vt cõstat ex secundo de Anima, vbi sensus communis, & phantasia declarantur, ex libro de Sensu & sensili, in quo exactius de communi sensu sermo est, & ex libro de Memoria & reminiscentia, in quo attmentia ad facultatem seruantem explicantur. Hæ facultates sunt tanquam initium, medium, & finis, internæ apprehensionis sensibilium. Nam sensus communis, vt est finis, & centrum externorum sensuum, ita est principium internorum, phantasia ad vlteriorem gradum tendens, est tanquam medium, memoria recipiens & seruans, finem adhibet. Insuper, communis sensus solum versatur circa præsentia, phantasia circa præsentia, & absentia, memoria tantum circa absentia. Præterea, sensus communis est connexio actionis externorum sensuum, & absolutio eius, Phantasia operatur per motum proxime prodeuntem ex eo sensu, Memoria est conseruatio iudicij eius, Sensus communis sine medio connectitur cum phantasia, quam proxime mouet, Phantasia cum men[illegible] proxime famulantur menti, & mens proxime dicitur speculari phan-

Sensus interni & duo esse, & tres.

Euersio.

tasmata, adeo, vt aliæ facultates omnino redundantes, & superuacaneæ iudicari debeant. Phantasia est ea, quæ per subnotionem excitat appetitum, cum quo est principium motus, & tanquam facultas inter sentientes suprema, in iumentis obtinet locum mentis, & mens brutorum nuncupatur. Græci interpretes de hoc numero internorum sensuum non ambigunt, sed omnes vt conspicuum tres esse dicunt, eosque declarant, & præsertim Theophrastus, vt constat ex lib. eius de Anima, à prisc. Lydo explicatus. Similiter Alexander, Simplicius, Themistius, & Philoponus, Plato quoque, quamuis internos sensus maxime videatur nectere, tamen de ternario hoc numero idem sentit: Nam in Theeteto declarauit sensum communem, qui locus consideratur à Galeno septimo de Placitis, cap. sexto. In Sophista declarauit facultatem imaginandi, quam imitatricem, & simulachrorum magistram nuncupauit. Memoriam patefecit in Philebo, quam in Theeteto matrem Musarum esse dixit, & ex sententia Homeri, Cor animæ nuncupatur. Quod interni sensus non debeant iudicari pauciores, ex dictis patet, quod non sint plures, ita ostenditur: si plures essent, vel esset addenda cogitatio, vel existimatio, vel imaginatio distincta à phantasia, vel alia facultas seruans, at nil horum est dicendum: nam cogitatio & existimatio ad mentem pertinent, subnotionum iudicium ad phantasiam, Vis imaginandi & phantasia, idem denotant: statuere facultates seruantes duas, omnino est superuacaneum, non itaque facultates sunt plures tribus iam enumeratis. At est instantia de Reminiscentia, quæ distinguitur à memoria, & soli homini competit. Insuper, quod inter sensus internos numerari debeat existimatio, distincta ab imaginatione, per id nituntur ostendere: quia nonnunquam vis imaginandi bene valet, & existimatio læsa est, dant exemplum de medico laborante apostemate in medio cerebri ventriculo, qui recte imaginabatur, & iudicabat vasa argentea ei oblata, at ob deprauatam existimationem, præcipiebat proiici. Ex aduerso nonnulli laborantes, perperam imaginantur in cubiculo reperiri muscas, & tibicines, recte tamen existimant, & præcipiunt repelli. De prima instantia sumpta ex reminiscentia, dico, memoriam, & reminiscentiam in homine esse duas muneris subordinatas functiones, eiusdem facultatis; Fundamentum est conseruatio, vel exacta, vel imperfecta: pro memoria non requiritur auxilium rationis, quod requiritur pro reminiscentia, cuius munere per nonnulla, quæ memoria seruantur, oblitorum reminiscimur. De altera difficultate dicendum est, relatas deceptiones, vel esse mentis, cuius laborantes graui morbo parum sunt compotes: vel esse externorum sensuum, quorum officia ob permutatos spiritus sunt deprauata, vel esse deprauationes phantasiæ pro attinentibus ad officium vnum, potius quàm ad aliud. At pulchra oritur dubitatio, quia reminiscentia nedum homini, verum iumentis quoque conuenire videtur, vt canis videns baculum, reminiscitur eo se fuisse percussum, & equus videns foueam, in quam prius ceciderat, reminiscitur se cecidisse, & renuit super eam transire. Respondeo iumentis, vt competit imago quædam, & vmbra rationis, ita eis competit vmbra, & imago reminiscentiæ, ea tamen reminiscentia non est, quia non fit auxilio rationis, sed solum est quædam restauratio memoriæ, per oblationem obiecti, nam videns obiectum recordatur canis & equus subnotationum, & connexorum cum eo.

Plato.

Non esse plures tribus.

Instãtia de reminiscentia.

Solutio.

Dubitat.

Cap.

Cap. VIII.

De obiectis internorum Sensuum.

Declarato numero internorum sensuum, quia facultates elucescunt per obiecta, & opera, ideo pro huiusmodi facultatum notitia, primo de earum obiectis mox de munerum functionibus verba faciam. Obiectum internorum sensuum, vel est commune singulis tribus approbatis facultatibus, vel est proprium singularum. Ordiar à communi, & inde propria eliciam. Obiectum commune adhuc vsupatur dupliciter, vel pro quocunque nato quouis modo per internos sensus nosci, vel pro eo, quod per se natum est, apprehendi, quod dicitur obiectum mouens & formans. His præassumptis, duas profero conclusiones. Prima est, Obiectum in prima significatione sumptum, est vniuersum genus cunctorum singularium siue existentium, siue non existentium, includentium tamen, siue iunctā modo aliquo habentiū imaginem aliquam materiatam. Altera conclusio est, sumendo obiectum pro communi, & per se mouente, & formante, est vniuersum genus singularium sensibilium propriorum, & cōmunium siue præsentium, siue absentium, vt nata sint apprehendi, & seruari, cum notionibus eorū & subnotionibus. Hæc sensus cōmunis solum apprehendit sine subnotionibus, & præsentia phantasia ea apprehēdit cum notionibus, & subnotionibus, siue fuerint præsentia, siue absentia. Memoria solum seruat, vt præterita, & per has distinctas rationes contrahitur obiectum commune, & redditur proprium singularum internarum facultatum, nam interni sensus habet idem obiectum secundum materiam distinctū modo & ratione. Quod pertinet ad primam conclusionem, considero ad internum sensum solū pertinere singularia, vniuersalia enim sola mente apprehenduntur. Considero insuper, nil sensu apprehendi & iudicari, nisi iunctam habeat imaginem aliquam sensibilem, hinc si Deum imaginari volumus, cogimur ei tribuere figuram hominis, & aliquam extensionem. Considero tertio, quod nos nedum ea quæ sunt, sed etiam multa, quæ non sunt, imaginari valemus, vt imaginamur Chimeras, Centaurum, & similia, quæ non sunt. Et dum dicitur, nil esse in sensu interno, quin præfuerit in externo, dicendum quin præfuerint, vel totum, vel partes, vel simul, vel diuisim, & vel id, vel aliquod illud modo aliquo repræsentans. Et si quis adhuc instet de infinito, & vacuo, quæ nunquam, & nullo modo in externo sensu præfuerunt: Respondeo, hæc nosci, & imaginatione concipi per negationem eorum, quæ externis sensibus nouimus. Ex his constant, attinentia ad primam conclusionem. Quod ad secundam pertinet, id solum est per se obiectum facultatis, quod per se mouere, & formare eam valet: in ratione autem ad internos sensus, huiusmodi sunt sensibilia omnia per se, & communia, & propria. Hinc excludendæ sunt priuationes, quæ iudicantur per habitus, excludendæ sunt relationes, quæ iudicantur per absolutum, & non habent speciem propriam sensibilem, distinctam ab ea absoluti, sed solum ei superaddunt modum quendam. Similiter etiam illæ, quæ intentiones & species non sensatæ nuncupantur, non sunt obiectum, sed subnotiones & modi eius. Et considerandum, quod quamuis pro obiectis externorum sensuum solum sumantur sensibilia propria, non autem communia, tamen pro obiecto internorum, communia quoque sumenda puto. Ratio prima est, quia à propriis non iudicantur vt proprij, ac inuicem distincti sunt, sed vt habent commune aliquid, sensus autem interni se habent vt communes, dum referuntur ad externos. Secunda ratio est, quia à sensu communi

Obiectū commune.

Duæ theses.

1.

2.

exacte singula iudicantur, non ita à propriis. Hinc Aristot. in 2. de Anima dixit: Communium autem sensibilium habemus sensum communem. Tertia ratio est, quia à phantasia iudicantur seorsum à propriis, imaginamur enim figuram, magnitudinem, & alia communia sensibilia seorsum à quouis sensibili proprio, vt facit Mathematicus, quod non competit sensibus externis.

Cap. IX.

Dubia nonnulla attinentia ad Obiectum internorum sensuum.

Prima dubitatio. Ex attinentibus ad Obiectum per se internorum sensuum, quinque non leues prodeunt difficultates. Prima est, cum interni sensus non proxime moueantur ab externis sensibilibus, sed à speciebus, per externos sensus iudicatis, quæritur num obiectum iudicari debeat externum sensibile, vel potius species
2. eius? Altera dubitatio est, quia legitur in calce secundi posteriorum, quod potentia sentiens est vniuersalium, sentire autem singularium, quare minus recte
3. pro obiecto potentiæ videor sumpsisse singularia. Tertio dubitatur: quia per sensum internum homo nedum iudicat sensibilia, verum etiam indiuidua omnium decem prædicamentorum, adeo, vt apprehendat intentionem singularium substantiarum denudatam ab omnibus accidentibus, vt dicitur ab Auerr.
4. 2. de Anima, 63. & ob id videor diminute assignasse obiectum. Quarta dubitatio est, quia vna facultas est vnius generis sensibilium, & vnius oppositionis eorum, vt dicitur in secundo de Anima, in cap. de Tactu. quare minus recte pro obiecto cum sensus communis, tum phantasiæ sumpta sunt omnia genera, omnesq; op-
5. positiones formarum sensibilium. Postremo dubitatur, an obiectum vnius facultatis debeat ne esse obiectum, vel pars obiecti alterius: at per ea quæ dixi, obiectum sensuum externorum, erit obiectum sensus communis, & obiectum huius, erit obiectum phantasiæ, ac ita inutiliter idem iudicabitur à variis facultati-
Solu. prima. bus. De prima difficultate dum quæritur, an obiectũ sit res externa, vel species, nam res externa non videtur posse dici obiectum, quia imaginari possumus, etiam ea quæ non sunt, vt Chimeram, nec species, quia est alterius repræsentatio,
Solut. 2. & quæ ei competunt, solum competunt vt imagini alterius. Respondeo obiectum esse duplex, vnum per quod iudicamus, alterũ, quod species est obiectum per quod, id vero cuius est imago, est obiectum quod iudicamus, & hoc vere, & proprie obiectum est, in quod desinit iudicium. At instabatur: quia imaginamur etiam ea, quæ non sunt. Respondeo, obiecta formantia, & per se mouentia, esse externa, & non formari à nobis, & ea quæ formantur à nobis, sunt etiam modo aliquo extra saltem secundum partes, adeo, vt nostra solum sit compositio earum. Erat secunda dubitatio, quia potentiæ dicuntur vniuersalium. Respondeo, potentias dici vniuersalium, quia non sunt contractæ ad vnum definitum singulare, sed indefinitæ erga quælibet, propterea dicuntur vniuersalium, sed eorum sunt quatenus indefinitæ reperiuntur, an singulis particularibus: hinc ego pro
Sol 3. obiecto sumpsi genus singularium sensibilium. Dubitatio tertia erat, de intentionibus decem prædicamentorum: Nam inquit Auerroes in secundo de Anima, 63. sensus hominis, apprehendere intentionem singularium hominum, & singularium omnium decem prædicamentorum, quam intentionem, ait vim cogitandi distinguere à specie imaginata, & eam exspoliare cæteris sensibilibus communibus, & propriis iunctis cum ea. His verbis ait Auerroes indiuiduis sub-

ſtantiæ competere intentiones, hoc eſt, notiones quaſdam proprias, quas nonnulli ſpecies non ſenſatas appellant. Ex quo elicitur genus ſpecierum ſenſibilium non eſſe obiectum totum. Reſpondeo, Auerroem hac de re minus recte ſentire, primo, quia notio denudata omnibus accidentibus communibus, & propriis, non ſeruat conditionem ſingularis, nam ſingulare vnum eſt, cuius materia eſt vna, ex quinto Metaphyſicæ duodecimo, Materia dicitur vna particularis diſtincta ab altera per accidentia particularia. Hinc Porphyrius per ea definiuit ſingulare, inquiens, conſtare ex proprietatibus, quarum collectio non eſt in alio eadem, id autem quod eſt in alicuius definitione, non poteſt ſecerni ab eo. Et in primo de Cœlo dicitur, quod hoc cœlum, nempe indiuiduum, denotat formam cum materia. Præterea, nulla facultas apprehendit per ſe, & ſeorſum aliquid non includens conditionem ſui obiecti mouentis, at ſenſus ſolum mouetur à ſpecie ſenſibili, & hoc patet experientia, nunquam enim imaginabimur vel Socratem, vel Platonem, niſi cōcipiamus imaginem quandam includentem accidentia propria eius: non itaque internus ſenſus id valet efficere. At obiiciunt nonnulli, quia tunc ſingularia ſubſtantiæ per nullam facultatem iudicarentur per ſe, non enim per ſe iudicantur ab intellectu, cum ille dicatur eſſe vniuerſalium. Reſpondeo ea ſingularia ita apprehendi, vt ſunt nata apprehendi: ea namque, vel conſiderantur cum propriis accidentibus repræſentantibus conditionē indiuiduam illorum, vel ſeorſum, ſi cum accidentibus, ita apprehendūtur primo à ſenſu ex accidenti, per ſpeciem accidentium propriorum, vt dicitur in ſecundo de Anima, vbi ſubſtantia ſtatuitur ſenſibile ex accidenti: mox per eandem ſpeciem apprehenduntur à mente, vtente ſenſibus tanquam miniſtris. Dum autem ſecernuntur ab accidentibus, & materia, quod fit per ſolam mentem, tunc remanet pura eſſentia, attinens ad ſpeciem, & vniuerſale, quæ per ſe ab intellectu percipitur. Quarta dubitatio erat, quia vna facultas eſt vnius generis obiecti, vniuſque primæ oppoſitionis. Reſpondeo, id eſſe verum de facultatibus, & ſenſibus externis, & propriis, non de internis & communibus, nam externi proxime mouentur ab obiectis variis, & ob id egent inſtrumentis magis propriis, requiſitis pro definita aliqua oppoſitione: at cum fuerit facta translatio ex eſſe materiato, in ſpiritale, non requiritur deinde ea diſtinctio facultatum, & inſtrumentorum, ſed ſatis ſunt ſpiritus, & inſtrumenta quædam communia. Inſuper, in facultatib. cognoſcentibus ſubordinatis, quod iudicat antecedens, valet iudicare etiam ſequens, addendo aliquid vltra, & id quod additur, conſtituit tanquam forma obiectum proprium illius facultatis, adeo, vt hac ratione etiam eiuſdem generis eſſe dicatur. Dubitabatur quinto & poſtremo, quia obiectum vnius facultatis, non eſt obiectum alterius. Reſpondeo, non eſſe obiectum alterius eodem modo, eademque ratione, at diſtincta ratione ſecus ſe habet: nam, vt dixi, facultas ſequens, valet id quod antecedens, & aliquid vltra. Hinc mens demum valet cuncta & eminentiori modo apprehendere, quæ valent apprehendere antecedentes facultates.

Solut. 4. *Solut.*

CAP. X.

De Actionibus internorum ſenſuum, & primo Senſus communis.

QVONIAM in vniuerſo nil fruſtra, nilque ocioſum eſt, ideo etiam nullus reperitur Animæ gradus, nullaque facultas, cuius non ſit propria aliqua mu-

neris functio, propriumque officium; Et ordiendo ab internis sensibus, à sensu
Septē officia sensus communis. communi, septem puto esse officia eius, quorum primum est, nectere tanquam
centrum sensus externos, eorumque actionem perficere, vt enim per commu-
nem sensum facultates externæ robur suscipiunt, ita per eundem, iudicium illo-
Primum officium. rum redditur exactius. Alterum officium est, iudicare, & percipere nos sentire.
Tertium est comparare sensibilia propria distinctorum sensuum, eorumque si-
2. militudinem, & dissimilitudinem iudicare, vt nos docet Philosophus in secun-
3. do de Anima. Officium quartum est, proprie versari circa sensibilia communia:
4. ideo Aristoteles in eodem secundo de Anima, 134. dixit, pro illis nobis datum
5. esse communem sensum. Quintum est, apprehendere priuationes propriorum
sensibilium, vt silentium, & tenebras, quæ quamuis sine externo sensu non iudi-
centur, vt sine auditu silentium, tamen id iudicium per communem sensum ab-
soluitur; Ideo Auerr. comm. 149. secundi de Anima, id officium communi sen-
6. sui tribuit. Sextum officium est, in stirpanimalibus fungi munere phantasiæ, ex-
citando appetitum eorum contractione, & extensione, ad prosequenda, vel vi-
7. tanda vtilia, & aduersa. Septimum officium est, excitare phantasiam, eique sen-
sibilia offerre, & subministrare. Horum officiorū primum origine, est nectere
externos sensus, eorumque actionem exactiorem reddere, primum proprieta-
te conditionis eius, est comparare sensibilia varia, ac inter ea discrimen ponere,
primum dignitate, est famulari phantasiæ, ita enim ad superiorem gradum diri-
gitur, præstantiorique fini redditur proximior, nam maxima perfectio inferio-
Prima dubitat. rum secundum naturam est inseruire suo superiori. In dictis duæ breues occur-
runt difficultates, prima est, cum colores nequeant sine lumine videri, quomo-
do per internos sensus iudicentur, cum intus tenebræ, non lumen inueniantur.
2. Altera dubitatio est, quia dixi, per communem sensum nos percipere quod sen-
tiamus, cum tamen Aristot. in secundo de Anima affirmet id fieri per externos
Sol. prima. sensus. De prima difficultate dico, iudicium primum externorum colorum ex-
poscere lumen, & facto primo iudicio, & iam translato colore ex esse materiato
in spiritale, non amplius requiri lumen. Pro altera difficultate considero primo,
Solu. 2. quod Aristoteles videtur eade re sibi non constare: nam in secundo de Anima,
contex. 136. mouet hanc difficultatem, quam soluens inquit: nos eodem exter-
no sensu, quo sentimus, etiam sentire quod sentiamus. In lib. autem de Somno,
& Vigilia id inficiatur: inquit enim, Est autem quædam potentia communis,
quæ sequitur omnes, quæ iudicat quod videmus, audimus, & sentimus, non e-
nim visus percipit se videre, nec auditus se audire, &c. de qua apparente con-
trouersia, à variis, varia dicuntur, quibus silentio obuolutis, solutionem appro-
Theophr. bandam refero, quæ elicitur ex Theophrasto, cap. 47. de Phantasia, explicato à
Prisc. Lydo, Nam sensus externi dupliciter considerantur: vel vt externi, & pro-
prij, vel vt iuncti cum communi: vt externi, & proprij, iudicant obiectum suum,
vt iuncti cum communi sensu, quia sic exactius operantur, etiam iudicant se sen-
tire, adeo, vt sensus communis, per intermedios externos indicet nos videre, au-
Iudicium priuationum. dire, & sic de cæteris. Et idipsum dicendum puto de iudicio priuationis, quod A-
ristoteles in 2. de Anima, tribuit sensibus externis, Auerroes sensui communi,
hinc Themistius iudicium id quod sentiamus, tribuit communi sensui, vt patet
ex Paraphrasi, cont. 149. secundi de Anima, quo loci de communi sensu verba
Definitio sensus communis. faciens, inquit: Hæc illa vis est, qua nos visu videre, & auditu audire percipimus,
eadem enim potentia percipi actiones sensuum necesse est, qua differentias a-
ctionum percipimus. Est itaque sensus communis, interna facultas, nectens ex-
ternos

ternos sensus, eorumque iudicia perficiens, apta discrimen ponere inter sensibilia propria distinctorum sensuum, & phantasiæ subministrare.

Cap. XI.

De officiis Phantasiæ.

QVOTIESCVNQVE officia secundum merita singulorũ distribuuntur, cuncta inspiciuntur congruenter disposita, In imperiis hominum raro hoc seruatur, frequenter enim ad sublimiora officia minus idonei eleuantur, ex quo deprauationes prodeunt, recteque ordinis perniciosissimæ euersiones. Hoc in vniuersi administratione non accidit: cum enim Dei cura, & prouidentia mundus regatur, inter reliquas perfectiones, hanc quoque includit, vt facultatibus præstantioribus, præstantiora officia tributa sint. Hinc Phantasiæ inter organicas facultates nobilissimæ, officia quoq; præstantissima sunt delegata, ea autem sunt duodecim, quorum primum origine est moueri à communi sensu, & iudicare obiecta, quæ per communem ei offeruntur; ita finis facultatis antecedentis, principium est sequentis. Secundum officium est, operari circa absentia, auxilio memoriæ ei iunctæ. Tertium subnotiones addere, iudicando obiecta, vt sibi consentanea, vel aduersa. Quartum excitare appetitum, & vnà cum eo mouere animal. Quintum vna cum instinctu naturæ esse principium variorum admirabilium operum, quæ ab expertibus rationis efficiuntur, vt in hirundine formandi nidum, in aranea ducendi retia, & similium. Sextum, operari in somno, versari circa phantasmata, ac per ea excitare etiam, & mouere sensum communem expergefaciendo animal. Hæc sex sunt communia iumẽtis, & feris: reliqua sunt propria phantasiæ hominis, nam septimum est ad libitum imaginari quodcunque volumus, non autem ita ad libitũ valemus non imaginari, frequenter enim vellemus imaginationem aliquam aduersam à nobis repellere, at non valemus. Octauum est, componere ea quæ iudicat, non quidem exacte, sed confuse, & similiter diuidere. Nonum est, si non ratiocinari, saltem imaginem quandam ratiocinandi seruare circa singularia. Decimum est, inseruire menti, offerẽdo ei phantasmata. Vndecimum, vice versa à mente formari, dirigi, & exequi mandata eius, quod apparet in viro prudente. Hinc Aristoteles in 3. de Anima, 51. phantasiam hominis ait esse & sine ratione, & cum ratione. Duodecimum officium est, apprehendere officia singularum animæ partium, easque vnà cum appetitũ, vel ad actionem excitare, vel ab ea reuocare, vt dicebat Iamblichus. Harũ phantasiæ actionum, prima origine ea est, quæ primo est numerata. Prima perfectione, est famulari menti. Prima proprietate, est versari circa absentia cum subnotionibus, & appetitum excitare ad ea vitanda, vel prosequenda. Phantasia est ea facultas, quæ eximiam in homine, vniuersam in iumentis, & feris facultatem habet, pro illis regendis, & commouendis, adeo vt ex ea in feris innumera prodeant, quæ admirationem eximiam pariunt, in homine autem ex eius varia constitutione ortum ducunt propensiones variæ, ad varia studia, ingeniaque varia. Plato in Sophista, duplicem statuit phantasiam, vnam quam dicit assimilatricem, qua res vt sunt, comprehenduntur, & formantur. Alteram phantasticam, ad libitum formantem imagines varias, & ad id, quod apparet inspicientem, vt faciunt perspectiui. Hinc eam appellat magistram simulachrorum, Proteo persimilem, figuram omnem recipienti. Hæ non debent iudicari facultates duæ, sed duæ actiones, & officia eiusdem: & loquens de phantasia, vt contra-

Natura facultati nobiliori, præstãtiora tribuit officia.

Duodecim officia phantasiæ.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Plato.

distincta ab opinione, inquit, opinionem esse affirmationem, vel negationem sequentem cogitationem, Phantasiam vero esse tanquam affirmationem, vel negationem sequentem sensum, ex quo Aristoteles sumpsit ex opinione Platonis, phantasiam esse quid compositum ex opinione, & sensu: vel esse opinionem ex sensu prodeuntem, siue cum sensu iunctam, & in eum inuehitur in 2. de Anima, cont. 157. & sequentib. ac ex propria sententia inquit, phantasiam esse motum factū à sensu, qui actu est, nam elucescit facultas ex eius actione, actio phantasiæ dicitur motus factus à sensu, qui est actu, quia præsupponit motionem factam à sensilibus iudicatis per externos, & communem sensum, quæ motio definit in iudicium phantasiæ, adeo, vt phantasia sit facultas interna, indicans sensibilia, ei oblata per communem sensum, etiam absentia, eisque subnotiones addens, per quas appetitū excitat ad eorum prosequutionem, vel fugam. Et quamuis Aristoteles disputet aduersus verba Platonis, non tamen esset difficile Platonem defendere: nam Plato imaginandi facultatem considerauit, vt contradistinctam ab opinione sequente rationem, ideo dixit eam esse tanquam opinionem, siue affirmationē sequentem sensum, adeo, vt idipsum denotauerit, quod Aristoteles inquiens esse motum à sensu factum, affirmationem autem cum ratione, opinionem nuncupauit: non enim Plato dixit phantasiam esse opinionem, sed ei similem, quatenus cum subnotione est, tanquam affirmatio, vel negatio ex sensu pendens: eam autem imaginationem, quam Aristoteles in 3. de Anima, 57. ait esse cum ratione, Plato opinionem diceret: adeo, vt lis sit in solis verbis. Immo Aristoteles in 3. de Anima, 28. phantasiam cum subnotione ait esse tanquam affirmationem, vel negationem, nam ait: sentire est simile ipsi, dicere solum, aut intelligere: cum aut delectabile, aut molestum, tanquam affirmās, vel negans prosequitur, aut fugit.

Conciliatur Arist. cum Pla.

Cap. XII.

Dubia nonnulla ad Phantasiam attinentia.

Prima dubitat. EX his, quæ de Phantasia, & præsertim de eius actionibus sunt dicta, variæ emergunt difficultates, Principales tamen hæ sunt. Primo quęritur, an Phantasia, ea quæ iudicat, valeat etiam cōponere, & diuidere. Secundo, an valeat
2. ratiocinari, & modo aliquo sit rationis particeps. Tertio, an ea, vel potius natura
3. principium sit variorum admirabilium operum, ex animalibus rationis exper-
4. tibus prodeuntium. Quarto, quomodo id debeat intelligi, quod famuletur mēti, eique phantasmata offerat. Quinto dubitat Priscianus Lydus in lib. de Phan-
5. tasia, ex sententia Theophrasti, si phantasia est motus factus à sensu, vt ait Aristoteles, quomodo versatur circa opera mentis, eaque effingit, & format, cum ea sub sensum non cadant? De prima difficultate, Auicenna, Albertus Magnus, Auerroes, & qui eos sequuntur, facultati cogitandi, quam ego ad phantasiam redegi, officium tribuunt componendi species cum speciebus, intentiones cum intentionibus, & intentiones cum speciebus, quod patet experientia: nam pueri ante vsum rationis, necnon viri delirantes, componunt & diuidunt. Insuper Aristoteles in tertio de Anima, 57. concessit phantasiam cum ratione, ratio autem non est sine compositione. Similiter homo per phantasiam nouas ad libitum componit imagines. Prætcrea, nisi phantasia componeret, & diuideret, non esset principium tam variarum, & admirabilium compositarum actionum. Hinc Plato in Sophista, ei concessit affirmationem quandam cum silentio

Solu. prima, an phātasia cōponat.

per

per sensum factam, affirmatio autem, & negatio est compositio, & diuisio. Ex aduerso Aristoteles in tertio de Anima, 22. inquit: quod vnũ facit, hoc est componit, est mens. Themistius in Paraphrasi ait: componere esse proprium mentis. Et in cont. 39. ait Philosophus, Phantasia aliud est à dictione, & negatione: nam verum, & falsum connexio est notionum mentis. Simplicius in tertio de anima, exponens, tex. 39. & Philop. exponens contex. 31. inficiantur, sensum componere, idque aiunt esse officium mentis. Præterea, Aristoteles in quatto Physic. 131. ait: solam mentem numerare, eamque solam noscere tempus, quare Phantasia tempus non cognoscit, & ob id non proprie componit, compositio enim, quæ sit vera, vel falsa, non fit sine verbo connotante tempus. Pro resolutione accipio compositionem instituto nostro inseruientem, esse triplicem: Vnam, dum singularia dicuntur componi, eliciendo ex eis vniuersale. Alteram, rei cum tempore distincte noto. Tertiam, rei cum re. Prima proculdubio non competit Phantasiæ, cum sola mens eliciat vniuersale: & de hac puto loquutum esse Auerroem, dum in tertio de anima, 33. dixit: & non debet quis putare, quod vis cogitandi componat intelligibilia singularia, nam intellectus materialis cõponit ea, vis autem cogitandi non valet, nisi distinguere indiuidua illorum intelligibilium, eaque offerre. Similiter secunda compositio, quæ est rei cum tempore distincte noto, Phantasiæ non competet, id enim officium est mentis. Hinc Aristoteles in tertio de anima, post cont. 21. eam compositionem menti tribuit. Dico cum tempore distincte noto, quia confuse vt est idem cum motu, & pro qualitatibus temporum ei iunctis, etiam nosci potest sine ratione: sic aues prædicunt futuram hyemem, mutant regiones, & alia pro futuro tempore parant, præsertim tamen id efficiunt per instinctum, & internam naturæ commotionem, vt laborantes morbo Gallico per dispositionem aduersam noscunt mutationes temporum, ob permutationes humorum ex eis prodeuntes. Tertia autem, quæ est compositio minus proprie sumpta, & est sola connexio variarum rerum, & subnotionum inter se, potest competere Phantasiæ, quæ etiam si fuerit cum tempore, cum eo est confuse noto per Qualitates cum eo iunctas, adeo, vt potius iudicari debeat compositio rei cum re, quam cum tempore, & præsertim, quia id faciunt expertia rationis per instinctũ naturæ, vt per ducem, ideo accurate loquitur Aristoteles in tertio de anima, 28. inquiens, cum sensus nouerit delectabile aliquid, & molestum, tãquam affirmans, vel negans, inquit, tanquam indicans (vt etiam considerauit Simplicius) non proprie componere, sed compositionis imaginem quandam seruare: & de hac sola vera est sententia Auerrois, dum comm. 20. 22. & alibi, facultati cogitandi tribuit compositionem, quæ distinctius competit Phantasiæ hominis, quam brutorum. Hoc experientia cognoscimus: nam pueri ante vsum rationis, non valent componere, nisi confuse, & solum voces simplices proferunt, mox incipiunt rem cum re componere, cum tempore autem vltimo loco componunt, dum incipiunt ratione vti. Ex his patent solutiones aduersarum rationum.

CAP. XIII.

An Phantasia ratiocinetur.

INTER officia Phantasiæ hoc enumerabatur, vt vel ratiocinetur, vel vmbram quandam, & imaginem rationis includat; qua de re non leuis est dubitatio, ideo iure optimo quæritur, an Phantasia ratiocinari valeat? Aristoteles *Arist.*

in tertio de anima, 57. inquiens, phantasiam esse & cum ratione, & sine ratione, videtur ei rationem tribuere, Quod clarius elicitur ex secundo Nicomachiorũ, in quo rationem extendi ait ad phantasiam, & appetitum eius, & in eius appetitu virtutes collocatas affirmat, quæ ad mores pertinent: Virtus autem non valet sine ratione consistere. Hinc Aristoteles in secundo, & in tertio de anima, phantasiam honestat nomine mentis, mens autem non caret ratione. *Auerroes* Auertoes in tertio de anima, comm. 20. & alibi, virtuti cogitandi, quam ego ad phantasiam redegi, officium ratiocinandi de singularibus tribuit. *Pygmei.* Hinc nonnulli aiunt. Pygmeis, quibus phantasiam pro facultate suprema competere putant, etiam rationem conuenire, circa singularia. *Themistius.* Themistius in tertio de anima, in Paraphr. contex. 57. dixit: Hæc imaginatio, quæ ad sensum attinet, etiam beluis tribuitur, quæ vero rationis est particeps, solis hominibus innascitur, nam & in illis suum est plura visa ex aduerso perpendere, & comparare, atque vtrum hoc an illud sit magis expetendum, quod sane rationis munus atque officium est, &c. Conspicue Themistius per hæc, & alia sequentia verba, phantasiæ hominis, officium tribuit ratiocinandi. Insuper fuere nonnulli, qui nedum phantasiam hominis, verum insuper illam quoque iumentorum, & ferarum, dixere rationis compotem, *Pythagoras.* vt Pythagoras, Plutarchus in suis opusculis moralibus, Galenus, & alii: Quam opinionem tetigit Aristoteles in secundo Physic. 80. inquiens: Propterea, dubitarunt quidam, vtrum mente aut alio quodam operentur, araneæ, &c. *Porphyrius.* Quam sententiam Porphyrius in lib. de abstinentia ab esu carnium, nedum approbat, verum insuper variis, & efficacissimis rationibus confirmat, & præsertim, quia conspicue canes, aues, & animalia multa mouentur exemplo, vtuntur argumento à sufficienti partium enumeratione, argumentantur, & mouentur per signa, & demum disciplinabilia sunt, disciplina autem non seruatur sine ratione. Hinc eis tribuitur prudentia & prænotio futurorum, qua aues statutis temporibus mutant regiones, apes fauum conficiunt, araneæ telas pro sibi parando alimento ducunt, formicæ grana condunt, & alia similia efficiunt, quæ sine ratione fieri posse non videntur; *Anaxagoras.* Propterea Anaxagoras (referente Aristotele in primo de anima 24.) Mentem cunctis animalibus competere existimauit. Quod autem phantasia hominis, ad quam vim cogitandi redegi, sit rationis particeps, nedum existimauit Auerroes, verum etiam Auicenna, Albertus, Gandauensis, q. 37. D. Thom. part. 1. q. 78. Art. 4. & alii plurimi viri docti. Ex aduerso tamen, phantasiam esse expertem rationis, ex variis colligi potest, & loquendo primo de phantasia iumentorum, conspicue Aristoteles in tertio de anima, 57. ait, eam carere ratione. Et in secundo Physic. 80. opera ferarum, & iumentorum, non ex ratione prodire affirmat, sed ex instinctu naturæ: hinc ea nuncupat naturæ opera. Hoc confirmatur: quia cui competit ratio, competit consultatio, electio, actio, & libertas, quæ in feris, & iumentis non habent locum. Insuper, cui competit ratio, competunt virtutes in more positæ, competit reminiscentia, quæ absunt ab illis. Prætetea, omnis ratio vim habet ex aliquo vniuersali, vt patet ex lib. Priorum, sola mens vniuersale apprehendit. Demum, ratio, & progressio animi, ex vno in aliud, exposcit eleuationem supra materiam: at facultas sentiens est mersa in materia, & ex ea pendet, quare nec phantasia hominis, nec ea brutorum, est rationis particeps, alioquin hæc descriptio, (Animal rationis particeps) non esset propria hominis. *Resolutio* Pro resolutione difficultatis, tres profero conclusiones: prima est, phantasia brutorum absolute est rationis expers, & solum includit vmbram eius. Altera est, phan-

phantasia hominis est eminentior ea brutorum, includens exactius vmbram rationis, ex se tamen ratione caret. Tertia est, phantasia hominis ob connexionem cum mente, aliqua ex parte potest dici compos rationis. Prima conclusio ex dictis est conspicua: nam iumenta, & feræ ducuntur instinctu naturæ, non ratione, quod patet: quia opera sua efficiunt sine præcurrente experientia, nam formica nuper orta, non experta hyemem, colligit grana; Ea quæ prodeunt ex ratione, variantur, & modis multis fiunt, bruta efficiunt sua opera consimiliter. Demum, quæ fiunt per rationem, etiam fiunt cum prænotione finis, iumenta frequenter finem non cognoscunt, vt dum per venerem connectuntur, pro seruanda specie. Propterea quamuis varia efficiant, conducentia fini, non tamen ea efficiunt per notionem finis, sed per instinctum naturæ. Addebatur tamen, brutorum phantasiam includere vmbram rationis, quod etiam dicitur à Simplicio in exposit. 57. cont. 3. de anima, quod verum est, quadruplici ratione: primo, quia in eorum operibus, vt in vmbra fulget eminentissima ratio, & prouidentia Dei. Secundo, quia eorum phantasia proportione respondet humanæ menti, quatenus per eam ducuntur. Tertio, quia per humanam rationem sunt disciplinabilia. Quarto, quia includunt inchoationem rationis, & præsertim exempli, & rationis à signo, carent tamen perfectione, ex vniuersali prodeunte: Hinc eis etiam competit non virtus, sed vmbra eius, non prudentia sed imago, Non ars, sed aliquid ei simile, & cum ratione careant, nec peccare, nec dominari apta sunt. At qui aduersæ fuere sententiæ, vmbram, & imaginem honestarunt nomine principalis formæ. Altera conclusio erat, phantasiam hominis præstare phantasiæ iumentorum, exactioremque includere imaginem rationis, quod experientia, & ratione constat. Experientia: quia phantasia hominis ad licitum elicit ex vno aliud, nectit varia, formando Chimeras, & ad libitum imaginatur quodcunque vult, quod feris non competit. Insuper, pueri ante vsum mentis, ducti à phantasia, operibus patefaciunt se præstare feris, & iumentis. Quod ratione confirmatur: quia phantasia hominis debet inseruire menti, parat pro mente, & ex sententia Aristotelis est tanquam domicilium mentis, quod phantasiæ brutorum non competit: & quamuis ita præstet, non ob id iudicari debet ex se rationis compos, sed solum per participationem, vt in calce primi Nicomachiorum docet Philosophus, & ex declaratione tertiæ conclusionis refulgebit. Dicebatur tertio, phantasiam hominis, ob connexionem per naturam cum mente, aliqua ex parte reddi rationis participem. Hæc est sententia Aristotelis in primo, secundo, & sexto, libris Nicomachiorum, quibus in locis, appetitum per phantasiam excitatum, non ex se ait, esse rationis compotem, sed per nexum cum mente, reddi talem, idque ei competit primo ex parte apprehensionis, nam per mentē formatur, secundo, ex parte actionis, quatenus per nexum cum mente dirigit appetitum ad approbata per rationem. De primo intelligi debet Aristotel. in tertio de anima, 57. dum phantasiam hominis nonnunquam includere consultationem affirmat: de altero modo etiam loquitur Aristoteles in tertio de anima, loquens de principio motus, distinctius tamen de eo verba facit in libris de Motibus, dum appetitum sensuum, eatenus ait participem rationis, quatenus est aptus per phantasiam audire rationem, eique obtemperare, vt patet in viro continente, vel temperato, & ob id ei competunt virtutes in more positæ: & iure profecto hoc competit phantasiæ hominis. Nam nedum vt sensus communis mouet phantasiam, verum vice versa, phantasia quoque mouet Communem Sensum, vt dixi accidere

Prima conclusio. *Secunda.* *Tertia.*

dormientibus. Similiter de Phantasia, & mente dicendum est, quod nedum Phantasia offert obiecta menti, verum etiam econtrario mens format Phantasiam, & corrigit, ac ob id dixit Iamblichus, Phantasiam efformare actiones mentis, easque concipere, adeo vt Phantasia famuletur menti, eiusque imperio subiiciatur. Ex his colligo, cum homo dicatur animal rationis particeps, hoc esse verum de solo homine, & de eo duplici ratione: primo, per Phantasiam, per quam est rationis particeps, vt apta est eam audire, eique obtemperare. Secundo, per mentem, munere cuius homo absolute & per essentiam est particeps rationis.

Quomodo homo sit rationis particeps.

Cap. XIIII.

Diluuntur tres reliquae difficultates supra propositae ad Phantasiam attinentes.

RESOLVTIS primis duabus difficultatibus, tres postremae diluendae supersunt, quarum vna erat; an Phantasia, vel potius Natura, efficiat ea animalium opera, quae admirationem pariunt? Aristoteles in secundo Physic. contex. 80. id tribuit naturae, & per id ostendit naturam operari propter finem: At in calce secundi de anima inquit, Phantasiam esse principium eorum. Respondens dico, vtrunque esse verum: Nam Phantasia cum sit forma ex materia pendens, etiam natura est, & propterea controuersiam non includit dicere ea esse opera Phantasiae, & Naturae: hoc tamen verum est, quod distincta ratione operatur vt natura, & vt Phantasia: Nam vt est Natura operatur per instinctum naturae, qui est interna commotio sequens Phantasiam, vt Natura est, per Dei prouidentiam in suum bonum directa: vt autem est phantasia, operatur per iudicium, & cognitionem rerum in quibus versatur. In efficiendis illis operibus instinctus obtinet principatum, & gerit vicem ducis, cognitio vero instrumenti, & conducentis: nam instinctus (vt dixi) prodit ex prouidentia, quae propriae cognitioni Animalium praefertur: vt ea opera prodeunt ex instinctu, consimilia sunt, vt autem exposcunt cognitionem aliquam, varietati sunt obnoxia. Dubitabatur quarto, quomodo Phantasia offerat phantasmata menti, est multorum sententia, id fieri, quatenus phantasia includit quasi liber Phantasmata picta, & formata, eaque ita in se formata offerat menti. Quod minime approbandum iudico, tum, quia mens sine praecurrente iudicio Phantasiae posset Phantasmata speculari, quod experientiae aduersatur, non enim valemus speculari, & intelligere, non praecurrente actione phantasiae: tum insuper, quia sic non phantasia, sed memoria diceretur proxime famulari menti, cum phantasmata in memoria seruentur. Tum tertio, quia sic mens sine sensitiuo posset singularia iudicare: At Aristoteles in 3. de anima cont. 10. inquit sensitiuo calidum & frigidum iudicari, & demum illae omnes subministrationes facultatum iudicantium sunt viuae, & cum iudicio, adeo vt phantasia eatenus dicatur menti offerre phantasmata, quatenus ea iudicat, & per iudicium nectitur cum actione mentis, vt enim facultates sunt subordinatae, ita earum actio, & iudicium. Hinc dicitur mente intelligente, phantasiam imaginari. Postrema dubitatio erat, si phantasia est motus factus à sensu, quomodo etiam in actionibus mentis versetur? Haec facile diluitur, dum enim phantasia definitur, per id definiri debet quod proprium eius est, & commune omni phantasiae, hoc autem est moueri à sensu, & in oblatis ab eo versari, & praesertim, quia si versatur in muneribus mentis, id solum

An Phantasia vel natura principium sit operum animalium.

Instinctus natura ducis.

Quomodo phantasia famuletur menti.

Diluitur postrema dubitatio.

eatenus

catenus facit, quatenus includunt aliquid sensibile, & sunt connexæ cum phantasmatibus, & sunt actiones particulares non sine motu spirituum, quamuis sint de obiecto vniuersali.

Cap. XV.

De memoria & reminiscentia.

Tertia vis interna ad sensum pertinens dicebatur memoria, cuius vtilitas adeo eximia est, vt à veteribus inter Deas fuerit numerata. Propterea Plato in Critia inquit: inuocare decet præcipue Mnemosinem, id est, Memoriam, in qua Dea, præcipua orationis nostræ momenta sunt sita. Et Homerus eam cor animæ nuncupauit, hæc est penu, & promptuarii nostrorum studiorum. *Memoria Dea. Homerus* Pro notitia accipio quatuor posse considerari: nempe, recordari, siue seruare memoria, reminisci, readdiscere, & addiscere. Recordari est seruare memoria, sine intermedia aliqua obliuione. Reminisci est cum intermedia aliqua obliuione, ita tamen, vt aliquid seruetur connexum cum eo, cuius sumus obliti, per quod tanquam per derelictum semen, cultu rationis redigamur in eius memoriam. Readdiscere est penitus obliuisci, & iterum ad ipsum ex integro addiscere. Addiscere autem, est primum omnium. Reminiscentia non est facultas distincta, sed distincta actio eiusdem facultatis, per conspirationem, & auxilium alterius, nempe rationis. Hinc tale officium, solum competit præditis ratione. Memoria ex sententia Aristotelis solum sensui competit, non menti. Ratio est: quia nouas recipere formas, easque tanquam subiectum suscipere, non potest fieri sine instrumento aliquo corporeo. Et confirmatur: quia memoria est specierum sensibilium, complicatarum cum continuo, & tempore, quæ singulares sunt. Insuper, Mens cum sit æterna, varietati & alterationi non obnoxia, non valet esse subiectum nouorum accidentium, & variabilium, sed solum in alio valet ea iudicare: id autem quod in illa est nil aliud est nisi eius essentia, vt etiam se habet de cæteris à materia solutis formis. Vniuersalia solum seruantur ex accidenti per conseruationem phantasmatum, ex quibus ad libitum eliciuntur: nam si seorsum seruarentur, posset mens sine phantasia speculari. Officia memoriæ sex sunt. Primum, proprium, & commune est recipere, & seruare phantasmata, siue species rerum, sub sensum cadentium. Alterum est, beneficio rationis reminisci oblitorum, quæ reminiscentia hunc in modum homini competit, Memoria seruat aliquid connexum, imaginatio id imaginatur & offert menti, mens sua ratione ex eo nos deducit in reminiscentiam obliti. *Officia memoriæ sex. Primum Secundū.* Tertium est, vt per memoriam reddamur disciplinæ capaces, addiscamus, & readdiscamus. *Tertium.* Quartum officium est, recipere habitus qui rationis nuncupantur; *Quartū.* dico rationis, quoniam habitus attinentes ad mores, magis in appetitu sensitiuo imprimi dicuntur: & inde euenit, quod habitus rationis possunt obliuioni tradi, habitus vero morum, quamuis mutari possint, non tamen dicuntur tradi obliuioni, vt in quinto Nicomachiorum dixit Aristoteles. Quintum officium est, proxime famulari phantasiæ, adeo vt ob eam phantasia in absentibus versetur, & in somno vires suas patefaciat. *Quintū.* Sextum officium est per mediam phantasiam inseruire menti, dico per mediam phantasiam: quia proxime soli phantasiæ imagines offert. *Sextum.* Sic & phantasiæ & menti inseruire dicitur, modo tamen vario. Memoria proprie est notionum, sed cum sit earum, etiam per consecutionem dicitur esse subnotionum, quia sequuntur cognitionem obiecti, adeo,

vt detur & non detur memoria subnotionum. Similiter memoria est specierum singularium, sed cum sit earum, facultate & virtute, etiam dicitur esse vniuersalium: cum enim simus assueti ex singularibus elicere vniuersalia, seruando singularia, ad libitum valemus speculari vniuersalia. Hinc Aristoteles in libro de Memoria, dixit eam esse vniuersalium ex accidenti. Insuper, quamuis habitus illi quinque, nempe Scientia, Sapientia, Prudentia, Ars, & Intelligentia, dicantur habitus rationis, & mentis, non tamen menti vt subiecto hærent, sed memoriæ, dicuntur tamen esse habitus rationis: quia ad rationem pertinet vsus eorum, nec sine ratione acquiruntur: nam dum in memoria imagines constanter & distincte formatæ fuerint, adeo vt faciliter, & ad libitum, ex eis valeamus elicere attinentia ad vsus habituum rationis, tunc habitibus illis dicimur prædici. Demum considero quod cum ego (dissentiens ab Auerroe) dixerim phantasiam non posse intentionem particularis substantiæ exuere accidentibus communibus, & propriis, eamque ita nudatam tribuere conseruandam memoriæ, etiam eadem ratione affirmo, memoriam non esse primo & per se substantiæ, sed accidentium eius, quorum datur imago, & species: sed cum sit propriorum accidentium, & communium, & eorum quæ indiuiduam substantiam repræsentant, etiam dicitur esse substantiæ, adeo, vt semper hoc seruetur, quod substantia sit sensibile ex accidenti, & per aliud.

Cap. XVI.

Dubia nonnulla ad memoriam attinentia.

EX attinentibus ad Memoriam, variæ prodeunt difficultates, quarum immemores esse non debemus. Quæritur primo, cum Aristoteles in lib. de Anima, de reliquis animæ facultatibus verba fecerit, cur de memoria & reminiscentia nullum fecerit verbum? Dubitatur secundo, cum memoria sit præteritorum, & cum quadam relatione ad tempus, quomodo valeat competere expertibus rationis, quæ carent cognitione temporis? Præterea, cum memoria sit conseruatio quædam, quæritur quid seruetur, num species rerum sensibilium, vel actiones, siue iudicia earum specierum. Insuper si dicitur seruari aliquid horum, de eo adhuc quæritur, an habeat in memoria esse spiritale, vel materiatum, vt forma in materia? Demum quæritur, quid sit id, quod seruat, num sola Anima, vel solum corpus, vel connexum ex vtrisque? Solutio primæ difficultatis elicitur ex Aristotel. in lib. de Memoria, & reminiscentia dicente: Est igitur memoria neque sensus, neque existimatio, sed horum alicuius habitus, aut affectio, cum factum fuerit tempus, &c. indicat his verbis: Memoriam non esse facultatem absolute distinctam à Phantasia, sed ad eam redigi, & esse eius officium, tanquam habitum, & affectionem, nam phantasia vt existimans & apprehendens, dicitur phantasia: vt vero apprehensa seruans, dicitur memoria: hinc propterea, minus recte loquuntur, qui dicunt, phantasiam tribuere memoriæ phantasmata seruanda, non enim phantasia alteri aliquid seruandum tribuit, sed eamet seruat: Hinc φαντασία dicitur tanquam φανέντων στάσις, hoc est status & conseruatio eorum quæ apparent. Est itaque memoria non distincta facultas, sed distincta muneris functio, de quibus est sermo in paruis naturalibus, Numerata tamen in præcedentibus fuit pro distincta facultate, ob distinctionem rationis, officii, & quia distincto quodam temperamento eget. At ex hac Solutione maior

Prima dubitatio. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Solutio primæ dubitationis.* *Dubitatio.*

maior emergit Dubitatio, quia pari ratione non debuisset Aristoteles in lib. de Anima, loqui de facultate mouente, cum ea quoque non sit facultas distincta, sed distincta muneris functio, de qua in paruis Naturalibus est sermo. Respondeo, de mouente facultate distinctam esse rationem: primo, quia motus secundum locum constituit distinctum gradum animalium, quod non facit memoria. Secundo, quia veteres animam diuidebant in cognoscentem, & mouentem, vt patet ex primo de Anima 19. ex secundo 150. & ex 3.40. non sic in cognoscentem, & seruantem. Tertio, quia pro motu requiritur appetitus, qui in libris de Anima debuit explicari. Et demum, cum anima hominis præsertim in cognoscentem & operantem diuidatur, de attinentib. ad principia actionis, & motus, fuit agendum. Sed adhuc dubitatur; Si memoria cum phantasia nectitur, cur à Philosopho dicitur habitus, vel affectio primi sensitiui? Respondeo, Aristotelem eum descripsisse per officium eius, nam dicitur habitus vt est firma conseruatio imaginis, dicitur primi sensitiui, denotando cor, & eius spiritus, quæ est sedes Animæ, in qua viget vis sentiens, & præsertim phantasia, præstantissima facultatum sentientium, vt patet ex libro de sede animæ. Erat secunda dubitatio, cum memoria seruet relationem ad tempus, ignotum expertibus rationis, quomodo eis competere potest? Respondeo, quamuis ea non distincte noscant tempus, id tamen cognoscunt confuse, vt modo aliquo in idem venit cum motu: hinc etiam iumentis competit memoria confuse, ignorando, quo die, & quo anno id senserint. Quærebatur tertio, quid seruetur? Respondeo, actum sensus, & sensibile actu in idem venire, vt dicitur ab Aristotele in secundo de anima, enunciante eundem esse actum sensibilis, & sensus, & hic actus est qui est res iudicata, vt iudicata, qui dum non iudicatur, dicitur nobis competere habitu, non actu: & propterea Aristoteles dixit memoriam esse habitum. Hinc etiam oritur, quod quamuis sensibile nos moueat, tamen nisi sentiatur, non seruatur memoria, & dum vehementius sentitur, firmius quoque memoria seruatur, & ob id etiam rerum recordamur, vt prænotarum. Dubitabatur postremo, in quo huiusmodi species, quæ actu fuit, inprimatur & seruetur? profecto, non seruatur in sola anima, quia in incorporeo nil tanquam sigillo imprimi potest, nec pro memoria definitum temperamentum requireretur, neque in solo corpore. Nam Aristoteles in anteprædicamentis ait scientiam esse in anima, & constituuntur per memoriam habitus animæ. Neque valet corpus iudicii expers, iudicata seruare. Quare colligamus, seruari in composito, nempe in instrumento animæ, vt viuente, & præsertim in spiritu, hoc docuit Aristoteles in lib. de Memoria, inquiens: Oportet intelligere talem aliquam factam per sensum in anima, & in parte corporis, ea prædita veluti picturam quandam, affectionem, cuius dicimus habitum esse memoriam, factus enim motus imprimit tanquam figuram quandam rei sensibilis vt qui sigillant annulis, &c. Hinc Aristot in 3. de Anima, 20. dixit, per obitum aboleri habitus animi & non recordari, quod non accideret, si in sola anima imprimerentur simulachra. Plato tamen, inquiens scientiam esse reminiscentiam, alia via progressus est, qua de re cum disseruerim in Philosophia de Moribus, nil hoc in loco dicendum iudicaui.

Solutio. *Dubitatio.* *Solutio.* *Solutio secunda diffic.* *Solutio tertia.* *Solutio quarta.* *Plato.*

CAP. XVII.

Quæ relatarum animæ facultatum varijs viuentium gradibus competant.

QVONIAM viuentium & animalium gradus, per gradus vitæ & facultatum animæ constituuntur, ideo considerandum modo occurrit, quibus gradibus viuentium, quæ facultates competant: nam primo dicimus, per animam nutrientem mortalia viuere, per sensum sine motu constitui Stirpanimalia, per sensum cum motu animalia absolutiora, per rationem hominem, per mentem seorsum ab inferioribus facultatibus, constitui intelligentias, Cœlorum motores; *Homini competũt omnes animi facultates.* Loquendo de mortalibus, quod homini competant omnes sentientes facultates nemini dubium est, in his enim facultas superior inferiores omnes, tanquam ministras, & disponentes supponit, vt legitur in secundo de Anima. Si mox descendimus ad animalia absolutiora, quæ distincte secundum locum mouentur, hæc proculdubio phantasia sunt prædita, necnon memoria, cum moueantur ad absentia, & nonnulla eorum sint modo aliquo disciplinabilia, non tamen eis interni sensus adeo perfecti competunt, vt officiis omnibus fungi valeat, vt patet ex dictis. Dubitatio est de Stirpanimalibus, an eis competant tres interni sensus. Quod sensus communis eis competat, conspicuum est, cum sit fundamentum, & fons externorum. *De Stirpanimalibus.* Dubitatio est, an eis competat phantasia. Aristoteles in secundo de anima, 20. insectis eam concedit, cum dicat: dum secantur in partes, vtraque partium sensum habet & motum secundum locum: quod si sensum, etiam phantasiam habet & appetitum, &c. At mox in contex. 29. id vertit in dubium. Et in 32. negat quibusdam competere phantasiam. Et in 156. inficiatur formicæ, api, & vermibus phantasiam competere. Mox in contex. 157. inquit, eam competere non omnibus, sed multis feris. Similiter dubitatio est de memoria, an competat omnibus. *Solutio.* Solutio primæ difficultatis elicitur ex Aristotele tertio de Anima, 56. dicente, vt eis motum ita phantasiam competere, indicando distinctionem phantasiæ: cum enim ea sit principium motus, vt motus animantium est duplex, distinctus, & confusus, ita duplex est Phantasia. *Duplex phantasia.* Hinc Simplicius, Philoponus, Alexander, Auerroes, D. Thom. & alii multi, Phantasiam diuidunt in distinctam, ac perfectam, & in adumbratã, ac confusam: Phantasia distincta his solis competit, quæ distincte mouentur, altera autem etiam cæteris; Ita Phantasia cõpetit sentientibus omnibus, & non competit. *De distinctione earum.* Sed duæ emergunt difficultates: vna est, per quæ Phantasia distincta ab adumbrata secernatur. Altera est, an vtraque Phantasia competat Animalibus absolutioribus, vel distincta solum. *Triplex differentia.* De prima dico, triplicem esse differentiam: *Prima.* prima sumitur ex instrumento. Nam Phantasia perfectà in definita corporis parte posita est; nempe in Corde, vel sinu aliquo Cerebri: imperfecta autem, magis indefinite, vna cum sensu in corpore insectorum & stirpanimalium extensa reperitur. *Secunda.* Secunda differentia sumitur ex tempore, nám Phantasia perfecta iunctam habet memoriam, & ob id circa absentia versatur: imperfecta autem, est sine memoria, & ob id circa præsentia solum versatur. *Tertia.* Tertia differentia sumitur, ex gradu internæ perfectionis, nam Phantasia perfecta, cum sit eminentioris gradus, etiam plura, & præstantiori modo efficit. *De formica, & api.* Sed hoc adhuc difficultatem parit, quoniam Aristoteles in secundo de anima, 156. Formicæ, & api negat Phantasiam competere, cum tamen

opera.

opera efficiant, perfectam phantasiam indicantia. Themistius, & cum eo Auerr. mutarunt verba illius contex. & dixerunt, Apes autem, & formicæ necessario imaginantur. At hoc est euertere, nō explicare verba, Philoponus inquit, phantasiam apum & formicæ, dici imperfectam, quia non est disciplinæ capax: Simplicius ait imperfectam dici, facta cōparatione cum ea canum, & absolutiorum animalium: quia non tam distincte concipiunt imagines rerum, sed solum confuse, vt alimenti, & iucundi. Propterea dicamus, phantasiam confusam adumbratam, non in indiuisibili esse positam, sed præditam esse latitudine, adeo, vt & minus, & magis confusa esse valeat: ea formicarum & apum, medio quodam modo se habet, est distinctior ea vermium, confusior autem ea canū, equorum, & similium, & artificiosa opera, quæ efficiunt, prodeunt præsertim ex instinctu naturæ, vt nos docuit Aristoteles in 2. Physic. 80. At quærebatur insuper, num absolutioribus animalibus vtraque phantasia competat? Existimauit Hugo Senensis, quem sequitur clarissimus Genua, exponens 20. contex. secundi de Anima, eis vtranque phantasiam competere. Fundamentum est: quia phantasia imperfecta, in idem venit cum communi sensu, & sola ratione distinguitur: nam communis sensus, vt rem apprehēdit tanquam vtilem, vel aduersam, & est modo aliquo principium confusi alicuius motus, veluti in vermibus contractionis & extensionis, dicitur phantasia imperfecta: in animalibus absolutioribus sensus communis cum sit exactior, etiam eo officio fungi valet. Præterea id patet de lacerta, quæ cum sit capite prædita, in quo viget phantasia perfecta, tamen diuisa in partes, quæ ex se mouentur, in omni parte seruatur phantasia imperfecta: Quod etiam experientia in nobismet cognoscimus, frequenter enim per phantasiam perfectam, intenti alicui imaginationi, & per eam non percipientes leuem aliquam læsionem, in pede vel manu factam, partem læsam per phantasiam imperfectam contrahimus. Ex aduerso, alij hanc duplicem phantasiam, vt redundantem renuunt, veluti Pomponatius: nam gradus Animæ imperfectior, ex secundo de Anima, includitur in perfectiore, vt triangulus in quadrato. Cui dubitationi breuibus respondens, dico, animalibus absolutioribus competere phantasiam imperfectam, non vt distinctam, sed eandem cum communi sensu insuper eis competere secundum facultatem inclusam in præstantiore, sed non secundum denominationem, rationes ostendebant ei competere secundum facultatem, & tanquam eandem cum communi, eis tamen non competit secundum denominationem, quoniam cum sint prædita phantasia perfecta, ea sola honestatur nomine phantasiæ, non altera: in imperfectis tamen animalibus, cum non inueniatur præstantior, ea vt suprema denotatur nomine phantasiæ, & est eadē non cum tactu (vt minus recte putauit Lud. Boccaf.) sed cum cōmuni sensu, qui est fundamentum tactus, & cæterorum sensuum: & quamuis in nonnullis stirpanalibus solus tactus inueniatur, tamen ille non caret suo fonte, & fundamento, cui competit nomen sensus communis, & phantasiæ distincta ratione. Similiter de puerulis dicendūm est, quod in primis mensibus carent vsu perfectæ phantasiæ, & solum circa præsentia more stirpanimalium versantur, & per communem sensum, fungentem munere phantasiæ extenduntur, vel contrahuntur. Hinc, tunc non somniant, vt ait Aristotelès in 4. de hist. Anim. c. 10. nam somniare est officium phantasiæ perfectæ. Propterea Arist. in 2. de Anima, ponens differentiam secundam inter phantasiam & sensum, inquit, sensum animalibus, semper adesse, imaginationem vero minime: quo loci ait Philoponus: Pueris nuper natis non competere phantasiam, siue vsum eius, quia indefi-

Dubitat.
Hugo Senensis.
Resolutio.

nite ex cuiuslibet vberibus lac hauriunt, & manum semel ab igne læsam iterum in ignem extendunt, indicando se carere vsu perfectæ phantasiæ.

Cap. XVIII.

An Memoria competat cunctis animalibus.

Commvnis est sententia, animalium nonnulla esse expertia memoriæ, vt vermes & stirpanimalia: Alia esse memoria prædita. Quæ distinctio etiam traditur ab Aristotele sub initio procemij Metaphysicæ, & in præcedentibus dictum est, phantasiam perfectam, iunctam habere memoriam, & ob id circa absentia versari, & ea quærere: imperfectam vero, memoriæ expertem, solum versari circa præsentia. At de hoc non leuis est dubitatio: nam memoria cunctis animalibus competere videtur, quod ostenditur: quia omnis phantasia est principium alicuius motus, omnis motus ducit ad id quod abest, quare omnis phantasia versatur circa absens, quod sine memoria ei competere non potest, veluti dum vermis extenditur, quærit id quo eget, id non quæreret, nisi eius absentis notionem aliquam seruaret.

Dubitatio an memoria cõpetat cũctis.

De hac difficultate duæ sunt opiniones: vna Auerrois in secundo de Anima, 20. dicentis, phantasiam imperfectam solum versari circa præsentia, & ob id carere memoria. Ea sequuntur Ludouicus Boccat. Hugo Senensis, & alij multi, adeo, vt dum cauda lacertæ mutat locum, id solum faciat, vt vitet læsionem, quam percipit, & stirpanimalia extenduntur solum, dum sensu aliquid eis conducens sentire incipiunt, & contrahuntur, percipiendo præsentem læsionem.

Opinio.

Ex aduerso Simplicius in secundo de Anima, 20. necnon in tertio de Anima 56. ait, phantasiam versari circa absentia. Hinc dicitur status, & conseruatio eorum, quæ apparent; Dum autem versatur circa præsentia, dicitur sensus externus, vel communis. Et confirmatur: quoniam omnis sensus fit cum aliqua commotione spirituum, motus fit in tempore, & spiritus ab alio moti aliquandiu commotionem illam seruant.

Altera opinio.

Hoc affirmauit Philosophus in secundo de Anima, 138. inquiens, amplius & videns modo aliquo coloratum est, vnumquodque enim sensorium susceptiuum est sensibilium sine materia, propterea abeuntibus sensilibus, insunt sensus, & phantasiæ in sensoriis, actus autem sensibilis, & sensus vnus est, distinctus ratione, &c. Apertè Philosophus ait, in omni sensu aliquantulum seruari actionem rei sensibilis, & hoc præsertim putandum est, esse verum de tactu, & gustatu, quibus stirpanimalia sunt prædita, cum recipiant obiectum minus spiritaliter cæteris.

Arist.

Hanc secundam opinionem veriorem iudico, & pro eius elucidatione, instantiarumque resolutione, duabus distinctionibus vtendum puto: vna est, quod seruare contingit dupliciter, vel confuse, & exiguo tempore, vel distincte ex tempore longiore; imperfecta animalia seruant, sed confuse, & exiguo tempore; Altera est, conseruare contingit dupliciter, vel per facultatem à sensu externo & communi distinctam, vel per sensum externum, & communem:

Approbatio 2. opinionis.

Hæc imperfectiora animalia seruant per sensum, non facultatem eminentiorem, distinctam. Hinc vt dicuntur frequenter carere phantasia, longe magis dici possunt destituta memoria, & præsertim, quia per illam breuem, & confusam conseruationem, solùm ad proxima mouentur, & disciplinabilia non sunt. Colligamus itaque sensum communem sumptum pro fundamento, & tanquam fonte externorum, competere cunctis animalibus, phantasiam imperfectam similiter competere omnibus, non autem exactam & perfectam: insuper, animalibus perfectioribus vtranq; phanta-

Conclus.

phantasiam competere secundum facultatem, sed non secundū denominationem. Præterea phantasiam omnem modo aliquo versari circa absens, & conseruationem sensibilium per aliquod tempus competere cunctis animalibus, at conseruationem exactam, diuturnam, & per facultatem superiorem, sensibus externis, & communi, non competere omnibus, sed tantum animalibus perfectioribus, adeo, vt iure Aristoteles animalium nonnulla dixerit esse prædita memoria, alia eius esse expertia, absoluta enim denominatio non tribuitur rebus, nisi facultas perfectione aliqua conspicua sit prædita.

CAP. XIX.

De ordine perfectionis trium internarum facultatum ad sensum pertinentium.

DECVRSIS tribus internis facultatibus, de ordine perfectionis earum superest disserendum. Triplex in eis considerari potest ordo: vnus operationis secundus originis, tertius perfectionis. De ordine operationis, siue functionis munerum, nulla est dubitatio, proculdubio enim præcurrit actio sensuum externorum, sequitur ea sensus communis, succedit actio phantasiæ. Demum iudicata per phantasiam, seruantur memoria. Loquendo autem de ordine originis, hic duplex est, vel absolute in vniuerso, vel in eodem animali mortali, absolute in vniuerso mens prior est sensu, & æterna priora mortalibus: in eodem autem generabili, & corruptibili, dum formæ sunt distinctæ, imperfectior, & simplicior est origine prior: at considerando eandem formam, ex qua prodeunt variæ facultates, ea est prior ex parte fundamenti sui, & fontis, quā ex parte fluentium; Hinc quia sensus cōmunis est tanquam fons externorum, & ex eius absolutione, & perfectione sequitur phantasia, & memoria, ideo origine, cōmunem sensum putare debemus primum, ex quo prius tempore pendeat externi sensus, quibus primo vtimur, mox eius exactiorem absolutionem sequitur phantasia, & memoria: nam hæ facultates secundum absolutam essentiam non distinguuntur. Dubitatio est de ordine perfectionis, & primo constat, ab omnibusq; conceditur, sensus externos dignitate esse postremos, quibus sensus communis, vt fons, & origo præstat: Sensui communi præstat phantasia, & memoria, cum exposcant exactiorem dispositionem, & vlteriorem perfectionem, & solis perfectioribus animalibus competant, sola est dubitatio, de phantasia, & memoria, quæ earum sit præstantior, & pro præstantia vtriusque extant opiniones virorum sapientum, & rationes non leues. Auerroes in 6. commen. tertij de Anima, videtur principatum tribuere memoriæ, cum dicat eam esse spiritaliorem, & seruare intentiones denudatas ab accidentibus communibus & propriis: vis autem spiritalior, & spiritalius operans, præstat dignitate minus spiritali, vt visus cæteris sensibus. Confirmatur: quia facultas quæ pro sui muneris functione supponit alias, est eis præstantior, huiusmodi autem est memoria comparata cum phantasia. Hinc memoria solum competit animalib. perfectioribus. Nuncupatur cor animæ, & nomine Deæ honestatur, vt dixi in præcedentibus, quod non competit phantasiæ. Ex aduerso tamen, phantasia longe præstare videtur: hæc enim est ea, quæ animalia ducit, mētis nomine honestatur, opera efficit admirabilia, efficacissime mouet, iudicat obiecta, ad libitum format imagines, addit subnotiones iucundi, & molesti, cum memoria solum seruet: at longe splendidius est, seruatis vti, seruandaque tribuere, quam solum seruare.

Triplex ordo facultatū internarū ad sensum pertinentiū.

Ordo originis duplex est.

Ordo perfectionis.

Pro memoria.

Pro phantasia.

Et confirmatur: quia phantasia exposcit spiritus magis tenues, neque requirit impressionem magis materiatam, in spiritu tanquam sigillo factam, quam exposcit memoria, vt dixit Philosophus in lib. de Memoria. Similiter phantasia proximius famulatur menti, ab eaque formatur, vt patet ex dictis. Quare pro resolutione duas profero conclusiones, vna est: ratione suppositorum & superadditi, memoria præstat phantasiæ, veluti ars naturæ, ratione autem propriæ conditionis, & absolute contra se habet, nam & natura arti, & phantasia memoriæ præstat, vt etiam se habet de facultate appetente, & cognoscente, quod explicaui in Philosophia de Moribus. Absolute tamen, & conditione propria, phantasia præstat memoriæ. Rationes aduersæ facile diluuntur, prima erat: quia memoria est spiritalior; Hoc verum non puto, nam iudicium est spiritalius, quam conseruatio, & exposcit spiritus magis tenues, & superaddit subnotiones. Auerroes tamen putabat esse spiritaliorem, ex parte obiecti, quia seruaret intentiones nudatas accidentibus communibus & propriis, quod esse falsum patefeci in præcedentibus. Præterea, concesso etiam quod esset spiritalior, tamen quia cætera non sunt paria, ratio non cogit, nam memoria non iudicat, vis autem iudicans longe præstat non iudicanti. Addebatur: Memoriam supponere phantasiam, non contra. Respondeo supponere contingere dupliciter, vel vt ordinatum in finem, ac ita memoria cum non sit finis phantasiæ, sed potius vice versa non præsupponit phantasiam, secundo aliud præsupponi potest tanquam id, ex cuius perfectione consurgit, & tanquam ex fonte manat, veluti capacitas disciplinæ præsupponit rationale, & memoria phantasiam, consurgit enim ex eius perfectione, eique famulatur vt fini, nam memoria parata est, vt tanquam promptuarium phantasiæ, seruet imagines pro phantasia, adeo, vt mox phantasia ad libitum valeat in eis versari, & eas offerre menti, seruans autem thesaurum Principis, non præfertur, dignitate Principi, memoria autem phantasiæ promptuarium est, & tanquam penu.

Resolutio.

Diluuntur rationes aduersa.

CAP. XX.

De facultate appetente internorum Sensuum.

QVONIAM cuncta ex fœcunditate summi boni, tanquam ex fonte manant, propterea cuncta vel conspicue, vel latenter in bonum cõspirant, bonum quærunt, in bonoque requiescunt: Hæc in bonum commotio, siue cum cognitione, siue seorsum ab ea, communi appetitionis nomine denotatur: Hinc quot rerum, tot appetitionum inueniuntur gradus, & quo rerum gradus summo bono fuerint proximiores, eo appetitio est sublimior, & vehementior. Expetit materia formas, appetunt grauia & leuia suum locum, suamque in eo conseruationem, appetunt plantæ alimentum, qui appetitionum gradus ex propria cognitione non prodeunt, supra quos refulgent gradus illi, qui cognitionem sequuntur, cognitionemque exposcunt: nam cognitionem mentis sequitur voluntas, & selectio, cognitionem vero sensuum, sequitur cupiditas & appetitus, qui irascendi dicitur, de quibus in Philosophia de Moribus cumulare disserui, & hi duo postremi, illi sunt, qui cum sequantur internos sensus, instituto nostro inseruiunt, de quibus nonnulla breuissime explicabo. Accipio primo id, quod ab Aristotele in tertio de Anima, 19. enunciatur: appetitus vitandi, & assequendi aliquid nec inter se, nec à sensu distingui, nisi ratione. Insuper, accipio & aliud, appetitum vsurpari dupliciter, primo pro facultate appetente, quæ fundamento

Gradus appetitionum.

Primum quod accipitur. Alterũ.

mento dicta est eadem cum sensu: secundo pro actu appetendi, siue pro appetitione, in qua significatione dixit Aristoteles in tertio de Anima, 54. appetitum esse quendam motum. Tertio, accipio, cum actus appetitionis sit quidam motus, & motus Animalium fiat per phantasiem, vel perfectam, vel imperfectam, quod appetitio huiusmodi phantasiam comitatur, vel perfectam, vel imperfectam, & secundum diuisionem eius diuiditur. Ex quo elicio appetitum pro facultate & fundamento sumptum, esse phantasiam, quatenus apprehendendo sensibile tanquam vtile, vel aduersum, reddit animal procliue ad eius assequutionem, vel fugam, qui appetitus ob varietatem obiecti appetibilis, diuiditur in cupiditatem relatam ad voluptates magis ad corpus attinentes, & irascendi facultatem, relatam ad iucundum magis spiritale, magisque ad animum attinens; hinc cupiditas communior esse videtur, & latior, quam irascendi facultas, quæ obscurissime in imperfectis, conspicue autem solum in absolutioribus, & præsertim in homine locum habet. De hoc appetitu ad sensum attinente, hoc vnum considerandum propono, an tot sint facultates appetentes, quot cognoscentes, qua de re opiniones duæ sunt: Scotus & multi cum eo, inquiunt numero æquari, idque ostenditur primo ratione: quia cognitio appetitum parit; Secundo authoritate, nam Aristoteles in secundo de Anima, 20. inquit, vbi sensus ibi phantasia & appetitus reperitur. Et in contex. 29. tertij lib. ait, non distingui à facultate sentiendi, nisi ratione. Et in decimo Nicomachiorum, vnicuique sensui propriam ait respondere voluptatem, voluptas autem non est sine appetitu, ideo in contextu 20. secundi de Anima dixit, vbi sensus est, dolor & voluptas consequitur, vbi autem hæc, necessario reperitur cupiditas. Ex aduerso D. Thom. Themistius, & alij multi, inquiunt, facultatibus cognoscentibus vnum competere appetitum, hanc Themistius in 3. de Anima, 52. dixit: vt nil prohibet vnum esse sentiendi principium, quamuis quinque sint sensus, ita nil obstat, quin vna sit appetendi vis, actiones vero tres, quas appetitus exerceat, adeo, vt Themistius, nedum facultates appetendi sensuum, verum etiam eam mentis cum ea sensuum in vnam redigat. Quod etiam affirmare videtur Aristoteles in contex. 42. tertij de Anima, quo loci, arguens Platonem, inquit: Absurdum sane est, hanc diuellere, nam in ea parte, quæ rationis est particeps, Voluntas, & in illa, quæ eius est expers, cupiditas, & ira posita est, quod si in tres anima diuisa est, vnaquæque earum suam habebit appetitionem, &c. conspicue Philosophus multitudinem facultatum appetentium reiicit. Pro resolutione præsentis difficultatis tria dicenda puto: primum est, appetendi facultates non ita esse inuicem secernendas, vt eas secreuit Plato, qui loco eas seiunxit, tribuens hepati cupiditatem, cordi vim irascendi, capiti voluntatem, nam Aristoteles cunctarum sedem putauit cor; insuper, non sunt diuellendæ à facultate cognoscendi, vt id fecisse visus est Plato, qui capiti cognitionem, hepati & cordi, appetitiones tribuebat. Dico secundo aduersus Themistium, voluntatem ab appetitu sensuum etiam essentia, & fundamento secerni; ratio est, quia appetitus non distinguitur à facultate iudicante obiectum optabile: at mens, cui respondet voluntas, & sensus, ex sententia Aristotelis, essentia secernuntur, quare etiam voluntas, & appetitus sensuum distinguuntur essentia, & absolute. Addo tertio, appetitum sensuum respondere phantasiæ, & vt phantasia est duplex, perfecta & imperfecta, ita appetitus ex ea consurgens, est duplex, confusus vnus, alter distinctior, & vterque considerari potest dupliciter, vel ex parte fundamenti, vel ratione propria, & ex parte obiectorum iudicatorum, ex

Tertium.

Quid sit appetitus sensuum.

An tot sint facultates appetentes, quot cognoscetes.

D. Tho. Themist.

Resolut.

parte fundamenti, vterque vnus est, & præsertim appetitus distinctior. Ex parte autem obiecti, & propria ratione multiplicari dicitur per multitudinem obiectorum iudicatorum distincti generis, dixi præsertim, appetitum distinctiorem esse vnum, quia respondet phantasiæ exactiori, quæ magis est vna, confusa autem magis, variatur per sensus, cum quibus nectitur. Ex his elicio appetitum sensuum esse vnum, vt vna est phantasia perfecta, esse duos, ob duplex principale genus appetibilium, excitantium, vel cupiditatem, vel iracundiam, & demum extrinsecus & per obiecta tot esse, quot sunt facultates cognoscentes, appetitus tamen sensitiuus solum phantasiæ tribuitur, quia tunc solum consurgit appetitus, dum obiectum iudicatur vt nobis iucundum, vel aduersum, quod phantasiæ solum inter sensus est officium. Veluti etiam de sensu communi in secundo de Anima enunciauit Aristoteles, quod fundamento, & pro absoluto vnus sit, distinguatur tamen ratione, quatenus est terminus distinctorum sensibilium, vt centrum circuli, distinctarum linearum. Ex his elicitur quid veri includant relatæ opiniones, & rationes pro illis formatæ. Explicati sunt hactenus interni sensus, qui Dei prouidentia nobis præsertim tributi sunt, vt menti tanquam principi famulentur, ideo à ministris ad Principem Dei auxilio modo eleuari tenemur. Deo laus, & gloria.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Humana mente,

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.




QVICVNQVE *humanam Mentem considerat, in paruo Mundo intuetur imaginem Dei, in humili sede habitatorem Regium, in contingentibus & aduersis incursibus propugnatorem tutissimum, in humanorum fluctibus nautam peritissimum, & demum in cursu vitæ aurigam oculatissimum. Hanc qui rectè iudicat, paruipendit mortalia, & qui cum iudicio eius conditionem æstimat, quærit diuina, & ad supera tendit.* *Tenemur mentem considerare.* *Tenentur itaque animi generosi, vt de sui perfectione, ita de Mentis consideratione esse soliciti; De qua, cum ego pro mei, ingenuorúmque Lectorum institutione, mihi differendum proposuerim, vniuersam considerationem in tres partes distribuam.* *Ordo seruatus.* *Agam primo de conditione; differentiis, & officiis humanæ Mentis Loquar*

quar secundo, de eius immortalitate. Tertiò, de obiecto, & operibus eius. Et cum constanter verissima asseuerem, quæ de hominis anima nobis diuina eloquia patefaciunt, quid tamen de ea Philosophi, & præsertim Peripatetici senserent, nitar pro facultate explicare.

Cap. I.

De nomine Mentis, & connexis cum eo.



VPERA humanæ Animę portio, ob varia eius officia, variis designatur nominibus, quorum principale est, νοῦς, hoc est Mēs, siue Intelligentia, quod nomen satis est commune: nam primo dicitur de superis cœlorum mentibus. Secundo, de mente hominis. Tertiò, descendit ad phantasiam, quæ etiam ab Arist. in 2. de Anima, 155. & in tertio de Anima, 20. & 48. nomine Mentis honestatur; Transfertur autem ad eam nomen mentis triplici ratione. Primo, quia phantasia hominis rationi subiicitur, & ratione formari ac dirigi potest, vt dicitur in 3. de Anima, 57. Secundo, quia in pueris, & animalibus expertibus rationis, ea non secus præest, & ducit, ac in homine ducat mens, vt legitur in calce secundi de Anima, adeo, vt dicatur mens per analogiam & metaphoram. Tertio, quia nedum circa præsentia, verum quoque circa absentia, vt mens, versatur, & varia ad libitum concipit, & format, ac ob id à veteribus non secernebatur à mente. Quarto, extenditur nomen Mentis ad notitiam simplicium, & habitum primorum principiorum, qui menti est aptissimus, & ad reliquos habitus perinde se habet, ac lux ad ea, quæ illustrantur. Hæc humana Mens nomine magis proprio, vt intelligendi & cogitandi est principium, dicitur διάνοια, καὶ δύναμις διανοητικὴ, hoc est, intelligendi, & cogitandi facultas. Et quoniam cogitatio, siue ratiocinatio progreditur, vel per iuncta secundum essentiam, quæ secus se habere nequeunt, vel per communia quædam, & non necessaria, hinc oritur distinctio facultatis cogitãdi in ἐπιστημονικὸν, & λογιστικὸν, hoc est, in parientem scientiam, & ratiocinantem, siue consulentem, vt distinguitur ab Aristotele in sexto Nicomachiorum, cap. 1. Insuper, quia cogitationem sequitur collectio conclusionis & approbatio quædam eius: Hinc tertio, Mens hominis contradistincta à phantasia, dicitur ὑπόληψις, hoc est, vis existimandi, cuius in secundo de Anima, 154. tres statuuntur differentiæ, scientia, opinio, & φρόνησις, hoc est prudentia, adeo, vt mens sit tanquam principium, cogitatio medium, existimatio finis. Hanc eandem animi nostri supremam partem, quam Philosophus in calce primi Nicomachiorum dixit, ex se rationis compotem, in primo cont. 3. de Anima nuncupat particulam, qua anima cognoscit & φρονεῖ, hoc est, sapit. Vsurpatur φρόνησις apud Arist. in triplici significatione, nonnunquam pro sapientia, nonnunquam pro prudentia ad actiones pertinente, nõnunquam late, vt ad operandum dirigit, & contradistinguitur à contemplatione, in qua significatione puto Aristotelem fuisse ea voce vsum in tertio de Anima contex. primo, dum dixit. De particula Animæ, qua anima cognoscit, & φρονεῖ, præsertim tamen denotat prudentiam. Hæc mens hominis in primo Nicomachiorum, cap. 6. per analogiam dicitur ὄψις, cum sit tanquam oculus & acies animi, de quo Plato in 7. de Legibus dixit: Potius seruandum esse vnum oculum mentis, quàm decies mille corpor s.

Mens.

Cur phãtasia dica tur mens.

φρόνησις.

Oculus animi.

Et quoniam hæc suprema animi nostri portio, variorum habituum est capax, qui in tria capita rediguntur, vel enim dirigunt ad contemplandum, vel ad agendum, vel ad efficiendũ, ideo hominis mens in tres gradus distribuitur, in cõtemplantem, agentẽ, & efficientem, & demũ, quia pro fungendis huiusmodi muneribus requiritur facultas vna, quæ sit tanquã recipiens, & modo aliquo patiẽs: Altera quæ sit formatrix, & agens, inde refulget necessitas duarum differentiarum humanæ mentis, quarũ vna dicitur mens potestate, altera agens, ex quibus pendet mens habitu prædita, quæ vel contemplandi, vel operandi est proximum principium. Per hanc supremam animi hominis facultatem constituitur anima rationis particeps, quæ est congregatum ex cunctis gradibus animæ hominis, denominatum per id, quod est præstantius, & suprema perfectio: Mens namque est portio ex se rationis particeps, phantasia, & eius appetitus sunt facultates rationales per participationem tantum, congregatum autem dicitur anima rationalis, & ita denominatur, tum quia mutuo res comparat, tum quia ratiocinando progreditur; tum demum quia eorum quæ agit, vel profert causam, quæ rei ratio est, afferre valet. Academici addunt, eam dici rationalem, quia insitas habent rationes rerum, vt mens dicitur idealis, & natura seminaria, id tamen ab Aristotele non approbatur. Loquuturus itaque de hominis mente, ex relatis duabus differentiis conflata, Aristotelem sequens, ordiar ab ea parte, quę Mens nuncupatur potestate, cum sit origine prior.

Cap. II.

De Mentis potestate.

Experientia cognoscimus, nos in hanc lucem omni destitutos animi habitu prodire, & nisi studio, cura & diligentia animũ colamus, crassa quadam ignorantia obrutos, vniuersum vitæ cursum transigere, doctrina autem, & inuentione, nec sine labore, disciplinarum habitus in nobis gigni. Ex quo elicimus in nobis animi facultatem quandam reperiri, quæ cum sit nuda, indui potest, cum sit habituum expers, valet eos recipere, & cum sit penitus potestate, valet formari. Facultatem hanc nuncupant Peripatetici mentem potestate: Mentem quidem, quia conditione propria in vniuersalibus supra sensum positis versatur, & ad apprehendenda intelligibilia parata est, potestate vero, quia omni habitu nuda est, cui congruente ratione pro obiecto ea intelligibilia respondent, quæ non actu, & absolute intelligibilia sunt, vt separatæ formæ, sed quæ potestate dicuntur ietelligibilia, quales sunt formæ materiatæ, egentes abstractione, vt reddantur intelligibiles actu. Confirmatur hæc sententia ratione, qua Philosophus vtitur in cont. 4. tertij de Anima. Nam omne sui cõditione aptum aliquid per se, & primo recipere, eo nudatum sui natura esse debet. Particula animæ nostræ officio intelligẽdi destinata, est apta per se primo recipere formas omnes materiatas, quare eis omnibus ita debet esse nudata, vt nulla earum sit, nec earũ vllam in se habeat. Quod confirmatur, quia perinde se habet ad intelligibilia, ac sensus ad sensibilia, sensus autem ab eis sensibilibus sui conditione debet esse immunis, quæ per se, & propria sunt sensibilia, quare similiter mens potestate, omni intelligibili forma nudata esse debet, & dum ad suum obiectũ refertur, perinde se habet, ac folium, ac tabella pro recipiendis literis parata, in qua nulla literarum figura appareat. Et ob id etiam dicitur materia, & locus formarum, rectius tamen dicitur locus, quam materia. Primo, quia formæ intelligibi-

Mens potestate.

Cur mẽs potestate dicatur locus, quã materia.

les non recipiuntur in mente, vt in subiecto, nec per transmutationem educuntur ex ea, sed iudicantur vt obiectum. Secundo quia formæ illæ intelligibiles, cum sint essentiæ rerum, sunt aliquid completum, at completa sunt corpora quæ in loco recipiuntur. Tertio, quia loci nomen, magis denotat perfectionem quam nomen materiæ, quia cum recipiat, simul seruat conditionem formæ, dicitur enim locus, modo quodam forma locati, vt etiam humana mens quamuis dicatur recipere, absolute tamen forma est, & ea sola, non sensus absolute. Dicitur in tertio de anima contex. 6. locus specierum, quia speciei nomen proprie denotat vniuersale, cuius sola mens est capax, vt se declarat Aristoteles in contex. 38. inquiens: vt manus est organum, ita mens est species specierum, & sensus species sensibilium, indicans se per speciem denotare intelligibile, contradistinctum à sensibili. *Cur sola mens dicitur locus specierum.*

Cap. III.

Quomodo potentia se habeat ad mentem.

APPARVIT hanc esse conditionem humanæ mentis, vt potestate esse dicatur: at ea potentia quomodo ad mentem se habeat, non facile est videre: & duæ sunt opiniones principaliores, vna Alexandri, altera multorum, qui Alexandro aduersantur. Putauit Alexander mentem potestate pro absoluto non distingui à phantasia, sed solum ei superaddere promptitudinem, & facultatem recipiendi intelligibilia, adeo, vt per propriam rationem mens potestate, nil aliud sit, nisi priuatio, & idoneitas, cuius fundamentum sit phantasia. Ideo in 1. suo lib. de anima, c. 24. dixit: Mens potestate est facultas, & promptitudo ad formas, tabellæ nondum scriptæ similis, imo potius ipsius tabellæ ἀγράφου, hoc est, priuationi inscriptionis similior, quam tabellæ, tabella enim in numero est eorum quæ sunt, ideo quod anima præditum est, tabellæ potius comparari potest. Hæc Alexander. Cui aduersantur Auerroes, Philoponus, & alii multi, qui iure opinionem eius reiiciunt. Nam Aristoteles in tertio de anima, de particula animæ proposuit agendum, quæ anima dicta est substantia, particula autem Substantiæ necessario est substantia; insuper vis nutriens, & sentiens, tanquam substantiæ ab Aristotele fuere declaratæ, quare similiter mens, tanquam Substantia considerari debuit, cum præstet cæteris gradibus animæ. Insuper potestas non dicitur esse potestate, nec potestas fit actus, sed fundamentum solum potestatis, dicitur esse potestate, & fieri actu. At Aristoteles de hac particula animæ, dixit esse potestate, & fieri omnia. Præterea hoc conspicuum redditur per rationem, qua vtitur Aristoteles in contex. 4. sumptam ex authoritate Anaxagoræ, qui dixit, mentem debere esse expertem mixtionis, vt dominetur. Mens ex sententia Anaxagoræ, secreta à Chao, non erat pura præparatio, sed essentia, & forma formarum, quare nisi Arist. de essentia loqueretur, ea ratio ad rem non faceret. Præterea Alexander conspicue aduersatur Arist. qui non animatum, sed mentem potestate, ait esse similem, non priuationi inscriptionis, sed tabellæ non scriptæ, adeo, vt Alexander singula Arist. verba ad mentem pertinentia peruertat, non explicet. Insuper Aristot. in cont. 3. dixit, vt sensitiuum ad sensibilia, ita mentem hanc potestate se habere ad intelligibilia. sensitiuum non est sola præparatio, sed substantia, quare mens quoque potestate, vt ei respondeat, non pura præparatio, sed substantia esse debet. Præterea, Arist. per obiecta, & opera, dixit progrediendum esse in notitiam potentiæ, at per hæc ea potentia elucescit,

Alexan.

Euersio opinionis Alexandri.

Anaxagoras.

quæ principium est nutriendi, sentiendi, & intelligendi, hæc autem non est pura priuatio, & præparatio, sed essentia, & principale principium, de quo in 2. de Anima patefecit, quod est causa in triplici genere causæ, nimirum formæ, finis, & efficientis, Præterea, mens potestate, respondet agenti, & ab Aristotele ambæ dicuntur differentiæ Animæ: Differentiæ eiusdem rei, debent esse eiusdem rationis; Cum itaque ea mens, quæ agens dicitur, non sit sola præparatio ad agendum, sed ab Alexandro iudicetur Deus, est necesse, vt etiam mens potestate ei respondens, non sit pura priuatio, & præparatio ad recipiendum. Præterea, si Arist. per mentem potestate, eam solam præparationem denotaret, inaniter laborasset pro ostendendo, eam non esse mixtam cum obiecto: nemini enim est dubium, præparationem non includere id, pro quo recipiendo parat; Quare dicamus mentem potestate non esse solum præparationem, sed essentiam paratam, & de ea essentia cum præparatione iuncta Arist. loqui, & eam dicere similem tabellæ inscriptionis experti, cuius mentis, vt clarior reddatur conditio, accipiendum est eam in parte similem esse materiæ. Et quemadmodum materiæ triplex est notionis gradus, ita & mentis potestate; considerari enim potest primo per ea quæ absolute ei competunt: secundo, vt relata ad species quas recipere valet: tertio, vt eis iam prædita est. In prima notione est essentia ex materia non pendens, & actus corporis: in secunda dicitur potestate ad species intelligibiles: in tertia est habitu prædita, & dicitur facta omnia. Potentia ei competens pro absoluto, & fundamento est ipsamet essentia mentis, distincta à phantasia, extrinsecus tamen superaddit relationem, & priuationem Aristoteles non de superaddita relatione, & priuatione, sed de fundamento relato verba facit in tertio de Anima, vt etiam fecit de reliquis animæ partibus.

Sententia verior

Triplex notio mentis.

CAP. IIII.

An omne aptum aliquid recipere debeat eo esse nudatum.

PHILOSOPHVS in 3. de Anima, contex. 4. pro comprobanda conditione mentis potestate, inquit: prope apparens prohibere extraneum, ex quo tanquam ex causa, elicitur communis regula, quod recipiens aliquid, debeat sui conditione eo esse denudatum, qua etiam vtitur in 2. de Anima, 71. 118. & 119. loquendo de sensibus. Eadem vtitur Plato in Timeo, loquendo de prima materia, quæ regula cum plurimum conducat pro noscenda mente potestate, iure accurate consideranda est; De qua loquens, primo instantias referam, secundo, distinctiones, tertio, resolutionem difficultatis, postremo, instantias diluam. Instatur aduersus eam regulam primo per Scotum, in 2. Sen. Dist. 3. q. 8. ad 3. Mens potestate intelligit omnia, igitur erit nihil, intelligit suos habitus, igitur eos non habebit: addo, intelligit se, & suam potestatem, igitur mens pot. state, nec erit mens, nec potestate, intelligit formas separatas, igitur non est forma separata. Præterea, oculus figuratus, perspicuus, lucidus, coloratus, motus, quantus, recipit, & iudicat ea omnia. Insuper, instrumentum gustatus, mixtum, præditum sapore, recipit sapores. Similiter, tactus includens qualitates primas, recipit eas, febriens percipit suum calorem, amaritudinem linguę, & ariditatem, laborans suffusione oculorum, eam percipit. Vis imaginandi, imaginatur omnes formas materiatas cum ea quoque talis. Demum esse spiritale, est distincti generis ab esse materiato, quare includens vno modo, poterit recipere altero modo: & ita regula non erit vera de facultatibus cognoscentibus, recipientibus spiritaliter.

Regula.

Ordo seruandus.

Instantia.

Hæ

Hæ sunt instantiæ principaliores. At nunc venio ad distinctiones. Pro attinentibus ad propositam regulam sex distinctiones sunt considerandæ: Prima est, includere aliquid, contingit dupliciter: vel quod sit id, vt mel includit naturam mellis, vel quod in se id habeat, vt mel includit dulcedinem. Insuper, includere aliquid dupliciter accidit, vel per propriam naturam, vt ignis calorem, vel per alieni receptionem, vt perspicuum illuminatum, lumen includit. Tertio, includere aliquid dupliciter intelligi potest, vel spiritaliter, vt perspicuum includit lumen, vel modo materiato, vt nix albedinem. Quarto, id quod recipi debet, vel debet recipi spiritaliter, vel modo materiato. Quinto, esse alienum, & differens, contingit quatuor modis, numero, specie, genere, & analogia. Sexto, prohibere contingit dupliciter, vel reddendo receptionem difficilem, vel eam euertendo; & remouendo penitus. His præassumptis, quatuor se offerunt regulæ: prima, recipiens cum materia, non debet id modo materiato includere. Secunda, recipiens spiritaliter, non debet id includere spiritaliter. Tertia recipiens spiritaliter, non debet id includere modo materiato; quarta recipiens modo materiato, non debet id includere spiritaliter. Quælibet harum regularum potest intelligi dupliciter, vel quod ita includat vt sit, vel vt in se habeat. Insuper, vel quod reddat receptionem difficilem, vel quod omnino euertat illam. Arist. proferens in 2. & 3. de Anima hanc regulam, eam profert de receptione spiritali, in subiecto reali, in hac significatione, vt nec sit, nec in se habeat id, quod recipi debet: cumulatioris tamen notitiæ gratia, eam considerabo in omni significatione. Et quoniam omnis regula ne sit inanis, niti debet fundamento aliquo, ex quo pendeat veritas eius, ideo à fundamenti consideratione ordiendum est. Aiunt nonnulli, rationem regulæ hanc esse, quia si quid per naturam vnum includit, definitum est ad illud, nec amplius est indifferens, vt lingua includens bilem, cuncta iudicat amara, Ideo Plato in Timeo dixit: Si materia erit alicui eorum quę in se recipit similis, cum contrarium eius, vel aliam suscipiet, nequaquam eius similitudinem exprimet, cum præ se tulerit suam. Insuper addunt, quod includens aliquid realiter, potest id recipere spiritaliter, vt vis imaginandi recipit se spiritaliter, perspicuum, vt speculum, & Crystallus, recipiunt spiritalem actionem alterius similis; Id ostendunt, quia Arist. inquit prope apparens, prohibere alienũ, non se. At hi cum Arist. tum rationi, & experientiæ aduersantur. Primo, aduersantur instituto Arist. qui loquitur de receptione spiritali, in recipiente reali, nẽpe in Anima. Et in 2. de Anima, cont. 71. & 118. ea regula vtitur, loquendo de sensu visus, auditus, & tactus, qui recipiunt spiritaliter. Insuper, errant in assignanda ratione regulæ, quam esse inquiunt, ne recipiens sit definitum pro vna parte, cum tamen Aristot. absolute dicat, prope apparens prohibere alienam, ait prohibere, non contrahere ad id quod habet. Insuper, recipiens vt recipiens, debet esse potestate, vt dicitur in contex. 3. quare id destruit receptionem, quod destruit potentiam, potentia autem euertitur per actum proprium. Et quamuis Aristoteles dicat prope apparens prohibere alienum, id tamen nil refert, quia vsus est voce alieni, vt opposita ei quod est esse proprium, & intus, adeo vt etiam id quod includitur realiter, non possit extrinsecus, vt alienum recipi spiritaliter. Scotus in 2. Sent. Dist. 3. q. 8. ad tertium inquit, regulam Arist. esse veram de formis materiatis, & instrumentariis, veluti de sensibus per instrumenta receptis obiecta, non de formis non instrumentariis, vt de mente, nam ea & se & suos habitus recipit, & intelligit. Ratio varietatis est inquit Scotus: quia instrumentum recipiens spiritaliter, non est aptum id recipere materialiter, ex-

Distinctiones. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Quatuor regulæ.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Aristot.* *Fundamentum regulæ.* *Sentẽtia quorundam.* *Euersio.* *Scotus.*

cepto tactu: quia in recipiente spiritali requiruntur conditiones oppositæ illis, quæ requiruntur pro receptione materiali, vt patet de colore, qui vt spiritalis, mouet perspicuum interminatum, vt autem materialis, exposcit perspicuum terminatum: Ex quo ait patere institutum Philosophi in 4. cont. 3. de anima, esse ostendere mentem non esse instrumentariam, quia sic poterit omnia intelligere, quamuis eis non sit nudata. At cum hoc dicat, conspicue & ab instituto Philosophi, & à ratione recedit: ab instituto, quia conspicuum est, institutum Philosophi esse, patefacere conditionem mentis potestate, hanc esse, vt sit cuncta intelligibilia potestate, nil autem actu, aduersus Platonem, qui animæ rationes, menti Ideas tribuebat. Quod autem mens non sit instrumentaria, accipitiu contex. 6. vt notum, pro ostensione, quod non sit mixta cum corpore. Præterea, si ea regula non est vera, de facultate non instrumentaria, male Arist. ex eo quod mens intelligit omnia, inferret, nil esse actu. Insuper ratio sumpta ex mente, quam dicebat Anaxagoras præesse Chao, & non esse mixtam cum corpore, vt omnia intelligeret, ad rem non faceret: ea enim quamuis non sit instrumentaria, tamen vt omnia intelligat non debet esse permixta, sed seiuncta a Chao. Præterea, si de facultate non instrumentaria ea regula non esset vera, tunc non valuisset Philosophus ex ea colligere, mentem esse locum specierum, non actu, sed potentia. His accedit, quod Arist. vniuerse regulam profert, quod prope apparens prohibet, & obstruit, non eam contrahit ad facultates instrumentarias. Et in contex. 3. ex eo quia intelligere est sicut sentire, infert mentem esse potestate, & nil includere actu, quod facere non valuisset, si de facultate non organica regula non esset vera.

Euersio.

CAP. V.

Resolutio difficultatis ex propria opinione.

CVM Philosophus vniuerse enunciauerit, recipiens debere esse eo nudatum quod recipere debet, puto regulam esse vniuerse de omni facultate veram, siue sit organica, siue non organica. Ratio regulæ sumitur & ex conditione agentis, & ex ea recipientis: ex conditione agentis, quia nil agit in se, vel in simile, sed in contrarium, vel in id quod priuatum est. Ex conditione autem recipientis, quia debet esse potentia & priuatum, & vera est regula, cum de receptione spiritali, tum de materiata, vt recte etiam nouit Auerroes in secundo de Anima, 67. Et pro clariore notitia, tria profero. Primum est, recipiens aliquid realiter, debet realiter esse nudatum eo, adeo, vt nec sit id, nec id in se habeat, vt patet de materia & loco. Dico secundo, esse spiritale existens in aliquo, nec impedit, nec prodest pro delatione & receptione similis, vt per idem medium deferrur actio plurium alborum, & lucidorum. Ratio est: quia esse spiritale est indiuisibile, sine extensione, & non pugnat cum alio spiritali, nam conspicuum est per idem medium deferri actiones variarum, specie consimilium: At dum deinde in oculo actiones variarum albedinum simul suscipiuntur, id fit ratione distincta: quia sunt tanquam lineæ distinctæ ad idem centrum tendentes, vt dicitur in secundo de Anima, 148. Addo tertio, recipiens aliquid spiritaliter, neque est, neque includit realiter id, quod est recipiendum, in qua significatione Aristoteles regulam profert in libris de Anima, quæ vera est de omni potentia, & organica, & non organica, de omni receptione cum reali, cum spiritali. Insuper, vel cum cognitione, vel sine, vt patet ex secundo de anima, 71. quia perspicuum receptu-

Ratio regulæ.

Tres theses.
Prima.
Secunda.
Tertia.

recepturum colorem, debet esse sine colore, & demum est vera, siue includatur per naturam, siue præter naturam, vt patet de oculo, suffusione, & aure tinnitu laborante: verum tamen est, quod magis impedit, dum inest per naturã, & dum adest præter naturam, contrahit reliqua ad id, quatenus reliqua per id recipit: sic lingua bile suffusa cuncta indicat amara. Huius regulæ duæ sunt limitationes; prima est, quod recipiens debet esse nudatum eo quod per se primo recipere debet, non his quæ per consequutionem, & ex accidenti. Ratio est, quia debet esse nudatum eo, a quo debet moueri, ne idem sit actu, & potentia ad idem. Altera limitatio est, quod debet esse nudatum specie, non genere, & gradu. Ratio est: quia genus non remouet potentiam ad speciem, nec secundus gradus ad tertium. His addo Regulam recte sumptam denotare non solam difficultatem, sed impossibilitatem. Hinc Aristoteles inquit, necesse immixtum esse. Colligo itaque, Recipiens vel realiter, vel spiritaliter, vel cum cognitione, vel sine, debet esse in specie, vel in gradu realiter eo nudatum, quod per se primo recipere debet, adeo, vt nec sit, nec in se habeat illud. Ex his facile eliciuntur solutiones instantiarum. Prima erat, quia Mens intelligit se suam potentiam suos habitus, & demum omnia, quare vel nihil erit, vel Regula ea nõ erit vera vt censuit Scotus. Laborarunt pro diluenda hac instantia Philoponus in tertio de Anima, & Zimara, Theor. 84. nec veram solutionem inuenerunt, quam puto ex dictis eliciendam: nam facultas debet esse nudata eo quod per se primo receptura est, id enim est quod mouet, obiectum autem quod per se primo Mentem mouet, est essentia materiata, ideo ea debet esse nudata. Mens intelligit se, nõ per se primo, sed cum cętera intellexerit, vt dicitur in tertio de Anima, con. octauo & in duodecimo Metaphysicæ 38. Similiter non per se primo intelligit suam potentiam, cum non sit essentia materiata, cui competat Phantasma proprium, ita etiam valet intelligere formas separatas, quamuis sit forma a materia non pendens, quia non continentur sub obiecto, quod per se primo Mentem moueat, sed per Phantasmata operum eas iudicat. Id ipsum dicendum est de apprehensione suorum habituum, nam illi habitus nõ sunt in Mente vt in Subiecto, sed in Memoria, non sunt essentia materiata, contenta sub obiecto mouente per se primo, nec sunt proprie intelligibiles, sed potius ratio intelligendi alia. Afferebatur instantia de oculo percipiente sensibilia communia, quæ etiam includit. Patet solutio, quia non per se primo mouent oculum, nec continentur sub obiecto per se, & primo. Loquendo autem de colore oculi, dico, non totum recipere actiones exteruorum colorũ, sed partem eius mediam, & perspicuam, quod cum sit corpus perspicuum interminatum, non est vere coloratum, quia color dicitur actus perspicui terminati, lumen vero interminati, & solum (vt inquit Alexãder) dicitur modo quodam habere inchoationem omnium colorum, conducentem, non impedientem. Afferebatur instãtia sumpta a gustatu, & tactu; de gustatu dico, sentire per humorem qui est satis insipidus, includens modo aliquo inchoationes saporum, & percipit non similem saporem, sed recessum ab eo, vt etiam dixit Aristot. de tactu, in cont. 118. Instantia sumpta a lingua bile effusa, & a febriente percipiẽte suum calorem, soluitur: nam de lingua dico, humorem illum biliosum esse alienum, & distinctum a pro instrumento gustatus, & ideo vt alienum percipi, & cætera quæ degustantur, cum degustentur, vt permixta cum eo, ideo & redduntur & iudicantur amara. Similiter de percipiente calorem febris, dico id accidere, quoniam ille calor est alienus a corpore viuentis, & percipitur vt alienus, inde oritur, quod laborãs febre hectica, quia calor in habitũ est mu-

Limitationes duæ Regula.
Prima.
Secunda.
Conclusio.
Diluuntur rationes aduersæ.
Philoponus.
Zimara.

tatus,& redditus tanquam proprius,calorem febris vel non percipit,vel parum. Laborans suffusione oculorum,quia ea suffusio est dispositio præter naturam, & per eam mediam videntur alia,ideo cætera mouent tanquam colorata colore suffusionis,per quam proxime agunt in proprium instrumentum Visus instantia de Phantasia imaginante se, soluta est per dicta: nam Phantasia cum sit Substantia,non per se prima,mouet se,& apprehendit se, nec continetur sub obiecto per se,& proprio sui,sed solum ex accidenti,& per opera se noscit. Similiter, si vnus oculus per speculum agit in se,& videt se,dicendum id quod videtur esse oculum totum; recipi autem eius actionem, vt dixi per id medium perspicuum oculi,quod vt perspicuum interminatum,caret proprio colore, & quāuis etiam id medium perspicuum videatur,profecto videtur per lumen in eo receptum vt per alienum colorem.Instabatur postremo,quia esse spiritale est distincti generis.Respondeo, esse spiritale, includi in reali, & agere virtute eius,cum sit illius imago,non autem esse reale includi in spiritali, vt in vmbra non includitur corpus sed ècōtrario. At quæritur, vnde oriatur quod oculus alba effusione affectus cuncta iudicat alba,& gustus bile suffusus amara, tactus autem temperamento proprio præditus,non cuncta iudicat alia? Respondeo,id contingere, quia in oculo,& lingua ea sunt externa, & mouentia, in tactu temperamentum est proprium,& motum.Insuper quæritur,cur anima simul sit singula, materia vero vna forma prædita,non valet aliam recipere ea seruata? Soluitur, id euenire, quia formæ materiatæ inter se pugnant, non autem spiritales, hoc tamen seruatur; quod vt materia per partes distinctas sit singula, ita Anima sit singula, distincta ratione,vt dicitur in secundo de Anima, & in lib.de Sensu & sensili. Quæritur demum,cum omnes formę spiritales,vt tales, sint eiusdem speciei,cur habens vnam,recipit alias? Respondeo,actionem vnam spiritalem non pugnare cum altera. Addo,species spiritales non distingui ab actu iudicandi,& non esse eiusdem vel distinctæ speciei, nisi ratione rei iudicatæ & repræsentatæ, quæ cum distinguantur specie,etiam repræsentationes dicuntur distinctæ speciei.

Dubitatio prima. Solutio. Secunda. Solutio. Tertia. Solutio.

CAP. VI.

De mente agente an sit concedenda.

APPARVIT in nobis eam Mentis differentiam reperiri, quæ perinde ac materia nihil est actu eorū quę primo,& per se,recipere debet,sed cuncta potestate,ex cuius notitia ducimur modo in inuentionē alterius differentię nempe Mentis agentis. Ratio est: quia in vniuersi serie ne aliquid sit frustra, vnicuique facultati patienti,& recipienti, respondet facultas propria efficiendi, vnicuique formabili, respondet formans, vnicuique perfectibili,perficiens: quare Menti quæ potestate dicebatur necessaria ea differentia respondere debet, cuius conditio, & natura sit agere. Quod confirmatur: quia productum sine producente nō reperitur, Mens humana habitu formata,est aliquid productū, & effectum,quarę præsupponit agens. Quemadmodum itaq; Mentis potestate hæc est natura & conditio, vt valeat fieri omnia,ita huius differentiæ ei respondentis hoc esse officium putandum est,vt valeant omnia quę potestate dicuntur intelligibilia, reddere intelligibilia actu. Verum dicet fortasse aliquis, concedo pro officio intelligendi requiri agens, at nego hoc esse partem, & differentiam Animæ,sed aliquid ab Anima seiunctum,& esse vel Obiectum mouens,& formans,vel aliquid extrinsecus illuminans,veluti Sol,illustrando colores,dicitur

Ratio. Confirmatio. Dubitatio.

tureos reddere tales, vt valeant mouere oculos. Hæc instantia inanis est, quoniã vt ex dicendis patebit, Mens agens ob id præsertim est necessaria, vt producat a- *Solutio.* ctum intelligendi, & propterea vt in attinentibus ad Naturam necessarium est agens pro efficiendo opere Naturæ, in attinẽtibus ad artem necessarium est efficiens pro efficiẽdo opere artificioso, ita in attinentibus ad Mentem, necessariũ est efficiens, pro efficiendo opere Mentis; Et quemadmodum efficiens opus Physicum est natura, efficiens opus artificiosum, est Ars; ita efficiens opus Animasticum, & Mentis, debet esse differentia animæ & Mentis. Hinc iure Aristoteles colligit necessario in Anima has differentias reperiri: quæ sententia per id confirmatur, quia officium agentis in nostra est facultate, non autem id esset, nisi mens agens esset facultas Animæ nostræ. Et pro patefacienda conditione Mentis agentis, congruenter Aristoteles est vsus Analogia sumpta ex quatuor, nimirum, ex Natura, Arte, Habitu, & Lumine, Mens enim agens respondet Naturæ, & Arti: quia vt producentia opera Naturalia, & Artificiosa, dicuntur Natura, & Ars, ita producens opus animasticum, & Mentis, est anima, & Mens. Respondet habitui: quia vt habitus est tanquam forma, & acies operantis, ita Mens agens est tanquam acies & oculus Mentis? Respondet autem: Lumini, dum refertur ad Obiectum, nam prima duo ei competunt, dum refertur ad suũ *Colliguntur quinque.* opus: habitus rei respondet, dum refertur ad animam, & Mentem; Lumen vero, dum refertur ad Obiectum. Ex hactenus dictis quinque colligo satis vtilia. Pri- *Primum.* mum est, Mentem agentem partim renuendam, partim approbandam esse, renuenda esset, si eius officium id solum esse diceremus, vt Phantasmata sine iudicio illustraret, nam hoc solum illustrans obiectum; nec in Natura, nec in Arte, nec in alia vlla facultate intrinsecus, & pro eius differentia est necessarium. Approbanda autem & necessaria est iudicanda Mens agens, dum eius officium hoc esse dicimus, vt efficiat, & producat actum intelligẽdi, vt Ars, opus artificio- *Secundũ.* sum. Colligo Secundo, minus recte dixisse Auerroem com. 18. si darentur Ideæ Platonis, non esse necessaria Mens agens: hoc abest à vero. Primo, quia concessis Ideis adhuc præter eas requiritur Mens agens, & producens actum intelligendi, non enim id est officium Idearum. Secundo, quia nos etiam pro noscendis formis separatis egemus officio Mentis agentis, quare similiter pro noscendis Ideis, & rebus, quarum sunt Ideæ. Tertio, quia defensores Idearum, aiunt dari Mentem agentem, vt patet de Simplico, Theophrasto, & Prisciano Lydo & similibus: nã Mens Ideis prædita, siue anima in se manens, dicitur ab eis Mens *Tertium.* agens. Colligo Tertio, ostensionem Aristotelis relatam pro statuenda Mente agente, etiam de sensu habere vim, in vtrisq; enim consideratur aptum fieri, & aptum facere, non enim Obiectum est satis, quoniã id quod fit cum iudicio fit, quare agens iudicando dicitur agere, quod Obiecto non competit. Aristoteles tamen ostensionem formauit de Mente, quia per eam fit maior translatio ex *Quartũ.* gradu vno in alium, cum fiat trãslatio nedum ad esse cognitum, sed etiam ex esse singulari, cum materia, ad vniuersale, sine ea. Colligo Quarto, rationem illam non habere vim de Intelligentiis Cœli, quia illæ ex sententia Aristotelis intelligunt per essentiam, & sunt ipsamet intellectio, & propterea in eis non reperitur distinctio recipientis, producentis, & facti, quæ cõstituant eas oppositas differentias. Et si quis quærat, an in eis saltem similitudine aliqua locum habeant hæ differentiæ? Dico primo, Intelligentias omnes sub deo positas, posse dici Mentes potestate, quatenus inferiores intelligunt superiores, & Deum, & a superioribus perficiuntur, adeo vt superiores, & præsertim Deus, obtineant lo-

Num in separatis Mentibus locū habeat Mens agens & potestate. Quomodo competant humanæ Menti. Soluitur dubitatio.

cum Mentis agentis, inferiores vero, Mentis potestate. Addo secundo, Intelligentias omnes sub Deo positas, constare ex actu & potentia, hoc est ex recessu a primo & ex gradu suæ perfectionis, qui sunt modi materiæ, & formæ quibus remota quadam similitudine tribui potest nomen Mentis potestate, & agentis: ac non proprie, nam proprie potius sunt Mens agens, sine possibili, vel potius ipsamet intellectio. Colligo demum differentias illas competere humanæ Menti, non absolute vt Mens est, & forma a materia soluta, alioquin competerēt omni, sed solum ei competere, vt redditur particula Animæ, & operatur in nobis per Phantasmata. Hinc iure Aristoteles colligit necessario in Anima reperiri differentias possibilis & agentis, & dixit in Anima, vt simul id ipsum indicaret esse verum de sensu, & omni nostra facultate iudicante. Ex quo elicitur solutio cuiusdam difficultatis; Nam quæritur, num differentiæ illæ agentis & possibilis, competant Menti per se, vel ex accidenti? si per se, etiam competent Menti abiunctæ, & omni, si ex accidenti, non attinerent ad scientiam. Solutio est: quia competere per se contingit dupliciter, vel absolute, & ita Menti nō competunt per se, vel cum reduplicatione alicuius superadditi, nempe vt est particula Animæ, & quomodo Mens cum hac contractione ab Aristotele proponitur in tertio de Anima consideranda, ideo dicendum est, Menti vt consideratæ in tertio de anima eas differentias per se competere, nempe vt apta est suis facultatibus cōstituere Mentem in habitu, & est particula humanæ animæ.

CAP. VII.

De officio Mentis agentis.

Opiniones quatuor. Prima. Io. Bacc.

OSTENSO dari Mentem agentem, vt constet quid sit, de eius officio agendum est; Qua de re, quatuor sunt opiniones principaliores. Aiunt nonnulli Mentem agentem solum requiri pro Obiecto, nempe Phantasmate, vel nil imprimendo, sed solum transferendo Phantasma ex potestate ad actum, vt valeat proxime mouere Mentem potestate, vt lumen nil in colorato imprimit. Huius opinionis fuit Ioan. Bacco. in prologo Sent. q. 2. Vel secundo, nil positiui imprimendo, sed solum per priuationem secernendo formam ab accidentib. indiuiduantibus, Vel tertio, aiunt requiri pro Obiecto, imprimendo virtutem, & actum quendam in eo vt videtur putasse Alexander, inquiens Mentem agentem esse Virtutem Dei, effusam per intelligibilia, cuius munere valent agere spiritaliter, & mouere mentem potestate. Secundo, inueniuntur alii, dicentes Mentem agentem requiri cum pro obiecto & Phantasmate, tum pro facultate hoc est Mente potestate: pro Phantasmate, eliciendo ex eo speciem intelligibilem, Pro Mente vero potestate, quatenus vnà cum Mente potestate, per speciē intelligibilem, constituit integrum intelligens, quod est Mens potestate, formata specie intelligibili. Hæc fuit opinio D. Thomæ, Zimaræ, Scoti, in Quolibetis q. 15. & in Collationibus, Collatione septima, in qua addit agentem conspirare ad actum intelligendi, potiori modo, quam Mens potestate conspiret ad eum, Alii tertio inquiunt, officium agentis esse, promere notiones intelligibiles, & perficere Mentem potestate. Hi enim potius Platonem quam Aristot. sequentes, in anima rationali sub Mente posita, considerant conditionem eius se manentem, & conditionem progressam: primo imperfectam, mox perfectam: cōditionem in se manentem aiunt esse Mentem Animariam agentem, præditam rationibus, in eius essentia insertis, respondentibus Ideis superioris Mentis, per quam perficitur, & formatur Mens potestate, hoc est, conditio eius progressa

Secunda opinio. Opinio tertia.

dum

dum excitata per Phantasmata conuertitur,& redit in se manētem. Huius opinionis fuit Simplicius, Prisci. Lydus, & Theophrastus ex relatione Prisciani in lib. de Intellectione. Harum trium opinionum nulla mihi approbanda videtur: & a Tertio ordiens, nemini dubium est, eam non esse Peripateticam, cum varia includat pugnantia cum sententia Aristotelis, nam primo statuit animam rationalem, quam eius fautores nūcupant mentem animariam, distinctam a propria Mente, cuius aiunt esse participem: quod proculdubio aduersatur sententiæ Aristotelis. Insuper, tribuuntur animæ rationes, scientiam dicunt quandam reminiscentiam, quæ omnia renuit Aristoteles. His accedit, quod recessus ille Animę rationalis a se ipsa, commentum quoddam esse videtur, nil enim a se recedit, & præsertim si fuerit essentia simplex, qualis ab Aristotele dicitur Mens hominis. Insuper ea potius formatio quædam inferioris a superiori, quam actio esse videtur. Similiter opinio secunda, D. Thomæ, & Scoti, mihi videtur dubia: Primo, quia ex horum sententia actus intelligendi a specie intelligibili secernitur, quod non recte fieri suo loco patebit. Secundo, quia obiectum, siue res iudicanda cōcurreret ad producendum iudicium suimet, & idem erit iudex, & iudicatum. Tertio, quia in Mente relata ad Obiectum, nulla inuenitur actio præstātior iudicio. Cum itaque Mens agens, sit præstantior Mente potestate, ex context. 19. & agens ex horum opinione non intelligat, non videtur posse ad actum intelligendi concurrere præstantiori modo Mente potestate, quæ iudicat & intelligit. Opinio primo relata, non minus dubia videtur, nempe quod solum requiratur agens, vt illustret obiectū, nam si id esset, non valuisset Aristoteles colligere differentiam agentis esse in Anima, Sol enim illustrat colores, non autē est in Anima. Prætetea, tunc Mens agens non se haberet vt Natura, Ars, & Habitus, hæc enim vere & proprie efficiunt opus suum. Prætetea, ratio Aristotelis non habet vim, ostendendo quod requiratur illustrans Phantasmata, sed absolute, quod necessarium sit principiū efficiens, & producens opus: nam si Philosophus putasset requiri pro illustrando Phantasmate, debuisset primo patefacere Phātasmata ex se mouere non posse, & ideo requiri aliud; At Aristoteles necessitatem agentis ex hoc nō sumpsit, sed ex eo, quia patienti, & materiæ respondere debet agens. Pręterea, si Mens agens solum sine cognitione illustraret, præter id quod imaginari non valeo, quænam sit huiusmodi illustratio, etiam deberet dari aliud agens principalius, quod produceret opus intelligendi, longe præstātius: At inquiunt, tale opus produci a Mente potestate, verum si id esset, tunc esset præstātior agente, vt oculus lumine, & non esset vt materia, solum potestate, & locus, sed vt Natura, Ars, & Habitus: Denominatio enim petitur a nobiliore, & vires per maximum mensuratur. Quare dicamus, officium proprium Mentis agentis esse producere actum intelligendi, adeo, vt pro obeundo intelligendi munere, id omne quod potentiam, receptionem, & passionem aliquam præ se fert, ad Mentem potestate pertineat, quod vero prę se fert actum, & actionē ad agentē. Hoc ex Aristotele conspicue elicitur: nam quod se habet vt Ars, Natura, & Habitus, non illustrat solum, sed efficit tanquam proprium agens, opus principale: Mens agens ex Aristotele ita se habet, quare vere efficit opus principale, quod est intelligere. Et si quis instet, quia Mens agens dicitur agere vt lumen, quo nō iudicat id quod illuminat, instātia inanis est: quoniam Aristoteles quatuor sumpsit pro illustranda Mente agente, Artem, Naturam, Habitum, & lumen, ideo vnumquodque ita est accipiendum, vt simul seruetur similitudo cum aliis, nam per ea indicauit Philosophus, quod quæ in oculo sunt seiuncta, Lumen scilicet,

Simplicius. Prisc. Lyd. Theophrastus. Reiicitur tertia opinio.

Reiicitur secunda.

Reiicitur prima.

Sententia propria.

Ratio prima. Instantia. Solutio.

& oculi acies, quæ est tanquam Habitus, in Mente sunt coniuncta, & in vnum redacta: nã distincta ratione Mens agens, est similis illis quatuor, similis arti, Naturæ, & habitui, quatenus efficit principale opus similis lumini, quia cũ sit acies mentis, & eliciat ex Obiecto Essentiam & Vniuersale, est tanquam spiritale lumen, reddens obiectum intelligibile actu, eliciendo vnũ quod forma est, derelictis conditionibus materiæ. Præterea, ita argumentor: Mens agens respondet Menti potestate, ideo q̃ est apta facere, quę illa est apta fieri: at Mens potestate, dicitur apta fieri notiones, quæ sunt ipsimet actus intelligendi, quare Mens agens est sui conditione apta producere actum intelligendi. Pręterea, si Mens solum requireretur ex parte Obiecti, tunc potius obtineret cõditionem intelligibilis, quam mentis, vt patet de lumine, quod non sensus, sed sensibile dicitur. Insuper, actio Mentis, vt Mens est, nil aliud esse dicitur, nisi intelligere. Cum itaq; Menti agenti, vt Menti, competat actio, ea nil præter intelligere iudicari debet, alioquin non esset actio eius, vt Mens est. Præterea, cum Aristoteles de Mente agente dixisset quod est sui essentia actio, prosequens explicationem eiusdem, addit, non aliquando intelligit, aliquando non, indicans officium eius esse intelligere, quo si non in indiuiduo, saltem in specie semper fungitur: est itaque actio mentis agentis indicium obiecti, & productio propriæ & principalis actionis Mentis, ac vt indicetur actionem eius esse spiritalem, ideo additur quod similis sit Lumini, quo exemplo etiam indicatur, quod non absolute efficit obiecta, sed transfert ex esse absoluto, ad esse cognitum & ex esse singulari, ad vniuersale, adeo vt exemplum sit simile in parte: nam per reliqua patefecerat quod vere efficit principalem actionem Mentis, per Lumen solum patefacit modum, vt dixi. Hinc etiam in primo Nicomachiorum, cap. 6. Aristoteles dixit, Mentem esse oculum animi, considerando præsertim aciem Mentis agentis.

Secunda. *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

Cap. VIII.

Ex dictis de Mente agente quinque colliguntur & quinque dubia diluuntur.

Conclusio. APPARVIT Proprium officium, & actionẽ Mentis agentis hanc esse, vt ex se, suaque conditione, non vnà cum specie intelligibili, producat actum intelligendi, quia proprie sumpta specie intelligibili non distinguitur. Ex cuius notitia tanquam vberes fructus varia colligere valemus. *Colligitur primo.* Nam colligo primo, Mentem agentem requiri cum ex parte Obiecti, iudicando illud, tum ex parte Mentis potestate, producendo actum intelligendi, per quem Mens potestate dicitur fieri Obiectum cognitum. *Secundo.* Colligo secundo, in attinentibus ad Mentem non esse ponendam duplicem abstractionem, vnam agentis sine iudicio, alteram Mentis potestate cu iudicio, vnica enim est abstractio, eaq; est cum iudicio, quæ nil aliud est, nisi apprehensio vnius derelicto alio, apprehensio & iudicium essentiæ, derelictis accidentibus, de qua abstractione Aristoteles, vndecimo Metaphysicæ, c. 3. dixit, Mathematicum derelictis aliis solũ considerare quantum, & hac ratione Mens dicitur facere vniuersale, quatenus essentiã speciei vel generis apprehendit, non apprehensis contrahentibus. *Tertio.* Colligo tertio, non esse concedendam duplicem actionem Mentis, vnam agentis sine iudicio, alteram Mentis potestate cum iudicio, non enim eaq; quæ sunt, sine vlla necessitate multiplicari debẽt, vnica est actio, & ea est iudiciũ agentis. *Quarto.* Colligo quarto, quid sit reddere intelligibile potestate, intelligibile actu, quod tribuitur agenti, nam id

nam id facere, nil aliud est, nisi actu & seorsum ab aliis essentiam speciei, vel generis apprehendere, quę apta erat ita apprehendi, vt etiam sensibile potentia dicitur reddi sensibile actu, dum actu sentitur; Colligo quinto, approbandam esse sententiam Auempacis, qui (referente Auerroe commeut. 19.3. de anima) dixit, Mentem agentem esse eam, quæ iudicat iudicio vniuersali; Quod etiam putasse visus est Themistius in tertio de anima, nam in cap. 32. inquit, qui fieri potest vt potestatis Mens omnia intelligat, si Mens agens, quæ principatum obtinet, atque illam in actum perducit, non intelligit omnia; At vatiæ ex dictis oriuntur difficultates; Prima est, quia si producere actum intelligendi est officium agentis, Mens potestate erit redundans, & præsertim quia iudicium est actio immanens, & perfectio iudicantis. Præterea, tunc non Mens potestate, sed agens erit locus specierum, cum tamen Arist. in 3. de anima, cont. 6. id tribuat Menti potestate. Deducitur consequntio: quia ex nono Metaphysicæ 17. intelligere, est actio immanens, & Mens eatenus dicitur res fieri, quatenus eas iudicat. Præterea, conspicue Aristoteles officium intelligendi non agenti, sed Menti potestate tribuit, vt patet ex contex. primo, & quarto, tertii de anima. Præterea, ei Menti competit officium intelligendi, cui competit intelligere se, at Aristoteles in contex. octauo id tribuit Menti potestate, dum fuerit facta singula. Demum, si officium Mentis agentis esset efficere actum intelligendi & iudicare, Intelligentiæ Cęli maxime dici mererentur Mentes agentes, cum eminentissime intelligant. Hæc ea præsertim sunt, quæ sentētiam approbatam videntur reddere dubiam. Pro quarum solutione accipiendum est id quod in progressu patebit, Mentem potestate, & agentem, pro fundamento, & absoluto, esse essentiam vnam, & solum distingui ratione, adeo, vt id omne quod actionem indicat, pertineat ad conditionē agentis, quod vero præ se fert potentiam, & similitudinem passionis, & receptionis, pertineat ad rationem Mentis potestate: Vtraq; mens dicitur esse principium intelligendi, sed modo eis consentaneo, agens tanquam iudicans, actumq; intelligendi producens, mens potestate vt excitatur ab Obiecto, & per actum intelligendi fit id, quod intelligitur. Cum enim intelligere sit actio immanens, dum consideratur tanquā actio, pertinet ad agentem, vt immanens, ad potestatem. Et quoniam fungens officio recipientis, est id quod denominatur, ideo iure mens potestate ea est, quæ denominatur intelligere. Ex quo patet, quomodo intelligere sit pati, & agere: est pati, vt mens excitatur a Phantasmate, & fit intelligibile, est agere, vt pertinet ad agentem, iudicantem. Passio est duplex, vna antecedens actioni, & est excitari a Phantasmate, altera sequens dum fit ea quæ iudicat: Actio mediat. Ex his conspicuæ sunt solutiones instantiarum; Prima erat, quia mens potestate, esset redundans, apparuit eam recte sumptam non esse redundantem. Addebatur, quod tunc agens esset locus specierum, non mens potestate. Patet Solutio. Nam eatenus dicitur locus, quatenus fit singula. Dicebatur tertio, Aristotelem officium intelligendi tribuere menti potestate, apparuit quomodo recte id fecerit, eiq; competat. Instabatur quarto; quia mēs potestate, ea est, quæ se intelligit, quod actionē denotat, dico; mens actu recte iudicat alia, actu reflexo se, in vtroq; iudicio locum haber actio & passio, denominatio tamen (vt dixi) patienti & recipienti cōuenit. Addebatur quinto, quod tunc Intelligentiæ præsertim dicerentur mētes agentes. Respondeo, eas intelligere per essentiam, & ob id esse puros actus; nam intelligere non est accidēs in eis manens, sed earū essentia, sine differentia agentis & recipientis, ideo solum per metaphoram mens agens vel potestate cōpetunt illis, non autē

Quinto.

Dubitatio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Quomodo intelligere sit pati & agere.

Diluuntur diffic.

Alia dubitatio. *Solutio* *Alia dubitatio.* propriè, vt in præcedentibus patefeci. At adhuc instatur, quia per Aristotelem intelligere est vt sentire, sentire est pati, ergo & intelligere. Respondeo, vtrunque esse passionem spiritalem, per relationē ad Obiectum, a quo facultas excitatur & mouetur, vtrumq; etiam sine actione dum referuntur ad actum sentiendi, & intelligēdi. Sed ex dictis pulchra emergit dubitatio, & est cum Menti actio & passio competat, per quid rectius describatur, num per actionem, vel potius per eam, quę late passio dicitur? Mouit hanc difficultatem Alexander in secundo de anima, cap. 19. variisque rationibus ostendit, rectius Definiri per actionem, & præsertim, quia passio est ei communis cum sensu, actio vero eius propria. Auerroes in tertio de anima 18. de eadem loquitur, & retulit opinionem Alexandri, quam non penitus damnat, solum ait rationē eius non cogere, quia passio de ea sensuum, & de ea Mentis ęquiuoce dicitur, adeo, vt quatenus differt ab ea sensuum, sit modo aliquo propria Mentis. At considerandum, quod Alexander & Auerroes Menti tribuunt duplicem actionem, vnam agenti, alteram possibili: Alexander quamuis innuat vtranque, tamen præsertim inspicit eam possibilis, Auerroes contra, illam agentis, adeo, vt disputatio Auerrois cum Alexandro in æquiuoco sit posita, & diminutus est Auerroes, quia Alexander nō vna, sed pluribus vtitur rationibus, cum Auerroes vnicam referat & consideret. Ego autem ab vtrisque recedens, per declarata in pręcedentibus, dico, vtriusque vnicam esse actionem, quæ etiam competit sensibus, & est iudicare Obiectum. Et pro solutione difficultatis dico, Mentem potestate, per solam passionem, agentem, per solam actionem, congregatum, per vtranque debere describi, & denominari, præsertim tamen per actionem, cum ea sit præstantior, magisque propria facultatis iudicantis, & præsertim intelligentis. Hinc Arist. absolute in 9. Metaphysicæ, 17. actionem appellat.

Alexander. *Auerroes.* *Sententia propria.*

Cap. IX.

Quid sit Mens Agens opiniones variæ.

Diuisio. IAm cumulate apparuisse puto necessitatem Mentis agentis, eiusque officium: tenemur modo intimius perpendere quid sit, quod vt distinctius efficiamus, altius, a Diuisione ordiendum est. Mens agens vel est pars animæ hominis, vt Mens potestate, vel ne: si non est pars, vel est Mens suprema, nempe Deus, vt censuit Alexander, vel infima, vt Auicenna, vel saltem angelus, & Dæmon quidam, Homini assistens, vt ex relatione Philoponi existimauit Marinus. Si autem est pars, vel est essentia distincta ab ea Mentis potestate, vel tantum est distincta ratione, si est distincta essentia, vel est Mens participata, supra animam rationalem posita, quam indicauit Plato, inquiēs Hominem esse animam rationalem, Mentis participem, vel est Mens altera, animæ Hominis propria contradistincta a possibili, apta tanquam forma perficere possibilem, vt existimauit Auerroes, quem puto obscure & diminute sententiam suam ex Academicis sumpsisse, ponentibus Mentem participatam, in cuius adeptione, cum ex opinione Academicorum, tum Auerrois summum Hominis bonum est collocatum. Si vero Mens agens non est essentia distincta ab ea potestatis, vel est ipsamet anima rationalis in se manens, contradistincta a progressa, quæ dicitur potestate, & est opinio Simplicii, Plutarchi, & Prisciani Lydi. Vel est pars animæ ex se rationalis, fundamento non distincta a Mente potestatis, quod cōtingere potest tribus modis: vel enim Mens potestate est hæc pars habitu dignitatum priuata,

Mens

Mens vero agens eadem pars, eorum habitu formata, vt existimarunt nonnulli. Vel essentia est vna, potentiæ sunt duæ, quæ sint Qualitates eius. Vel demum, est essentia vna, distincta ratione, vt existimauit Scotus, qui potentiam a fundamento non putauit secerni. Hæc sunt capita opinionum. Dubitatio est de opinione Themistii, ipse enim in explicanda hac de re sua sententia, mirum in modum est obscurus. Puto ego, hanc fuisse opinionem eius. Quemadmodum in Lumine tria considerantur, primo Sol, secundo, radius, & Lumen, tertio, splendor, ita in attinentibus ad animam rationalem, considerantur tres gradus, primo, anima vna communis in se manens, vt ait in 1. de anima cap. 24. quæ dicitur anima Vniuersa. in 3. de anima, cap. 23. & eadem dicitur Mens, Soli similis, in 3. de anim. c. 32. Ab hac anima vna, siue Mente, (nam vtrisque nominibus sine distinctione ab eo denotatur, & vt puto est anima Mundi) manat tanquam radius & lumen, Mens participata singulorũ Hominũ, & dicitur Mens agẽs, quæ ex parte Mentis communis est vna essentia, ex parte participantium distinguitur, vt radii Solis in distincto perspicuo, Sequitur tertio tanquam splendor Mens potestate, longius a Sole distans, qui splendor in Phantasia recipitur: huiusmodi splẽdor quamuis ex parte primi principii, tanquam Solis sit vnus, tamen quia longe ab eo distat, & maxime cum Phantasia nectitur, ideo extrinsecus maxime est multiplicatus, vt Sol est præstantior lumine, lumẽ splendore, ita Mens in se manens, est præstantior participata, & hæc possibili. Insuper vt radius, siue lumen est quædam perfectio, & vigor splendoris, per quem splendor fungitur munere suo, ita Mens agens est tanquam forma & perfectio Mentis potestate. Insuper, vt Splendoris, luminis, & Lucis est modo quodam natura vna, per gradus effusa, & ex parte originis essentia vna, ita horum trium graduum Mẽtis, ex parte fundamenti & originis, est natura, & essentia vna solum, varia, quatenus per varios gradus vel splendidius, vel obscurius effunditur: id tamen quod in se manet, absolute est id quod est, & vere æternum, & immortale. Præterea, quamuis absoluto originis ordine primo sit Sol Luce præditus, secundo, radius & lumen, tertio, Splendor, tamen ordine participationis in mortalibus contra se habet, splendor antecedit Lumini, & primo in homine est facultas intelligendi per Mentem potestate, mox actu intelligit per agentem, & tunc redditur particeps Luminis: ita Mens agens perficit Mentem potestate, est vt acies eius, fit vnum cum ea, est prædita formis siue Ideis, componit, diuidit, & ex vno aliud elicit: Phantasia est forma Hominis corporei: mens potestate, est forma Hominis rationalis, mens agens, est perfectio mentis potestate, forma suprema, & forma formarum, includens formas omnes, cæterisque in Homine existentibus supereminens. Hinc eminens, & verus Homo est mens agens, quæ cum modo dicto fit vna, omnes per eam vnus sumus. Hanc puto fuisse opinionem Themistii in parte similem opinioni quorumdam Academicorum. Hinc vtitur authoritate Platonis. Differt tamen, quia animam rationalem a mente non ponit distinctã essentia. Et cum variæ de mente agente apparuerint opiniones, omnes tamen in tria capita rediguntur: Vel enim mens agens, est aliquid externum, vel aliquid Homini internum, a mente potestate, essentia distinctum: vel solum distinctum ratione, ideo hæc tria capita perpendam.

Opinio Themistii.

Cap. X.

Opinio Alexandri quod Mens sit Deus, refertur, & reiicitur:

Opinio Alexandri.

PVTAVIT Alexander Mentem agentem esse Deum, qui cum sua facultate effundatur per omnia, & vnà cum omnibus operetur, magis tamen proprie operatur vnà cum obiecto Mentis, pro offerenda, & secernenda essentia rerũ, adeo vt Dei virtus effusa per intelligibilia, & vnà cum eis operans, dicatur Mens agens. Et quoniam Aristoteles inquit differentias agentis & possibilis in anima reperiri, & agentem nuncupat Mentem, ideo asseclæ Alexandri vt hæc feruent, varia excogitarunt: inquiunt has differentias esse in anima, hoc est in conspirantibus ad actionem animæ, vel in anima late sumpta, includente etiam Deum, vel demum, esse in anima, quia actio agentis desinit in Obiectum, quod in anima tanquam in subiecto recipitur, & constituit intellectum actu. Mentem agẽtem esse quid distinctum a mente potestate, ostẽdunt, quia est vt natura agens, distincta a natura patiente, est vt ars distincta a materia in quam operatur. est vt Lumen distinctum a vidente, & tanquam habitus distinctus ab eo in quod operatur. Hinc Aristoteles, contex. 19. dixit, vnum esse agens, aliud materiem, quæ essentia distinguuntur. Quod autem Mens agens sit Deus, ita ab Alexandro in primo de anima ostenditur: quia in omni genere necesse est deuenire ad vnum primum; quod cum ex se sit tale, causa est, vt cætera eius generis sint talia: veluti maxime visibile, est causa vt cætera videantur, & maxime bonum, vt cætera bona sint. At in ordine intelligibilium Deus est primus, & primo ac maxime sui natura est intelligibilis, quare cætera ab eo habent vt intelligibilia sint, hoc autem est officium proprium Mentis agentis. Præterea, Vis cognoscens quo est præstantior, eo eget externo aliquo præstantiore: Oculus corporeus eget Sole corporeo, quare Mens oculus incorporeus, & eminentior, eget Sole eminentiore, & incorporeo, qui Deus est. Hinc Mens agens, non secus ac Deus, dicitur ab Aristotele sui essentia actio, facere omnia, non aliquando intelligere, aliquando non. Hanc opinionem vt cum vero, ita cum Aristotele maxime pugnare existimo, nam duo includit apprime falsa, vnum quod Mens agens non sit pars animæ nostræ; Alterum, quod sit Deus; Et vtrunque ostendo, & primo vtor ratione Philoponi recte considerantis institutum Aristotelis in libro de anima esse verba facere de anima, & eius partibus, nõ de Deo: quare si Mens agens esset Deus, non debuisset de eo verba facere. Vtor secundo ratione Auerr. com. 18. quia id opus quod in nostra facultate est positum, debet ex nostra forma, vel eius parte prodire, actio agentis in nostra facultate est posita, quare non proxime ex Deo, cuius actio in nostra facultate non est posita, sed ex parte animæ nostræ prodire debet. At inquit Alexander in secundo de anima, cap. 19. Mentem agentem esse adiutricem eorum quæ in nostra sunt facultate: quasi dicat, officium intelligendi esse nostrum, at non perfici fine ope agentis, semper conspirantis. At contra Aristoteles Mentem agentem non auxiliantem, sed proprium & principale efficiens esse dixit: nam affirmauit facere omnia vt Naturam, & artem. Præterea, ea facultas Diuina effusa per obiecta Mentis, vel est eadem. cum essentia corũ, vel distincta: si eadem, officium illud erit tribuendum Obiecto, non Deo, cum omnis essentia sit participatio Diuini boni: si differt, vel est Substantia, vel accidens: non accidẽs, quia non est præstantius Substantia, nõ Substantia quia obiectum est essentia simplex. Vtor insuper ratione Themistii, cap. 27. cum enim Aristoteles in cont. 20. dixisset, hoc solum immortale, & æternum, statim addit:

Mentem agentem esse Deũ.

Auersio.

Philoponus

Auerr.

Suasio.

Auersio.

Themistius.

non reminiſcimur autem, indicans nos maxime eſſe mentem illam æternam, quæ quamuis ſeruetur, tamen nō reminiſcimur: quare ſi Mens agens eſſet Deus, nos per eum ſupreme conſtituti & intelligentes, Dii eſſemus. Præterea, vtor verbis Ariſtotelis, qui de ea Mente æterna, quam Alexander ait Deum, in contextu vigeſimo ait, ſine Mente paſſiua nihil intelligere; Quæro vel Ariſt. loquitur de actu intelligendi Dei, vel Hominis de primo, falſo dicitur Deum non intelligere ſine noſtra mente paſſiua; de ſecundo, non recte dicitur Deum eſſe illum, qui in nobis intelligit, cum dictum ſit in primo de anima, 65. non mentem, ſed hominem intelligere. Præterea Mens agens ab Ariſtotele dicitur differentia animæ, at Deus, vel facultas ab eo effuſa, non eſt differentia animæ: nam differentia animæ anima eſt. Euaſiones ſupra relatæ inanes ſunt: dicebatur, dici differentiam illam eſſe in anima, quia conſpirat ad officium intelligendi Animæ: At contra, tunc ſimiliter Lumen poſſet dici eſſe in anima, cum conſpiret ad officium videndi. Præterea differentiæ oppoſitæ ſe habentes, vt actus & potentia, debent eſſe eiuſdem generis, quare vt vna differentia nempe Mens poteſtate, vere eſt in anima, & eſt pars animæ, ita & alteram dicere & proferre nomen animæ late, eſſet dicere Ariſtotelem nos non docere, ſed per æquiuocationes decipere, conſpicue Ariſtoteles denotat animam hominis, cum proponat agendum de parte animæ, qua intelligimus. Similiter non recte dicitur agentem eſſe in anima, quatenus eius actio deſinit non in obiectum, ſed in Subiectum intelligens, nam Ariſtoteles non actionem, ſed differentias Mentis ait in anima reperiri, & quam actio ſolis terminum recipiat in actu videndi oculi, non ob id dicitur differentia in oculo exiſtens. Præterea, Deus ſolum eſt cauſa communis, non proxima & propria actionis mortalium, non agens ex ſententia Ariſtotelis ſine aliqua cauſa proxima & propria, & ſolum operans vt cauſa communis Lumine & motu; ex quo conſtat ſententiam Alexandri longe abeſſe a vero, & in eam ſententiā venit ſolum pro refugio, vt vitaret conſpicuas ſententias & verba Ariſtotelis, quibus humanam Mentem indicat immortalem. Hinc & a Themiſtio & reliquis veteribus expoſitoribus Ariſtotelis eius opinio fuit neglecta, & reiecta, vt de Themiſtio patet in tertio de Anima 31. Et conſimilibus rationibus patet eorum opinionem eſſe reiiciendam, qui Mentem agentem ſtatuunt ab anima rationis compote Hominis ſecretam. Rationes aduerſæ facile diluuntur; Dicebatur primo, Mentem agentem eſſe diſtinctam, cum ſit tanquam Ars, Natura & Lumen. Reſpondeo, eſſe diſtinctam a Mente poteſtate, ſaltem ratione, at non ab anima noſtra, cum fungatur Munere animæ noſtræ, & Mentis & ad libitum noſtrum. Addebatur ratio Alexandri: quia in omni genere eſt neceſſe, vt ad vnum primum deueniatur, &c. Reſpondeo, non ſemper id primum eſſe cauſam cæterorum, vt in perſpicuis ſupremum corpus perſpicuum, non eſt cauſa vt cætera ſunt perſpicua. Inſuper, id primum ſi fuerit cauſa, non ſemper eſt cauſa proxima, & propria, ſed communis. Demum id primum non eſt cauſa proxima operis, ſed facultatis, ex qua proxime prodit opus. Addebatur opus præſtantius egere aliquo præſtantiore: reſpondeo, egere principio proprio præſtantiore, huiuſmodi eſt Mens Hominis, præſtantior ſenſu, & frequenter facultas quo eſt præſtantior, eo extrinſecus paucioribus eget. Et mens Agens conſiderata non in vno indiuiduo, ſed in vniuerſa hominis ſpecie, continenter intelligit. Inſuper, relata ad Mentem poteſtate, vt huius natura & conditio eſt pati, ita eius eſt agere, ideo dicitur ſui eſſentia, hoc eſt natura & conditione agens: Et dicitur facere omnia, non

Ariſt.

Euerſtū. tur ſolutiones aliorum.

Communis.

Diluuntur rationes aduerſæ.

quidem absolute, sed cum contractione ad Mentem, hoc est omnia intelligibilia potestate, intelligibilia actu. Cum itaque actio Mentis agentis non diuina, sed humana sit, & in nostra facultate posita, Mens agens, nō Deus, nō Angelus, non separata aliqua Intelligentia, sed facultas animę rationalis iudicari debet.

Conclusio.

Cap. XI.

Refertur & reiicitur aliud opinionum caput, quod Mens agens, sit aliquid nobis internum, essentia tamen distinctum a mente potestate.

Academici. SECVNDVM caput opinionum de Mente agente, ex Academicorum principiis prodiit, vario tamen modo assumptis, explicatis, & approbatis. Cum enim ex Academicorum sententia sub Deo sit mens non participata, mox Mens in anima participata, quæ Mens Ideis est prædita, tertio succedat anima rationalis in se manens, quarto anima rationalis progressa, nonnulli Mentem participatam, alii animam rationalem in se manentem, dixere Mentem agētem, vt retuli in præcedentibus, & Auerroes Mentem quandam participatam visus est eam existimasse? Simplicius animam rationalem in se manentem, Themistius, non secernens Mentem ab anima rationali, modo quodam mediare videtur. Hi omnes consentiunt, primo, quia mentem agentem aiunt præditam Ideis, siue rationibus. Secundo, quia considerant duplex intelligendi genus, vnū per essentiam agentis, alterum per Phantasmata. Tertio, quia in connexione cum agente constituunt summum Hominis bonum. Quarto, quia in fonte & origine Mentis, vnitionem reperiri aiunt, quamuis extrinsecus adsit multitudo & varietas: in attinentib. autem ad distinctionem Mentis agentis, ab ea potestatis, quidam Magis, alii minus eas distinguunt, vt ex dictis cōspicuum est. At procul dubio plurima horum conspicue pugnant cum principiis Aristotelis, & præsertim quod dicunt de Ideis siue insertis rationibus, de anima in se manente, & progressa, & similibus: Mens enim cum sit essentia simplex, vbi est, tota est. Sed cæteris prætermissis, hoc solum ostendam, Mentem agentem, esse partē animæ nostræ, non distinctam essentia a Mente potestate: Id colligitur ex Aristotele qui in cont. 20. tertii de anima, quamuis ostendisset Mentē cum agentem, tum potestate, esse æternam, tamen colligit non duas in nobis reperiri immortales partes, sed vnicā essentiam, inquiens separata est id, quod est, & id solum est immortale, & æternum. Insuper, cum humana mens sit ex genere Mentiū ex corpore non pendentium, nisi vniuoce, saltem ab vno, in eo genere quod competit vni, competit & aliis, vt Aristoteles in secundo de Cęlo ex eo quia luna est sphęrica, Stellas omnes esse sphęricas intulit: at in cæteris Mentibus, ea connexio ex duabus essentiis non habet locum, quare nec in hominis Mente concedi debet. Præterea, duæ formæ æternæ, non nectuntur per accidentia noua, quare non est cum Auerr. putandum, mentem agentem, necti cum Mente potestate per Phansmata, & scientias. Præterea, nono Metaphysicæ 17. intelligere dicitur actio immanens, quare principium agendi, ab eo recipiendi, non est essentia distinctum. Præterea, vt de sensu eadem facultas, iudicat, & fit sensibile per iudicium, ita de Mente putandum est quod sit eadem, officium autem iudicandi est agentis. Insuper, pro vnica producenda actione, non requiruntur duæ, sed vnica forma, actio intelligendi est vna, quare Mens eam producens, essentia vna iudicari

De quo consentiant.

Euersio.

Arist. Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

iudicari debet. Hinc Aristoteles frequenter in homine non plures, sed vnicam Mentis essentiam reperiri indicauit, veluti in primo de partibus animalium, non Mentes, sed mentem dixit ad Physicum nō attinere: in secundo de Gen. Anim. cap. tertio Mentem solam, non mentes dixit extrinsecus accedere: Et in tertio de Anima, context. primo considerandam proposuit particulam Animæ, non particulas, & ei particulæ duas differentias conuenire patefecit, agentis & Mentis potestate. Quare ex omnibus colligamus, vnam esse humanæ mentis essentiam, non duas, & præsertim, quia ea multitudo omnino esset redundans, & superuacanea. *Conclusio.*

Cap. XII.

De Mente Agente opinio propria.

CVm apparuerit Mentem agentem esse partem animæ nostræ, non distinctā essentia a Mente potestate, hoc explicandum superest, quomodo in vna simplici essentia, duæ oppositæ differētię seruari possint. Dixere nonnulli, mentem hominis dupliciter considerari, primo, vt nudatam formis. secundo, vt formatam forma dignitatum. Prima cōsideratione dixere esse Mentem potestate, secunda agentem. Quæ sententia non est vera, tum quia apprehensio prima dignitatū eget officio agentis, & ita agens egeret agente, & esset prior se: tum insuper, quia dignitates non intelligunt, non sunt differentiæ animæ, non sunt æternæ, quæ omnia Aristoteles tribuit agenti. Alii dixerunt, eas differentias esse potentias, & qualitates duas, inter se, & a fundamento distinctas. At hoc puto abesse a veriore sententia, quæ est, quod potentia pro absoluto nō distinguatur a fundamento. Propterea dicamus, essentiam vtriusq; Mentis esse vnam, solum distinctam ratione, cuius actio, & passio non ita pugnant, vt non valeant eidem competere, cum sit passio solum per Metaphoram, & in collocatis supra materiā, quæ in materiatis pugnant, & sunt distincta, in vnum facile veniant, simulq; cōspirent: dum enim hæc mentis essentia primo consideratur vt nudata, vt apta indui, & vt a Phantasmate excitatur, dicitur Mens potestate; Eadē, vt abstrahit, indicat, componit, ratiocinatur, dicitur agens. Demū vt iudicādo fit intelligibile, & locus specierum, adhuc dicitur potestate, adeo, vt officium agentis mediet. Et hæ differentiæ cōpetunt Menti, vt nobis iunctæ, & intelligenti per Phantasmata. At pulchra occurrit dubitatio: Quia si vtriusq; Mentis eadem est essentia, igitur Arist. in cont. 19. ostendens tria illa prædicata, immixtum, impassibile, & separabile, vera esse de agente, ex eo, quia vera sunt de posibili, ostendisset idem per idem. Respondeo, Arist. considerasse varietatem coditionis, & proprie rationes vtriusque, & ideo ex eo, quia vera sunt illa prędicata de conditione, & tatione ignobiliore, intulit esse vera longe magis de nobiliore. Colligamus itaq;, Mentem Hominis esse particulam humanæ Animæ, & esse essentiam vnam, cui distincta ratione, duæ differentiæ competunt, agendi, & patiendi, inuicem non pugnantes. Pro cuius exactiore notitia animaduertendum nominis Mentis apud Peripateticos vndecim esse significationes. Nam primo dicitur de communi Phantasiæ, & humanæ Mentis, vt in 2. de anima cont. 155. Secundo de Phantasia vt in 3. de anima, 20. & 48. Tertio, de tota parte animę hominis ex se rationis compote, quę sæpe dicitur separabilis, vt in 2. de Gen. Anim. c. 3. Quarto de Mente potestate. Quinto, de agente. Sexto, de Mente in habitu. Septimo, de habitu principiorum, de quo est sermo in 6. Ethicorum. Octauo de Mēte, quæ

Opinio quorundam. *Euersio.* *Secunda. Euersio.* *Sententia propria.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Conclusio.* *Vndecim significationes Mentis.*

actu est, hoc est actu speculatur. Nono de Mente inspectrice. Decimo, de Practica, & effectrice. Vndecimo, de adepta excogitata ab Auer. re vera tamen essentia absoluta humanæ Mentis, distincta a Phantasia, & habitu principiorum, vna & simplex est, solum officia, & relationes sunt variæ.

CAP. XIII.

De mente Habitu prædita.

De mente in habitu. DIFFERENTIAE Mentis agentis, & Mentis potestate, Dei prouidentia nobis tributę sunt, vt per eas habitibus nobis congruentibus ornaremur: ideo eis explicatis, de mente in habitu, sequitur agendum. De qua opiniones sunt variæ, quæ præsertim in tria prima capita redi guntur: sub quorum primo est opinio Alexandri, qui in primo de anima, capitulo vigesimoseptimo inquit, Mentem in habitu, esse dispositas, coaceruatas, & quiescentes considerationes, quarum fundamentum est Phantasia, adeo, vt Mens in habitu, & ex parte suæ formæ, & ex parte fundamenti sit mortalis, de qua tamen dici potest, quod extrinsecus accedat, quatenus extrinsecus adueniunt species, & notiones, per quas Mens potestate redditur actu. Hæc opinio, longe abest a vero, tum quia Mens in habitu ex parte fundamenti non est Phantasia, cum iam perfecerim Mentem potestate, non esse illam solam idoneitatem, in Phantasia consideratam, sed essentiam eandem cum agente, & a Phantasia distinctam. Hinc in contextu sexto, tertii de anima, non Phantasia, sed Mens potestate dicitur Locus specierum, tum insuper, quia obiectum motum, nō recte dicitur Mens, vt nec sensibile cognitum, dicitur sensus. Quod Aristoteles in secundo de Generatione animalium, capitulo tertio inquiens, Mentem extrinsecus accedere, non loquatur de notionibus, sed de essentia humanæ Mentis, suo loco patebit. Primo huic capiti opinionum, opponitur caput alterum, ad quod pertinet opinio Themistii, Theophrasti, Simplicii, Prisciani Lydi, Plutarchi, & similium, qui inquiunt, pro constitutione Mentis in habitu tria cōspirare, Mentem potestate, Mentē agentem, & Phantasmata, adeo vt Mens potestate perficiatur ab agente, prædita insitis formis, præcurrente excitatione per Phantasmata facta. Et quoniam principalia, & intrinsecus constituentia Mentem in habitu, sunt agens, & Mens potestate, quæ ambo sunt æterna, ideo Mens in habitu ex parte principalium eam constituentium æterna est, tantum ei competit varietas, ex parte Phantasmatum. Et quamuis Simplicius exponens octauo contextu tertio de anima, dicat habitum non esse substantiam, id tamen protulit considerando non constituentia habitum, sed conditionem habitus, vt habitus in nobis disciplina & assuetudine genitus est. Horum opinio per ea reiicitur, per quæ patefeci in præcedentibus eos nec de Mente agente, necnon de modo intelligendi per insitas rationes tanquam per reminiscentiam, recte sentire. Propterea est opinio tertia, quę media est, cuius opinionis fuit Auerroes: nam cum ex sententia Alexandri mens in habitu omni ex parte sit mortalis, ex sententia Themistii & aliorum ex omni principali parte sit æterna, per hanc tertiam opinionem statuitur æterna ex parte fundamenti, nempe Mentis potestate, mortalis vero ex parte formæ constituentis, nempe habituum & notionum. Hinc iure Auerroes in quinto, & vigesimo, commen. tertii de Anima inquit, de Mente in habitu se mediare inter opinionem Alexandri, & eam Theophrasti, & Themistii, quod nonnulli minus

Opinio Alexandri. *Euersio.* *Opinio Themistii.* *Euersio.* *Opinio tertia.* *Auerroes.*

minus recte intelligẽtes, inquiunt errare Auerroem, quia incidit in opinionem Themistii, quam primo damnauit: nam procul dubio hi decipiuntur, quoniam ex sententia Auerrois Mens in habitu non constituitur per agentem, & eius Ideas, siue rationes, tanquam per formam, sed per notiones ex Phantasmatibus elicitas: per agentem autem & insitas rationes constitui censet Mentem adeptam, ad quam ait Mentem habitu scientiarum praeditam esse dispositam, adeo vt id, quod Themistius tribuit Menti in habitu, Auerroes modo aliquo tribuat Menti adeptae. Haec tertia opinio de mente habitu praedita, rationi, & verbis Aristotelis est consentanea: nam facultas habitu praedita, nil est aliud, nisi essentia facultatis vt fundamentum, cui tanquam forma competat habitus in ea productus. habitus autem disciplinarum ex Phantasmatibus pendent, & vt denuo acquiruntur, ita variantur & pereunt. Hinc Aristoteles in tertio de anima, contextu vigesimo, mentem in habitu ex parte habituum mortalem affirmat, cum dicat, non reminisci: ex parte vero fundamenti statuit immortalem. Et quia habitus est, qui ei tanquam forma dat esse, ideo absolute dicendum est, Mentem habitu praeditam gigni, & interire. Puto itaque, Mentem in habitu, constare ex Mente potestate, & agente, tanquam principali, & aeterna parte, ex habitu vero, tanquam ex superueniente forma, esse aeternam, ex parte fundamenti, variabilem, ex parte habitus acquisiti, ad quem habitum constituendum concurrit vtraque Mentis differentia, vt patefeci, quae non est distincta secundum essentiam (vt putauit Auerroes) sed est eadem. Haec Mens praedita habitu, ea est, cui Scientia, Sapientia, Prudentia, Intelligentia, & Ars, competunt, qui dicuntur habitus rationis: & quoniam in tria prima capita, ob tres fines rediguntur, ideo Mens habitu diuiditur in contemplantem, agentem, & efficientem, quae mens habitu aliquando est habitu solum, vt in non vtente habitu, aliquando vero est habitu & actu, vt in contemplante, & operante, qui habitus tanquam in Subiecto sunt in Phantasia, & retinantur per memoriam: dicuntur tamen habitus Mentis, quia ad Mentem pertinet illis vti, ea enim ad libitum valet per eos in actum prodire; Qua de re cumulate disserui in Philosophia de Moribus.

Approbatio.

Cap. XIIII.

De Mente adepta.

Dvm aliqua facultas apta est assequi aliquam perfectionem, in eius consequutione vti consueuimus nomine adeptionis, indicando eam esse adeptã id, cuius gratia parata erat: propterea cum mens Hominis pro assequenda perfectione parata sit, iure de ea loquentes, frequenter & Academici, & Peripatetici vtuntur nomine adeptionis, & frequentes de Mente adepta mentionem faciunt, ideo quid ea sit, explicare tenemur. Pro notitia accipio, adeptum posse dici de tribus, & de facultate adipiscente, & de scopo qui attingitur, & de cõgregato, ita Mens adepta his tribus modis accipi potest: & propterea pro eius explicatione tria declarare tenemur: facultatem adipiscentem, scopum, & congregatum; Haec autem tria quae sint, a variis, vario modo explicatur. Ex sententia Auer. facultas assequens est Mens potestate, id quod per eam acquiritur est Mens agens, secundum essentiã distincta, & se habens ad possibilem perinde ac forma, & perfectio eius pro qua connexione parant scientiae inspectrices, adeo, vt

Adeptũ triplex.

Auer.

Mens prædita habitu, ſit tanquam via pro adeptione, ex quibus duabus mentibus,conſurgit tertia,quæ abſolute dicitur Mens adepta,in qua adeptione ex ſententia Auerrois eſt collocatum ſummũ bonum Hominis, & tunc Mens nudata omni poteſtate,reddita omnino actu,continenter intelligit, non per Phantaſmata,ſed per eſſentiã agentis,& tunc formatus eſt verus Homo, cuius nomẽ de aliis æquiuoce dicitur. Hæc opinio quam longe abſit a vero, cumulate in Philoſophia de Moribus pateſeci, in gradu de ſummo bono:nam re vera eſt purũ cõmentum,nõ enim mens agens eſſentia diſtinguitur a Mente poteſtate, nec vna intelligit per eſſentiam alterius,& continenter,hæc enim experientiæ, & rationi manifeſtiſſime aduerſantur. Propterea,ex ſententia Academicorũ,& Simplicii,dicendum eſt,duplicem conſiderari adeptionem, quarum vna ſit via ad alteram,nam in nobis prima adeptio eſt,dum anima rationalis progreſſa redit in ſe, & aſſequitur perfectionẽ animæ in ſe manenti competentem, qua per progreſſum,& regreſſum a ſe,priuata erat. Altera adeptio eſt,dum anima in ſe manens, poſt primum adeptionis gradum,nectitur cum ſuperiore mente,&eius rationes cum ideis participatæ mentis, per quam ſecundam adeptionem, nectitur cum mente etiam non participata,& cum Deo fonte mentis,in cuius adeptione vt in poſtremo fine,ſummũ bonum eſt collocatum.Fundamenta huius opinionis in præcedentib.reiecta ſunt, quare ea quoque facultate & virtute reiecta eſt. Propterea progrediendo per explicata Principia, dicamus Humanæ Menti ex ſentẽtia Ariſtotelis duplicem competere adeptionem, vnam in parte,alteram abſolutam:adeptio in parte eſt conſequutio alicuius particularis,& proximi finis, vt mens ornata Prudentia, per illum habitum dicitur in parte adepta; Ad adeptio abſoluta,eſt,dum Mens ita habitibus fuerit ornata,vt per eos aſſequuta ſit ſummum bonum aptum Homini hanc vitam viuenti competere. Re vera tamen, abſoluta & poſtrema adeptio ea eſt,quam noſtri Theologi explicant, quæ viris iuſtis & probis competere debet in Regno Cœlorum, ad quam adeptionem, ſummum bonum vitæ præſentis via eſt. Sic itaque in adeptione adipiſcens eſt eſſentia Mentis,duplici differentia prædita,quod proxime adipiſcitur, ſunt habitus rationis:quod adipiſcitur tanquam poſtremus finis,eſt ſummum bonum, ex adipiſcente,& adepto. Tertium conſurgit,omni ex parte perfectum. Ex declaratione variarum differentiarum & modorum mentis, earum Definitiones eliciendæ ſunt.

Euerſio.

Academici.

Sententia propria.

Concluſio.

Mens ſumpta pro eſſentia includente differentiam agentis & poſſibilis, eſt ſuprema Animæ Hominis particula conſtituens eminentiorem Hominis gradum,per quam Anima, & per Animam Homo, ornatur habitu contemplandi, agendi & efficiendi.

Mens poteſtate, eſt differentia humanæ Mentis, apta munere agentis iudicando fieri attinentia ad omnes habitus rationis.

Mens agens,eſt differentia humanæ Mentis,apta iudicando facere omnia attinentia ad habitus rationis.

Mens habitu, eſt eſſentia humanæ Mentis prædita habitibus rationis vt ei competere apti ſunt,valens ad libitum fungi muneribus eorum.

Mens adepta, eſt eſſentia Humanæ Mentis per habitus rationis aſſequuta finem poſtremum quem aſſequi apta eſt.

Cap.

CAP. XV.

An mens hominis valeat intelligere ſingularia.

Ordo ſeruandus.

Opinio quorundam.

INTER cætera quæ de humana mente conſiderari ſolent, hoc non leuis eſt momenti, an valeat per ſe, & diſtinctè materiata ſingularia intelligere. Qua de re loquuturus, referam primo, rationes id negantium, patefaciam ſecundo, approbandum eſſe oppoſitum, tertio, loquar de modo quo ſingularia apprehendit, Demum diluam rationes aduerſas. Exiſtimarunt nonnulli viri docti, mentem hominis ſola vniuerſalia intelligere, ſingularia vero ſolum vt in vniuerſalibus includuntur. Quorum rationes in quatuor capita redigi poſſe cenſeo, vel enim ſumuntur ex conditione mentis poteſtate, vel ex conditione mentis agentis, vel ex conditione obiecti, vel demum ex nonnullis communibus conſpirantibus ad obeundum officium intelligendi. Quod pertinet ad mentem poteſtate, ea eſt forma, ex materia non pendens, non vtens inſtrumento corporeo, in ſerie mentium poſita, & ad intelligibilia relata. Et quoniam inter obiectum & facultatem eſſe debet congruens ratio, ideo ita argumentor: mens eſt prædita relatis conditionibus, ideo tantum vniuerſalia apprehendit: deducitur conſequentia, quia ſingularia non ſunt ſine materia & conditionibus eius, igitur non niſi id mouent, in eoque recipiuntur quod materiatum eſt: nam (vt inquit Auerr. 5. comm. 3. de anima) quod recipitur, dicitur recipi ſecundum conditionem recipientis; cum itaq; recipiens ſit immune à materia, & eius conditionibus, ideo etiam ſine illis recipit & iudicat, huiuſmodi non eſt ſingulare contradiſtinctum ab vniuerſali. Præterea, intelligere eſt quoddam pati, ex tertio de anima, cont. 2. agens & patiens debent eſſe ſimilia genere, quare ſolutum à materia, à ſolo ſoluto à materia pati poteſt. Præterea, cum ſit in ſerie mentium collocata, vt mentes cœlorum ex ſententia Ariſtotelis ſingularia hæc non apprehendunt, ne vileſcant, vt dicitur in duodecimo Metaphyſicæ 51. ita quoq; mens hominis ne vileſcat, non debet ſingularia apprehendere. Inſuper, cum mens ad intelligibilia referatur, ſingularia non dicuntur intelligibilia niſi poteſtate, ſed ſolum ſecreta à materia dicuntur intelligibilia. Quod pertinet ad ſecundum caput, ex conditione mentis agentis conſpicue elici poſſe videtur, mentem non cognoſcere ſingularia: Cum enim officia mentis poteſtate, & agentis, ſibi mutuo reſpondeant, & æquari debeant, ita argumentor: Vel pro cognitione ſingularium requiritur officium agentis, vel non: dicere quod requiratur, eſt abſurdum: quia eius officium eſt reddere intelligibilia poteſtate, intelligibilia actu, ſingularia non ſunt intelligibilia actu, ſed ſola abſtracta. Si ais quod non requiritur, etiam videtur abſurdum: tum quia officium vnius non æquaretur officio alterius, tum, quia phantaſmata, ſingulare & materiatum, facultate propria ageret in formam ſeparatam, ac ita redundans eſſet mens agens. Tertio eliciuntur rationes ex conditione obiecti humanæ mentis, quod, vt patebit, eſt quidditas materiata, & ita argumentor. Quod non continetur ſub obiecto humanæ mentis, non per ſe, & ſeorſum intelligitur, ſingulare materiatum cum non ſit eſſentia, & quidditas, ſed complicatum cum materia, & eius conditionibus, non continetur ſub obiecto humanæ mentis, quare, &c. Confirmatur: quia id minime eſt aptum per ſe à mente percipi, à cuius principio officium mentis eſt abſtrahere: At officium mentis eſt abſtrahere à conditionibus indiuiduorum, quare indiuiduum non eſt aptum per ſe, apprehendi à mente: nam indiuiduum

Rationes ſumpta ex mente poteſtate.

Ex mente agente.

Ex conditione obiecti.

estid, cuius materia est vna, ex quinto Metaphysicæ, cont. 12. Mens autem abstrahit ab ea. Præterea, ea quæ sunt diuiduntur in intelligibilia, & sensibilia, at si mens singularia apprehenderet, cuncta essent intelligibilia. Præterea, vt sensus se habet ad sensibile, ita mens ad intelligibile, quare commutando rationem, vt sensus se habet ad mentem, ita sensibile ad intelligibile, at sensus nec est mens, nec apprehendit intelligibilia mentis, igitur sensibile non est intelligibile, nec mens apprehendit sensibilia. Quartum genus rationum elicitur ex conspirantibus ad officium intelligendi, & primo quæro; si mens apprehendit singulare, vel id facit per speciem singularis distinctam ab ea vniuersalis, vel per speciem vniuersalis: non per eam vniuersalis, quia actu solum repræsentat vniuersale, singularia vero tantum potestate vt inclusa in vniuersali, & præsertim, quia eadem species non per se repræsentat varia includentia conditiones oppositas. Nec etiam mens id facere valet per speciem singularis, quia vniuersale & singulare est forma eadem, vario modo se habens, eiusdem autem non sunt duæ species, cum species forma sit. Et si ais, id fieri eadem specie, vario modo se habente, nempe vt iuncta cum conditionibus indiuiduantibus, vel seiuncta; Hæc varietas pertinet ad distinctas facultates, non ad eandem. Præterea, si mens apprehendit singulare, vel id facit ante apprehensionem vniuersalis, vel post, non ante: quia omnis facultas primo tendit in suum obiectum proprium, quod est Essentia, Quidditas, & Vniuersale: non posterius, quia si mens valet apprehendere singulare, tunc id apprehendet dum ei offertur, at primo per phantasma ei offertur. Confirmatur: quia vt vniuersale complexum non cognoscitur nisi prænotis partibus, ita vniuersale incomplexum posset nosci, nisi prænotis singularibus, si mens esset apta ea apprehendere. Demum mens se intelligit, intelligendo alia, quatenus fit ea quæ intelligit, vt dicitur in tertio de anima, cont. 8. & 12. Metaphysicæ 37. Quare si mens talem se iudicat, qualia sunt ea quæ iudicat, iudicando singularia, includentia materiam, & conditiones eius, talem se quoque iudicabit, quod apprime est absurdum. Postremo, eadem sententia variis authoritatibus comprobatur. Legitur in primo Physic. 49. Sensum singularium, mentem vniuersalium esse; In 3. de Anima, cont. 6. legitur, mentem esse locum specierum, Species autem vniuersale est. In contex. 1. inquit Philosophus, sensitiuo calidum & frigidum, hoc est singularia nosci. In cont. 37. legitur, Animam quodam modo fieri omnia, sensibilia per sensum, intelligibilia per mentem; At si mens etiam singularia apprehenderet, absolute anima per mentem fieret omnia. In contex. 16. legitur, Singularia solum potestate esse intelligibilia, non actu. Et in sexto Nicomachiorum, cap. primo legitur, ad iudicanda distincta, paratas esse facultates distinctas, cum intelligere fiat per conformationem, & similitudinem. Auerroes idipsum sensisse visus est, nam in Paraphrasi de Diuinatione ait: Si intelligentiæ apprehenderent singularia, necessario essent materiatæ. Et in tertio de anima commen. 5: Definiens mentem potestate, ait, esse potestate omnes intentiones formarum materiatarum vniuersalium. Eiusdem sententiæ visus est fuisse Alexander, qui in primo de Anima, cap. 27. inquit: Mens non hoc singulariter apprehendit, sed in singulari ipsum esse intelligit. Et post pauca, mens speciei & definitionis contemplatione vtitur, speculaturque, non hoc quippiam, sed tale, neque singulare, sed vniuersale. In his igitur in quibus aliud est hoc esse, & huic esse, alia potestas hoc esse, alia huic esse cognoscere nata est, illam sibi sensus, hanc mens vendicat. Conspicue Alexander negat mentem apprehendere singularia, & errare quia

Ex conducentibus pro officio intelligendi.

Authoritates.

Aristot.

Auerroes

Alexan.

qui oppositum ei tribuunt; Recte autem Philoponus ait, Alexandrum & Plutarchum Lydum negasse mentem singularia apprehendere; & inte Alexander sequens principia sua, id negauit: cum enim mentem potestate fundamento non secreuerit à Phantasia, sed solum ratione, quatenus includi: facultatem, & idoneitatem ad vniuersalia, ideo vt apprehendens singularia dicitur Phantasia; & solum dicitur mens, vt apprehendit, vel apprehendere apta est vniuersalia, vt elicitur ex primo suo lib. de Anima, cap. 26. Simplicius in 7. Phys. 18. eidem opinioni adhærere videtur, cum dicat, mentem apprehendere singularia, vt inclusa in vniuersali. Similiter Priscianus Lydus ex sententia Theophrasti idipsum visus est putasse, vt elici videtur ex libro de intellectione, cap. 14. & 15. Non itaque iniuria varii viri docti negarunt, mentem humanam apprehendere singularia. *Philoponus.* *Simplicius.*

CAP. XVI.

Ostenditur mentem hominis singularia cognoscere.

NVNQVAM induci potui, vt constanter non existimarem humanam mentem cognoscere singularia, cum experientia, ratio, & authoritas id manifestissime patefaciant. Et ordiens à rationibus: Prima & efficacissima ratio sumitur ex ordine & connexione facultatum cognoscentium, percipimus enim cæteras omnes facultates subordinatas ita esse iunctas, vt finis actionis vnius, sit principium alterius: hoc patet de sensu communi relato ad externos, de phantasia relata ad communem: nam in omnibus quod iudicatur ab antecedente, iudicatur à subsequente, addendo mox id, quod sequentis est proprium, alioquin non essent iunctæ, nec sibi internunciæ, & actiones essent intercisæ, & antecedens non excitaret sequentem, quare id ipsum de mente sentiendum est. *Ratio prima.* Præterea, validissima est ea ratio qua vtitur Themistius in tertio de Anima, in Paraphras. cont 10. & Auerr. com. 9. & nititur constanti fundamento Aristotelis in secundo de Anima, 146. necnon in lib. de sensu & sensili, & est hoc; Facultas comparans duo inter se, & cognoscens inter ea differentiam & consimilitudinem, tenetur ea duo eodem tempore distincte noscere: At in homine fit comparatio inter vniuersale & singulare, & cognoscitur differentia, & consimilitudo, & non fit per sensum, quia non noscit vniuersale, igitur fit per mentem, quare est necesse vt mens distincte noscat vtrumque. Nec vitari potest vis rationis, dicendo, comparationem fieri ab homine noscente singulare per sensum, vniuersale per mentem, hoc dici non potest: primo, quia redderetur inanis ratio Aristotelis pro ostendenda necessitate sensus communis: nam similiter diceremcomparationem inter sensibilia diuersorum sensuum fieri, non per communem sensum, sed ab homine per varios externos sensus noscentem sensibilia varia. Præterea, aduersatur rationi: quia similitudo & differentia est cognoscibile vnum, quod vna facultate est iudicandum. Tertio aduersatur verbis Aristotelis dicentis comparationem debere fieri per facultatem vnam, simul noscentem vtrunque. *Secunda.* Ratio tertia elicitur ex interna hominis institutione. Sententia fuit Platonis, primam & verâ nostram institutionem, nobisque internam, esse eam, qua mens sensum instituit: hoc affirmauit Aristoteles in calce primi, & in principio sexti Nicomachiorum, inquiens, sensum esse rationalem per participationem, quatenus instituitur & corrigitur per mentem ex se rationis compotem. Et in tertio de Anima 57. dixit, phantasiam hominis ratione sæpe formari, & *Tertia.*

corrigi. Hoc fundamento iacto, ita argumentor. Instituens debet id cognoscere, de quo instituit, & dirigit aliud, mens instituit internum sensum, igitur debet id cognoscere de quo instituit, at instituit, de singularibus, quia sensus solum est singularium, & actiones sunt in singularibus, igitur mens singularia cognoscit, alioquin perinde se haberet, ac si Scytha Arabem institueret, & vnus non intelligeret quid denotent voces alterius, nec apprehenderet in quo alter

Quarta. versaretur. Quarta ratio elicitur ex reminiscentia & praeaccipio ex cap. de Memoria & reminiscentia, memoriam per se esse singularium, vniuersalium vero ex accidenti, & per consequutionem, & reminiscentiam eiusdem esse facultatis, cuius est memoria, solum differre, quia exposcit vsum rationis. Ex quo haec elicitur ratio. Ea quorum per se est reminiscentia, per se noscuntur à mente, reminiscentia vt memoria per se, est singularium, quare singularia per se noscun-

Quinta. tur à mente. Quinta ratio elici potest ex principio motus: pro qua accipio id, quod dicitur ab Aristotele in tertio de Anima, 58. nam explicans, quomodo mens sit principium motus, inquit: quoniam existimatio & ratio, haec quidem vniuersalis est, ea vero singularis, ea dicit, quod oportet talem, tale agere, haec autem, quod hoc est tale, & ego quidem talis, iam haec mouet opinio, non ea quae vniuersalis est, aut vtraque. sed illa quidem quiescens magis, haec autem non, &c. His verbis patefacit Philosophus, Rationem, Opinionem, & Existimationem, quae attinent ad mentem (vt patet ex 2. de Anima, 154.) mouere praesertim per minorem propositionem, quae singularis est. Propterea ita argumentor: Id per quod Mens mouet, noscitur ab ea, sed mouet per minorem propositionem, quae est singularis, quare singulare ab ea noscitur.

Sexta. Sexta conspicua & efficax Ratio elicitur ex formis argumentandi: nam mens format propositiones singulares, noscens veritatem earum, quare noscit singularia, consequutio conspicua est, Assumptum ostenditur: quia formatur haec propositio, Plato est Animal, non formatur à sensu quia non cognoscit animal vniuersale, ideo formatur à mente, & ab ea sola noscitur veritas eius. Similiter formantur inductiones, colligendo ex singularibus vniuersale, non à sensu, quia vniuersale non cognoscit, quare à mente: est itaque inferendum, Mentem cognoscere singularia, nam vt legitur in primo Poster. principia ex quibus elicitur Conclusio, debent esse notiora Conclusione, & demum format mens Syllogismos ex altera propositione singulari: Argumentor itaque hunc in modum. Facultas per quam ex principio aliquo aliud infertur, debet id principium prius & magis cognoscere, mens ex singulari infert aliud, quare prius & magis tunc noscit id singulare. Confirmatur haec ratio: quia Syllogismi vim habent ex dicto de omni, & de nullo, ideo facultas formans Syllogismos, tenetur noscere attinentia ad ea. De omni dicitur: quia praedicatum competit subiecto, & omni contento sub eo, contenta sunt singularia, quare mens tenetur noscere singularia.

Solutio. At soluunt nonnulli, dicentes, rationem formari ab homine noscente vniuersalia, & singularia per facultates distinctas. Quae solutio reiicienda est, primo,

Euersio. quia argumentatio est ratio vna, & tanquam motus vnus spiritalis, motus vnus ex vna facultate prodire debet, vt in quinto & octauo Physicorum declaratur. Insuper tunc perinde se haberet, ac si vnus homo proponeret propositiones, alter colligeret conclusionem, quorum neuter vim rationis perciperet: nam ratio in quadam mutua terminorum cōparatione posita est, & ob id ratio dicitur, ideo formans rationem, debet noscere terminos, id autem debet fieri per eandem facultatem, & in eodem tempore, vt ait Aristot. in secundo de Anima, 146.

quare

quare est necesse, vt eadem facultas noscat omnes terminos argumentationis. Ratio septima elicitur ex emendatione sensus à mente, frequenter mens corrigit iudicium sensuum de aliquo singulari, vt iudicat sensus solem esse minorem vlbe, baculum semimersum esse fractum, mare esse planum, terram mole maximam, corrigitur autem à mẽte, corrigens autem tenetur id distinctè cognoscere, de quo aliud corrigit. Octaua efficacissima ratio elicitur ex mente practica, quæ actionum est principium, ad quam pertinet prudentia, quæ eadem est cum mente contemplante, & solo fine distinguitur, vt dicitur in 3. de Anima, 49. & ratio ita formatur. Ea in quibus versatur, & quibus tanquam principiis vtitur mens practica, debent ab ea distinctè nosci, vt ea in singularibus per actiones versatur, & singularibus, vt principiis vtitur, ideo debent singularia distinctè ab ea nosci. Maior conspicua est, minor ostẽditur: Nam mens practica per prudentiam, eius habitum, inquirit media opportuna pro fine, decernit medium congruens seruandum in perturbationibus, dirigit actiones nostras, cum sit recta ratio agendorum: at hæc omnia sunt singularia, quare noscit singularia. Similiter, cognoscere tenetur circumstantias omnes considerandas pro rectè formanda actione, quæ singulares sunt. Insuper, vt dirigat actiones, pro principiis vtitur cognitione singularium, quorum cognitio primo occurrens nuncupatur nomine mentis, & perinde eorum singularium cognitio se habet ad mentem practicam, ac cognitio primarum vniuersalium enunciationum ad mentem Theoricam. Hinc Aristot. in 6. Nicomachiorum, cap. 7. præter cætera, hæc protulit: Neque vniuersalium tantum prudentia est, sed opus est, vt singula etiam cognoscat. Insuper, cap. 11. inquit: Agendæ autem res ex iis sunt, quæ particularia & vltima sunt: nam & prudentem oportet ea cognoscere, & perspicacia ac sententia in eis versantur, at hęc vltima sunt, mens quoque vltimorum est, in vtranque partem, primorum enim, & vltimorum terminorum mens est, non ratio: Ille quidem, qui in demonstrationibus versatur, immobilium terminorum, & primorum est, alter qui in actionibus consistit, vltimi, & eius quod euenire aliter potest, & alterius propositionis, hæc enim eius cuius gratia res agitur, principia sunt, quippe cum ex singularibus vniuersalia existunt, quorum sane habere sensum oportet, iste autem sensus est mens, &c. Conspicue Philosophus affirmat, mentem noscere singularia, & notitiam illam singulariũ, vt dirigentem ad actiones, nuncupat nomine mentis: dicitur autem sensus, quia singulariũ est, & à sensu subministratur. Idipsum posset ostẽdi ratione sumpta ex arte, quæ cum sit habitus mentis, est recta ratio effectibilium, quæ singularia sunt. Nona ratio elicitur ex abstractione, & ita formari potest; Ea facultas quæ operatur cum cognitione, & vnum ex alio abstrahit, tenetur ea noscere ex quibus abstrahit, mẽs ex singularibus abstrahit vniuersale, quare noscit singularia. Maior ostenditur: nam inquit Auerr. 12. Metaph. com. 4. Vniuersalia sunt collecta ex singularibus à mente, accipiente inter ea consimilitudinem, & constituente notionẽ vnam: At similitudo non cognoscitur, nisi per eandem facultatem noscantur consimilia ex 2. de Anima, 146. Præterea, inquit Arist. in c. de Memoria & Reminiscentia, cum speculamur, necesse est simul phantasma aliquod speculari, Phantasmata autem tanquam sensibilia sunt, præterquam quod sunt sine materia, &c. conspicue Philosophus inquit, nos per mentẽ duplici munere fungi, speculari phantasma, & apprehendere vniuersale: Speculatio est cognitio, & phantasma singulare est. Confirmatur: quia in 3. de Anima, 30. Phantasma ad mentem perinde se habere dicitur, ac sensibile ad sensum, cum autem sensibilia iudicantur sensu,

7. (margin, beside "Ratio septima") · 8. (margin, beside "Octaua") · 9. (margin, beside "Nona ratio")

est necesse, vt etiã phantasmata iudicétur mente. Cófirmatur: quia mens abstrahens à singularibus nunquã esset certa de vniuersali, nisi cognosceret singularia, ea enim tribuútur vniuersali, quæ inspiciuntur in singularibus, & nisi singularia nosceret, non posset percipere similiter se habere de singularibus omnibus, nec posset absolute apprehendere veritatem enunciationum, nisi singularia apprehéderet, cum veritas sit æquatio notionum, rebus externis, externa autem sunt singularia, ideo nunquam mens iudicare posset hãc enunciationem esse veram, Omnis homo est bipes, nisi particulares homines nosceret, vt recte Philoponus
10. considerauit. Postrema ratio ex eo elicitur: quia nil in singularibus reperitur, quod subiici non valeat iudicio mentis, in singulari reperitur forma cum materia, Forma est actus natus per se intelligi, materia prima sola mente, non sensu percipitur, materia proxima constituitur per accidentia, quæ formæ sunt, non pugnantes cum iudicio mentis. Id igitur quod nil includit subterfugiẽs iudicium mentis, apprehenditur a mente, huiusmodi sunt singularia. Hinc ait Auerr. in 2. de Anima, 65. Vniuersalitas & singularitas sola mente percipiuntur, Mens percipit vniuersalitatem, noscendo varia vniuersalia, quare similiter noscit singularitatem noscendo varia singularia, & præsertim, quia abstracta per concreta in-
Arist. ueniuntur & noscuntur. Hanc veritatem patefecit Arist. dum in 3. de Anima referens duo cognoscibilia, vniuersalia scilicet, & singularia, & supponens ambo mente cognosci, modum quærit, & in cont. 10. ait mentem sensitiuo noscere calidum, frigidum, & singularia, non dixit sensitiuum solum ea noscere, sed mentem ea noscere sensitiuo, adeo, vt iudicium menti tribuerit, sensitiuum vero dixerit esse id, quo: Hoc autem declarat Arist. in 8. Phys. 35. præsupponit principale agens, veluti si dixero, baculo percutio. Insuper distinctius explicans, quomodo ea duo cognoscibilia iudicentur mente, inquit cognosci ab ea vario modo se habente, vt circumflexa linea se habet ad se cum extensa fuerit: cum itaque Aristoteles dicat mentem in iudicandis illis similem esse vni lineæ, vario modo se habenti, conspicue affirmat ambo ea noscibilia iudicari mente, vario modo se
Conclus. habente. Colligamus itaque cum Aristotele, Themistio, Auerroe, Philopono, experientia & ratione, humanam mentem singularia noscere.

Cap. XVII.

De modo, quo Mens cognoscit singularia.

Ostenso humanam mentem intelligere singularia, de modo agendum est: pro cuius notitia considerandum est, opiniones Philosophorum in quin-
Quinque capita opinionũ. que prima capita redigi. Primo enim occurrunt vetustiores Philosophi, vt Democritus, Empedocles, Anaxagoras, & similes, qui sensum à mente non secreuerunt, & propterea proculdubio existimarunt, mentem noscere singularia.
1. Hinc Aristoteles in primo de Anima, 25. tribuit Anaxagoræ, quod putauerit mentem etiam vilibus animalibus competere, quæ tamen sola singularia appre-
2. hendunt. Hi namque omnem internam cognitionem menti tribuerunt, qui recte aiunt mentem noscere singularia: errant autem, non secernentes mentem à sensu, & putantes eam proprie per instrumenta corporea, singularia noscere. Altera opinio est Alexandri, parum ab his recedentis. ipse mentem pro fundamento sumptam putauit esse phantasiam, ei superaddidit idoneitatem ad vniuersalia, & propterea vt noscentem singularia nuncupauit sensum, vt noscentem vniuersalia mentem, adeo, vt per propriam mentis rationem & conditionem

nem sola vniuersalia apprehenderit, quæ opinio in præcedentibus reiecta est, & propterea Cardinalis Caietani, & Capreoli in primo sent. dist. 35. opinio approbanda non est, qui cum Alexandro mentem singularia non cognoscere affirmarunt. Tertium caput opinionum est eorum, qui aiunt mentem primo & directe noscere vniuersale, secundo, & reflexe, posse noscere singulare, quatenus si voluerit vniuersale cum singulari comparare, reflecti potest in eius phantasma, ac ita secundo, & reflexe valet illud cognoscere, non autem primo, quia facultas primo tendit in obiectum suum. Huius opinionis est D. Tho. in tertio de Anima, 10. Quæ approbanda non est: primo, quia euerteretur ordo & connexio facultatum cognoscentium, non enim finis vnius esset principium alterius, vt de cæteris patet. Præterea, principia primo debent nosci, vniuersalia colliguntur inductione, cuius singularia sunt principia, quare ea primo noscuntur à mente, idipsum est dicendum de mente practica. Præterea, omnis facultas id primo cognoscit, quod ei primo offertur, quod facilius noscitur, & est via & dispositio pro cognitione alterius, & ex quo per abstractionem elicitur aliud, huiusmodi autem est singulare. At de hoc latius in consideratione primi cogniti. Propterea, est quartum caput opinionum, approbatum à Simplicio, Plutarcho, & Prisciano Lydo: pro cuius notitia accipio menti supra animam rationalem positæ, competere ideas, animæ rationali, rationes, naturæ, semina, materiæ, vmbras formarum. Insuper, accipio ex horum sententia ideas esse causas rationum, rationes seminum, semina vmbrarum, & participationis formarum. Addo tertio, mentem cognoscere per ideas, animam per rationes, vel vt cum ideis iunctas, vel vt sibi insitas, vel vt in phantasiam tanquam imagines effusas: sensus autem per eas imagines sensibilia iudicare. His præassumptis ex horum sententia dicendum est, mentem animatiam, in triplici sua dispositione, tribus modis apprehendere singularia, ea namq; vt iuncta superiori menti, & ideis, tanquam per primam causam noscit accidentia, & singularia, vt in se manens, & per rationes sibi insitas ea noscit, vt per causam proximam, per conuersionem vero ad phantasiam, excitatam ab externis obiectis, per imagines rationum apprehendit singularia, vt effecta rationum & vniuersalium. Modus qui in nobis est origine primus est hic tertio relatus, primus autem perfectione & absolute ille est, qui primo referebatur, qui in nobis origine est postremus. Apprehendit itaque mens animaria, accidentia, & singularia, non tanquam causas vniuersalium, sed contra, vel vt effecta, vel vt inclusa in causis proximis, vel vt inclusa in primis, cum essentia singularium & vniuersalium eadem sit. Hoc elicitur ex Simplicio in tertio de Anima, 9. 35. 53. 58. in septimo Physicor. 18. & ex Prisciano Lydo, in Theophrastum, de intellectione, capit. 15. Verba non refero, nec moror in euersione huius opinionis, cum alibi patefecerim fundamenta, & principia huius opinionis, conspicue pugnare cum principiis Peripateticorum, & Simplicius hæc tribuens Aristoteli, euertit, non explicat sententiam eius. Cum itaque quatuor relati modi non videantur approbandi, quintum afferamus, & approbemus, pro quo tria profero: primum est mentem apprehendere singularia: alterum est, mentem primo apprehendere singularia. Tertium est, mentem vario modo se habentem, & singularia & vniuersalia apprehendere. Quod mens noscat singularia, & primo ea noscat, iam est ostensum: quod ea noscat modo vario se habens, elicitur ex ratione, quia noscibilia sunt varia. Elicitur & ex Aristotele, qui in tertio de Anima, contextu 10. ait, sensitiuo calidum & frigidum cognoscit, hoc est, mens vt iuncta sensibus & phantasiæ iudicat accidentia.

[Right margin notes:] 3. — Euersio. — 4. — Opinio 5. Verior.

circumscribentia indiuiduum, alio autem vel vt circumflexa, &c. ac ita indicat mentem: primo, noscere circumscribentia singulare, mox eam secus se habentem, noscere vniuersale. Consentio itaque de hoc cum Scoto, mentem noscere, & primo noscere singularia, vt in 4. sent. dist. 45. q. 3. art. 2. in 3. de Anima, q. 22. Quodlib. 13. art. 2. affirmat. Dissentio tamen, quia affirmat, per nullam nostram facultatem posse nosci singulare sub propria singularis ratione cæteris circumscriptis, cum enim hecceitas ex eius sententia sit principiũ indiuiduationis, eam hecceitatem pro statu hoc circumscriptis omnibus accidentibus propriis singularium apprehendere ex eius sententia non valemus, distinguendo vnam ab altera, id tamen efficere valebimus in alio statu: De hoc inquam, ab eo dissentio, & præsertim, quia nos cuncta quæ noscimus, per accidentia noscimus, & vt ex accidentibus propriis speciei, elicimus notionem propriam speciei, ita ex accidentibus propriis singularium, elicimus notionem propriam singulariũ, & hoc est commune omni nostræ cognitioni. Insuper cum Scotus ex sententia Arist. pro obiecto mentis statuat ens, quia Aristot. alium vitæ statum non cognouit, videtur sibimet aduersari, inquiens, pro hoc statu non posse singulare propria ratione cognosci; At de hoc latius in consideratione primi cogniti.

Consensio cũ Scoto, & dissensio.

CAP. XVIII.

Pro diluendis Rationibus aduersis, varia explicantur cognitu vtilia.

VT clarior refulgeat modus, quo mens singularia cognoscit, & rationes aduersæ facile diluantur, nonnulla vtilia cognitu distinctè sunt explicanda. Quæritur primo, num ea cognitio, qua mens singularia percipit, debeat dici recta, vel reflexa, nonnulli vt D. Th. & Simplicius eam dicunt reflexam, alij vt Auerroes rectam, Respondens dico sine controuersia, & distincta consideratione eam & rectam, & reflexam dici posse, dici potest recta, cõsiderando modum cognoscendi, dum enim aliquid ab alio recipimus, primo manum extendimus, mox eam ad nos cõtrahentes reflectimus, ita mens receptura obiectum a phantasia, primo aciem in phantasiam dirigit, ac ita singularia percipit, mox per sui conditionem apprehendendo essentiam, derelictis accidentibus dicitur per Metaphoram in se redire, & reflecti. Hunc modum considerauit Arist. in cont. 10. 3. de Anima, inquiens, vt circumflexa se habet ad se, cum extensa fuerit, carni esse cognoscit, adeo vt primo mens conuersa ad phantasiam consideretur, vt extensa, mox reflectatur pro cognitione ipsius esse, hoc est vniuersalis. At, inquiunt nonnulli, Aristotelem per ea verba denotare oppositum, nempe mentẽ reflexè apprehendere singularia, quia inquit vt circumflexa se habet ad se, cum extensa fuerit, ac ita circumflexio primæ cognitioni respondet, extensio secundæ, quæ est cognitio vniuersalis. Qui ita exponunt, conspicue Aristot. verba peruertunt, nam Philosophus aperte id vt circũflexa refert ad cognitionem vniuersalis, cum enim dicat mentem noscere vniuersale vt circũflexa, conspicue circumflexum refert ad cognitionem vniuersalis, & cum addat, cum extensa fuerit, non id profert vt denotet ordinem temporis, sed vt patefaciat varietatẽ dispositionis; Dico tamen altera ex parte notitiam singularium triplici ratione posse dici reflexam: Primo, quia non est sui obiecti, sed alieni: facultas autem in suum obiectum dicitur recte tendere. Secundo, quia ea cognitio non est per eleuationem mentis, sed per depressionem. Tertio, quia singulare est maxime compositum respondens

An singularè noscatur a mente notitia recta.

dens circumflexo, esse vero est simplex, respondens recto. Quæritur secundo, an cognitio singularium debeat dici per intuitionem. Pro notitia accipio cognitionem esse quatuor generum: vel enim est per intuitũ, vt oculo intuemur colorata, vel per abstractionem, vt mens apprehendit vniuersalia, vel per illationem, dum ex vno aliud inferimus, vt ex operibus elicimus notitiam causarum: vel demum est cognitio per essentiam, vt Deus se intelligit; Dum mẽte in phantasiam per oblata phãtasmata percipimus singularia: ille nõ proprie est intuitus, sed ei similis: non proprie est intuitus, tum quia proprie intuitus est obiecti proprij, singulare non est obiectum proprium. Mentis sed sensuum: tum insuper, quia intuitus est rei principalis, non imaginis, Phantasma autem est imago, est tamen intuitus imaginis illius rei, ex qua mens elicit obiectum suum, acita est similis ratio intuiti. Quæritur tertio cum mens cognoscat vniuersale & singulare, num id faciat per eandem, vel per distinctam speciem? missum facio pro nunc, an species intelligibilis distinguatur ab actu intelligendi: Hac de re sentẽtiæ sunt variæ; nonnulli aiunt id fieri distinctis peciebus, alij eadem specie, at distinctis conceptibus Prima sententia est dubia: quia species respondet formæ, vniuersalis & singularis eadem est forma, vt ait Alex. primo de Anima, c. 26. & Simpl. 7. Phys. 18. Similiter, secunda est dubia: quia re vera species à conceptu siue notione, distincta non est, vt suo loco patebit; propterea dico per mentem nosci singulare & vniuersale eadem specie, vario modo sumpta, & se habente, per eam enim iunctam cum materia & conditionibus indiuiduorum nosci singulare, per secretam ab ois, nosci vniuersale. Quæritur quarto, an dum mens noscit singularia, dicatur fieri illa, vt dicitur fieri vniuersalia, & dicatur locus eorum, Respondeo id proprie non fieri, nec dici. Prima ratio est: quia mens inspicit singulare, non vt in se, verum vt in alio existit, nempe in phantasia: ideo Themistius dixit, id inspicere tanquam existens ante pedes eius. Secunda est: quia mens cum sit forma abiuncta, non conformatur cum singulari materiato, sed cum vniuersali abiuncto: Hinc non singulare dicitur fieri, sed vniuersale, & cum vniuersali maxime nectitur, non cum singulari. Tertia ratio est: quia facultas dicitur fieri obiectum suum proprium, non alienum. Singulare non apprehenditur à mente vt obiectum proprium, sed, vt id, vnde elicit obiectum proprium; Iure igitur mens dicitur esse vniuersalium, sensus singularium: quia vnicuique id est tribuendum, quod suum est, iure etiam ea quæ sunt, diuiduntur in sensibilia, & intelligibilia, quia considerari debent secundum propriam conditionem, & vt propria obiecta. Insuper, recte dicitur, animam fieri sensibilia per sensum, Intelligibilia per mentem: quia vnicuique id tribuendum est, quod eius est proprium. Similiter recte mens dicitur locus specierum vniuersalium, non singularium. Et demum cum mens proprie solum dicatur fieri vniuersalia, inde euenit, quod non cognoscendo singularia, dicitur noscere se, sed noscendo vniuersalia, cum ea sint obiectum proprium, & patefaciant conditionem, & vires proprias, & præsertim, quia vires mensurantur per maximum quod possunt. Quæritur quinto, an pro notitia singularium requiratur officium mentis agentis, hac de re à variis varia dicuntur; sed quia resolutio pendet ex officio agentis, de quo in præcedentibus sum loquutus, ideo sequens traditam explicationem, dico, quod cum apprehendere singularia sit agere, & omnis actio tribuenda sit agenti, etiam indicare singularia, est officium agentis, Adeo, vt quemadmodum pro notitia vniuersalis omnis actio tribuebatur agenti, passio possibili, ita de attinentibus ad notitiam singularium putandum est se ha-

An sit p intuitũ.

An fiat per speciẽ distinctã.

An mens fiat singularia.

An requiratur officium agentis.

bere: quia tamen mens proprie vertatur in vniuersalibus, ideo etiam proprium officium agentis dicitur esse abstrahere, & reddere intelligibilia potestate, intelligibilia actu. Ex his eliciuntur solutiones omnium rationum, quæ pro aduersa opinione primo relatæ fuerunt. Et præsertim, quia rationes illæ hoc solum ostendunt, mentem propria ratione & conditione, & tanquam obiectum proprium vel contentum sub eo, non apprehendere singularia, quæ tamen apprehendit vt iuncta cum phantasia, vt ordiens ab eius cognitione, & vt phantasmate egens pro eliciendo vniuersali.

Cap. XIX.

Proponitur agendum de obiecto humanæ Mentis, & nonnulla pro eius indagatione conducentia declarantur.

CVm consideratione an mens noscat singularia, satis iuncta est consideratio obiecti eius: propterea ostenso, mentem noscere singularia, quodnam statui debeat obiectũ eius considerandum occurrit; Nam quemadmodum scientia omnis dicitur esse vnius generis subiecti, in quo versatur, ita omnis cognoscendi facultas vno quodam obiecto debet esse prædita, ad quod iudicandum parata sit: quod cum competat facultatibus cæteris cognoscentibus, longe magis humanæ menti competere putandum est, cum præstet cæteris animæ facultatibus loquens de obiecto humanæ mentis, primo communia quædam explicabo, secundo distinctiones tradam, ex quibus elicietur resolutio difficultatis. Tertio dubia principaliora dissoluam. Obiectum facultatis cognoscentis variis denotatur nominibus, dicitur enim obiectum, scopus, oppositum, subiectum & finis. Nuncupatur ab Aristotele oppositum, in primo de Anima, context. 10. & in secundo de Anima, 33. opponitur enim oppositione relatiua, vt sensus & sensibile. Nuncupatur subiectum in secundo de Ortu & interitu, contex. 7. & in secundo de Anima, 108. quia subiicitur iudicio facultatis cognoscentis, & facultas cognoscens in eo vt impropria materia versatur. Dicitur obiectũ, tum quia opponitur facultati, vt dixi, tum, quia tanquam scopus ei offertur. Demum dicitur finis & scopus, & quatenus facultas pro eo noscendo parata est. Proprie tamen loquendo scopus & finis respondent facultati mouenti & appetenti, bonum enim quod est finis, appetitui respondet, verum autem facultati iudicanti. Extenditur obiecti nomen siue oppositi, etiam ad facultates non cognoscentes, veluti alimentum ab Aristotele in secundo de Anima, 33. dicitur oppositum, siue obiectum facultatis nutrientis, & opponitur simili modo per relationem: hoc tamen in loco consideratur obiectum mentis, tanquam facultatis cognoscentis. Quod obiectum describi potest, quod sit genus vnum, natum per se, & propria ratione cognosci, ab ea facultate cuius est obiectum. Iure obiectum dicitur genus vnum, quoniam facultas cognoscens, se habet perinde ac scientia vna, quæ est vnius generis subiecti, & tanquam vna materia vnius primæ oppositionis. Hinc Aristoteles in secundo de Anima, dubitat, an sensus tactus sit vnus, cum non videatur esse vnius oppositionis, sed plurium. Et in tertio de Anima, contextu 9. ex eo quod caro, & esse carni distinguuntur, infert, vel cognosci facultate distincta, vel eadem, vario modo se habente. Et in eadem significatione in sexto Nicomachiorum cap. primo dixit, ad noscenda ea, quæ sunt distincti generis, paratas esse facultates distincti generis; Oritur tamen

Margin notes: *Ordo.* (beside "dum parata sit"); *Nomina.* (beside "tatis. Tertio"); *Descriptio.* (beside "tatis cognoscentis. Quod obiectum")

[N]en dubitatio, cum obiectum debeat esse genus vnum, an debeat esse vniuocum, vel sit satis, vt sit ab vno, & ad vnum? Scotus in quaestione 21. tertij de Anima inquit, debere esse vniuocum, aptum mouere facultatem per vnam communem formam, Ratio eius est, quia obiectum primum & adaequatum, debet esse aptum attingi à facultate cognoscente vnico actu: at actus vnus vni naturae & formae respondet: hinc ens, quod censuit obiectum humanae mentis, existimauit denotare conceptum vnum vniuocum vniuocatione logica. Hanc opinionem veram non puto, conspicua enim est sententia Aristotelis in 4. Metaphysicae, contextu 2. & in 10. Metaphysicae dicentis, scientiam nedum generis vniuoci, verum etiam eius quod est ab vno esse posse, quod & Alexander & Auerroes in eodem 4. Metaphysicae affirmarunt, & Aristoteles in sexto Topicorum dixit, etiam eorum, quae sunt ab vno, dari definitionem vnam: Si igitur genus ab vno definiri, eiusque scientia vna esse potest, consimili ratione vni facultati poteris respondere, ita tamen ei respondebit, vt non aequè primo, sed ordine aliquo ei respondeat. Insuper, id quod Scotus profert de ente, quod denotet conceptum vnum vniuocè, conspicuè pugnat cum Aristotele, Auerroe, & Graecis omnibus interpretibus, oppositum vt notissimum enunciantibus. Ratio eius facile diluitur, & primo, per fiduciariam reprobationem, concedendo obiectum facultatis debere esse aptum vnico actu attingi: Sed cum vnum dicatur multipliciter, ex 5. Metaphysicae contex. 12. dico: Si obiectum fuerit vniuocum, attingetur actu vno vniuoco, si ab vno, actu vnico, eadem vnitate ab vno, vt actu vno percipitur perspicuum coeli, & mortalium, & definitione vna comprehenditur natura dicta de forma & materia, quamuis vniuoca non sint, sed ab vno. Soluitur secundo per instantiam, quia non de omni obiecto facultatis cognoscentis verum est, vt debeat esse aptum per eam facultatem vnico actu attingi, Hoc patet de obiecto tactus, & de obiecto sensus communis, non enim valet sensus communis vno actu genus obiectum eius apprehendere, cum includat sensibilia varia communia, & propria. Sat itaque est, vt obiectum sit vnum vnitate ab vno. Insuper, cum quaeratur obiectum humanae mentis, non id quaeritur quod supera reuelatione nobis refulget, sed quod instrumento sensuum & phantasiae ex phantasmatibus elicitur, & per phantasmata menti offertur. Similiter, quaeritur obiectum non pro supero gloriae statu, ignoto Philosophis, sed pro statu & cursu huius vitae. Propterea hac de re dissentio à Scoto, qui in libris de Anima formans quaestionem de obiecto humanae mentis ex sententia Aristotelis, ea profert, quae cum Aristotele conspicue pugnant, & praesertim, quia ex vna parte ait obiectum humanae mentis esse ens, vt ens: ex altera inquit, nonnulla eorum quae sunt, in hoc statu à mente percipi non posse, sed tantum in statu gloriae, vt in quaest. 22. tertij de Anima, ait, propriam rationem indiuidui, quam haec communitatem appellat, non posse caeteris circumscriptis in hoc statu à nobis apprehendi, & idipsum in q. 19. ait de conceptu quidditatiuo irresolubili & simplici rerum spiritualium, vt Animae, & similium. Cum itaque Aristoteles statum gloriae non nouerit, minus rectè quaerens obiectum humanae mentis in libris Arist. ea profert, quae conspicuè cum Aristotele pugnant. Quaeritur itaque obiectum proprium humanae mentis, aptum propriis viribus in hoc statu ab ea apprehendi, praesertim ex sententia Aristotelis.

Dubitatio: Scotus. Euersio. Sat est, vt obiectum sit vnum vnitate ab vno. Quod obiectum quaeritur. Conclusio.

Cap. XX.

Resolutio difficultatis de obiecto humanæ Mentis.

CVm apparuerit, in qua significatione sermo sit de obiecto humanæ Mentis, quoniam ex distinctionibus præsertim elicitur resolutio difficultatum, distinctiones nonnullæ sunt afferendæ. Quæritur obiectum primum humanæ Mentis. Obiectum præsertim potest dici primum tripliciter: origine, perfectione, & adæquatione. Si quæritur primum origine, oritur quæstio de primo cognito, de qua suo loco erit agendum, Si quæritur primum perfectione, & dignitate, sic absolute primo cognitum, est Deus, comparata substantia cum accidentibus, est substantia: comparatis materiatis substantiis inter se, est homo. At si tertio quæritur primum adæquatione, hoc est id, quod modo quæritur, & ad rem facit: de quo loquens, dico, obiectum Mentis adæquatione primum, esse duplex, vel ei commune aliqua ex parte cum aliis facultatibus, vel proprium eius. Obiectum commune adhuc est duplex: nam vel vsurpatur pro quolibet apto quouis modo per mentem nosci, & ita omne, quod vel vere sit, vel sola imaginatione sit conceptum, est obiectum humanæ mentis. Nam vt inquit Aristoteles in secundo de Anima, omnis facultas est alicuius formæ, & eius oppositi, vt oculus luminis & tenebrarum. Quæritur similiter humana mens, tum eius quod vere est, tum eius quod cognitione est formatum; cum proprie non sit, dicitur iudex. Secundo vsurpari potest obiectum commune mentis pro quouis nato apprehendi cum conditione veri, excludendo ea, quæ inani imaginatione formantur, & concipiuntur. & ita omne quod est in substantiam & accidens diuisum, non excludendo etiam secundas notiones, est obiectum mentis. Commune enim est aptum modo sibi consentaneo mente intelligi, in qua significatione approbanda est sententia Auicennæ in primo suæ Metaphysicæ, & Scoti in 2. sentent. dist. tertia, quæstione tertia, dicentium, id quod est, esse obiectum humanæ mentis. At prætermisso obiecto communi, quia dum agitur de obiecto facultatum, sermo est de proprio, ideo de hoc loquens, accipio primo, in statuendo obiecto proprio mentis, excludenda esse singularia materiata, ea enim proprie ad sensum perinent, & munere sensuum apprehenduntur à mente. Insuper, accipio obiectum proprium mentis esse duplex, vel enim vsurpatur pro quouis nato quolibet modo à sola mente percipi, & ita essentia quælibet est obiectum mentis. intra terminos huius obiecti nedum materiatæ essentiæ, verum insuper separatæ mentes, & secundæ notiones includuntur. Hinc recte ait Auerroes in secundo de Anima, 63. Vniuersalitas & singularitas sola mente percipiuntur. Vel vsurpatur obiectum adæquatum, & proprie, pro eo, quod est aptum mouere mentem, vel per suum phantasma, vel per phantasmata propriorum accidentium existentium in eo, in qua obiecti significatione Quidditas materiata, debet statui obiectum humanæ mentis. At quoniam verè & propriè obiectum est id, quod facultatem mouet, format, eiusque est proprium, ideo absolutè loquendo, hoc statui debet obiectum mentis. Nomine Quidditatis materiatæ, excludo singularia, nam Quidditas & essentia vniuersalium est, excludo separatas formas, quæ materiatæ non sunt. Et quamuis sola mente percipiantur, tamen non mouent mentem, nec proprio, nec accidentium in eis existentium phantasmate, sed solum colliguntur ratione ex effecti progrediendo. Hanc sententiam confirmo authoritate & ratione. Aristoteles in contextu 9. tertio de Anima ait, dari carnem, & esse

Obiectũ quo primum.

De obiecto cõi.

De obiecto proprio.

Propriũ obiectum Quidditas materiata.

Arist.

carni,

carni, in decimo inquit, sensitiuo cognosci calidum, frigidum, & quorum ratio quædam est caro, indicando Singularia ad sensum pertinere, ad mentem vero vt vtitur sensu; At afferens deinde Obiectum proprium mentis, inquit ex alio autem vel separabili, vel vt circumflexa se habet ad se cum extensa fuerit, carni esse iudicat, &c. conspicue menti pro obiecto tribuit esse carni, hoc est Quidditatem materiatam. Insuper, in contextu 13. dubitans Philosophus quomodo mens se intelligat, inquit: aut aliis mens inerit, aut ea mixtum aliquid habebit quod illam faciat intelligibilem vt alia, &c. per mixtum consueuit Philosophus in eo 3. de anima denotare materiatum, quare cum dicat, si mens est intelligibilis, vel cætera quæ intelliguntur erunt mentes, quod falsum est, vel mens erit quid mixtum, hoc est essentia materiata, conspicue indicatur essentiam materiatam esse eius obiectum. Præterea, in contex. 16. afferens rationem, cur mens intelligit, non autem intelligibilia quæ sunt obiecta mentis, inquit, materiata, potestare solum esse intelligibilia, & ideo non intelligere: nam ea intelligens debet esse facultas sine materia, conspicue indicans, intelligibilia potestate, quæ sunt Quidditates materiatæ, esse obiectum mentis, quæ etiã potestate dicitur. Quod separatæ mentes non debeant includi sub obiecto proprio, & mouente mentis, patet: quia in cont. 36. sub dubio dereliquit Philosophus, an possint à nobis intelligi. Mox in cont. 39. indicat solum posse intelligi, vt refulgent in phantasmatibus: At ipsæ nec ex se, nec per accidentia in eis existentia habent phantasmata; sed solum noscuntur ratione, colligendo ex operum phantasmatibus conditionem earum. Præterea, id ipsum ostenditur ratione. Nam id debet iudicari obiectum mentis, quo vt intelligat, debet esse denudata, huiusmodi est materiata Quidditas, vt patet ex declaratione quarti contextus, 3. de Anima. Hinc commendatur Anaxagoras inquiens, mentem non mixtam cum materia. & in contextu 6. ex eo quod mens intelligit omnia, nempe materiata, vt propria obiecta, infert non esse mixtam cum corpore. Præterea, conspicue hoc nobis patefacit Aristoteles in 3. de Anima 30. & 39. contextibus. Et in lib. de Memoria & Reminiscentia inquiens, phantasma se habere ad mentem, vt Sensibilia ad Sensum, & sine phantasmate nil intelligi: ex quo hæc ratio elicitur; Id est obiectum mentis, quod respondet sensibilibus relatis ad sensum, sed huiusmodi sunt phantasmata, quæ solum sunt Quidditatum materialium, igitur Quidditas materiata est eius obiectum. Præterea, id statui debet obiectum facultatis sequentis, quod proxime elicitur ex obiecto antecedentis ei famulãtis, at ex obiecto phantasiæ, ad quam pertinent phantasmata, solum proxime elici potest Quidditas materiata, cum phantasia in solis materiatis versetur. Præterea, id est proprium obiectum mentis, pro quo proprie & principaliter requiritur officium agentis; At mens agens proprie requiritur, vt reddat intelligibilia potestate, intelligibilia actu, ex 3. de Anima 17. Intelligibilia potestate, sunt Quidditates materiatæ, vt dicitur in cont. 16. quare illæ sunt obiecta. Præterea, id iudicari debet obiectum mentis, quod recta ratione eius conditioni respondet, huiusmodi est materiata Quidditas, nam sensus omnino immersus in materia, singularia tantum materiata iudicat, superæ mentes omninò à corpore solutæ, in obiecto penitus à corpore soluto versantur. Quare mens hominis ex materia non pendens, iuncta tamen corpori, & pro obeundo intelligendi munere egens phantasmate, cum sit mediæ conditionis, in obiecto mediæ conditionis versari debet: huiusmodi est materiata Quidditas, vt enim mens cupiens intelligere, orditur à phantasia, & desinit in id, quod sibi est congruens, ita materiata Quidditas, cum sit

Ratio.

Ratio.

iuncta cum materia, ab ea per mentem fecernitur, & media quodammodo redditur. Hanc veritatem etiam nobis subindicauit Philosophus in primo physicorum, 49. inquiens mentem esse vniuersalium, sensum singulariũ, indicans mentem esse eorum vniuersalium, quæ contradistinguuntur à singularibus, huiusmodi sunt Quidditates materiatæ, in separatis enim à materia, natura singularis

Auerroes ab ea vniuersalis nõ distinguitur: huius opinionis etiam fuit Auerroes, ideo in 3. de Anima, cont. quinto, definiens mentem potestate, per suum obiectum, dixit, esse id quod natum est fieri omnes intentiones formarum materialium vniuersalium, Ex his patet, quodnam ex sententia Aristotelis debeat statui obie-

Opinio Platonis. ctum humanæ mentis. si quis autem quærat, quod nam ex sententia Platonis statui debeat obiectum eius, breuibus & lucidè ita puto respondendum; Si loquimur de mente supra animam posita, obiectum eius sunt Ideæ ei insitæ per quas eleuatur in Deum, caput Idæarum, & intelligit omnia; Si loquimur de anima rationali, quæ mens animaria dicitur, quia ea tripliciter consideratur, vel vt conuersa ad mentem, & cum ea iuncta, vel vt conuersa in se, vel vt conuersa ad phantasiam, & externa, ita triplex ei obiectum competit: nam vt conuersa ad mentem pro obiecto inspicit Ideas cum quibus per rationes nectitur, vt conuersa in se pro obiecto habet rationes, ei insitas, & hæ sunt obiectum proprium: Vt conuersa ad sensus, vmbræ rationum & Idearum refulgentes in Phantasmatibus, dicuntur obiectum mouens & excitans, & hæ sunt illæ quæ cum Aristotele

Conclusio Quidditates materiatæ dictæ sunt, adeo vt Quidditates materiatæ sint obiecta excitantia, rationes insitæ, obiecta formantia, Ideæ, obiecta perficientia, & terminantia; Absolute tamen intelligibilia apud Platonem sunt Ideæ, vt patet ex calce sexti de repub. & ex 7. & locis aliis. Sed Platonem missum facio.

Cap. XXI.

Dubia nonnulla attinentia ad obiectum humanæ mentis proponuntur, & diluuntur.

VT obiectum proprium humanæ mentis reddatur magis conspicuum, & dubia omnia illud obumbrantia diluantur, difficultates quasdam potiores

Prima dubitatio. proponam, & diluam. Quæritur primò cum Quidditas vsurpetur dupliciter vt suo loco patefeci, vel in prima significatione, nempe pro forma partis, vel in secunda hoc est pro forma totius, dum dicimus, Quidditatem materiatam esse obiectum, quam intelligere debemus? Aristot. modo vnum, modo alterum denotare videtur, nam in 3 de Anima menti pro obiecto tribuit esse carnis, id est, formam partis, datur enim hæc caro, caro, & esse carni, hoc est particulare, vniuersale quod est forma totius, & esse quod est forma partis. In primo autem

Solutio. Phys. 49. ait, mentem esse vniuersalium, quæ sunt formæ totius. Respondeo, dum pro obiecto humanæ mentis statuitur Quidditas materiata, debet intelligi cum in prima, tum in secunda significatione, præsertim tamen in prima, adeò vt obiectum sit ab vno non vniuocum; Ratio est: quia vtraque quidditas sola mente apprehenditur, & vtraque ex phantasmatibus elicitur, primo tamen denotatur forma partis, & quidditas in prima significatione, quia per eam deinde compositum est intelligibile, actus enim est ratio intelligendi, & Aristot. in 3. de Anima hoc principale explicauit, Vniuersale autem primo formam partis denotat, secundo, compositum, vt dicitur in 8. Met. contextu 7. & 8, Quiddi-

tas ita-

tas itaque materiata eo ordine quo est Quidditas, etiam est obiectum, & quamuis vniuersale & Quidditas in secunda significatione includat materiam, ea tamen per Quidditatem in prima significatione vt recipit actum, ita recipit vt intelligi possit. Dubitatur secundo, quia Quidditas latè dicitur de essentia cuiuslibet rei, adeo vt etiam dicatur de essentia Materiæ quæ propria definitione explicatur, hinc dicitur distingui specie, & ratione à priuatione, num igitur nomine Quidditatis materiatæ denotetur etiam essentia materiæ? Insuper num denotetur essentia secundarum notionum, veluti Generis, Speciei, Vniuersalitatis, Singularitatis, & similium? Respondeo, materiam non denotari, quia aliud est esse materiam, & esse Quidditatem materiatam, denotantem aliquid distinctum à materia, pendens tamen ex ea: nam cum materia non sit actus formalis, sed pura potentia sumpta pro gradu entis, contradistincta ab actu formali, nec mouere, nec propria notione formare valet mentem, quæ dicitur locus specierum. Materia itaque, vt etiam separatæ mentes, solum continetur sub obiecto proprio humanæ mentis, in prima significatione, non in secunda, de qua est sermo. Idipsum dicendum puto de secundis notionibus, illæ enim nec per sua, nec per suorum accidentium phantasmata valent mentem mouere, phantasmata enim sunt rerum & primarum notionum: secundæ notiones solum mox de proprio obiecto, & de his quæ principaliter à mente percipiuntur, formari possunt, & intelligi; hæc enim sunt ea scibilia de quibus Aristoteles in prædicamento relationis dixit, quod simul formantur & cognoscuntur, facultas autem non format sibi obiectum. Dubitatur tertio, quia dixi etiam ex sententia Auerrois Quidditatem materiatam esse obiectum proprium & adæquatum mentis, quod videtur dubium: quia ex eius opinione nostra mens est apta intelligere separatas formas, & necti cum eis & per eas beari, vt patet ex tertio de Anima, 14. & ex 12. Metaphysicæ, 17. ex principio secundi Metaphysicæ, & locis aliis. Hæc dubitatio soluitur per duo fundamenta. primum est, quia quamuis separatæ mentes à nobis apprehendantur, & de illis agat Metaphysicus, tamen non percipiuntur per phantasmata earum, vel accidentium existentium in illis, sed ratione ex operibus colliguntur, & ita non proxime mouent nostram mentem. Alterum fundamentum est, quia separatæ mentes per nostram, duobus modis intelliguntur, ex sententia Auerrois. Primo, per opera, & operum phantasmata, vt dixi. Secundo, per essentiam mentis in adeptione eius, ad quam prima cognitio est dispositio, in qua adeptione nectitur cum separatis mentibus, intelligit per essentiam, & beatur: qui intelligendi modus non hominis, sed mentis est: nec est præsentis considerationis, & à me reiicitur in 9. gradu Philosophiæ moralis. Quarta dubitatio satis obscura est, an Quidditas Substantiæ materiatæ prædita sit, vel proprio phantasmate distincto ab eo accidentium, vel specie propria ex se apta mouere mentem, & ab ea intelligi. Qua de re duæ sunt opiniones: vna Auerrois in secundo de anima, 63. & 65. dicentis, phantasiam hominis quam ipse vim cogitandi appellat, apprehendere intentiones indiuiduorum omnium decem prædicamentorum, & intentionem indiuiduorum substantiæ, secretam ab intentione accidentium, & cõmunium, & propriorum, &c. Concedit itaque Auerroes in phantasia intentiones proprias indiuiduorum substantiæ, seorsum ab accidentibus, munere quarũ longe magis tenetur fateri substantias materiatas per speciem, & intentionẽ propriam apprehendi. Auerroem sequitur Gand. in 20. q. 3. de anima, idque confirmat: tum quia mens in contextu 6. dicitur locus specierum, & in cont. 38. Anima non dicitur fieri lapis, sed

Secundo dubitatio.

Solutio.

Tertia dubitatio.

Solutio.

Quarta dubitatio

Auerrois

species eius, tum insuper, quia nisi mens reciperet species substantiæ, non diceretur fieri singula, & singulis reddi similis. Præterea, accidentia non vniuersam essentiam substantiæ, & quid est, patefaciunt, sed solum in primo de Anima 11. dicuntur conferre ad noscendum quid est. Et demum vt in materia per dispositiones præcurrentes educitur forma, ita in mente per species accidentium, & phantasmata, dicitur formari species substantiæ. Ex aduerso est Scotus q. 21. tertii de anima, inquiens, non dari species simplices & irresolubiles Quidditatis & formarum substantiæ, sed solum ex accidentibus nos elicere prædicata, & differentias quasdam, per quas nos animam, & alias substantiæ formas circumscribimus. Huius opinionis etiam fuerunt Academici & ob id præsertim nituntur ostendere necessitatem Idearum, & quia nisi darentur Ideæ & rationes in anima insitæ, per phantasmata, & accidentia, nunquam possemus apprehendere essentiam. Ratio eorum est qua etiam vitur Scotus, quia vilius non valet parere id, quod est præstantius, species accidentium sunt viliores specie substantiæ. Quod confirmatur: quia de formis Elementorum dicimus quod latent, & Aristot. eas circumscribit per Qualitates mouentes secundum locum, & alterantes: At si illæ quæ magis sunt materiatæ, & sensibus propinquiores latent, longe magis latebunt aliæ. Demum, hoc experiẽtia patet, experimur enim nos nil mente concipere posse, nisi cum aliquo accidente, & figura repræsentante: Hinc Aristoteles in tertio de Anima 39. dicebat, cuncta à nobis intelligi in speciebus sensibilibus, adeo vt attinentia ad sensus, quemadmodum sunt origo nostræ cognitionis, ita eam semper comitantur. Hanc opinionem veriorem puto, & pro aduersarum rationum facili solutione considerandum est, speciem dupliciter vsurpari, vel pro simplici imagine, & actione formæ rei, vel pro notione & conceptu formato per circumscriptionem sumptam ex illis, quorum collectio est propria alicuius rei, in prima significatione solum dantur species sensibilium per se, non substantiæ, in secunda etiam dantur substantiæ, qui conceptus ita formatus, ex parte rei denotatæ simplex est, & dicitur apprehensio Simplicium: ex parte vero modi denotandi, est compositus, & resolubilis: hinc de attinentibus ad mentem præsertim, verum est quod species intelligibilis non distinguitur ab actu intelligendi: In hac itaque significatione mens est locus specierum substantiæ, fit singula; in ea est non lapis, sed eius species, addebatur accidentia conducere pro scientia non parere vniuersam cognitionem. Respondeo, conducere, plurimam non vniuersam cognitionem parere, quia munere eorum prædicata, & differentias elicimus ad substantiam pertinentes, & proxime eam explicantes. Exemplum depromptum ex præcurrentibus dispositionibus, in materia non cogit, quia in multis est dissimilitudo, nam materia solum permutatur, non iudicat, mens solum oblata iudicat; In permutatione materiæ, agens per se & principale, est forma substantiæ, accidentia sunt instrumentum in motione mentis, accidentia primo mouent, substantia apprehenditur per consecutionem.

Scotus. *Academici.* *Approbatio.*

Cap. XXII.

Quæritur propria ratio obiecti humanæ mentis.

PRo absolutione explicationis obiecti humanæ mentis, vnum superest declarandum, quod vt magni est ponderis, ita satis est obscurum, cum enim pro obiecto constituendo, non secus ac pro constituendo subiecto scientiarum duo requirantur, nempe res iudicanda, & modus siue ratio propria secundum quam

quam consideranda & iudicanda est, ideo quæritur quænam sit propria ratio contrahens, & constituens obiectum mentis. Qua de re principales opiniones duæ sunt: vna Henrici dicentis, esse verum, adeo vt id quod est tanquam verum, vel Quidditas materiata sub ratione veri sibi respondentis, iudicari debeat obiectum. Altera est opinio Scoti, in tertio de Anima, q. 20. & in secundo Sen. Dist. tertia, necnon Auicennę, in primo suæ Metaphysicæ, putantium, Ens esse rationem formalem obiecti, adeo vt id quod est, quatenus est, sit obiectum humanæ mentis. Ego opinionem primam rationi & authoritati consentaneam iudico, propterea eam primo comprobabo, secundo, referam cōducentia pro euersione aduersarum rationum: Tertio, instantias diluam. Pro comprobatione, considero verba Aristotelis in primo de Anima, 23. aduersus Anaxagoram, dicentis: Non itaq; vritur mens tanquam potentia quadam circa veritatem, &c. quibus verbis indicat, mentis officium esse obiectum iudicare vt verum. Insuper, in tertio de Anima, 34. inquit Philosophus, quod sine actione est verum & falsum, in eodem genere est, cum bono & malo, indicans quod vt bonum & malum se habent ad appetitum, & mentem practicam, ita verum & falsum ad theoricam & iudicantem: at primum constituit obiectum & finem practicæ, quare & alterum theoricæ mentis. Similiter in cont. 49. 3. de Anima, inquit, Theoricam mentem à practica distingui fine, qui veritas est, & 9. Metaphysicæ 22. inquit: verum est attingere, falsum non attingere, indicans semper esse obiectum facultatis iudicantis sub ratione veri & falsi. Quod etiam ostenditur ratione, & primo, vt facultas appetens contradistinguitur à cognoscente, ita ratio & forma obiecti vnius debet contradistingui ab ea alterius; sed ratio obiecti appetitus est bonum, sequens verum, & contradistinctum ab eo, igitur ratio obiecti facultatis cognoscentis debet esse verum antecedens bono. Præterea, ratio obiecti cuiuslibet facultatis ex fine petitur, ideo Aristoteles in secundo Physic. 26. inquit, vnumquodque in qualibet disciplina considerari, quatenus fini eius inseruit: quare similiter ratio obiecti mentis cum fine necti & ex eo debet peti, finis eius est verum, ideo obiectum per rationem veri debet contrahi. Insuper idipsum ostenditur, quia ea est ratio formalis alicuius, per cuius oppositum id formaliter destruitur, at per oppositum veri in adæquatione positi, formaliter destruitur iudicium, quare ea est ratio formalis, non aliud aliquid. Præterea, ostendo, nec ens, nec Quidditatem materiatam esse formalem rationem contrahentem obiectum mentis, quia ens vt ens, est quid absolutum, nō relatum ad mentem, ratio per quam formatur obiectum facultatis, debet includere relationem ad eam facultatem, cuius est obiectum, quare ens vt ens, & similiter Quidditas materiata vt talis, non potest dici obiectum, sed cum ratione veri: quia sic ad facultatem iudicantem refertur. Præterea, ens vt ens, & Quidditas materiata vt talis, operari potest nedum spiritaliter, verum præsertim modo reali: quare vt ens, non est adæquata ratio per quam spiritaliter iudicetur, quare debet contrahi per aliquid per quod æquetur facultati iudicanti, quod nil præter verum esse potest. verum enim ad solum iudicium pertinet, & iudicium ad verum tendit. Colligamus itaque, obiectum commune esse ens, obiectum adæquatum & proprium esse Quidditatem materiatæ vt vera est. Et cum verum sit ratio formalis obiecti cuiuslibet facultatis iudicantis, dum loquimur deinde distinctè de aliqua facultate, obiectum eius debet formari per verum ad obiectum illud, eamque facultatem pertinens, adeo vt Quidditas materiata sub ratione veri ei competentis, sit obiectum humanæ mentis. Et quoniam more suo Scotus acutissime

Henricus

Scotus.

Ordo seruandus.

Instantia Scoti.

in hanc sententiam inuehitur, ideo pro facili solutione aduersarum rationum, accipio primo verum esse duplex, vnum in compositione, alterum in simplici apprehensione positum & adæquatione facultatis indicantis cum obiecto. Quo assumpto, dico, qualis fuerit operatio mentis, tale debet iudicari verum, ei respondens, si fuerit operatio prima quæ est apprehensio simplicium, ei respondet obiectum cum vero in simplici apprehensione posito, si altera, cum altero. Accipio secundo aliud esse noscere verum, & nos percipere quod noscamus vere, vt aliud est nos videre & percipere quod videamus, vt patet ex secundo de anima, primum nobis competit actu recto, & est id, quod ad rem facit; alterum actu reflexo, & non est præsentis considerationis. Accipio tertio verum in cognitione ita se habere, & tam late patere, vt per omne iudicium quæratur, & cuicunque alteri rationi & modo antecedat: Nam si aliquid iudicamus vt nobis bonum, vt nobis aduersum, vt vniuersale, vt singulare, semper id antecedit quod ad facultatem iudicantem pertinet, nempe quod tale iudicium sit verum, vel falsum, & eatenus dicimur id obiectum iudicio apprehendere & attingere, quatenus verum attingemus, & non secus. Ex quo patet, errare nonnullos dicentes, verum non esse rationem formalem obiecti, sed modum aliquem cognitionis eius, quatenus obiectum potest nosci, nedum vt verum, sed etiam vt bonum, vt vniuersale, vt singulare, & sic de cæteris. At ex dictis patet eos decipi. Accipio quarto, in rebus inueniri hunc ordinem, primo fiunt, secunda sunt, tertio noscuntur, adeo vt ratio per quam noscuntur sequatur ens tanquam affectio eius, quæ affectio alia non est præter verum, statim enim quod consideratur res vt apta nosci, refulget ratio veri, vt forma eius. Ex his conspicuæ eliciuntur solutiones omnium aduersarum rationum: Nam argumentatur Scotus, quia ens

Instantia prima. ita est obiectum, vt mouet, at mouet vt ens, non vt verum, quia verum in relatione est positum, ens autem pro absoluto mouet, non pro relatione, reflecti-

Solutio. tur ratio: quia vt mouet necessario includit relationem ad facultatem, quæ est

Secunda. ratio propria eius, vt dixi. Addit, verum nosci actu reflexo, at iam dixi, antecedere cognitionem veram rectam, quod verum nunc denotatur. Addit verum esse, affectionem entis, posteriorem ente, posterius non est ratio cognoscendi

Tertia. id, quod est prius, patet solutio ex quarto assumpto. Addit, verum esse modum quo noscitur ens, qui modi sunt multi, patet solutio ex tertio assumpto. Addit

Quarta. demum, obiectum scientiæ non posse esse latius obiecto facultatis cuius ea scientia sit habitus, at obiectum metaphysicæ est vt ens, quod est latius quam

Quinta. vt verum. Respondeo, rationem hanc includere æquiuocatione, nam aliud est iudicium includere rationem veri quæ est adæquatio cum obiecto, aliud rem iudicare vt veram, vt bonam, vt ens, ea prima ratio includitur in omni iudicio recto, non secunda: at id est verum contrahens obiectum mentis, quocunque enim modo aliquid consideretur, semper includitur ratio prima veri, adeo vt nullum obiectum scientiæ inueniatur, quod rationem illam veri non præsupponat, dum consideratur vt aptum nosci.

FRAN-

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Humana mente,

LIBER SECVNDVS.

Et est de immortalitate humanæ mentis ex sententia Aristotelis.

PROOEMIVM.



COLLOCATI in portu, aliorum naufragia tuti inspiciunt, constituti in luce, hilares alios in tenebris errantes inueniunt, Nos similiter supero directi spiritu, diuinoque sole illustrati, in portu & luce veritatis collocati, Philosophorum naufragia, & errores lati & tuti considerare valemus. Supposita itaque veritate, supero lumine patefacta, quid de humanæ mentis immortalitate Philosophi, & præsertim Peripatetici senserint, mihi considerãdum propono. Quæ consideratio adeo est vtilis, vt sine ea quæuis alia consideratio sit inanis, adeo est necessaria, pro humanæ vitæ recta institutione, vt sine ea, nec quid simus, nec quo tendamus, noscere valeamus. Ego profecto cum certò sciam eam esse immortalem, si putarem Aristotelem secus sensisse, pro hoc solo laborarem, vt ostenderem illum errasse: sed cum putem illum vna cum Platone, Socrate, & Pythagora immortalitatis eius radium, quamuis sub nube inspexisse, ideo pro hoc laborabo, vt patefaciam eum putasse humanam mentem ab interitu esse immunem: & quamuis de connexis cum ea non recte senserit, tamen vt cecinit Poeta: Vtilitas considerationis.

Est quoddam prodire tenus, si non datur vltrà.

Et hunc primum humanis viribus inspecta veritatis gradum, magnifacere debemus. Quæro itaq; an ex sententia Aristotelis mens hominis, hoc est ea animæ particula, qua homo sapit & intelligit, post corporis dissolutionem ab interitu seruetur immunis? Qua de re verba facturus, referam primo varias Philosophorum sententias; Reiiciam secundo eorum opinionem, qui animam omnem putarunt immortalem; Ostendam tertio, per varias progrediendo vias, mentem hominis immortalem esse, Quarto loco patefaciam rationes, & aduersa fundamenta inania, & leuia esse; Quinto, de connexis nonnullis loquar, nempe de numero, & an formet hominem; Demum per regulam veri, supero lumine inspectis, obliquitates opinionum corrigam, & dirigam. De quo agendum Ordo scribendi.

Cap. I.

De humana mentis immortalitate opiniones variæ.

Tria capita opinionum. CVm homo tanquam mundi Epilogus cunctorum sit particeps, & eius conditio sit tanquam silua quædam inuia, & confusa, hinc Philosophi per eam vagantes, varias & oppositas sibi constituerunt vias, per quas progressi, in varias de humana mente iuere sententias, præsertim tamen, in tres ordines sunt distributi. Nonnulli enim animam omnem putarunt mortalem, alii ex aduerso omnem immortalem; Quidam se medios constituentes, Animam solam rationis *Caput primum.* compotem dixere immortalem, cæteras interitui obnoxias: Quod pertinet ad primũ caput, ex vetustioribus Emped. Democritus, Thales, Milesius, & alii multi, animam omnem dixere solubilem, & mortalem. Cynici quoque & Epicurei eiusdem fuere opinionis. Ex medicis Hippocrates & Galle. id ipsum existimarunt. Ex interpretibus Aristot. Alex. Auempaces, Alpharabius, Greg. Nicenus, Pomponatius, Portius, Cad. Caiet. ex Aristotel. sententia: Animam putarunt *Herueus.* mortalem. Heruæus in Quolibetis ratione sub dubio dereliquit. Scot. in 4. Sen. dist. 43. q. 2. ait Arist. hac de re fuisse dubium, tamen in hanc partẽ inclinat, quod putauerit eam mortalem, ideo pro hac parte instantias soluit. Gale. in 2. de Gen. fœtus, in lib. de Semine, & in eo quod mores sequantur corporis temperamenta. cap. 3. fatetur se ignarum substantiæ rationalis animæ. In lib. autem de palp. & rigore, & in secundo de febribus ad glauconem, ait: Animal nil esse aliud præter naturalem calorem, & in lib. quod animi mores sequantur temperamentum, quamuis primo dicat se ignarum Subst. rationalis animæ, tamen deinde nititur ostendere eam esse temperamentum, & inquit Andronicum Peripateticum eiusdem fuisse opinionis. Quod Auemp. & Alpharabius secuti sint Alexandum, *Alexan.* testatur Auer. in 3. de Anima 5. & 14. Alex. conspicue in suo primo lib. de Anima ostendit eam prodire ex mixtione, ac ita interire, & gigni, non tamen sine conspiratione virtutis cœli, vt se declarat in 2. nat. qq. c. 3. & quod hoc senserit Alexander, consentiunt omnes principales interpretes Aristotelis, ideo miror de August. Stencho, qui in lib. 9. de perenni Philosophia, cap. 21. & 22. & cum eo alii nonnulli, Alex. tribuunt, quod putarit animam immortalem: afferunt autem verba eius ex 2. lib. suorum Problematum, vbi ostendens bonas temperaturas constituere vires naturales, ait animam rationalem non mutari per læsiones instrumentorum corporis, cum facultate, & potentia, actu sit, propter immortalitatem. Hi conspicue errant, nam loca propria sunt perpendenda, in quibus serio & ex instituto, non obiter de re aliqua est sermo. Conspicue Alexan. in libris de Anima, suam sententiam patefecit, & quod pertinet ad Problema relatum primo, dubium est, an liber ille Problematum sit Alexandri, non autem id dubium est de primo de anima. Secundo in lib. Problematum de rebus est sermo probabiliter & populariter, Tertio immortalitatem Alexander retulit ad agentem, quem solum dixit immortalem, ex conspirantibus ad officium *Secundũ caput opinionum.* intelligendi, illum autem putauit esse Deum. Ex aduerso alii omnem animam dixere immortalem: quorum nonnulli vt Boethius, referente Philosoph. solo nomine talem dixere, non quia non desinat esse, sed quia interitum non recipiat & expectet, cum eius propria sit vita, vt ignis non recipit frigus: alii re & essentia immortalem dixere, quorum nonnulli putarunt eam esse portionem Dei, vt Stoicorum quidam: Alii esse portionem Animæ mundi, vt quidem Academicorum, minus recte Platonis verba percipientium.

Plot.

Plot. vero in lib. de immortalitate, cap. 14. Similiter Zenocrates, Speusippus, & Humenius, putantes, omnem animam immortalem excogitarunt primo, insuper à mente ideam animæ tanquam fontem vel solem; cuius prima participatio esset anima Mundi, reliquas vero esse participationes secundas, & minus principales, quæ fierent per gradus, & modo vario, adeo, vt animæ rationalis essent tanquam radij ideæ, reliqui gradus essent tanquam lumina eorum radiorum & vmbræ, & propterea sola anima rationalis absolute anima iudicatur, reliqui gradus dicuntur vestigia, idola, & vmbræ animæ, ad quæ recipienda, & producenda necessaria sunt corpora; & quemadmodum lumen vniuersi ex sole prodiens, ex parte fundamenti est vnum, & immortale, solum multiplicatum & varium extrinsecus, ita tamen, quod si cætera corpora præter solem abolerentur, lumen remaneret vnum & illæsum, ita se habere de anima existimarunt: nam eam fundamento ideæ putarunt vnam, multiplicatam solum per recipientia, & gradus receptionum, quarum receptionum interitus, est earum perfectio, cum sit reditus in suum principium, suamque puritatem. Hoc indicauit Auerroes disp. 1. dub. 8. inquiens, & si quis forte diceret, quod opinio Platonis est vera, quod anima est vna & antiqua, & diuiditur diuisione corporum, & in separatione redit in suam radicem: Tertiò nonnulli se medios cõstituerunt, & animam partim mortalem, partim æternam dixere: at modo vario. Nam Theologi optime norunt, solam hominis animam esse immortalem, creari à Deo, dum formantur corpora, infundi, formari, post interitum seruari incolumem, & tot esse, quot homines. Alij animam hominis in duas diuisere partes, essentia distinctas, quarum vna mentis nomine designata, esset æterna, alia mortalis, & hi in tres classes sunt distributi: nonnulli, vt Themistius, Auerroes vniuersæ humanæ speciei vnam numero competere mentem putarunt, omni ex parte æternam, alij dixere esse tot, quot homines, easque extrinsecus accedere per creationem & seruari: Nonnulli demum, numero quodam definito esse præditas, & ab æterno manasse ex diuina mente, vt nonnulli Academicorum, & præsertim Proclus opinati sunt. Ac de varietate opinionum hæc satis. *Tertium caput opinionũ.*

CAP. II.

Aduersus putantes animam omnem esse immortalem.

EXISTIMARVNT Philosophorum nonnulli, animam omnem, & præsertim cognoscentem, esse ab interitu immunem; vt retuli (nam nutrientem potius naturam, cui semina competunt, quam vere animam putarunt) idque ostendere conati sunt: primo, quia id cuius actio eleuata est supra corpus, etiam supra corpus iudicari debet constitutum: at omnis cognitio est eleuatio super materias, & corpus, quod ostenditur, quia est receptio formarum sine materia, spiritalis, indiuidua, & iudicium rerum corporatarum. Hinc Anaxagoras mentem dicebat abiunctam, vt dominetur, hoc est, vt iudicet, quemadmodum interpretatur Arist. in 3. de Anima, cont. 4. nam iudicium & cognitio est res diuina, quam cum Deo habemus communem: Principia corporum iudicio carent, quare non valent id animæ tradere, imò nec cœlũ, nisi munere Dei, & perennis vitæ ei à Deo tributæ. *Ratio 1.* Insuper, alij id ostendunt: quia omnis anima rationis particeps est immortalis, animæ etiam iumentorum & ferarum sunt rationis participes, quare & immortales; Maior contenditur, quia ratio super corpus erigitur. Minor est Plutarchi in opusculis Mortalibus, & præsertim Porphyrij in lib. de abstinentia *Ratio 2.*

ab esu carnium, in quo variis & pulcherrimis rationibus ostendit, etiam iumenta & feras, esse ratione prædictas, quas ego non refero. Hinc Stratonis Physici sententia fuit, nec sentire quempiam sine ratione posse, dum enim mens attentionem non adhibet, nec aures audiunt, nec oculi vident, & ob id dictum est, mens est quæ videt, & audit. Similiter Anaxagoras, (referente Aristo. in 1. de Anima, 24.) censuit mentem omnibus animalibus competere. Et quod magis vrget, est, quia fere omnes ostẽsiones quibus Plato ostendit animam esse immortalem, etiam vim habent de anima ferarum & iumentorum, vt patebit ex earum consideratione; ideo in Timeo loquens de generatione auium & ferarum, inquit auium genus, ex genere hominum ita formatum fuisse, vt pro pilis pennas acciperent. Hinc dixi, in aues eos homines verti, qui simplices, innocentes, & leues sunt, & ob id Pythagoras quoque animas hominum per corpora ferarum, & iumentorum meare affirmauit. Et in Philebo inquit Plato, vt singula corpora vniuersi corporei mundi sunt partes, ita singulæ animæ sunt partes vniuersæ animæ. Plotinus in lib. de immortalitate, cap 14. ostendit omnem animam esse immortalem, quia omnis anima est essentia simplex, & à materia immunis. Arist. in 1. de Anima. 65. videtur ostendere sensum esse immortalem, inquiens, non lædi, & si senex reciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, Ideo Philosophus in 2. de Anima exponens cont. 9. & 34. ait, sensum quoque ab hoc crasso corpore separari. Patet itaque ratione, & authoritate, animam omnem esse immortalem. Quam sententiam à vero alienissimam putare debemus, & in his quæ relata sunt, varij & cõspicui includuntur errores, primò putare animam omnem esse portionem Dei, falsum est, ita enim animalia nec à Deo, nec inter se distinguerentur specie, qualis enim est forma, talis est species rerum, nec si id esset, tã perdite homines ad vitia essent procliues, propterea errauit Manichæus, putans Deum esse lucem corpoream, in infinitum extensam, cui anima humana portio esset, & D. Tho. secundo cont. Gent. cap. 84. & in prima parte Summæ, quæst. 9. art. 1. variis rationibus errorem eorum explodit, qui animam omnem esse portionem Dei existimarunt. Secundò similiter à vero abest, quod animæ omnes, vnius vniuersæ animæ sint portiones, ita enim eodem modo eueniret, vt viuentia omnia non distinguerentur specie, cum species ex forma prodeat. Insuper si vniuersi vna esset anima, læsa vna parte vniuersi, læsionem perciperent & reliquæ, & totum vniuersum esset vnum numero viuens. Tertiò, id quoque reiiciendum est, animam omnem esse rationis compotem: nam præter id quod sequerentur nonnulla ex relatis absurdis, etiam animal omne esset capax scientiæ, & risibile, cum hæc sequantur rationem, & homo per essentiam à formica non secerneretur. Insuper, nulla operatio iumentorum & ferarum nobis rationem ostendit, quoniam opera quæ efficiunt, ea faciunt non ratione, sed per instinctum naturæ, vt in secundo Physic. 80. docet Aristoteles, & ob id semper consimiliter ea efficiunt. Quartò, cum vero pugnat, putare animas ferarum esse immortales, cum sint instrumentariæ, lædantur à vehementi sensibili, non vertantur supra se, non sint libero arbitrio præditæ, nec religioni subiiciãtur. Quintò, etiam sententia Philos. vera non est, dicentis, Sensum ab hoc crasso corpore secerni, nam sententia est Aristotelis in secundo de generatione animalium, c. tertio de facultatibus instrumentariis, & de instrumentis consimilem esse rationem, quare cum pereant instrumenta sensuum, etiam facultates sentientes perire putandum est: & propterea minus recte idem Philosophus ait in secundo de Anima, 34. & in primo de Ortu & interitu, 118. induci has facultates & formas,

Stratonis sententia.

Ratio 3.

Ratio Plotini.

Arist.

Euersio.

Primus error.

2.

3.

4.

5.

formas, ab vniuersi opificio, cum tamen Aristoteles dicat, Mentem solam extrinsecus accedere. De opinione Platonis quid sit dicendum, suo loco patebit. Falsò itaque dicitur, omnem animam esse immortalem. Et facile diluuntur rationes pro ea opinione relatæ. Dicebatur primo, cognitionem & iudicium supra conditionem corporis esse eleuata: Respõdeo hoc competere iudicio mentis, quæ sine instrumento & læsione in separatis à materia sua conditione versatur, at iudicium phantasiæ, & sensuum, vna cum potentiis, ex quibus prodeunt, seruant conditiones materiæ, versantur solum circa materiata, eaque cum læsione, & per instrumenta percipiunt, dicuntur tamen eleuari supra corpus, quia superueniunt temperamento corporum, præstant formis ex mixtione consurgentibus, & corpora indicant. Addebatur, iudicium esse rem diuinam, & ex principiis corporum pendere non posse. Respondeo, iudicium rei secretæ à materia esse rem diuinam, at re iunctæ cum materia esse vmbram, & tenuem participationem præstantis conditionis diuinorum, & prodire ex forma inter materiatas præstantissima, pendente vt ex causa communi, ex cœlo quod viuens est. Addebatur, omnem animam esse rationalem, quod esse mendacium patefeci, nam bruta solam vmbram, & imaginem seruant rationis, & virtutum, eis competentem per instinctum naturæ: at non valent vniuersale elicere, quod est officium rationis, propriam formam seruantis. Ratio Plotini, quod omnis anima est simplex, & immunis à materia, soluitur, quia quamuis materiam non includat vt partem, pendet tamen ex ea, & ex ea per transmutationem educitur. *Rationes aduersæ diluuntur.*

CAP. III.

Humanam mentem ex sententia Aristotelis esse immortalem, ostendere per dicta in primo de partibus Animalium.

VT alienissimum à vero est, omnem animam esse immortalem, ita apprime verum putandum est, mentem hominis ab interitu esse immunem, quod vt lucide patefaciam, per quinque vias progrediens, ex eis rationes varias & validissimas elicere nitar. Primò, perpendam loca & verba varia Aristotelis. Secundò, considerabo leuitatem solutionum aduersariorum. Tertiò, progrediar per rationes Platonis. Quartò, per rationes absolute ex operibus, & conditione mentis depromptas. Demum retorquendo & diluendo aduersas rationes eandem veritatem comprobabo: Nam si rationes oppositum ostendentes inanes apparebunt, proposita sententia firma & constans putanda erit. Progrediens autem per varios libros Aristotelis, ordiar à primo de partibus Animalium, in eo enim Philosophus inquirit, an anima sit Physicæ considerationis? Cum enim historicè prius de animalibus verba fecisset, assignaturus causas, in eo primo de partibus, tanquam in loco proprio considerat, quæ causæ à Physico sint tradendæ, & an debeat Physicus de omni anima verba facere. Soluendo, inquit, animam nutrientem, & sentientem, quia naturæ sunt, ad Physicum pertinere, mentem vero, quam diuinam appellat, ad Physicum non attinere, sed ad Metaphysicum, idque ostendit tribus rationibus. Ex quo loco quatuor eliciuntur rationes, quibus luce clarius ostenditur, Aristotelem putasse humanam mentem esse immortalem. Ratio prima elicitur ex conclusione, reliquæ tres ex rationibus tribus ab eo formatis. Quod ad cõclusionem pertinet, ita *Quinque via.* *Ex primo de partib. animal.* *Ratio 1. ex. cõclu.*

argumentor. Omnis forma ad Physicum non attinens, est immortalis, humana Mens non attinet ad Physicum, quare est immortalis, Maior est Aristot. in t. Phys.83. in 2. Phys. 26. in 1. de Anima, 17. & 6. Metaphys. cont. 2. Minor etiam est Arist. in eo. 1. de partibus Animalium, vbi solam nutrientem, & sentientem facultatem ait attinere ad Physicum. Gradu vero supra sensum positum, quem Diagniam, & mentem appellat, ad diuinum pertinere: At mens hominis supra sensum posita est; Affert deinde Arist. pro comprobanda conclusione proposita rationem primam, quæ est: Si naturalis Philosophus loqueretur de omni anima, præter naturalem scientiam, nulla relinqueretur Philosophia, cõsequens est absurdũ, quia datur Metaphysica, & deducitur consequentia; quia si Physicus consideraret omnem animam, consideraret mentem, quæ est pars animæ, si hanc, igitur etiã intelligibilia, quæ ad eam referuntur, nam absolutè intelligibilia sunt formæ separatæ à materia, quæ sunt eiusdem rationis & considerationis cũ mente, quare scientia Physica considerans sensus, considerabit sensibilia, considerãs mentem, considerabit intelligibilia, hoc est, secreta à materia, & ita ea quoque considerabit quæ considerantur à Metaphysico, & propterea præter naturalem scientiam non erit alia Philosophia, hoc est Metaphysica, quæ post physica dicitur. Consimilem sententiam profert Arist. in 6. Metaphys. cont. 3. inquiens: si præter naturalia non darentur formæ separatæ, naturalis esset prima Philosophia, at similiter id sequitur, si substantiæ separatæ à Physico considerantur? In explicanda hac ratione, de duobus præsertim à cõmuni aliorum expositione dissentio: vnum est, quia per intelligibilia puto Arist. denotare non omnia, quæ ab humana mente apprehenduntur, sed formas à materia secretas, idq; ex eo colligo, quia Arist. ait, vt cõsiderans sensum considerat sensibilia, ita considerãs mentem considerat intelligibilia, at considerans sensum, non considerat singularia, sed vniuersalia materiata, quare considerans mentem, cõsiderare tenetur intelligibilia contradistincta ab huiusmodi sensibilibus, hæc autem sunt formæ à materia solutæ, quæ absolutè intelligibilia dicuntur, vt patet ex 12. Metaphysi. 37. & ex tertio de Anima, 16. quod confirmatur: quia intelligibilia materiata, oblata per phantasmata, non ad Metaphysicum, sed Physicum pertinet. Dissentio secundo, quia cum Aristoteles dicat, nulla præter naturalem remaneret Philosophia alia, puto denotasse, quod periret Metaphysica, hæc enim est ea Philosophia, quæ reperitur præter Physicã, & est post Physica, & præsertim, quia propriæ partes Physicæ Theoricæ sunt Physica & Metaphysica, vt dixit Alexander in procemio priorum, & hæ solæ considerant substantiam. Alij autem exponunt, quod præter naturalem nulla alia scientia remaneret, quod tamen est falsum, quia remaneret Mathematica, & eius erroris occasionẽ præbuit Theodorus Gaza, minus recte interpretans Græca verba, quæ cum debebant verti, nulla præter naturalem remaneret Philosophia alia, ipse dixit nulla alia scientia remaneret. Ex qua Aristotelis ratione, pro immortalitate has duas elicio ostensiones; prima, Forma quæ ad intelligibilia soluta à materia refertur, & est eiusdem ordinis & considerationis cum eis, est soluta à materia æterna, & immortalis, humana Mens per Aristotelem est huiusmodi, quare, &c. Insuper, forma, cuius conditio & essentia, si ad Physicum attineret, non daretur alia Physica, hoc est, Metaphysica, est æterna, immortalitatis, mens humana per Aristotelem est huiusmodi; quare, &c. Affert deinde Aristoteles secundam rationem, quæ hæc est. Forma, quæ non est natura, non attinet ad Physicum, Mens hominis non est natura, quare ad Physicum non pertinet; Maior nota:

Recta explicatio rationis Aristot.

Ratio 2.

Ratio 3.

quia Physica dicitur scientia de natura, ideo illæ formæ substantiales, quæ non sunt naturæ, sed supra naturam, non attinent ad Physicum, sed Metaphysicum: Minor ostenditur. Quia natura est initium motus ex eius definitione, mens non est initium motus, quod ostendit Philosophus, quia mens non est initium accretionis viuentium, ea enim pendet ex Anima nutriente, non alterationis propriæ animalium, quia attinet ad Sensum. non lationis, quia latio etiam competit feris quibus Mens non competit, mens igitur non est initium proprium, & proximum motus Physici, vt natura, sed solum est initium remotum, & est initium Qualitatis, & artificiosi motus, vt patet ex 3. de Anima, & ex lib. de motu Animalium. Ex qua ratione hanc elicio ostensionem. Forma quæ non est natura, sed supra naturam, est immunis à Materia, & immortalis, Mens hominis per Aristotelem est huiusmodi, vt patuit, quare est immortalis. Venio ad rationem tertiam pro notitia accipio formas esse trium generum; Cum materia, vt formæ Physicæ: ex abstractione, vt Mathematicæ: Abstractas, vt formæ ex materia non pendentes, attinentes ad Metaphysicum, Aristoteles ita argumentatur. Nil eorum, quæ sunt ex abstractione, est Physicæ considerationis, Quare mens non est Physicæ considerationis, assumptum patet, quia Physicus solum materiata, & cum Materia considerat, consequentia deducitur duobus modis: nam si per ea, quæ sunt ex abstractione Aristoteles denotauit Mathematica, ratio erit à maiori ad minus negatiuè: nam si non considerat Physicus ea, quæ sunt ex abstractione, de quibus magis videtur quod ea considerare valeat quàm abstracta, igitur longe minus considerabit ea, quæ sui essentia sunt abstracta, qualis ab Aristotele supponitur Mens: Si vero per ea, quæ sunt ex abstractione, Aristoteles vniuersè denotauit non includentia in sui consideratione Materiam, vt Mathematica & Metaphysica, tunc deducitur cõsequentia, quia si Physicus non considerat, non includentia Materiam, non considerabit humanam mentem, quæ talis ab Aristotele supponitur. Ex qua ratione Aristotelis hæc elicitur ostensio. Forma quæ supponitur immunis à Materia, est immortalis. Humana mens ab Aristotele supponitur supponitur immunis à Materia, quare & ex sententia eius est immortalis: Tertia conspicuè ex relatis Aristotelis rationibus elicitur, illum putasse humanam mentem esse immortalem, vt nil clarius dici possit. Solutiones quibus nonnulli Alexandro addicti vtuntur omnino esse negligendas, suo loco patebit.

Ratio 4.

Forma trium generum.

Ratio 5.

CAP. IIII.

Eliciuntur rationes pro humanæ Mentis immortalitate ex primo de Anima.

OStendere humanam mentem esse immortalem proprie pertinet ad tertium de Anima, Arist. tamen in omnibus libris, opinionis suæ indicia quædam patefecit, nam in 1. de Anima disputans aduersus Platonem in cont. 49. inquit: Laboriosum autem est, & mistum esse corpori, adeo vt non valeat absolui, & adhuc fugiendum, siquidem melius est Menti non cum corpore esse, quemadmodum dici solet, & multis placet, &c. Commendat Philosophus sententiam hanc, mentem non pendere ex Materia, & hoc seruare licet, quod non exigui ponderis existimo, quod cum libentissimè Arist. occasiones accipiat disputandi aduersus Platonem, quamuis Plato conspicuè humanam mentem statuerit immortalem, de hoc nunquam illum carpit. In cont. 65. eiusdem primi de Anima,

Ratio prima ex authoritate.

inquit Philoſophus: Mens videtur innaſci, ſubſtantia quædam exiſtens, & non interire, maxime enim interiret ob eam, quæ in ſenio eſt imbecillitatē: nunc autem, vt euenit in inſtrumētis ſenſuum, ſi ſenex ſumeret oculum iuuenis, videret vt iuuenis, ideo ſeniū non eſt, quia patiatur aliquid anima, ſed id in quo, vt euenit in ebrietatibus, & ęgritudinibus; Ipſum igitur intelligere, & ſpeculari marceſcit
Ratio 2. alio quodam interius corrupto, ipſa autem impatibilis eſt. Et poſt pauca: mens autē fortaſſis diuinius quid, & impatibilius eſt, &c. conſpicuè Philoſophus mentem hominis paſſionis expertem, immortalem & diuinam appellat, & cum dicat eam in nobis innaſci, quomodo innaſcatur & inſinuetur, explicat in ſecundo de gener. animal. cap. 3. diuidens innaſci, per aduenire extrinſecus, quod ſoli menti tribuit & gigni ex ſemine: & quamuis dicat fortaſſis, & videtur, patū obeſt: nam ita loquitur, quia non eſt locus proprius, in tertio autem lib. loquitur abſolutè:
Inſtātia. inſuper ſępe, verbo videtur, denotat apparere & conſtare. At inſtatur, quia ratio videtur leuis, quoniam ſimiliter colligeretur ſenſum non pati, & eſſe immorta-
Solutio. lem, cum vtatur exemplo oculi. Hæc inſtantia inanis eſt primo, quia Ariſt. de ſola mente colligit non interire, nō pati, & diuinam eſſe nos modo quærimus quid ſenſerit Ariſtotel. Inſuper dico, rationem eſſe magni ponderis, & pro deductione accipio, animam non recipere magis & minus, ſed ſolum per deprauationem diſpoſitionum corporis parati ad interitum; Accipio inſuper, animæ ſentienti in ſubiecto competere contrarium per priuationem, quia eſt facultas organica, & læditur à vehementi obiecto, cuius oppoſitum apparet de Mente. His aſſumptis, Ariſtot. ita argumentatur: Si mens interit, præſertim interit ob imbecillitatem, quæ accidit in ſenio, ſed per hanc non interit, vt oſtendit, & eſt perinde ac ſi diceret: ſi mens interit, vel interit proprio, vel alieno malo, quod nō intereat proprio malo, hoc eſt per contrarium, vt ſenſus, derelinquit tanquam notum, cum ei non competat oppoſitum in materia; Quod non intereat malo alieno, nempe inſtrumenti, oſtenditur: quia per id neque ſenſus interit; Ratio hæc eſt ſimilis rationi, qua vtitur Plato in decimo de Repub. inquiens, animam nec proprio, nec alieno malo perire, ita ratio habet vim de Mente, non autem de ſenſu, quia
Inſtant. Solutio. Senſus perit malo proprio, nempe ob contrarium in materia. At dicet aliquis, tunc Ariſt. ſupponeret id quod latet, nempe mentem nō interire malo proprio, & carere contrario in materia; Reſpondeo, id accipere vt notum ex eo, quia inſtrumento non eget, & ex dicendis in 3. de anima, & quia concedebatur à Platone, cum quo tunc diſputabat. Inſuper in cont. 82. inquit Philoſophus. Nil melius eſt anima, & præſertim mente, maximè enim rationi conſentaneū eſt, hanc antiquiſſimam eſſe, & per naturam dominam, &c. commendat his verbis Philoſophus rationē Platonis in Phędone, qua oſtendit animam ob id eſſe immortalem, quia eſt antiquior corpore, & non interit cum eo, & ideo eam dicit progeneſtaton, hoc eſt, antegenitam, quatenus non generatur cum corpore, nec ex eo pendet, nec educitur ex potentia materiæ: & idipſum confirmat, addens eam eſſe per naturam dominā, & ob id non ſubijci interitui corporis. Inſuper in cont.
Ratio 3. 92. inquit, quam partē mens in corpore contineat, difficile eſt fingere, indicans, mentem non eſſe organicam, nec ex corpore pendere; Satis itaque conſpicuè in primo de anima Philoſophus protulit indicia opinionis ſuæ de immortalitate humanæ mentis.

CAP. V.

Perpenduntur prolata in ſecundo de anima, & 7. Phyſ.

CVM Philosophus in secundo de Anima communem Animæ definitionem tradidisset, quæ erat animam esse actum primum corporis Physici, organici; ne quis eam male intelligens erraret, & colligeret Mentem organo esse præditam, & ob id non posse à corpore separari, ideo in context. 11. inquit. At verò quasdam partes nil prohibet à corpore separari, propterea quod nullius corporis sunt actus. Præterea manifestum non est, an Anima ita sit actus, vt nauta Nauis, conspicuum ait Philosoph. humanam Mentem esse immortalem, cum dicat nil prohibere eam separari: nam si nil prohibet eam separari, igitur est immortalis, si enim esset mortalis, aliquid prohiberet, nempe conditio propria eius; Insuper, in æternis non differt esse, & posse ex 3. Phys. quæritur loquendo de humana mente, si potest esse particeps immortalitatis, etiam est. Et præsertim, quia dicitur in 10. Metaphysicæ cont. 26. nil interire ex accidenti, sed omne corruptibile necessario cor. umpi, quare si mortalis esset nō rectè de ea diceretur, nil prohibere eam separari; Insuper, cōprobat Philos. suam sententiam ratione, quia nullius corporis est actus, hoc est. quia non eget instrumento proprio, nec vtitur parte aliqua corporis, vt instrumento & quoniā vt particula animæ, vnà cum alijs partibus præest vniuerso corpori, & dicitur actus corporis ratione totius, ideo addit, non esse manifestum adhuc, an ita sit actus, vt nauta nauis, id autem patebit ex declaratione propriæ conditionis eius, in tertio de Anima. Præterea Arist. in cont. 18. dubitat, an partes Animæ sint loco seiunctæ, vel ne, & inquit de nonnullis patere, non esse loco seiunctas, de quibusdam latere, & cū manifestasset de quibus pateat, in cont. 21. manifestat de quibus lateat, & inquit, de mente & contemplandi potentia, nil adhuc manifestū est, sed videtur genus aliud animæ esse, & hoc solum posse separari, vt perpetuum à mortali conspicue Philosophus de parte animæ, quæ mens dicitur, ait posse à corpore separari, non quidē vt accidens, cum sui interitu, sed vt perpetuum à corpore corruptibili: & semper loquitur de mente sumpta pro parte animæ, contradistincta à nutriente, & sentiente: nam de Animæ partibus dubitauerat, ideo statim in cont. 22. addit: reliquæ autem partes Animæ manifestum est, quod separabiles non sunt. Præterea Arist. in cont. 151. ex sententia Homeri, & Empedoclis ait, mentem & intelligere, esse quid corporeum, quod ipse derelinquit, vt conspicuè absurdum; Cum his connexionem quandam habent nonnulla, quæ protulit Philosophus in 7. Phys. nam ibi ostendit alterationem attingere posse sensum, non autē mentem, ideo in cont. 20. colligit: Manifestum est igitur quod alteratio in Sensibilibus est, & in Sensitiua Animæ parte, in alio autem nullo, nisi ex accidenti: loquitur Philosophus de alteratione nobis competente, per disciplinas, & scientias, ad quam cū conspirent. Sensus & mens, alterationem & permutationem per spiritus & instantia ait competere posse Sensibus non menti, nisi ex accidenti, quatenus ex læsione Sensuum & Phantasiæ pendet læsio vsus mentis: Ex quo elicitur hæc ratio; Ea animæ pars, ad quam alteratio peruenire non potest, non est mortalis: nam interitus fit præcurrente alteratione, mens est huiusmodi ex sententia Arist. quæritur non est mortalis. Præterea, in eodē cont. Arist. affirmat, nullam in mente fieri mutationem, neq; dum addiscimus scientias, neque dum obliuiscimur, sed omnem mutationē fieri in corpore, & facultate sentiente, mens enim semper ex se rectè, & consimiliter se habet, varietas & permutatio omnis ad corpus, & sensus pertinet, ideo inquit: Vt igitur neque cum dormiens excitatus est aliquis, aut ebrius esse desijt, aut ægrotans conualuit. factus est sciens, quamuis prius non valuerit vti, sic vtique huiusmodi aliquid

Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3. Ratio 4. Ratio 5. Ratio 6.

sit in prima sciētiæ adeptione, ea enim est perturbationis quies quædam & moderatio, apertè Philosophus mentem ab omni permutatione immunem esse affirmat, & ob id immortalem & æternam.

Cap. VI.

Pro immortalitate humanæ Mentis perpenduntur prolata in tertia de Anima.

Liber proptius ad quem pertinet consideratio immortalitatis humanæ Mentis est tertius de Anima, ideo quid in eo dixerit Aristoteles accuratius considerare tenemur, cum Philosophus de humana Mente, vt est particula animæ proposuisset agendum, & assumpsisset communia ei cum sensu, in 4. contextu progrediens ad propria, accipit Mentem hominis omnia intelligere, ex quo infert, eam à mixtione esse immunem, id confirmat authoritate Anaxagoræ dicentis Mentem debere à corpore esse secretam, vt dominetur, hoc est, vt iudicet, & intelligat, idipsum ostendit ratione, quia recipiens debet nudatum esse eo, quod recipere valet: ex his rectè assumptis, lucidè elicitur, mentem ex

Ratio 1. sententia Aristotelis esse immortalem. Et primo ex comprobatione sententiæ Anaxagoræ; Et ratio ita formatur: Quod ita cum Materia non est mixtum, sed ab ea secretum, vt Mens statuebatur ab Anaxagora, est immortale, mens hominis ab Aristotele ita dicitur mixtionis expers, vt Mens ab Anaxagora, quare &c. Minor est Aristotelis in hoc contr. Maior ostenditur: quia Anaxagoras inquiens mentem esse expertem mixtionis, denotabat eam esse secretam à Materia, & non pendere ex ea, quod patet, cum addat, vt dominetur, hoc est, vt mens dominetur Chao, & valeat illud in ordinem redigere, quod fit per actum intelligendi; ideo Aristoteles ait, vt intelligat; Insuper, idipsum patet ex primo de Anima, 54. ex 8. Phys. 37. ex 3. de Anima, 12. & ex Cratilo Platonis, quibus omnibus in locis dicitur, Anaxagoram ita Mentem putasse à mixtione immunem, vt secreta esset à corpore, non penderet ex Materia, nec pateretur, quare vel Aristot. tribuit nostræ Menti non esse mixtam in ea significatione in qua id proferebat Anaxagoras, vel in alia: si in alia, nos deciperet, & erraret per æquiuocationem: si in eadem, igitur existimauit eam esse immortalem, & ex Materia non

Ratio 2. pendere. Hæc authoritas rectè sumpta insolubilis est; Insuper, ex eodem contextu hæc secunda ostensio elicitur: Omne recipiens debet eo esse denudatum, quod per se, & primo recipere debet, adeo vt nec sit, nec includat illud, Mens hominis, vt obiectum proprium, per se, & primo recipit Quidditates materiatas, quare nec aliqua earum est, nec vllam in se includit, cum autem non sit materiata, Quidditas, est necesse vt sit forma, ex Materia non pendens. Attinentia ad hanc ostensionem explicata sunt pro consideratione obiecti Mentis, &

Ratio 3. regulæ prolatæ, de quibus in primo libro egimus. Præterea Aristot. in contex. 6. colligit Mentem non esse mixtam cum corpore, non fieri qualem, carere instrumento corporeo, & esse locum specierum; Ex quibus quatuor eliciuntur ostensiones: Prima est ea forma, quæ non est mixta cum corpore, est immortalis, Mens est huiusmodi, Minor est Aristotelis; maior est nota, quia idem est dicere, formam non esse mixtam cum corpore, & eam non pendere ex materia.

Ratio 4. Altera ostensio est: Forma quæ non redditur qualis, est immortalis, Mens non fit qualis, quare &c. Minor est Aristotelis: Maior patet; quia dicere formam non reddi qualem, idem est, ac dicere, eam non esse Materiatam, nam per materiatas

teriaș redditur qualis, Hinc. Arist. in primo de Ortu & interitu, 55. inquit, Formam à Materia solutam non reddi qualem. Tertia ostensio est: ea forma quæ pro fungendo suo munere, non eget instrumento corporeo, nec qualitate aliqua, est collocata supra Materiam, & est immortalis, Mens nec vtitur instrumento corporeo, vt alii gradus Animæ, nec qualitate aliqua prima, vt quatuor elementa, nec temperamento, vt formæ Mixtorum, quare est collocata supra corpus, & immortalis: Minor est Aristot. Maior ostenditur, quoniam forma omnis substantiæ ex Materia pendens, vt pro esse eget materia, ita pro fungendo suo munere eget aliquo Materiato, Mens autem est supra instrumenta. Hinc rectius sensit Galenus quam Alexand. Galenus enim, putans Humanam Mentem mortalem, putauit ei instrumentum competere, nempe cerebrũ. Alexander verò, necnon Scotus, ei tribuerunt quod sit mortalis, & instrumẽto careat, quæ duo inuicem pugnant; Quarta ostensio ex eo elicitur: quia sola Mens dicitur locus specierum, hoc est vniuersalium: Nam si Mens est locus specierum, non est coniuncta cum Materia, alioquin non Mens, sed coniunctum diceretur Locus; Insuper, si est Locus specierum, quæ sunt vniuersales, & solutæ à Materia, & Locus debet respondere locato, etiam Mens sui conditione debet esse à Materia soluta, & præsertim, quia nõ Mens per vniuersale seiungitur à Materia, sed contra, vniuersale per Mentem: quare Mens sui natura & conditione est seiuncta, vniuersale autem munere Mentis; Id igitur quod sui conditione est Locus specierum, & ita Locus, vt per id species secernatur à Materia, debet sui conditione à Materia esse secretum, Mens autem est huiusmodi. Nec approbanda est Sententia Scoti dicentis in 4. Sent. Dist. 43. q. 2. Aristotelem solum ostendere Mentem non esse mixtam cum Materia, hoc est, non esse organicam: nam aliud est non esse mixtum cum corpore, & non esse instrumentarium, Aristot. excludit genus mixtionis, non modum vnum, minus proprie dictum. Preterea, tunc Aristot. ostenderet dem per idem, nam ostendit non esse mixtam, alioquin fieret qualis, & instrumentum haberet. Insuper, Aristot. in 7. cont. ostendit longe secùs mentem esse à passione immunem, quàm sit Sensus: nam Sensus læditur à vehementi Sensibili, non Mens, & rationem afferens, ait, Sensitiuum enim non sine corpore est, Mens autẽ est separabilis. Ex his duæ eliciuntur Ostensiones: prima ex Conclusione, altera ex Ratione Conclusionis, prima ita formatur: Quod est immune à passione, non perit, interitus enim est terminus ad quem antecedentis passionis, Mens est immunis à passione, per argumentum, quare nõ perit; quod sit immunis à passione, ostenditur, quia facultas apta pati, præsertim à suo Obiecto patitur, dum exuperans est, veluti vis nutriens ab alimento exuperante, vis Sentiens à vehementi Sensibili: at Mens intelligens summe intelligibile, nedum non læditur, verum potius redditur aptior ad intelligendaalia. At est instantia de Phantasia, quæ per summum imaginabile non læditur, vt dum imaginamur Cœlum, Mundum, & similia, immo disponimur ad rectius imaginanda alia. Hæc instantia inanis est, quoniam vehemens imaginabile id esse dicitur, quod vehementer mouet vim imaginandi, veluti, formidabilia, & apprimè iucunda, quæ ita turbant Vim imaginandi, vt non valeamus alia imaginari, vel saltem minus recte. Altera Ostensio elicitur ex ratione vt dixi, & ita formatur: Pars animæ cui competit, vt sit separabilis, iudicari debet immortalis, Mens Hominis dicitur talis, quare, &c. Et pro confirmatione considerandum, quod dum Aristot. de Mente loquens, ait, eam esse separabilem, hoc semper denotare consueuit, quod separetur, vt æternum

Ratio 5. *Galenus.* *Ratio 6.* *Ratio 7.* *Instãtia.* *Solutio.* *Ratio 8.*

à mortali, vt patet ex secundo Phys. 26. ex primo de anima, 17. ex secundo de anima, 11, & 21. necnon ex 3. de anima 19. quare in hac eadem significatione putandum est in hoc context. 7. prolatam fuisse hanc vocem. Sequitur Arist. in context. 8. & inquit, quod cum mens fuerit singula facta, tunc valet se intel-
Ratio 9. ligere. Ex quo pro immortalitate eius duæ eliciuntur ostensiones: Prima est; Ea facultas, quæ per cognitionem est apta fieri omnia, est immortalis, Humana mens per Aristotelem est huiusmodi, Maior propositio ostenditur: quia cum sit apta fieri omnia, non est per materiam ad vnum definitum genus contracta, sed libera est, & à materia immunis: insuper cum fiat omnia, æmulatur Deum; cuius cond. & opus est immortalitas, & cum fiat omnia, omnibus do-
Ratio 10. minatur & præest, tanquam Iudex eorum. Altera ratio ita formatur, quod in se valet conuerti, est à materia liberum mens cum se intelligat in se ipsam conuertitur, ergo est libera à materia, & ob id à passione, & interitu: nam facultates materiatæ cum sint extensæ per materiam, supra se verti non valent: Hinc sensus non sentiunt se, & Aristot. in context. 25. ait. Si alicui non inest contrarium, cognoscit se, & actu est, & separabile. Præterea, Aristot. in context. 9. & 10. loquens de attinentibus ad Obiectum Humanæ Mentis, constituit differentiam inter formam, & composit um, inter se & id, cuius est esse, & affirmat mentem sui conditione conformari cum ipso esse, sine essentia rerum, singu-
Ratio 11. laria vero apprehendere sensitiuo. Ex his elicitur ratio pro immortalitate humanæ mentis, quæ ita formatur: Quod sui natura & conditione confirmatur cum essentia, excludente materiam, est immune à materia, & conditionibus eius, Mens Humana per Aristotelem est huiusmodi, vt dicitur, in his contextibus, quare est immunis à materia, & immortalis. Hoc indicauit Aristoteles in sexto Nicomachiorum, cap. primo, inquiens, cognitionem fieri per quandam assimulationem, & ad noscendam ea, quæ sunt distincti generis, paratas esse facultates distincti generis, quod etiam dicitur ab Aristotele in calce secundi Poster. Quomodo autem cognitio fiat per quandam facultatis & Obiecti assimilationem, in Physica de Moribus patefeci, in context. 11. quia in Mathematicis etiam includitur Materia intelligibilis, & aliud est rectum, & recto esse, manifestat Philosophus humanam mentem propria conditione secernere à materia,
Ratio 12. & apprehendere ipsum esse; Inde elicitur hæc ratio: Id cuius munere & conditione Mathematica secernuntur ab omni materia, cum Sensibili tum intelligibili, iudicari debet immune à materia, Mens Hominis est huiusmodi, quare est à materia, & consequenter ab interitu immunis. In context. 12. supponit ostensum in præcedentibus fuisse Humanam Mentem & simplicem, & impassibilem, & separatam esse, adeo vt nil commune habeat cum aliis, vt dixit Anaxagoras, & dubitat cum ita se habeat, quomodo ei competat intelligere: & respondet hic locus 34. contextui primi de Anima, in quo ait, Anaxagoras solus impassibilem dicit mentem, & nil commune habere, aut quomodo cognoscat, non declarauit. Ex quo elicitur hæc Ostensio, ea forma quæ ita est simplex, impassibilis, & nil commune habet cum aliis, vt mens dicebatur ab Anaxagora, est im-
Ratio 13. mortalis, Humana Mens ab Aristotele supponitur, & dicitur talis, vt apparuit, quare est immortalis, maior est conspicua, quia Anaxagores Mentem dicebat simplicem, & impassibilem, quoniam eam ponebat æternam, & dominantem materiæ, & per nil habere commune, Aristoteles denotat non pendere ex materia, quia materia ea est, quæ est communis mortalibus, per quam inuicem patiuntur. Præterea cum Philosophus in cont. 13. dubitasset quomodo Mens Hominis

Hominis se intelligat, cum cætera intelligibilia sumpta pro eius obiecto nō intelligant, in conr. 15. & 16. soluens inquit, id euenire ex varietate conditionis naturæ Mentis, & eorum intelligibilium, nam in his quæ sunt sine Materia, vt Mens, idem est intelligens, & intelligibile, habentia autem Materiam, vt obiecta nostræ Mentis, nempe Quidditates Materiatæ, potentia solum, non absolute dicuntur intelligibilia: At facultas ea intelligens sine Materia est. Ex quo elicitur hæc Ostensio. Ea forma quæ est sine materia, & est intelligens ac intelligibilis, est immortalis, & non pendens ex corpore, Mens Hominis per Aristotelem est huiusmodi, quare est immortalis. Loquutus est hactenus Aristoteles de Mentis potestate, & tam cōspicue patefecit, eam esse immortalem, vt nil clarius dici possit, loquitur deinceps de Mente agente, & in contexr. 19. ei tribuit, vt sit immixta, separabilis, & simplex, quæ prædicata in contexr. 4. 6. & 7. protulerat de Mente potestate, ideo ex eo quod Menti potestate cōpetunt, infert longe magis competere agenti, quæ dignior est, quare ea accipit Philosophus in eadem significatione, alioquin ratio includeret æquiuocationem: ea prædicata dicta de agente, omnium interpretum consensione, denotant agentem esse immortalem, quare idipsum patefaciunt de Mente potestate, & ratio ita formatur: Prædicta communia vtrique Menti, denotantia immortalitatem agentis, denotant immortalitatem Mentis potestate, ea tria prædicata sunt communia vtrique, & denotant immortalitatem agentis, quare & alterius differentiæ. Hinc rectè Themistocles ex eis infert immortalitatem Mentis potestate; Et cum varia de vtraq; Mentis differentia Philosophus patefecisset in cont. 20. colligens quasi summam dictorum, manifestat quid ex de connexis cum Mente mortale sit, & quid æternum, inquiens, attinentiā ad scientias actu, & potestate, & ad habitus Mētis, quia sunt extra essentia eius, in indiuiduis perire, & solum seruari in specie, & indicaturus seruari essentiam vtriusque Mentis, quæ fundamento est eadem, inquit: Separata est id quod est, & hoc solum æternum & immortale est, hoc est pertinentia ad scientias & habitus, & reliqua consimilia, sunt præter essentiam Mentis, & variabilia, at separata à Materia, & ab externis relationibus est id quod est; & hæc est propria & absoluta essentia eius, ideo hoc solum ab interitu est immune; Nec per essentiam hanc separatam donotat solum agentem: nam loquutus erat de scientia actu & potestate, quæ ad coniunctum ex vtrisque pertinent, non ad solum agentem, ex quo hæc elicitur ratio: Ea pars Animæ cuius absolutum esse est, vt sit separata & ex Materia non pendens, est æterna & immortalis, Mens Hominis cuius differentiæ sunt Mens potestate & agens, ad quā pertinet scientia actu & potestate, est huiusmodi, quare est æterna & immortalis. Sequitur mox Philosophus soluens tacitam obiectionē: nam si Mens qua homo intelligit est æterna & immortalis, cur scientiæ in ea non seruantur, & cur non recordamur eorum quæ nouimus? Respondens ait, Mentem passiuam sine qua nil intelligimus perire. Ex his duæ pro immortalitate eliciuntur ostensiones. Prima est: Si Aristoteles Mentem qua Homo intelligit non statuisset immortalem, non dubitasset cur non recordemur, quia dubitatio inanis esset, at dubitat, quare indicat se statuisse eam immortalem: nam si sola Mens agens esset immortalis, & ea esset Deus, proculdubio inanis penitus esset ea dubitatio. Altera ratio est: quia cum Philosophus dicat sine passiua Mente nihil intelligere, denotat præter Mentē passiuam reperiri in nobis principiū principale cuius officium sit intelligere, quod principale principium nil aliud est, nisi particula Animæ cuius dua sunt differentiæ,

Ratio 14. Ratio 15. Ratio 16. Ratio 17. Ratio 18.

nempe agens,& possibilis;Per Mentē passiuam proculdubio Aristoteles Phantasiam denotat,quam in cont.155.secundi de Anima,& in contex. 48. tertij de Anima,Mentem appellat,& dicitur Mens passiua,quia ad Sensus internos pertinet,quæ pati dicitur vt Sensus,nam Mentem potestate dixerat esse impassibilem,quare ne secum pugnet, non valet eam denotare: & hoc redditur conspicuum,considerando modum loquendi Philosophi, nam inquit & sine hac nil intelligit,denotando non esse principale principium intelligēdi, sed id sine quo principale principium nil intelligit,id enim non sine, & sine quo non, denotat instrumentum, & id quod principale non est, Propterea eo loquendi modo consueuit vti Philosophus,dum Phantasmáta & Phantasiam denotat, vt patet ex 3. de Anima, contex. 30. & 39. & ex capit. de Memoria & Reminiscentia, quibus in locis Aristoteles ait, Mentem nō intelligere sine Phantasia,& Phantasmatibus; Conspicue itaque elicitur ex libris de Anima, Aristotelem putasse Humanam Mentem esse immortalem.

CAP. VII.

Considerantur verba Philosophi in 2. de Gener. Animal. & in 12. Metaphysica, & in lib. de Moribus prolata.

QVÆRIT Philosophus in secundo de Gener. Animalium,cap.3.quo tempore, vnde,& quomodo, Humanus Fœtus recipiat animā & partes eius, soluens inquit:partes omnes primo competere semini,& conceptui potestate, & considerans quomodo redigantur ad actum,inquit,nō posse omnes extrinsecus accedere,quia facultates instrumentariæ nō reperiuntur sine instrumentis, nec reperiri in semine,cum sit excrementum vtile alimenti, inde inferr. Quare sola Mens extrinsecus accedit,quia cum eius actione nil commune habet actio corporis, & ea sola est diuina. Conspicuè Philosophus Humanam Mentem immortalem ostendit,Primo inquens,eam solam extrinsecus accedere,& ob id in cap.4.eandem dicit aduenam. Secundo inquiens,nil commune habere cum actione corporis,& non egere instrumento. Tertio, quatenus ait eam solam esse diuinam, ratio ita formatur:pars Animæ Hominis diuina, non egens instrumento & extrinsecus adueniens, immortalis est, Mens Hominis est huiusmodi,ex sententia Aristotelis,quare, &c. Et si quis obiiciat, quia in eo cap.inquit Philosophus,omnes animæ partes in conceptu prius reperiri potentia forma autem ob id dicitur, potestate esse in Materia, quia ex eius potentia educi debet. Respondeo,partes omnes prius in conceptu requiri potentia,quia nulla in eo actu est, at ad actum rediguntur dupliciter, vt Aristoteles explicat, vel per eductionem,vel quia extrinsecus adueniat, Mens sola dicitur extrinsecus aduenire, quare secus est in potentia quàm reliquæ partes, cùm secus redigatur ad actum; Sed adhuc instatur, quia inquit Philosophus, sed enim omnis animæ siue virtus,siue potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea quæ elementa appellantur, &c. dixit Philosophus omnem animæ partem corpus exposcere,quare Mens quoque eget corpore, & non est separabilis & immortalis. Hæc quoque instantia inanis est, quia exposcere corpus contingit dupliciter: vel ex quo pendeat, vel cum quo,& per quod inducatur: Mens non eget corpore ex quo pendeat, iam enim dixerat Philosophus, eam extrinsecus accedere, eget tamen corpore,cum quo, & per quod inducatur: quia non recipitur, nisi in definito aliquo & recte disposito corpore , ideo dicitur

Ratio 1. *Secunda.* *Tertia.* *Instātia.* *Solutio.* *Alia instantia.* *Solutio.*

elicitur induci vnà cum tenuissimo & purgatissimo spiritu: nam ex sententia Arist. neque etiam cœlestes Mentes sunt sine corpore, & tot ab eo statuuntur separatæ mentes, quot sunt Cœli orbes. Conspicua sunt verba Philosophi patefacientia mentis immortalitatem, tenemur nos per conspicua, ea illustrare quæ sunt obscura, nō autem eos imitari, qui per nonnulla verba obscure prolata, ea turbare nituntur, quæ lucida & conspicua sunt. Progrediamur ad duodecimum Metaphysicæ, in quo cum Philosophus de separatis mentibus verba faciat, etiam nonnunquam de Humana Mente, vt cum eis suæ essentiæ absoluta conditione iunctā mentionem facit, veluti in context. 17. in quo cum prius dixisset vniuersam rei formam simul esse cum re, & non antecedere, nec sine re, cuius est forma seruari, soluit instantiam de Humana Mente, inquiens: Si quid manet posterius considerandum, in quibusdam enim nil prohibet, vt si anima talis sit, non tota, sed mens, &c. quasi dicat Philosophus: cum vniuersa compositi forma sit simul cum composito, de mente nil prohibet, vt maneat posterius, & nō sit simul, & si nil prohibet, igitur est immortalis, alioquin impedimentum esset necessarium & conspicuum. Ex quo hæc elicitur Ostensio: Ea pars animæ quam nil prohibet seruari & non esse simul cum composito, est immortalis, Mens Hominis huiusmodi est per Aristotelem, quare, &c. Insuper, in context. 39. inquit; Homini per aliquod tempus id competere, quod Deo & separatis Mentibus semper competit, nempe dispositionem optimam, & summum bonum, quæ est affectio diuinorum. Ex quo hæc ostensio formatur: Quod est particeps affectionis & dispositionis diuinorū, includit aliquid Diuinū, Homo per aliquod tempus est particeps affectionis diuinorum, quare includit diuinum aliquod, & immortale, quod nil præter Mentem esse potest. Demum in cont. 51. loquens de cognitione Dei, dubitat: si Deus est intelligens, intellectio, & id quod intelligitur, erit quid compositum, & mutatio erit in eo, quia intelligendo progredietur ex vno in aliud. Soluens inquit, an indiuisibile est omne quod materiam non habet, vt Humana Mens, an, & quæ compositorum est, se habet in aliquo tempore, non tamen semper, ipsum bene esse est in hoc, aut in hoc, sed in toto quodam inest id quod optimum, aliud ab eo existens, sic autem ipsa sui ipsius intellectio per omnia æua se habet, &c. His verbis Aristoteles duo profert ad rem facientia, primum est: quia Mentem Humanam ait esse sine Materia, & indiuisibilem, & per hoc consimilem Diuinæ Menti, nam ratio est à minori ad maius. Si Mens Humana est indiuisibilis, sine Materia, longe magis Diuina, Ex quo hæc elicitur ratio: Forma omnis indiuisibilis & sine Materia, est immortalis & æterna, Mens Hominis ab Aristotele talis dicitur, quare, &c. Alterum quod profertur ab Aristotele est, quod Mens Hominis intelligens composita, nempe quidditates Materiatas, quæ sunt eius Obiectum, non semper in indiuiduis includit ipsum bene, hoc est fœlicitatem, & optimam dispositionem, sed in tota specie: at in intelligente se per essentiam, semper inest ipsum optimum, hæc est eadem cum Sententia prolata in context. 39. & iam relata. At perpendamus nonnulla ad libros de Moribus pertinentia, ostenditur in primo Nicomachiorum, Hominem & illum solum ex mortalibus capacem esse summi boni. Inde elicitur hæc ratio: Quod est capax affectionis diuinorum, est particeps conditionis eorum, Homo per Mentem est capax affectionis diuinorum, nempe summi boni, igitur & conditionis quæ est essentia à Materia & interitu immunis, nā affectio sequitur essentiam rei. Insuper, in 3. Nicomachiorum, cap. quinto, inquit Philosophus, Hominem vtentem Mente liberum:

Ex duodecimo Metaphysices.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Ex libris de moribus.

Ratio 1.

Ratio 2. & dominum esse, & agere per prælectionem. Ex quo hæc ratio formatur: Ex pars animæ per quam homo dominatur, & liber est, à Materia & eius conditionibus est immunis, Mens est pars animæ Hominis, qua vtens Homo est liber, & dominus, igitur Mens à Materia, & eius conditionibus est immunis: nam libertas, & imperium non prodeunt ex pendente à corpore, sed ab eo solo quod corporibus dominatur, & hoc dicebat Anaxagoras, & approbatur ab Aristote-

Ratio 3. le, Mentem scilicet non esse mixtam cum Materia, vt dominari valeat. Præterea, in eodem tertio Nicomachiorum inquit Philosophus, Virum fortem per obitum priuari suis bonis, tamen ob honestum, & virtutem præeligere mortem, at nisi Mens æterna & immortalis esset, nunquam mors esset præferenda vitæ, vt patet de iumentis & feris, tunc enim de ipso esse, non de virtute deberemus præsertim esse soliciti. Præterea, in decimo Nicomachiorum, cap. 7. loquens Philosophus de vita & summo bono in contemplatione posito, inquit: Huiusmodi vita præstantior est quam homini conueniat, non enim quatenus homo est, ita viuit, sed quatenus quid diuinum in eo inest, neq; oportet cum simus mortales, cogitare mortalia, sed quatenus licet immortalem se reddere, omniaque efficere vt ex præstantissimo quod est in nobis, vitam ducamus, licet enim id mole sit exiguum, precio tamen omnino longo interuallo antecel-

Ratio 4. lit, &c. His verbis affirmat Philosophus, in nobis portionem animæ præstantissimam reperiri, quæ cum mole sit exigua, quia non est extensa, sed indiuisibilis, tamen est preciosissima, & viuentes secundum eam reddimus nos (vt licet) immortales, quod non contingeret, nisi ea immortalis esset. Insuper, in part.

Ex libro Problematum. 34. Probl. 7. & 9. inquit Philosophus, sternutamentum indicari omne diuinum, quia habet ortũ à capite in quo inest vis ratiocinandi, quæ diuina est. Præterea, Plutarchus in vita Dionis, & in consolatoria ad Apollonium: similiter Themistius in 3. de Anima, aiunt, Aristotelem in dialogo ad Eudemum, nedum affirmasse, verum etiam firmioribus ostensionibus quam in 3. de Anima de-

Ex dialogo ad Eudemum. monstrasse, æternitatem Humanæ Mentis. Hinc omnes Græci interpretes, ex sententia Aristotelis humanam Mentem dixere immortalem, vt Theophrastus discipulus & consanguineus Aristotelis ex relatione Themist. & Prisciani Lydi. Similiter Plutarchus, Priscianus Lydus, Simplicius, Themistius, Philoponus, Theodorus Metochita, Ammonius, Porphyrius Eustrius Psellus, Olympiodorus: solus Alexander Mentis aciem ab hac veritatis luce auertit, idque ei contigit, quia floruit Romæ tempore Galeni, tunc autem vigebat sententia medicorum & præsertim Hippocratis, qui ob eius authoritatem fuit causa, vt multi deuiauerint, & præsertim Pomponatius, Vincentius Madius, Card. Caietanus, & alii nonnulli viri celebres.

CAP. VIII.

Confirmatur æternitas Humanæ Mentis patefaciendo capita euasionum & solutionum relatarum rationum inania esse.

VT rationes relatæ, & ex Aristotele deprompta appareant firmiores, veritasque clarior refulgeat, hoc alio comprobationis genere vtêdum est, patefaciendo leuitatem solutionum, quibus qui sunt aduersæ sententiæ vti consueuerunt: Cum Philosophus de Humana Mente loquendo, affirmauerit eam

nop

non esse Naturam, sed supra Naturam, non attinere ad Physicum, sed ad Diuinum, esse eiusdem rationis, & considerationis cum his quæ absolute dicuntur intelligibilia, esse aliud genus Animæ, posse separari, vt æternum à mortali, esse immunem à materia, à passione, à mixtione cum corpore, esse proprie intelligibilem, & ob id intelligentem, esse antiquissimam, non egere instrumento, extrinsecus accedere, esse diuinam, & participem affectionũ Diuinis competentium, esse indiuisibilem, intelligere seipsam, sui conditione conformari cum essentia rerum, esse dominam, & libertate præditam, ab ea nonnunquam esse præeligendam mortem, esse aptam fieri omnia, & alia huius generis, quæ illam ab interitu esse immunem conspicue patefaciunt; viri ingenio sublimi præditi, nitentes lucem hanc veritatis, opacitate superinfusæ caliginis obumbrare, varia excogitarunt quibus pro defensione aduersæ sententiæ, & relatarum rationum euersione vti consueuerunt. Ea autẽ præsertim nouem sunt: nam vel inquiunt Arist. loqui de Mente agente, quam aiunt esse Deum: Vel de actu intelligendi, nam appræhensio primorum principiorum nomine Mentis denotatur: Vel 3. aiunt, Mentem hominis dici diuinam nõ conditione propria, sed generis Mentium, vt ait Pomponatius. Vel 4. dici diuinum facta comparatione cum aliis animæ partibus, egentibus instrumento vt Portius; Vel aiunt sententiam proferri probabiliter, & in alieno loco, vt aiunt de prolatis in primo de partibus animalium. Vel sexto aiunt, Aristotelem loqui cum dubitatione, & fuisse dubium, & ob id modo videri in vnam, modo in alteram partem inclinare, vt Scotus, vel septimo inquiunt Aristotelem loqui de Mente, & Anima non hominis, sed vniuersæ, extensa etiam ad eas cœlorum. Vel proferri verba de Mente potestate, hoc est de præparatione, & superaddita facultate, vt Alexander, Vel demum id extrinsecus accedere referunt, non ad essentiam Mentis, sed ad spiritum in Hominis genitura inclusum, pro Mente producenda, qui est præstantior cæteris spiritibus seminum, & maiorem cœlestis caloris virtutem includit. Hæ solutionum viæ vt obliquæ sunt, & à via recta, quæ vnica est, recedunt, ita indicant relatas rationes firmas, & constantes esse, Nam dicere sententias illas ab Aristotele proferri de Mente agente, quæ Deus est, primo hoc mendacium includit, Mentem agentem esse Deum, nam patefeci non distingui essentia à possibili: Insuper, id solum dici potest de vigesimo context. tertij, de Anima, cum alibi conspicue loquatur Aristoteles vel de Mente potestate, vel de Animæ nostræ parte, contradistincta à Sensu, & virtute nutriente, quas tres statuit partes Animæ. Insuper, iam patefeci dicta in eo 20. context. etiam esse referenda ad Mentem potestate, alioquin dubitatio cur non recordemur, ad rem non faceret, & ob alia quæ dixi, similiter id negligi debet, quod aiunt Aristotelem loqui de actu intelligendi mentis, constituente Mentem inspectricem includentem officium agentis, & aliquid diuinum: nam in singulis relatis locis loquitur Philosophus de parte animæ, de facultate intelligendi, & demũ de actu primo, non de secundo. Præterea actus secundus cum sit actio pendens ex actu primo, non est aliquid eo diuinius, & cum sit apprime variabilis, non debet dici magis immortalis primo, absolute enim Aristoteles in 20. context. tertij de anima, attinentia ad secundum actum ait interire. Putare tertio, Mentem Hominis dici diuinam ratione generis Mentium; inane penitus iudicari debet: nam id quod illi generi conuenit, vel competit Menti Hominis, vel ne, si non, Aristoteles nos deciperet, & ei tribueret quod non competit, nec tunc Mens seruaret conditionem generis, cum competentia generi, debeant competere cõten-

Nouem capita euasionũ.

Euersio prima euasionis.

Euersio secunda euasionis.

Euersio tertia euasionis.

tis sub eo, si autem competentia, & ab Aristotele tributa generi Mentis, competunt Menti Humanæ, robur suum seruant formatæ ostensiones; Similiter negligi debet id quod quarto dicunt, Mentem Hominis dici diuinã, & non mixtam, facta comparatione cum aliis gradibus Animæ, egentibus instrumento, & magis immersis Materiæ. Nam Aristoteles absolute loquitur absolute inquit non esse naturam, non attinere ad Physicum, separari vt æternum à mortali, intelligere, & intelligi, quia est absolute, & actu intelligibilis, non potestate solum, vt quidditates Materiatæ, & alia similia profert, quæ Mentem constituunt distincti generis, & absolute immortalem; Dicere quinto, sententias proferri in loco alieno, est re vera alienum aliquid à recto proferre, nam Philosophus, & in locis propriis, & in alienis, semper eandem veritatem constanter enunciauit. Vtuntur autem hac fuga præsertim pro dictis in 1. de partibus animalium, at proculdubio ille est locus, ad quem proprie pertinet cõsiderare anima ad Physicum pertineat, vel ne. Putare autem, quod Philosophus solum tunc rationes probabiles afferat, est nihil dicere: primo, quia conclusio est perpendenda; quæ profertur & approbatur ab Arist. secundo, quia seorsum explicãs illum locum, patefeci Aristotelem ostensionibus firmissimis fuisse vsum. Dicere sexto, Aristotelem fuisse Dubium, & suis verbis modo vni, modo alteri parti fauere, est in re conspicua hallucinari, nil enim Aristoteles dixit clarius, nil toties repetiuit, nil pluribus rationibus comprobauit, adeo, vt si de hoc illum sub dubio fuisse loquutum dicimus, de omnibus illum fuisse dubium putare debeamus. Id etiam, quod septimo addunt, Aristotelem loqui non de Hominis Anima tantum, sed de anima vniuersè, includente etiam Animas Cœlorum, quod præsertim dicunt de loco, ex 1. de partibus Animal. relato, profecto non rectè dicunt, quoniam tunc Aristoteles male dubitaret, male solueret, male ostenderet sententiã quam profert, perperam primo dubitaret, quia in primo de partibus animalium tenetur perpendere, quæ causæ relatorum in libris de historia animalium sint afferendæ, in quibus libris solum sermo est de animantib. mortalibus, nõ de Cœlo. quare solum de Anima mortalium debet dubitare, perperam solueret, quia soluendo ait animã nutrientem, & sentientem esse naturam, & attinere ad Physicum, Mentem vero non; At si non denotaret Mentem Hominis, no solueret difficultatem de tertia parte Animæ, de qua soluenda erat, & eam solueret de Mente Cœlorum, ad rem non faciente; Propterea perperam, & falso principio conclusionem ostenderet, nam ait; Mentem non esse principium motus, cum tamen Cœlorum Mentes proxime, & proprie moueant. Mitto varia quæ hac de re afferre possem. Venio ad octauum, quod erat, Aristotelem loqui nõ de fundamento, sed de præparatione ad recipienda intelligibilia, quod esse falsum in primo libro cumulate patefeci: nam præparatio non dicitur pars Animæ, Aristot. in 3. de Anima de parte Animæ differendum proponit. Demum id quod dicunt Aristotelem, de seminario spiritu loqui, dum in secundo de Gener. Animalium, cap. 3. ait Mentem solam extrinsecus accedere, penitus negligi debet, dubitauit Arist. in eo cap. & rationes formauit, & soluit (de partibus animæ, non de spiritu) & cum de cæteris loquens dicat non posse extrinsecus accedere, quia sunt instrumentariæ, & non seruantur sine instrumentis, loquitur de partibus Animæ, & non de spiritu; Similiter cum inferat solam Mentem extrinsecus accedere, de essentia Mentis, non de spiritu intelligi debet. nec; virtus in semine inclusa partim instrumentaria est, partim non, sed consimilis. Cum itaque hęc summa cura & diligentia à viris ingenio sublimibus excogitata

Euersio quarta enasionis. *Euersio quintæ euasionis.* *Euersio sextæ euasionis.* *Euersio septimæ euasionis.* *Euersio octauæ euasionis.* *Euersio nonæ euasionis.* *Conclusio.*

excogitata pro obumbrandis locis ex Aristotele depromptis, sint inania penitus, & negligenda, constanter colligere valemus, Aristotelem putasse humanam mentem re vera à materia, & interitu esse immunem.

Cap. IX.

Considerantur Rationes Platonis pro animæ immortalitate.

PYTHAGORAS & Socrates conspicuè existimarunt Animam æternam & immortalem, ideo Plato qui hos præsertim sequutus est, variis in locis animam esse immortalem patefecit. Hoc in persona Socratis præstitit in Phædone, ex sententia autem Pythagoræ id fecit in Timęo Pythagoræo, idipsum ex propria, & eorundem sententia in variis dialogis comprobauit, & præsertim in Phædro, & 10. de Legibus, & de Republ. & epistol. ego rationes principaliores, qua potero breuitate referam, & explicabo. Accipio primo ex sententia Platonis sub Deo mentem, sub mente Animam rationalem collocari; de Deo & Mente, vt ex se notum derelinquit esse gradus duos diuinos, & immortales, de tertio gradu, nempe de Anima rationali: de quo minus patet, nititur id ostendere, quæ Anima ab Academicis, & præsertim à Plutarcho Lydo, & Simplicio, nonnunquam mens Animaria nuncupatur. Accipio secundo à Platone nomine animæ absolutè prolato, animam rationem denotari, quæ sit tanquam Lumen mentis: nam cæteros gradus non absolute animas censuit, sed idola, vestigia, & vmbras ex Anima prodeuntes, non sine semine & materia. His præassumptis Plato in Phædro & 10. de Legibus, ex eo quod Anima est numerus, & essentia seipsam mouens, ita ostendit eam esse immortalem: Omnis essentia se mouens immortalis est, Anima est essentia & numerus se mouens, quare est immortalis. Minor patet, quia anima tradit motum aliis, quare ipsa ex se mouetur. Maior ostenditur: quia cum se moueat nunquam se deserit, nunquam desinit moueri, est principium, & origo motus aliorum, principium autem est sine ortu, & interitu, quia ea quæ oriuntur principio egent, ex quo prodeunt. Hæc ratio id roboris habet, quia sola Anima rationalis in se conuertitur, & ob id ex se mouetur, sumendo motum latè, sola est libera, & ob id à Materia soluta, quod etiam tetigit Aristoteles. Secunda ratio elicitur ex vita, id enim cui per se, & sui conditione competit vnum oppositum, non est capax alterius, Animæ conditione propria, & per se competit vita, quare non est capax mortis; Et si quis dicat, capax mortis esse Animal, cui per Animam vita, per eius recessum interitus competit, hoc non satisfacit, quoniam Anima rationalis consideratur primo in se, ac ita ei competit vita, cum sit quid perfectum, mox per eam competit composito, quod est particeps non vitæ, sed vmbræ, & participationis eius, vt etiam est particeps vestigij & vmbræ Animæ, quæ vestigia pereunt, & oriuntur, cum non fiant sine semine & Materia. Hæc ratio id roboris includit, quod Anima rationalis sui conditione, & essentia vita est, & vita vera, per quam ex se viuit, & per cuius participationem viuunt alia, quæ participationes incipiunt & desinunt, cum fons vitæ fruetur sine interitu. Tertia ratio ex eo sumitur, quia omne quod fit, ex suo contrario fit, vt dicitur in Phædone, similiter in contrarium transit, quare viuentia corpora fiunt ex mortuis, hoc est ex Animis antecedentibus solutis ab eo corpore, & dum intereunt transeunt in defunctos & mortuos, hoc est in eas Animas, quæ

Series causarum.

Quid nomine animæ.

Ratio 1.

Vis rationis.

Ratio 2.

Vis rationis.

Ratio 3.

ex illo corpore secernuntur: Hæc ratio pro qua plurimum laborat in Phædone
Ratio 4. Socrates, re vera exigui roboris est. Quarta sumitur ex reminiscentia, ostendit Plato in Menone, Scientiam esse Reminiscentiam, & ex eo infert Animas prius fuisse, & prænouisse cuncta. Hæc ostensio apud Aristotelem nullius est roboris, cum negetur, scientiam esse reminiscentiam, & si vim aliquam includit, ea in hoc solo est posita, quod dicitur in septimo Physic. vigesimo Mentem in addiscenda scientia nil noui acquirere, nec permutari, sed vniuersam permutatio-
Ratio 5. nem in Sensu, & Phantasia esse positam. Quinta ratio sumitur ex natura & conditione Animæ, quæ sic formatur: quod est simplex, inuisibile, sincerum, simile diuinæ Menti, & rebus æternis, est immortale; Anima est huiusmodi, tunc negligit mortalia, aduersatur corpori, moderatur perturbationes ex corpore
Ratio 6. prodeuntes; Sexta ratio, quæ affertur in 10. de Republ. hæc est: Omne quod interit vel proprio vel alieno malo interit, Anima non interit malo proprio, quod est vitium, quare nec alieno, nempe malo & contrarietate corporis: nam si de quo magis videtur inesse non inest, nec de quo minus, & præsertim, quia
Vis rationis. malum alienum non destruit nisi per id malum quod proprium est; Vniuersum robur huius rationis in eo includitur, quod dictum fuit ab Aristot. in primo de
Ratio 7. Anima, 65. vetetuli. Plotinus in lib. de immortalitate cap. 10. ita ostendit animam esse immortalem, talis est Anima, qualis ab animo sincero, puro, non mancipato corpori, iudicatur, at animus sincerus, qui solus est rectus sui iudex, iudicat se immortalem, soli vitiosi & sordidi iudicant oppositum, quare absolu-
Ratio 8. tè Anima putanda est immortalis. Insuper, cui competit affectio diuinorum, diuinum & immortale putandum est, animo puro & sincero competit Iustitia, virtutes cunctas includens, quæ est affectio diuinorum, quare immortalis &
Ratio 9. diuinus iudicari debet; Præterea Philosophia est meditatio mortis, hoc est secretionis Animæ à corpore, quare Philosophi negantes Animam separabilem à
Ratio 10. corpore, Philosophiam & conditionem suam euertunt. Demum benè esse animæ, non pendet ex corpore, sed ex propria cura, studio, & supera Mente, quare necesse. His præsertim rationibus, & aliis consimilibus vtuntur Academici, in quibus hoc præsertim considerandum occurrit, quod principaliores earum consimilem de Anima ferarum, & iumentorum, vt de ea Hominis videntur habere vim: nam illæ quoque mouent viuentia, sunt principia vitæ, non pereunt proprio malo, quare vel non cogunt pro Anima hominis, vel etiam Animæ brutorum sunt immortales; Hac de re ab Academicis, & præsertim à Proclo, & Simplicio varia dicuntur, à quorum relatione supersedendum censeo, cum modo non Academici, sed Peripatetici fungar officio. Et breuibus id dico, quod etiam in præcedentibus tetigi, & latius explicabo dum loquar de numero Animorum, nempe ex Platonis, & Academicorum sententia solam rationalem esse verè, & absolutè animam, & proxime ex Idea Animæ sine Materia prodire, cæteras esse vmbras, idola, imagines, & participationes eius, vel magis vel minus conspicuas, quæ non fiunt sine semine, & Materia, ideo eis competit ortus & interitus, & solum eatenus dicuntur æternitatis participes, quatenus redeunt in suum principale, cuius sunt vmbræ, & si eis competit, vt sint principia motus, & vitæ, id habent ab Anima rationali cuius sunt vmbræ, & ob id esse principium motus, & includere vitam, principali, non vmbræ tribuendum, & consimiliter immortalitas.

CAP. X.

Perpenduntur rationes nonnullæ absolutè, depromptæ ex attinentibus ad Animam.

DECVRSIS rationibus ex Aristotele, & Platone depromptis, perpendendum est, an eadem veritas rationibus aliis ex attinentibus ad Animam desumptis, ostendi possit: quod vt aliqua Methodo efficiam, ita dicamus: Humanum ingenium indagare valet Naturam principiorum, per eorum opera, & affectiones, opera Animæ vel sunt consimilia operibus aliarum formarum, vel distincta, si fuerint consimilia, non valent patefacere conditionem propriam eius: si fuerint propria Animæ, vel sunt communia vniuersæ speciei, vel propria alicuius Humanæ dispositionis, & ambo apta sunt conditionem Animæ patefacere; Hæc opera sunt triplicia, nil enim attinent ad Mentem, vel ad voluntatem, vel ad connexum ex vtrisque: Mentis officium proprium est, secernere à Materia, versari in obiecto seiuncto, non lædi à vehementi obiecto, infinita simul apprehendere, apprehendendo Vniuersale, iudicare corpus quod perficit, conuerti in se, ratiocinari libere pro vtraque parte, & alia similia; Proprium voluntatis est appetitio veri, appetitio summi boni, appetitio æternitatis. Vtriusque autem propria est libertas, operari sine instrumento corporeo, religioni subijci, requiescere in sola adeptione diuinorum, aduersari perturbationibus Sensuum, & corpori dominari. Si demum consideramus propria humanæ Mentis certo modo affectæ, inde prodit Prophetia, diuinatio, negligentia Heroica humanorum, prælatio honestæ mortis vitæ infami, & internus contactus à diuinis. Per hæc progrediendo ex omnibus varias & efficaces rationes pro immortalitate animæ elicere valemus. Aristoteles summa cura & diligentia, omnes vel explicauit vel tetigit, quæ suo Philosophandi generi, suisque principiis consentaneæ erant: Tres tantum videtur silentio præteriisse, quarum vna sumitur ex libertate arbitrij, altera ex Prophetia, & diuinandi genere, tertia ex religione. Quod pertinet ad Arbitrij libertatem, ea satis conspicuè nobis indicat, Mentem dominari corpori, & non pendere ex Materia, hinc libertas & immortalitas se mutuo consequuntur: hanc rationem solum latenter tetigit Aristoteles, dum in tertio de Anima context. 4. commendauit sententiam Anaxagoræ dicentis, Mentem non esse cum materia mixtam, vt dominetur. Rationibus sumptis ex Prophetia, & Religione Aristoteles vsus non est, quoniam per eius principia minoris sunt roboris, quam absolute, & ex sui conditione: nam minimè existimauit Deum hæc singularia noscere. Et pro notitia huius rationis considero sex modis nobis competere posse diuinandi, & prædicendi facultatem, nempe Arte, Casu, Natura, Morbo, Dæmone, Deo, præsagia casu facta prætereunda sunt; quia nil diuini includunt, Vaticinium Dæmonicum Aristoteles non concessit, quia dæmones non cognouit, nec minus latent quam quod Anima sit immortalis. Vaticinium, & præsagium naturale commune est etiam feris, immo certius & firmius apparet in eis, cum magis à natura ducantur & secundum eam viuant, ideo vim non habet. Vaticinium arte nobis competens, & per humanam prudentiam, eam solam habet vim, quæ pertinet ad discursum, rationem, & causarum indagationem, & iudicium. Vaticinium ex morbo, ad Phantasiam, & humores est referendum, id tamen nobis non competeret, nisi diuinum aliquid in nobis esset, quod excitaretur. Vati-

Diuisio operis animæ.

Officium Mentis.

Voluntas Vtriusque.

Arist. tribus videtur siluisse.

Sex modis diuinandi.

cinium Diuinum est duplex, vel enim à Deo in mentem nostram per suam absolutam potentiam, & liberum operandi modum infunditur, & modum hunc Aristoteles non nouit, & obscurior est quam quod Mens sit immortalis. Vel nobis competit per conditionem Mentis iunctæ cum Deo, & diuinis, & dicitur internus contactus, consensio & excitatio per quam venimus in notitiam quod Deus sit, quod sit in cœlo, quod diuina dentur, & hoc nouit & indicauit Aristoteles in decimo Nicomachiorum cap.8. inquiens, virum sapientem visitari à Deo, vt amicum ab amico, indicans hanc consensionem per naturam; & in primo de cœlo context. centesimo dixit, nomen æui diuinè enunciatum fuisse à veteribus. & in secundo de cœlo context. sexto inquit, nobis competere diuinationem de Diis, indicans internum contactum nobis competentem ob affinitatem, & nexum Mentis cum diuinis. Existimauit Porphyrius Vaticinium attinere ad Phantasiam, vt etiam Aristoteles in trigesima parte proble. primo. Damnatur autem à Iamblico in libro de Mysteriis Ægyptiorum, putante pertinere ad Mentem Animariam, sed conciliati possunt: quia Vaticinium pertinet ad Phantasiam, vt proximè excitantem, ad Mentem, vt propria conditione vaticinantem. Phantasia non est causa principalis, sed famula, & excitans, perficitur autem à Mente, ex qua oritur primo diuinatio, & redundat mox in Phantasiam: Sic itaque Vaticinium diuinum Hominis proprium, solum in parte notum Aristoteli, vim habet pro eliciendo immortalitate, & ab eo contactu excitati sunt Philosophi ad eam confitendam. At inquiunt nonnulli, hanc diuinationem denotare separationem à Materia, ex parte tribuentis, non recipientis. Falluntur profectò: quia hic est contactus internus, & diuinus, qui non est nisi inter ea, quæ sunt consimilis conditionis. Insuper, id omne, quod in aliquo recipitur, solùm recipitur secundum cõditionem recipientis, quare contactus spiritalis, internus, & diuinus, solũ competit rei diuinitatis participi, & præsertim id comprobatur, considerando modum, quo nobis competit, quia non per medios sensus, sed per diuinæ conditionis participationẽ nobis inest. Hinc ait Auerroes in 12. Metaph. 18. Vates non intelligere, hoc est per sensus non percipere ea quę dicunt. Ex huiusmodi interno diuino contactu noscimus nos ex Deo pendere, & omne nostrum bonum in eo esse positum, & ab eo esse petendum, & inde consurgit ratio alia ad Religionem pertinens, quatenus per huiusmodi contactum excitamur in notitiam Dei, & in cultũ diuinum, quod est signum firmissimũ immortalitatis animæ: nam Religio nos ligat cum Deo, quod non efficeret, nisi in nobis aliquid simile reperiretur, aptum proximè cum eo ligari; Per religionem spernit homo mortalia, & Deum colit, negligit vitam mortalem, sperat ęternam, quod per naturam non efficeret, nisi mens in natura esset immortalis, & æterna; Sic itaque internus contactus ex quo in nobis Religio oritur, maximi est roboris, sed latet, & per illum potius excitamur ad indagandam, & cõprobandam immortalitatem, quam eam, vt per notius inspiciamus; Hinc in attinentibus ad religionem ob nostram imbecillitatem facile errare valemus, nisi supero lumine illustremur. Hinc Lucret. sequens Epicurum, vt animam suaderet mortalẽ, primo nixus est è medio tollere religionem: At delirat: Religio enim homini competit per naturam, nec in vna orbis parte, sed in vniuerso refulget, in cunctisque hominibus non deprauatis, & pręter naturam affectis inspicitur. Et Plato in Phædone inquiẽs, hanc de animæ immortalitate, esse sententiam veterem, hoc indicare voluit, per internum, & diuinum contactum, homines rectè affectos in hanc sententiam venisse, quod Anima sit immorta-

immortalis, quamuis modum & connexa percipere exactè non valuerint: per hunc itaque internum & diuinum contactum excitatus Aristoteles, putauit mentem immortalem, pro quo approbando nil prætermisit, quod humano ingenio attingi possit.

Cap. XI.

Comprobatur mentem hominis esse immortalem, diluendo, & retorquendo aduersariorum rationes.

NON leuis comprobatio veritatis ea est, dum ostenditur nedum firmis illam niti fundamentis, verum insuper eius lumine tenebras omnes repelli, eiusque robore aduersa tela retundi, in aduersariosque reflecti, quod pro seruanda humanæ mentis immortalitate, satis conspicuè efficere valemus. Septem præsertim sunt fontes, ex quibus aduersarij rationes hauriunt, pro patefacienda humanæ mentis mortalitate: nam primo elici posse videntur rationes ex modo philosophandi Aristotelis. Secundo, ex animæ definitione. Tertio, ex locis, & authoritatibus variis. Quartò, connexione, & consensione humanæ mentis cum corpore mortali. Quintò, ex actionibus, & affectionibus mentis. Sextò, ex summo bono, quod menti tribuit Aristoteles. Demum ex absurdis nonnullis, quæ sequi videntur. Quod pertinet ad primum caput, inquiunt, si Aristoteles putasset humanam mentem esse immortalem, conspicuè id enunciasset, ex eo enim plurimum gloriæ, & beneuolentiæ fuisset assequutus, nec formido aliqua pœnæ illum detinuisset: At cum oppositæ fuerit sententiæ, non audens ob timorem pœnæ, & publici supplicij eam enunciare, verba dubia protulit, se ancipitem indicauit, adeo vt sua externa obscuritate, internam sententiam lucidè patefecerit: Insuper loquens de humana mente orditur à similitudine cum sensu, ab opere mortali, quæ viæ ad solum mortale deducunt, vt ex aduerso in octauo Physicor. orditur ab æterno motu, vt in principia æterna nos eleuet; Insuper si putasset humanam mentem esse immortalem, debuisset primo ostendere ex temperamento tam diuinam partem consurgere non posse, vt ipse potius oppositum indicauit; Hinc Galenus in lib. quod animi mores sequuntur corporis temperaturam, nititur ex Aristotele elicere, quod putarit humanam mentem sequi temperamentum corporis, & esse talem, quale est temperamentum; Præterea, si mentem putasset à materia immunem, non debuisset de ea loqui in naturali Philosophia, attineret enim ad diuinum: At ipse solum in naturali scientia, non autem in prima Philosophia, de humana mente disseruit, nempe in tertio de Anima, ex quo elicitur, leuissimas esse rationes, quæ ex primo de partibus Animalium, eliciuntur, quibus ostendit mentem non attinere ad Physicum; Quod pertinet ad hunc primum fontem, conspicuè prima refulget huiusmodi rationum reflexio, nil enim tam conspicuè Arist. protulit, nil toties repetiuit, quam humanam mentem esse diuinam, & immortalem. Aduersarij sunt, qui caliginem offundere nituntur, perperam sumendo voces, sententiasque peruertendo: Viæ pro explicãdis cœlorum motoribus, & humana mente, non oppositæ sunt, sed variæ & distinctæ, ob distinctionem propriæ cõditionis principiorum, refulgent cœlorũ motores per motũ æternum, refulget mens hominis per officiũ proprium intelligendi, nobis notum & familiare, ambo hęc, proximi & proprij principij immortalitatem sunt apta patefacere; Quod mens

Septem capita ad uersarũ rationũ.

Cap. 1.

Euersio.

ex temperamento non prodeat, patefecit in secundo de Gener. animalium, inquiens, extrinsecus accedere, & eius actionem nil commune habere cum corpore: comprobauit in tertio de Anima, patefaciens non esse mixtam cum corpore,& Galen. oppositum ex Aristotele eliciens, conspicue hallucinatur; Similiter reflectitur quod aiunt: si esset immortalis, attineret ad diuinum, nam conspicuè, Aristot. in primo de partibus Animalium, tanquam in loco proprio, patefecit humanam mentem non esse Physicæ considerationis: quod si deinde visus est in tertio de Anima, de ea loqui, & non in prima Philosophia, pro solutione animaduertendum est, quod cum aliquid considerari possit dupliciter: vel absolutè,& secundum propriam essentiam, vel cum relatione aliqua, id ad eam scientiam (absolutè loquendo) dicitur pertinere, ad quam attinet consideratio essentiæ eius absoluta, non autem solum per aliquam relationem, vt patet de motoribus cœli, qui in secundo Physic. 71. & 73. absolutè dicuntur attinere ad Metaphysicam, cum tamen per aliquam relationem, & externam contractionem de eis etiam in octauo Physic. sit sermo; Insuper accipiendum est Metaphysicam,& Physicam summopere esse affines,& coniunctas,& ob affinitatem nonnunquam dari transitum, obiter tamen ex vna in aliam; Et de humana mente loquendo, Aristoteles rectè dixit eam ad Metaphysicam pertinere: quia absolutè essentia eius diuina est, tamen vt particula animæ,& principium mortalium actionum, induit conditionem naturæ, & subiicitur considerationi Physicæ,& præsertim, quia ob affinitatem cum Metaphysica, & occasionem ei oblatam in libris de Anima, id efficere licuit in tertio de Anima, id tamen ita fecit, vt ostenso, eam ex corpore non pendere, vlterius in consideranda eius absoluta essentia non sit progressus. Et dum additur, quod in prima Philosophia de ea non est loquutus, (prætermitto D. Thomam, qui censuit id accidere ob imperfectionem, & diminutionem eorum librorum) dico de humana mente duo considerati posse, vnum quod est proprium eius; Alterum quod est ei commune cum separatis mentibus, id quod proprium eius est, apparuit in tertio de Anima, id verò quod est ei commune cum separatis mentibus, quod attinet ad absolutam eius essentiam, voluit refulgere ex dictis de motoribus cœli in 12. Metaphysicæ, hinc in context. 17. 37. & 51. etiam de humana mente mentionem fecit, indicando eam similem motoribus cœli, vt patefeci, numerando tamen intelligentias solum numerauit motores Planetarum, quia de earum mentium numero loquebatur, quæ refulgent ex æterno motu, supponens humanam mentem, vt ex aliis conspicuam; Ex his patet cum reflexio, tum solutio rationum primi ordinis.

Cap. XII.

Reflexio & solutio Rationum secundi capitis & ordinis.

Rationes ex capite. QVONIAM definitio naturam & conditionem rei explicat, ideo ex mentis definitione, tanquam ex altero principali fonte, nituntur viri docti rationes, quas magni putant roboris haurire; Definitur anima definitione singulis eius partibus communi, quod sit prima perfectio corporis Physici organici, ex qua pro antecedente sumpta inferunt eam esse mortalem: deducitur consequentia variis modis; primo, quia mens ex materia non pendens, non est per materiam & corpus definienda, mens hominis definitur per corpus. Secundò, quia

quia mens æterna non à Physico, sed à Metaphysico definienda est, Mens hominis à Physico definitione Physica definitur. Tertiò deducitur à Portio: quia Endelechia sumpta pro genere definitionis, dicitur de forma mortali. quæ finis est generationis, non de æterna. Quartò deducitur ab Alexandro in primo suo libro de Anima, quia nullus actus & perfectio est separabilis ab eo, cuius est perfectio, & præsertim, quia ingredientia definitionem, competunt per se, & non possunt non competere definito. Quinto deducitur à Scoto in quarto sententia. distin. quadragesimatertia, quia partes quæ possunt seruari seiunctæ à toto septimo Metaphysicæ, context. 60. sunt elementa, hoc est, materiæ, quare perfectio & actus seorsum à composito seruari nequit. Demum deducitur per ipsummet Aristotelem, qui in secundo de Anima, 26. ex animæ definitione colligit, eam non esse corpus. At non posse esse sine corpore, & non ex alio, id colligit, nisi ex eo, quia est actus corporis: quod confirmatur per Aristotelem, qui in secundo Phys. 19. ex eo quod formæ Physicæ non definiuntur sine materia, infert eas seorsum à materia subsistere non posse. Hæc ratio conspicuè reflectitur per Aristotelem in secundo de Anima, cont. 11. dicentem, ob traditam definitionem nil prohibere quasdam Animæ partes separari, quod etiam dixit in 12. Metaphysicæ, cont. 17. Nam quamuis considerando totum perficiens, id separari non possit, tamen quia partes eius sunt distincti generis, & mens nullius corporis, hoc est corporei, instrumenti est actus, ideo nil prohibet eam separari, Quod etiam confirmat per aliud fundamentum, inquiens, adhuc non cõstare ex data definitione, an anima ita sit actus, vt nauta nauis, indicans actum corporis esse duplicem, pendentem, & non pendentem ex materia, actumque non pendentem posse seiungi, mentem autem esse actum non pendentem ex materia, quod exactè patefacit Philosophus in tertio de Anima, ostendens, non esse mixtam cum corpore, non pati, & absolutè intelligibilem esse, adeo, vt actus sumptus in definitione Animæ, nõn vniuocus ostendatur ab Aristotele, sed ab vno; Ex hac reflexione patet modo inanem esse consequentiam, & singulas deductiones eius; nam dicebatur primo, mentem non pendentem ex materia non esse definiendam per materiam: Respondeo, id esse verum, dum definitur, & consideratur secundum essentiam eius absolutam, non autem dum consideratur vt particula animæ, & relata ad hominem, nam vnum relatorum per alterum est definiendum; Ita euertitur secunda deductio: quia mens æterna secundum essentiam & absolutè ad Physicũ non pertinet, sed attinet modo supra explicato. Tertia deductio sumpta ex eo, quia anima dicitur endelechia, reflectitur per Aristotelem, quia in 12. Metaphysicæ 49. Deum appellat Endelechiam primam; Ex quo patet conspicuus error Portij; Reflexio quartæ deductionis sumptæ ex Alexandro patet ex dictis: nam manifestat Aristoteles actum esse duplicem: pendentem, & non pendentem ex materia; actus non pendens, quamuis cum hac reduplicatione vt est actus, & cum ea relata consideratione non possit separari, tamen pro esse eius absoluto, & non pendente, seiungi potest. Insuper, ea sententia est vera de perfectione, & actu toto, non de parte, quæ sit distincti generis ab aliis. Deducebatur quinto à Scoto per Aristotelem in 7. Metaphysicæ, 60. dicentem partes, quæ seorsum seruari possunt, esse elementa, hoc est materias: quæ deductio ad rem non facit, quoniam ibi loquitur Philosophus de forma totius, consurgente ex partibus, vt ex A. & B. consurgit forma syllabæ, & huiusmodi forma sine partibus ex quibus cõsurgit, seruari non potest, sed solum partes illæ: At mens non est huiusmodi. Hinc *Euersio.*

Aristot. conspicue de forma, non autem de materia loquens in secundo de Anima, 21. ait separari vt perpetuū à mortali. Insuper id verum est de forma tota & adæquata; Præterea Aristot. id explicat de materia, quia omnis pars, quæ seruari seorsum potest, est elementum, at non econtrario: nam etiam forma elementum est, vt patet ex primo Physic. Postrema deductio ex Aristotele deprompta reijcitur: primo quia quamuis anima vt totum perficiens non sit sine corpore, de quadam tamen eius parte nil prohibet. Secundo, quia quamuis mens vt particula non sit separabilis, tamen secundum eius esse absolutum potest separari. Tertio quia quamuis semper ex sententia Arist. & Platonis sit cum aliquo corpore iuncta, potest tamen ab hoc, & illo secerni.

CAP. XIII.

Reflectitur & diluitur tertium caput aduersarum rationum.

QVONIAM quæritur an mens hominis ex sententia Aristo. sit immortalis, ideo per varia Arist. verba, eam esse corruptam & interitum obnoxiam, nituntur ostendere; At pertinentia ad hoc tertium caput, cumulare percurrere & ea sunt,

Euersio 3. capitis. per quæ patefeci Aristotelem vbique eam esse immortalem affirmasse, & ostendisse, præsertim afferunt verba Aristotelis in vigesimo contextu tertij de Anima, ex quibus recte sumptis, apparuit elici humanam mentem esse immortalem; Dubitationem parere videntur verba Aristotelis in cont. 22. & 32. secundi de Anima, quibus indicat Philosophus id quod in nobis statuit separabile, esse quid distinctum à nostra mente, nam cum in cont. 21. dicat mentem & contemplandi potentiam esse aliud genus animæ, & separabilem, sequens in contextu 22. inquit, reliquæ partes manifestum est, quod non sunt separabiles, vt quidam

Quæ pariant difficultatē. aiunt. Ratione autem, quod aliæ manifestum est; sensitiuo enim esse & opinatiuo aliud, conspicue Philosophus opinandi potentiam statuit distinctam ab ea, quam separabilem dixit, potentia autem opinandi attinent ad humanam mentem, vt dicitur in eo tem secundo de Anima, 152. Quod confirmatur per cont. 32. in quo ait, vltimum & minimum est ratiocinandi facultas & Diania. De contemplatiua autem mente alia est ratio, &c. Manifeste Arist. facultatem ratiocinandi, & dianiam indicantem humanam mentem statuit distinctam à facultate contemplandi, quam dixit separabilem: quare si quid in nobis immortale reperi-

Reflexio: tur, non est pars animæ nostræ. Reflexio & solutio horum conspicua est, nam Aristo. in cont. 22. sequens ait: reliquæ partes animæ quod separabiles non sint, manifestum est cum dicat, reliquæ partes, indicat eam quoque contemplandi partem esse, nam contemplandi facultas, ratiocinandi, & dianía, fundamento & essentia idem sunt, solum distinguuntur ratione per officia varia, vt elicitur ex primo cap. sexti Nicomachiorum: contemplandi tamen potentia, eam denotat vt in se consideratam, & ad supera conuersam, circumscribens conditionem eius æternam, facultas ratiocinandi, & diania, eam denotat vt particulam animæ cum mortalibus iunctam, eadem notat conditionem, quam communem habet cum diuinis mentibus hæc vero magis propriam, iunctam cum mortalibus, vt etiam dum dicitur opinatrix. His accedit, quod vt recte considerauit Simpli-

Simplic. cius in 3. de Anima, 17. opinio est duplex vna proprie sumpta, attinēs ad mentem, altera minus proprie, attinens ad phantasiam, quam denotauit Aristoteles in cont. 22. relato, & demum conspicue patet, quod dum Philosophus in tertio

de

de anima ostendit mentem non pendere ex materia, de particula animæ loquitur. At vrgent adhuc, quia per Aristotelem omne quod mouetur est corpus, ex sexto Phys. Mens non est corpus, quare non extrinsecus accedit. Soluitur: quia id quod non est corpus, idest & abest sine motu & transmutatione, vt in secundo de anima dicitur de lumine; Afferunt insuper verba Philosophi in primo de anima dicentis, affectiones esse non proprias animæ, sed ei communes cum corpore; Hinc in cont. 64. inquit, non animam intelligere, sed hominem per animam; Et in cont. 66. addit, cogitare, amare, odisse, non esse affectiones animæ proprias, sed habentis: quibus autem sint affectiones, talis est iudicanda facultas, soluitur dici communes, vel quia sunt affectiones sensuum, vt perturbationes anim, vel quia non fiunt sine phantasia, a deo vt agens totum, homo sit, & huiusmodi sunt actiones ei competentes, vt est particula animæ. Demum afferunt Problema 4 particulæ 30. in quo Aristoteles mentem ait opus naturæ, & opera mentis perfici sensim, vt opera manuum. & in septimo de Repub. cap. 15. inquit, vt corpus prius gignitur quam anima, ita pars rationis expers quam compos, & addit rationalem posterius gigni, & per naturam nasci. Hæc dum recte intelliguntur difficultatem non pariunt, nam connexio mentis nobiscum duplex est: vna per naturam, per quam in principio nobiscum nectitur: altera per operationem, hæc secunda sensim perficitur, quatenus sensim perficitur in nobis phantasia, & loquens de hac secunda connexione dixit in primo de anima, 24. Mentem non omni homini competere, & mens dicitur innasci, vt etiam dicitur in primo de anima, & dicitur opus naturæ, quatenus primo per naturam nobiscum nectitur: at quomodo nectatur, explicauit in secundo de Gen. Anim. cap. 3. inquiens, extrinsecus accedere, & esse aduenam.

CAP. XIIII.

Reflectuntur rationes & diluuntur quæ attinent ad quartum caput.

PRO ostendenda humana mente mortali, satis conspicuæ rationes eliciuntur ex consensione mentis cum corpore. Inter formam à materia non pendentem, & corpus, nulla est consensio, vt inter nauem & nautam: at humanæ mentis, & corporis eximia consensio refulget, Arist. sæpe ait animi affectiones sequi temperaturam corporis, velut in secundo de partibus Anim. cap. 2. & 4. ait, varietatem sanguinis sequi varietates facultatum animi, similiter frequenter eam consensionem approbat in lib. problematum, vt in primo lib. Probl. 8. 14. 15. lib. 18. Probl. primo & 7. lib. 30. Prob. primo 5. 6. 13. & in libro de Physionomia, veluti etiam in secundo de Anima inquit, Molles carne esse aptos mente, hac generatione præsertim vsus est Epicurus. Hinc Lucr. ex eius sententia cecinit: *Consensio mentis, & corporis.* *Lucretius.*

Post vbi iam validis quassatum est viribus aeui
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque,
Omnia deficiunt, atque vno tempore desunt.

Præterea mens hominis nectitur cum corpore mortali, quare est mortalis: deducitur consequutio per Aristotelem in primo de Cœlo 22. docentem æternum æterno aptari, nec posse secus se habere, & decimo Metaphysicæ 26. legitur æ-

ternum, & mortale distingui genere, hoc est materia. Insuper si mens est æterna, vel nectitur cum phantasia per naturam, vel violentia, non violentia, quia æternum violentiæ non subiicitur, & præsertim quia sic generatio hominis esset violenta, interitus verò secundum naturam, & omnis eius actio violenta esset; Non per naturam, quia separatum est id, quod est ex 3. de Anima, 20. & primo de Anima 49. melius ei est sine corpore esse; Similiter formatur ratio dicendo: vel nectitur sponte vel inuita, rationem hanc his Carminibus expressit Lucretius lib. 3. inquiens:

Quod si immortalis nostra foret mens
Non tamen se moriens dissolui conquereretur,
Sed magis ire foras, vestemque relinquere vt Anguis
Gauderet, prælonga senex, aut cornua Ceruus.

Insuper si mens est diuina, cur Cœlum sibi aptissimam sedem derelinquit? hinc

Lucretius. Lucretius:

Quippe etenim mortale æterno iungere, & vnà
Connectere putare, & fungi mutua posse
Desipere est, quid enim diuersius esse putandum est,
Aut magis inter se disiunctum, discrepitansque?

His accedit quod si mens æterna, cum phantasia mortali nectereetur, varia sequerentur absurda: Primo, Non ille ego qui sentio & imaginor intelligerem, quia id fieret per varias formas. Secundo: Homo non vna esset substantia & vnum animal, sed duo distincta genere. Tertio: Absurdum est, formam non pendentem ex corpore, secundum esse, ex eo pendere pro actione. Hoc rationum caput reflectitur primo, quia consensio competit menti ex accidēti, imperium autem per se: nos id considerare debemus quod est per se; nam mens in homine recte affecto, pugnat cum sensibus, coercet & corrigit propensiones eius, dominatur, & imperat, solum ex accidenti consentit, quatenus homo particeps mentis, non intelligit sine phantasia; Hinc Socrates recte cōstitutus, sumpto veneno, loquens cum amicis, ludebat. Et D. Paulus cupiebat dissolui; & martyres iubilantes properabant ad martyrium. Secundo reflectitur accipiendo mundū esse omni ex parte perfectum, & gradus eius mirum in modum iunctos, & colligatos esse, & propterea pro vniuersi perfectione, pro graduum connexione, & pro cumulatiore diuinorum munerum effusione, requiritur nedum mortalia cum mortalibus, æterna cum æternis, sed etiam æterna cum mortalibus necti, quæ connexio tertia non reperiretur nisi competeret homini. Hinc homo à sapientibus dicitur paruus mundus. Hymenæus diuinorum, & mortalium Epilogus magni mundi, & insigne miraculum; At instabatur, æternum exposcere domicilium & sedem æternam; Respondeo id esse verum de absolute æterno, quod non est aptum induere conditionem mortalem, & producere mortales actiones; Insuper id est verùm de sede adæquata. Addebatur mortale, & æternum distingui genere; Respondeo distingui genere Logico: nam homo est in prædicamento & genere vniuoco, non per mentem, sed per phantasiam: per mentem est in genere secundum similitudinē vt cætera æterna; Instabatur, quia connexio vel est naturalis, vel violenta. Dicendum, quod est naturalis per diuinam prouidentiam, ordinem, & connexionem vniuersi, ita per naturam dicitur ab Arist. part. 30. Probl. 4. & præsertim, quia conditio superiorum est perficere nata perfici, & est secundum naturam recipientium, perfici à superiore. Adde-

Lucretio. (margin, beside "tem ex corpore")

D. Thom. batur, igitur separatio erit violenta. D. Thom. 2. contra Gent. cap. 83. inquit, animam

animam per naturam necti cum corpore, ex accidenti seiungi, nam separari est contra naturam formæ, dum consideratur vt forma est, Animæ autem vt non pendenti ex materia, & aptæ seruari, nec secundum, nec præter naturam est, sed modo medio, cum Themistio & Auerroe dicendum esset: Mentem per se necti cum humana specie, ex accidenti, cum hoc & illo, separari ab hoc & illo, seruare tamen semper connexionem cum specie. Dolor & lamentatio nobis competit in obitu ob sensus; & dum Aristoteles inquit, melius ei est non cum corpore esse: dicendum, quod loquitur de separatione à permixtione cum corpore, vt cum aere & Elementis qua secretione, ea semper est secreta: nam loquitur de eorum sententia, qui Elementa dicebant animata, & animam cum eis dicebant permixtam. Deducebatur demum ad nonnulla absurda, ita enim non ille ego qui sentio, intelligerem. Dicendum ex sententia Aristotelis actiones esse compositorum, ille ego qui sentio, etiam intelligo, at non per eandem facultatem, & partem animæ; Præterea id non est absurdum, dum consideratur distinctus gradus hominis, nempe corporei, & rationalis. Dicebatur secundo, quod homo non esset substantia, & animal vnum; Soluitur quia in prædicamento vniuoco, homo non constituitur per mentem, & non est absurdum vt in homine duo considerentur gradus, per quorum vnum habeat commune vniuocum aliis animalibus, non autem per alium; Addebatur tertio, formam non pendentem secundum esse ex corpore, non eo agere pro actione; Respondeo, id esse verum de actione absoluta, & propria, vt est libertas, contactus diuinus, & officium intelligendi per essentiam, si menti competit. Insuper id est verum de seiuncto, non de coniuncto cum mortali corpore, induente conditionem aliquam mortalem. *Themistius.*

CAP. XV.

Reflectuntur & diluuntur attinentia ad cap. quintum aduersarum rationum.

PRINCIPIA clarescunt ex notitia actionum, & affectionum ex eis prodeuntium, propterea ex hoc fonte aduersarii haurientes rationes, ita argumentantur: Si mens vel est phantasia, vel non, intelligit sine phantasia, non potest esse sine corpore, ex Aristotele, in procemio de anima, contex. 12. & 13. At mens non intelligit sine phantasia, ex 3. de Anima, 30. & 39. & ex cap. de memoria & reminiscentia, quare mens à corpore separari nequit, Reflectitur hæc ratio primo, quia refulget actio absolute propria per libertatem arbitrii, per imperium supra corpus, per diuinum contactum, & pugnam cum propensionibus ex corpore pendentibus, Reflectitur secundo, per Aristotelem, in vigesimo cont. 3. de Anima, dicentem, mentem esse separatam, quamuis sine phantasia nil intelligat. Addo tertio eam rationem hanc solam habere vim vt patefaciat, ex sententia Aristotelis mentem semper in quocunque reperiatur cum phantasia esse iunctam: nam Arist. nec mentes Cœlorum sine corpore putauit reperiri, & tot dixit mentes Cœlorum, quot orbes; Hanc sententiam patefecit Arist. in primo de Anima, 66. inquiens, intelligere & speculari marcescere quodam interius corrupto, nempe phantasia, ipsa autem mens impassibilis est, &c. Et est eadem cum sententia 20. cont. 3. de Anima, vt considerauit Themistius; quare ea ratio quæ insolubilis ab aduersariis iudicatur, per conspicua Aristotelis verba lucide dissoluitur, nō enim in procemio de anima loquitur Philosophus de immor- *Ratio.* *Reflexio.*

talitate mentis, ſed regulas tradit ad iudicandum, an ſeorſum à corpore eſſe valeat, vel ne. Afferunt inſtantiam adhuc ex obiecto ſumptam: nam obiectum mentis eſt quidditas materiata, obiectum reſpondet facultati, quare ea materiata eſt, Ariſtoteles in 3. de Anima 61. ait, æterna non egere ſenſu, nec vt ſint nec
Ratio. vt bene ſint, mens hominis eget ſenſu, quare non eſt æterna; Et demum in ſecundo de anima dicitur in mortalibus non reperiri poſterius ſine priore, vt ſenſum ſine nutriente facultate, & mentem ſine ſenſu; Inde hæc elicitur ratio: Id quod non poteſt eſſe ſine alio, ſi id aliud eſt mortale, id quoque mortale erit, mens hominis non valet eſſe ſine ſenſu & Phantaſia, quæ ſunt facultates mortales, quare mortalis eſt. Hanc rationem ita expreſſit Lucretius:

Si immortalis natura animæ eſt,
Et ſentire poteſt ſecreta à corpore noſtro,
Quamquam vt opinor fatendum eſt ſenſibus auctam,
Nec ratione alia nos met proponere nobis
Poſſumus infernas animas Acheronte vocari,
Pictores itaque & ſcriptorum ſecla priora
Sic animas introduxerunt ſenſibus auctas, &c.

Reflectitur. Ratio ex obiecto deprompta conſpicuè reflectitur, per regulam, 4. cont. 3. de Anima. Recipiēs debet eſſe nudatum eo, quod per ſe primo recipere eſt aptum: & ſoluitur, quia id eſt obiectum, vt ea nectitur nobiſcum, & eget ſenſu. Ad id quod additur, æterna non egere ſenſu, verum eſt de compoſitis æternis, vt de Cœlo, & de non iunctis cum mortali corpore, ratione cuius copulæ egent ſenſu. Similiter dum dicitur mentem ſupponere ſenſum, id eſt verum, non ſecundum eſſe abſolute ipſius mentis, ſed ſecundum connexionem, & ordinem conſtitutionis mortalium viuentium, veluti quamuis radii ſolis non recipiantur niſi in perſpicuo, non ob id ſi perſpicuum eſt mortale, & radii ſunt mortales.

CAP. XVI.

Reflectuntur & diluuntur pertinentia ad duo poſtrema capita aduerſarum rationum.

POSTREMA duo Capita aduerſarum rationum, ex ſummo bono, & ex nonnullis abſurdis quæ ſequi videntur eliciebantur. Quod pertinet ad ſextū
Ratio. caput elicitum ex ſummo hominis bono. Ratio ita formatur: Talis ex ſententia Ariſtotelis eſt conditio humanæ mentis, qualis eſt conditio ſummi boni, quod ei tribuit, vt ſummum bonum eſt collocatum in actione proba mortali, & contemplatione mortali pendente ex Phantaſia, vt patet ex libris de moribus, quare conditio humanæ mentis eſt mortalis. Hinc 12. Metaph. 39. inquit Philoſophus, diſpoſitionem optimam exiguo tempore nobis competere, Diis autem ſemper: quare ſummum noſtræ mentis bonum mortale eſt, & in 3. Nicomachiorum mors dicitur vltimum terribilium, & defuncto nil boni, aut mali contingere poſſe. Et in calce primi lib. legitur, ea quæ eueniunt poſteris, vel non attingere, vel leuiter tantum conditionem defunctorum, eſt itaque mens hominis mortalis. Hinc Lucretius:

Nec ſibi quiſquam moriens ſentire videtur
Ire foras animam incolumem de corpore toto,

Reflectitur. Reflexio eſt conſpicua, Niſi enim mens diuina & immortalis eſſet, non eſſet capax ſummi boni, quæ eſt affectio diuinorum: Et dum dicitur, quale eſt ſummum

mum bonum, talis mens: concedo ex parte obiecti, at non ex parte temporis, quo eo fruitur, nam loquitur Aristoteles de summo bono non mentis absolute, sed hominis, qui munere æternæ mentis est capax summi boni: at ratione propriæ conditionis, non semper eius est particeps. Mors est vltimum terribilium at non maximum: solum est maximum terribilium attinentium ad naturam, & hominem mortalem, at non attinentium ad mētem, terribilius enim est vitium, pro quo vitando etiam ex sententia Aristotelis nonnunquam est præeligenda. Addebatur defuncto nil boni, aut mali accidere posse: hoc verum est per principia Aristotelis, & ex opinione eius non cognoscentis aliam vitam, nam in obitu ex sententia Aristotelis pereunt omnes habitus mentis, vt dicitur in cont. 20. 3. de Anima. Præterea defuncto nempe homini corporeo nil potest accidere, vt menti superstiti, & non defunctæ valent alia competere. Id quod enunciatur à Lucretio, quia non sentimus animam exire ex corpore, delirium est: primo quia ea non est corpus, quæ cadat sub sensum, vt ipse perperā existimabat. Secundo, quia tunc desinimus esse, ideo sentire non valemus. Postremum caput sumptum ex absurdis quæ sequi videntur, ita in formam redigitur. Si mens esset æterna, falsa redderetur sententia illa, quod sola æternitate motus possit ostendi dari seiuncta à materia: ita enim Aristoteles ostendisset humanam mentem non pendere ex materia sine æternitate motus. Præterea, si humana mens esset æterna, & ad primam philosophiam pertineret, redderetur falsa sententia Aristotelis in sexto Metaph. cont. 3. dicentis, si præter Physica, non darentur separatæ mentes denotando intelligentias cœlorum, Physica esset 1. Philosophia, nam daretur mens hominis, ad Metaphysicam pertinens. Demum inaniter Philosophus in 1. Philosophia sæpe pollicetur se ostensurum dari formas à materia secretas, iam enim id in 3. de Anima de Humana mente per actum intelligendi ostendisset. *Ratio.*

At inania hæc sunt, & dum recte ea, quæ sunt perpendenda considerantur, nullum faciunt negocium. Nam dum sermo est de genere aliquo, ad id quod principale est conuerti tenemur, & id præsertim est considerandum, genus abstractorum tale est, vt primo competat Deo, secundo cœlorum mentibus, Tertio, menti humanæ: ideo iure Aristoteles de separatis loquens, primo & præsertim motores cœli denotauit, nam illi cum corpore mortali non sunt iuncti, eis competit intelligere, & mouere, intelligere adeo nobis est obscurum, vt æque lateat ac esse eorum, propterea pro medio Philos. vsus est æternitate motus, & quamuis id ostendi possit rationibus aliis, ea tamen est principalissima, dum sequimur Principia Aristotelis. Patet itaque progrediendo per vias omnes nos semper ad hanc veritatem deduci, quod mens hominis sit immortalis, nec eis est assentiendum qui inquiunt, cum animam esse immortalem, sit articulus fidei, demonstrari non potest. Nam minimè articulus fidei est, sed vnum ex suppositis ab articulis fidei, quibus nil repugnat, vt ostendi possint. *Solutio.* *Conclusio.*

CAP. XVII.

An humana mens formet & largiatur esse homini.

EX approbatione immortalitatis humanæ mentis duæ præcipuæ emergunt difficultates: prima est, an formet, altera quomodo multiplicetur, de quibus vt plurima dicuntur ab aliis, ita ego paucissima referam, solum attingens prima capita rerum, quæ facultate & virtute cætera continent. Quæritur primo, an mens hominis illum formet, qua de re vt distincte loquar, referam primo sep- *An mens formet.*

Opinio Platonis. tentiam Platonis, explicabo secundo opinionem Aristot. tertio dubia nonnulla dissoluam. Ex sententia Platonis triplex est homo, primus Idealis, secundus rationalis, tertius sensitiuus; Primus est homo per modum causæ, secundus, per propriam formam, tertius, per modum vmbræ & participationis; Primus homo est ipsamet hominis Idea, siue animæ eius in separata mente: Secundus homo est ipsamet anima rationalis, quæ ex Idea mentis manauit seorsum à materia, & ob id hi duo homines sunt immortales. Tertius, qui est vmbra, pendet ex anima rationali per medium semen, non sine corpore & materia, & ob id est mortalis; mens non format corpus, nec nectitur cum eo, sed cum anima rationali: Anima rationalis media non format materiam, & corpus, sed per semen, vestigium, & idolum sui, tanquam vmbram quandam in corpore producit, quod vestigium & participatio ea est quæ proximè corpus format, & est ex se expers rationis, solum apta ei obtemperare: mens nec format, nec corpore formato vtitur; anima rationalis non format, sed vtitur formato corpore, inferiores facultates ex anima rationali per semen prodeuntes, & formant instrumenta, & formatis vtuntur;

Triplex homo.

Definitio hominis. Ex quo refulget primo, quomodo intelligi debeat definitio hominis ab Academicis tradita, ipsi enim hominem rationalem & medium definientes inquiunt, esse animam rationalem, mentis participem, corpore vtentem. Constat secundo, animam rationalem non formare, sed solum formato vti. Hinc ea non diuiditur in formantem, & vtentem, cum solum sit vtens; Sensus autem ab Academicis in formantes & vtentes diuiduntur. Arist. non tres sed duos solos hominis gradus considerat: Idealem non concedit, quia Ideas renuit & ille, qui à Platone dicitur Idealis, ab Arist. dicitur eminens, quatenus Deus eminenter est cuncta. Concedit Arist. alios duos gradus, sed modo vario: nam primum origine statuit hominem sensitiuum, constitutum per phantasiam supremam omnium formarum materialium, includentem omnes facultates inferiores, non secus, ac quadratum includit triangulum, vt ait in secundo de anima; Considerat secundo, connexionem mentis & phantasiæ, per quam connexionem postrema separatarum mentium nectitur cum suprema mortalium, formarum, & consurgit Hymenæus, & copula mundi cœlestis & mortalis, & inde oritur secundus gradus hominis, qui dicitur homo eminentior; Homo mente cõstitutus affinitate iunctus cœlestium mentibus, cõstituitur homo in genere vniuoco animalium, non per mentem, sed per phantasiam, æterna enim & mortalia distinguuntur genere, ex 10. Metaphys. 26. phantasia cum sit forma ex materia pendens, materiam, corpus, eiusque instrumenta format mens corpus non format, nec instrumento corporeo vtitur, sed cum phantasia nectitur, primo per naturam, mox per operationem & vsum; Est mens essentia superioris hominis, & dat esse ei cõiuncto, & intimius nectitur mens cum phantasia, quam hæc cum corpore, quia nectitur sine extensione, & distantia partium, Mens enim non extenditur, sed vbicunq; est, tota est; Vterque hominis gradus est rationalis, primus origine, est rationalis per participationem, alter per propriam naturam & conditionem; nam patefacit. Philosophus in calce secundi Nicomachiorum, partes animæ esse rationis compotes duobus modis, vel per essentiam, vt mens, vel per participationem, vt sunt aptæ obedire rationi, ab eaque dirigi & formari; Hinc in tertio, de Anima, 57. phantasiam hominis statuit rationis compotem, quia ratione formatur. Dum homo ex sententia Arist. definitur quod sit animal rationis particeps, ea definitio vera præsertim est de primo hominis gradu, id enim proprie est animal viuẽs. per facultatem nutriendi, per sensum animal, per phantasiam & appetitum rationis.

Aristot.

Definitio hominis.

tionis particeps: extendi tamen poteſt definitio non ad ſecundum gradum hominis vt ea Platonis, ſed ad congregatum ex primo, & ſecundo gradu, id enim eſt animal per ſenſum, rationale per participationem ob phantaſiam, rationale vero per eſſentiam munere mentis. Differt in explicandis his duob. gradib. Hominis Ariſt. à Platone primo, quia Ariſt. non ait facultates ſub mente poſitas ex mente animaria prodire, & eius eſſe veſtigia & idola; ſed ſecus ex ſemine gigni, vt ſe declarat in ſecundo de Gen. animal. cap. 3. Differt ſecundo. quia Ariſt. animam ex ſe rationis compotem, non diſtinguit à mente, cuius homo eſt particeps: explicauit Philoſophus hos duos hominis gradus præſertim in decimo Nicomachiorum, cap. 7. inquiens: Si igitur mens cum homine comparata, diuinum quiddam eſt, vita quoque menti conſentanea diuina ſit neceſſe eſt, ſi cum humana comparatur; Neque vero nos oportet humana ſapere, & ſentire, vt quidam monent, cum ſimus homines, neque mortalia cum mortales, ſed nos ipſos quo ad eius fieri poteſt, à mortalitate vindicare, atque omnia facere, vt ei noſtri parti quæ in nobis eſt optima, conuenienter viuamus, &c. Conſpicue Philoſophus his verbis patefacit in nobis duos diſtinctos gradus, quorum vnum appellat humanum & mortalem, conſtitutum per phantaſiam, eiuſque appetitum, ad quem pertinent virtutes in more poſitæ, alterum ab humana contradiſtinctum, attinentem ad mentem, appellat diuinum; Mox per ſequentia verba affirmat gradum diuinum eſſe hominem eminentiorem inquiens: Et vero pars hæc, nempe mens, vnuſquiſque noſtrum eſſe videtur, ſiquidem eſt id, quod nobis eſt proprium, & melius; & poſt pauca; Ergo homini optima ea vita eſt, quæ menti conuenienter traducitur, ſiquidem hęc pars homo eſt maximè, &c. Conſpicuè Philoſophus his verbis ſententiam ſuam patefecit. Propterea pro reſolutione propoſitæ difficultatis, An mens det eſſe homini, tres profero Theſes; Prima eſt, ex ſententia Ariſtot. Mens non dat eſſe, formando hominis corpus. Altera eſt: mens cõſtituit & dat eſſe eminentiori gradui hominis. Tertia eſt opinio Ariſt. abſolutè eſt falſa. Has Theſes capite ſequenti explicabo, & comprobabo.

Differentia Platonis ab Ariſt.

Tres theſes.

CAP. XVIII.

Comprobatio trium propoſitarum concluſionum, explicantium quomodo mens largiatur, & non largiatur eſſe homini.

VT clarius propoſitæ concluſiones refulgeant, oſtendo primo; mentem ex ſententia Ariſtotelis non formare corpus. Nam forma dans eſſe corpori eſt finis generationis per Ariſtotelem in 2. Phyſ. 70. dicentem, finem generationis & formam in idem venire, mens non eſt finis generationis, quod oſtendo: quia finis generationis eſt natura 2. Phyſ. 14. Mens non eſt natura, vt oſtenditur in 1. de part. Animalium, quare mens non eſt finis generationis hominis, & propterea non dat eſſe; vniuerſa hæc ratio ex Ariſt. elicitur, vt conſpicuum eſt, ideo in 2. Phyſ. 13. & 26. ait, quod homo generat hominem, & quod ſimilitudo generantis & geniti in forma eſt, & quod ea forma ad Phyſicũ pertinet, quæ de mente æterna vera non ſunt. Similiter in primo de anima 24. legitur, mentem non omni homini cõpetere: quę ſententia contradictionem includeret, ſi daret eſſe & formaret hominem. Præterea ea forma cõſtituit corpus naturale, ad quam materia eſt in potentia: At materia cum ſit natura, eſt in potentia ad formas, quæ per naturalẽ tranſmutationẽ ex ea educuntur, non ad eas quę extrinſecus adueniũt,

Ratio 1.

Ratio 2.

vt mens, quare mens per principia Aristotelis non dat esse homini, vt corpus naturale est: Præterea ea forma quæ ista est actus, vt nauta Nauis, non format corpus naturale: forma separabilis qualis est mens, ita est actus, vt nauta nauis, quare non format: Minor elicitur ex 2. de Anima, cont. 11. in quo cum philosophus dixisset, quasdam animæ partes nil prohibere vt separentur, innuens fundamentum, ait non constare ex dictis an ea ita sit actus, vt nauta nauis, indicans formam separabilem perinde ad composita se habere, ac nautam ad nauim, & mentem ita esse actum patefacit in 3. lib. ostendens, non esse mixtam cum corpore: Insuper forma non attinens ad Physicum non dat esse corpori Physico, nam considerans corpus Physicum id præsertim considerare tenetur, quod ei largitur esse, mens ex primo de partibus animalium, non est Physicæ considerationis. Et demum vt cætera prætercam, forma & formarum, terminans & terminatum, eiusdem conditionis esse debent, quare materia à solis materiatis formis terminari & formari apta est. Hinc materia cœli, cum respondeat formis distincti generis, etiã statuitur distincta à materia mortalium. At instatur, quia forma per quam compositum est hoc aliquid, dat esse composito, mens est huiusmodi: quod ostenditur: nam Arist. sub initio 2. de Anima inuenturus genus animæ, diuidit substantiã in materiam, formam, & compositum, formam circumscribens, ait esse eam, per quam compositum est hoc aliquid, quam formã inquit esse actum, & illum actum accipit pro genere animæ includentis etiã mentem. Ex quo hæc elicitur ratio: Anima est ille actus per quem compositum viuens est hoc aliquid, mens includitur in anima quæ definitur, igitur est actus per quem compositum viuens est hoc aliquid, & propterea est forma formans; Hinc Arist. mox in progressu patefacit animam esse causam in triplici genere causæ, nempe formæ, finis, & efficientis, loquendo semper de forma formante: Et confirmatur, quoniam nisi mens formaret, capacitas disciplinæ, officium intelligendi, & summum bonum, non essent affectiones hominis, quia ei non competerent per formam ei dantem esse. Diluitur prima ratio: per duo fundamenta, primum est: quia philosophus daturus communem animæ definitionem inspexit animam totam, vt totum, & adæquatum perficiens, non partes seorsum, sat itaque ei est quod anima tota, sit actus formans, vt etiam dixit eam formare corpus organicum, quamuis non omnis pars corporis organica sit, vt caro, & partes consimiles. Hinc Aristoteles, considerans definitionis genus, non æque competere singulis partibus animæ, dixit in contextu septimo, si quid commune de omni Anima oportet dicere, indicans hoc esse commune ab vno, vt etiam in progressu Animam patefacit, non quid vniuocum, sed ab vno, vt est figura; Alterum fundamentum est; quia Aristot. daturus animæ definitionem, tamen inspexit quæ Physicæ considerationis est, qualis non est mens, tamen vt etiam includat mentem quatenus licet, in contex. 11. tradit distinctionem actus informantem & assistentem. Altera ratio soluitur, quia mens dupliciter nobiscum nectitur, primo per naturam, secundo per operationem, nauta cum naui non nectitur per naturam, sed per solam operationem, & ea connexio per naturam (vt dixi) est intimior, & maior quam connexio formæ cum materia, ob quam naturalem connexionem, homo per phantasiam constitutus, dicitur per mentem cum eo iunctam intelligere: Hinc nos tam solam mentis actionem percipimus, quæ phantasiam attingit, cum ea nectitur, & ex ea pendet. Ad instantiam itaque dum dicitur, quod capacitas disciplinæ, officium intelligendi, & summum bonũ non competerent homini, dico, id non sequi: nam homo per phantasiam, cui per naturam

Ratio 3. Ratio 4. Ratio 5. Ratio aduersa. Confirmatio. Solutio primæ diffic. Sol. secũdæ diffic.

naturam iuncta est mens, est particeps eorũ, & ex varietate dispositionis phantasiæ pendet, vt homo ad disciplinas vario modo sit aptus; Hinc Aristot. in 7. Phys. 20. dixit, in acquirendis disciplinis nullam mutationem in mente fieri, sed in solo sensu; Colligo itaque ex sententia Arist. mentem non formare corpus, esse tamen formam formarum, & maximè dare esse homini, cum constituat supremum hominis gradum, & hominem eminentissimum. Addebam postremo sententiam hanc esse falsam, vere enim in homine vnica est essentia animæ, eaq; à Deo creatur, & cum recipiat esse per creationem, quia creatio eminenter & sine imperfectione includit vniuersam generationis perfectionem, ideo anima creata id totum efficere valet, quod efficit forma genita, & aliquid vltra, nec in homine sine vlla necessitate multiplicandæ sunt formæ; At quia Philosophi solum considerarunt opera naturæ, & creationis fuerunt ignari, ideo hanc veritatem propria facultate inspicere non valuerunt. *Opiniones tres.*

Cap. XIX.

De numero humanæ Mentis.

Ardua se offert modo dubitatio, de numero humanæ Mẽtis: de qua cum plurima dicantur à viris doctis, & innumeræ pro omni parte circumferantur rationes, quas apud alios vnicuique legere licet. Ego lucidè & breuibus attinentia solum ad eius resolutionem explicabo: De proposita difficultate opiniones sunt tres, duæ extremæ, & vna media: Extremarum vna est: tot esse humanas mentes, quot sunt homines. Altera extrema, mentem, vniuersæ humanæ speciei vnicam esse; Opinio media est Pythagoræ, & quorundam Academicorum putantium, animas ab æterno definito quodam numero esse præditas, & numerum illum nec crescere, nec minui. pro quarum opinionum consideratione explicabo primo opinionem Platonis, secundo Aristotelis, tertio sententiam colligam absolutè approbandam. Plato de re ardua obscurè loquens, vario modo à suis asseclis explicatur: aiunt nonnulli ex sententia Platonis ex idea animæ primæ menti competente definitum animarum numerum prodiisse, quarum prima est anima mundi, mox animæ sphærarum, & stellarum: Eliciunt hoc ex verbis in Timeo prolatis, quæ hæc sunt. Hæc fatus, in eodem rursus cratere, in quo mundi totius animam permiscens temperauerat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo quodam eodem; non tamen perfectas similiter, sed à secundo & tertio gradu à primis deficientes. Denique cum vniuersum constituisset, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisq; tanquam vehiculo impositis monstrauit vniuersi naturam, &c. Conspicuè Plato constituit definitum animarum numerum, per quarum descensum ait homines gigni, & per reditum in suam stellam beari, & in decimo de Rep. ait, numerum animarum nunquam crescere vel minui. Hinc in Phedro exercitus constituit animarum sequentes animas sphærarum; Et huius opinionis præsertim fuit Proclus; quam sententiã mox sequuti sunt alij, vt Origenes, Manichæi, & hæretici nonnulli, vt refert D. Tho. 2. contr. Gent. cap. 83. idque nitebatur elicere ex Genesi, in quo legitur, Deum die septimo requieuisse ab omni opere, ex quo inferebant, non amplius creare, sed errarunt, quia requieuit ab omni opere requisito pro vniuersa mundi constitutione, & quod pro tunc ab æterno prædestinauerat. Alij inquiunt, ex idea animæ primo prodiisse animam mundi, mox cæteras esse participationes animæ mundi: quod elicitur ex Philebo, dum Plato *Opiniones tres.* *Plato.*

ait: si mundus anima careret, vnde nam corpus nostrum animam reciperet? indicans eam recipere ex anima mundi. Quæ sententia conspicue pugnat cum relatis verbis, per quæ Plato affirmat reliquas animas, non animæ mundi esse portiones, sed ex eodem cratere, & temperatura, hoc est, ex eadem idea prodiisse; Propterea est explicatio tertia, quam cæteris puto præferendam, & est ea Plotini, & Numenij, putantium, ideam animæ vnam esse, & ex ea prodire per gradus omnes participationes animarum, vel proximius vel remotius, adeo, vt ea mundi sit prima participatio, sequantur mox participationes animarum, sphæris, & stellis cœli competentium: quæ participatio ita se habet, vt si per imaginationem cuncta corpora abolerentur, vniuersæ animæ in vnam redirēt, tanquam in fontem, veluti de solis luce, & lumine ex ea prodeunte se habere existimandum est, cæteras autem animas sub rationali positas, dicebat esse idola, & vmbras animarum, prodeuntes per semen & corpus, ex anima rationali; Hinc concedebatur transitus animarum per corpora iumentorum, & dum Plato in Philebo indicare videtur corpus nostrum ex mundo animato animam recipere, solum denotare voluit, animam mundi esse primam animæ participationem, & mundum animatum conspirare per naturam, & semina ad generationem cæterorum viuentium, quod nisi esset animatus, efficere non posset. Colligamus itaque ex

Conclus. sententia Platonis, quod primo est Deus, sub Deo mens non participata, & in se manens, ad quam pertinent non participatæ ideæ, quæ mens tanquam sol vnica est, & à nonnullis ponitur non distincta à Deo, ab aliis, vt à Plotino, & Numenio distincta, ex mente non participata, pendent vt radij mentes participatæ, quarum participes redduntur animæ: ideo extrinsecus per animas multiplicantur, In tertio gradu posita est anima, quæ ex parte fontis, nempe ideæ eius, vna est, ex parte corporum primo participantium sunt numero definitæ, prima tamen participatio est ea animæ mundi: Ex parte vero participantium mortalium per consecutionem, & conspirationem primorum sunt numero indefinitæ. Sic anima est vna ex parte fundamenti, plures ex parte participantium, vna intrinsecus, plures extrinsecus, vna pro absoluto, plures ratione variorum, ad quæ refertur; Et dum dicitur ex aliqua stella descendere animam ad constituendum aliquem hominem, non est putandum stellam illam remanere sine anima, vt sine luce non remanet, emittendo radium, sed id ita intelligendum est, vt per imperium, & actionem illius stellæ, homo reddatur particeps eiusdem animæ, seruando conditiones, & propensiones illi stellæ respondentes: Et quoniam in ea stella anima habet esse præstantius, vt radius in sole, ideo animæ dicuntur beati per reditum in suam stellam; Per hæc etiam explicatur sententia Platonis in Timeo, dum varias videtur ponere animarum ideas, nam denotat varios gradus participationis animæ, & ideæ eius, quod conspicuè affirmauit, inquiens, ex eodem cratere, & temperatura prodiisse, magis tamen & minus pura, denotando nomine crateris ideam, ex qua per gradus varios prodeunt animæ, similiter explicatur sententia Platonis in decimo de Legibus, vbi ait, animam suis motibus cuncta gubernare, & eas esse non vnam, sed ad minus duas, vnam beneficam, alteram maleficam, indicans animam beneficam vnam esse, diuidit tamen animam in beneficam & maleficam, quatenus vel vtitur mente, vel ne, vel vergit ad supera, vel ad infera, vel sequitur sensum, vel rationem, absoluta tamen essentia eadem est. Hanc quoque puto fuisse opinionem Simplicij, nec perperam Auerroes in prima disputatione contra Algaze. vna cum Algazele tribuit Platoni, quod existimauerit animam omnium vnam

esse,

esse, quam sententiam reprobauit Algaz. approbat autem Auerroes. Et si quis instet, quia sic cæteræ quoque formæ, quæ vnius ideæ sunt, participatione erunt vna. respondeo de cæteris non similiter se habere, quia non producuntur fine semine, & materia, & ita abolentur, & magis distinguuntur. Hoc solum eis competit, vt ratione animæ, ex qua prodit natura, in vnum corpus redigantur, natura enim per Platon. est vis seminaria, à mundi anima infusa materiæ.

CAP. XX.

Opinio Aristotelis, de Numero humanæ Mentis.

VT referam de numero humanæ mentis sententiam Aristotelis tres profero conclusiones: prima est, Aristoteles iure optimo de numero humanæ Mentis nullibi verba fecit. Altera est: si sequimur principia eius, præsertim, putandum est inclinasse ad vnitatem; Tertia est: ea sententia penitus explodenda, & reiicienda est; Quod pertinet ad primam, Aristot. proprio ingenio inquirens principia rerum, semper Physicè progressus est per opera, & conspicua eorum effecta, nam per cadentia sub sensum, & visibilia eleuamur ad inuisibilia, & collocata supra sensum, cuncta ex phantasmatibus eliciendo, hinc dum nobis desunt opera conspicua principiorum, clauditur via philosophandi, Pro noscenda humanæ mentis immortalitate, varia insolubilia signa, variaque opera nobis opem ferunt, viamque patefaciunt, vt pro noscendo numero, & mentis statu post dissolutionem à corpore, nullum habemus insolubile signum, nullamque conspicuam actionem, ideo clausa est Philosopho Physicè progredienti, via ad id cognoscendum, propterea Arist. siluit, nullumque vllibi de hoc fecit verbum. Plato ausus est de his loqui, quoniam sequutus est Theologos & Sacerdotes Ægyptiorum, & aliorum vetustiorum, de quibus in Timeo dixit, quod eis etiam sine ratione loquentibus danda est fides: quod tamen Aristoteles Physicè progrediens efficere noluit. Hinc Plato loquens de immortalitate, eam variis rationibus comprobauit; pro numero vero, & alio statu animæ, nullam attulit rationem, sed protulit solum sententiam. Quod pertinet ad secundam conclusionem, progrediendo per principia & decreta Aristotelis, putandum est illum magis in vnitatem inclinasse, tum quia alium mentis statum seorsum à corpore nullibi indicauit, tum quia multitudinis formarum originem existimauit esse materiam, adeo, vt numero multiplicari, & esse materiatum reciprocari existimauerit, vt patet ex quinto Metaphysicæ, contex. 12. quo loci, vnum numero dicitur, cuius materia est vna, & clarius ex 12. Metaphysicæ, 49. vbi ex eo, quod si primus motor esset numero multiplex, infert Aristoteles, quod materiam includeret; Materiatas autem formas omnes in octauo Physicorum 79. demonstrauit esse finitas, & mortales, tum tertio, quia finem multitudinis indiuiduorum sub specie, in secundo de Anima, 35. hanc esse statuit, vt quæ numero non sunt æterna, seruarentur æterna successione; Cum itaque humana mens ab eo iudicetur æterna, non eget vt numero multiplicetur; Tum insuper, quia nouam creationem non nouit, & æternum ex vna parte, existimauit æternum ex altera, vt patet ex primo de Cœlo: & ideo cognoscere non valuit, quomodo nouæ hominum animæ quotidie secundum numerum præparatorum corporum, & indigentiam crearentur; Tum demum, quia si tot essent humanæ mentes, quot fuerunt particulares homines, & cunctæ essent superstites, quoniam putauit mundum fuisse semper, daretur infinitum actu, quod

Tres theses. *1.* *2.*

renuit in 3. Physic. nam illæ essent innumerabiles, non pares, nec impares, ideo numero carerent, & infinitæ essent, omnis enim numerus est numerabilis, & par, vel impar. Nec satisfacit solutio D. Tho. dicentis, Aristotelem renuere infinitum in corporibus, non in seiunctis à materia, nam Aristot. in 8. Phys. 48. loquens de motoribus cœli, qui à materia sunt secreti, ait, non esse infinitos, quia natura infinitum renuit. Et in 3. Phys. 66. & 71. infinitum ex sola materia ait oriri, non ex forma, & ob id solum dari potestate, non actu. His accedit, quod D. Th. in soluenda hac difficultate, sibi non constat: nam in 2. senten. dist. 1. inquit, mundum non esse æternum, quia daretur numerus, infinitus animarum, & infinitum actu, quod aduersatur Arist. in 3. Phys. In secundo autem contra Gent. c. 81. loquens de eodem numero animarum, ait infinitum non repugnare incorporeis, non occupantibus locum, mitto innumera quæ apud alios legi possunt, & colligo Aristotelem in hanc partem inclinasse, & ob id de mente loquens, sæpè commendauit sententiam Anaxagoræ, qui profectò vnam esse existimauit, nec vnquam hac de re Platoni aduersatus est, qui vt patefeci, animarum hominis mentem intrinsecus esse vnam existimauit, quia tamen nil cadens sub sensum hoc nobis, vel eius oppositum indicare insolubiliter valet, ideo iure Aristot. inuenta & comprobata mentis immortalitate, de cæteris siluit, cum sibi ad philosophandum clausam inuenerit viam; Addo tertio, mentem humanæ speciei vnam numero putare omnino ex mente nostra esse reiiciendum, ita enim innumera sequerentur absurda, humanæ conditioni, diuinæ iustitiæ, rectæq; nostræ institutioni aduersa, vt latissimè à D. Tho. à Magno Alber. & aliis manifestatur; Nos enim diuino lumine illustrati, cognoscentes liberum extrinsecus modum operandi Dei, & creationem nouam ad articulos fidei pertinentem, nedum valemus veritatem conclusionis inspicere, nempe animas hominum immortales tot esse, quot particulares homines, verum insuper soluere faciliter rationes aduersas, multiplicantur enim animæ, quatenus creantur secundum indigentiam, conditionem, & mutuam responsionem variorum corporum, quæ per varia semina producuntur, quam veritatem vt constanter amplector, ita aduersam omnem sententiam constanter renuo, & reiicio; Hoc itaque Aristoteles vnà cum Platone nos docuit, humanam mentem esse æternam, quod magnificare debemus, si autem de connexis verum inspicere non valuit, hoc imbecillitati humani ingenij tribuendum est, & interim gratias tenemur referre Deo, qui ignorantiæ caliginem à mente nostra procul repellere dignatus est.

FRAN-

FRANCISCI PIC- COLOMINEI SE- NENSIS,

De Humana mente,

LIBER TERTIVS.

Cap. I.

Proponitur agendum de actionibus humanæ Mentis, & communia quædam explicantur.



Xplicata Natura, & conditione humanæ Mentis, exposcit recta ordinis ratio, vt de eius actionibus verba faciam. Opera hominis ex mente prodeuntia duplicia sunt, vel enim sunt antecedentia, & prima, vel sunt secundaria, pendentia ex primis. Opera prima tria sunt, apprehensio simplicium, compositio, & ratiocinatio; opera ex primis pendentia, sunt contemplatio, actio, & effectio: quæ omnia opera ex altero duorum principiorum pendent, nempe vel ex mente iudicante, vel ex ea apperente. Ego prætermissis attinentibus ad actionem, & effectionem, de quibus cumulatè satis in Philosophia de Moribus verba feci, de tribus primis relatis operibus loquar, & de nonnullis, ad contemplationem attinentibus, quæ magis instituto nostro cōsentanea esse videntur. Prima & antecedētia mentis opera iure tria iudicanda sunt, cum se habeant tanquam principium, medium, & finis, nam apprehensio simplicium est principium, cōpositio medium, ratiocinatio finis, ita hoc, vt multa alia ternario nūn e·o per naturā perficitur, vt testatur Philos. in 1. de Cœlo, contex. 2. in 2. de partib. Animal. c. 1. & in 3. Meteor. c. de iride. In huiusmodi operib. nonnulla inueniuntur ex se nota satis, & cōspicua, veluti quod intelligere sit vt sentire, quod mens sit apta intelligere omnia, quod nō lædatur à vehemēti intelligibile, quod non egent instrumento corporeo, ideo primo per hæc confusè nota, eleuamur in notitiā naturæ & cōditionis mentis, mox per eam descendimus in distinctam cognitionem operū eius, quod seruauit Arist. in 3. de Anima. Hinc post cont. 20. descendit ad distinctam explicationem operum mentis. Pro obeundis illis trib. primis munerum functionibus conspirat vtraque differentia humanæ mentis, agens nimirū, & mens potestate, in singulis enim reperitur actio aliqua & passio, & mens in singulis facit aliquid, & fit, vel apprehendēdo, vel cōponendo, vel cogitando, in prima tamen operatione ea distinctio magis est conspicua; Dum inuicem ea tria opera conferuntur, vel consideramus ordinem originis, vel perfectionis, ordine originis prima est apprehensio simplicium, secunda cōpositio, tertia cogitatio. Prima actio potest esse sine secunda, & secūda sine tertia, at non vice versa. Dubitatio tamen est de compositione, & cogitatione, siue discursu, nōnunquam enim ratiocinamur sine compositione, vt dum ex vno simplici in-

Opera duplicia.

Prima opera tria.

Dubium.

Solutio. ferimus aliud; veluti ex fumo ignem, ex strepitu aduenientē hostem; At respondeo discursum esse duplicem, vel cū forma argumentandi, vel per solam conditionis rerū consecutionem, primus propriè est discursus, & non fit sine compositione, & vim habet ex dicto de omni, & de nullo; Alter potius est cōsecutio per naturam, ob cōnexionem rerum, quam vere discursus, & cogitatio; Hinc etiam feris modo aliquo competit, quæ per signa, & connexa mouentur, & propterea conspicuam compositionem non exposcit. His accedit, quod discursus, & cogitatio, quamuis non semper distinctam cōpositionem includat, eam tamen semper habet implicitam, est itaque discursus origine postremus, at dignitate contra se habet, nam in mortalibus posteriora origine, sunt perfectione priora, vt in 8. Phys. docet Philosophus: Natura enim ex imperfecto ad perfectum progreditur, & actio sequens, includit antecedentem, eique aliquid addit; Hinc inspicimus iumentis propriè solam competere apprehensionem simplicium, & pueri primo simplicia apprehendunt, secundo incipiunt componere, tertio ratiocinantur. At pulchra oritur dubitatio, quia si apprehensio simplicium est dignitate posterior, tunc separatis mentibus competit actio ignobilior, sine præstantioribus, illæ enim solum simplicia apprehēdunt, non componunt, nec ratiocinantur; Soluitur hæc instantia per duo fundamenta, primum est, quod fit transitus ex vno genere intelligendi in aliud, intelligunt separatæ mentes per essentiam, quæ simplex est, non per passionem, vt mens hominis; Alterum est, quod ea simplex diuinorum apprehensio est talis, vt sine vlla imperfectione eminenter includat perfectionem compositionis, & discursus. Hinc nonnunquam consultationem tribuimus Deo, non quia illi secundum formam competat, sed quia ei competit per eminentiam, vt etiam compositio.

Ordo originum.

Dubitatio.

Solutio.

CAP. II.

De prima operatione humanæ Mentis, quæ est apprehensio simplicium.

NATVRA, quæ rerū est procreatrix, & custos, primo simplicia corpora format, secundo ea componit pro mixti constitutione, tertio ex mixtione, & cōpositione, varia elicit, & colligit; Similiter homo naturam sequēs, primo simplicia apprehēdit, mox reliqua exequitur. Et dum dico apprehendere simplicia, simplicium nomine cūcta intelligere debemus, quæ suo ordine vniuersum constituunt, singula enim modo sibi congruente, mens apprehendit quædam, vt ei communia cum sensu, veluti singularia materiata, quædam vt propria obiecta, veluti materiatas essentias: alia demum, vt cum eis connexa, vel ex eis elicita. Præterea, hac prima actione percipit mens nedum notiones primas, verum etiam secundas, ab eamet formatas, ens tamen non primo apprehendit, sed secundario, apprehensis primis. Præterea, iure dixi mentem simplicia apprehendere, modo sibi congruente, quoniam nonnulla apprehendit simplicissimè, sine vlla compositione, vt accidentia, quorum sunt propria phantasmata, distincta ab aliis: at ea quorum non sunt propria phantasmata, vt sunt formæ substantiales, cum materiatæ, tum seiunctæ, non valet sine aliqua circumscriptione, & eductione vnius ex altero apprehendere, vt experientia constat, non enim hac de re sentio cum Auerr. qui in 2. de Anima, 63. inquit, phantasiam, quam nuncupat vim cogitandi, apprehendere intentiones indiuiduorum omnium decem Prædicamentorum, easque secernere ab accidentibus communibus & propriis, iam in libro

Homo naturā imitatur.

Auerr.

in libro de internis sensibus patefeci, id non esse approbandū; sed assentior Scoto, qui in 3. de Anima, q. 19. & 22. inquit, notione propria, & irresolubili, sine vlla circumscriptione, minime nos posse percipere indiuidua substantiæ, Deum, Animam, & spiritalia; At ex hoc oritur dubitatio, num definitio, & descriptio pertineant ad primam operationem mentis, vel potius ad secundam, cum enim sint rei simplicis, videntur ad primam pertinere, at cum id fiat multitudine vocum, essentiam rei patefacientium, videntur pertinere ad secundam: respondeo, definitiones dupliciter posse considerari, primo, ex parte rei denotatæ, secundo, ex parte modi denotandi: ex parte rei, est simplex, ex parte modi denotandi, est cōposita, adeo, vt sit apprehensio rei simplicis, modo cōposito. & quia modum apprehensionis consideramus, ideo absolutè pertinet ad secundam actionem. *Scotus.* *An definitio pertineat ad primam operationē mētis.* *Solutio.*

At quæret aliquis adhuc, num in prima actione mentis locum habeat verum & falsum? Respōdeo, verum & falsum in omni actione mentis modo ei cōgruente locum habere, in simplicium apprehensione reperitur id verū, quod in mutua responsione notionis & obiecti locū habet, de quo vero loquens Philosophus in 2. de Anima, dixit, Sensus non decipi circa proprium obiectum. Et 9. Metaphys. 22. dixit, quod verum est attingere obiectum, falsum non attingere. In secunda actione locum habet verum, & falsum compositionis, & enunciationis, vt docuit Arist. in lib. de Interpretatione; In tertia locum habet verum, & ex ratione elicitum, de quo dicimus, ex veris nil colligi nisi verum, ex falsis autem, ex accidenti etiam colligi verum: primum potest dici verum in causa, secundū, per formam, tertium per consecutionem; sed alia adhuc se offert dubitatio, nā quæritur, an apprehensio obiecti cum aliqua subnotione, vt apprehensio mellis tanquam nobis vtilis, & Lupi vt aduersi, censeri debeat cōpositio, vel potius apprehensio simplicium? Respondeo, veram compositionem debere illam iudicari, per quam ea quæ componūtur, cognoscuntur distinctè, & tanquam varia simul iuncta, & non apprehenduntur tantum sub ratione vnius: Agnus iudicat lupum sibi aduersum, sub ratione vnius, non autem apprehendendo lupum, & inimicitiam, tanquam duo varia simul iuncta, ideo ea ad primam operationem redigitur, at dum homo, inquit, lupus agno est inimicus, tunc verè cōponit, quæ propriè sumpta compositio à mente fit, ideo Arist. in cont. 22. tertij, de Anima, dixit, quod vnum facit est mens, nam phantasia solum confuse singularia cōponit, & præsertim ea hominis, ea autem ferarum id facit confusissimè. Colligens itaque dico, apprehensionem obiecti cum subnotione, esse rei compositæ, & posse animali competere, vel sine modo compositionis, & id pertinet ad primam actionem, includendo vmbram secundæ; vel fit cum distincto modo compositionis, vt fit ab homine per mentē, & tunc ad secundam mētis actionē pertinet. *Alia dubitatio.* *Solutio.* *Alia dubitatio.* *Solutio.* *Conclus.*

CAP. III.

An prima operatio Mentis sit indiuisibilium, tempore indiuisibili, & simul vnius obiecti tantum.

INTER varias difficultates ad primam humanæ mentis actionem pertinentes, tres præsertim vrgere, solutionemque exposcere videntur. Prima est, an mens hominis apprehendendo simplicia, versetur in obiecto indiuisibili. Altera, an id obiectum intelligat tempore indiuisibili. Tertia, an multa simul intelligere valeat, & quod dico de mente, intelligi debet de homine operante *Prima dubitat.* *2.* *3.*

Solutio prima. per mentem. Ordiens à prima, accipio cum Arist. in 3. de Anima, 23. indiuisibile esse duplex, vnum potentia, alterum actu, indiuisibile potentia est id, cui nō potest competere diuisio, vt punctum, & momentum, indiuisibile actu idem est, vt non diuisum, id enim quod potest diuidi, & nō est diuisum, dicitur indiuisibile actu, vt linea non diuisa, quo assumpto: dico, mentem semper in aliquo genere indiuisibilis versari, nam vel apprehendit essentias rerum extensione carentes, vel aliquid extensum; & quantum, si in essentiis versatur, illæ sunt indiuisibiles potentia, perinde se habentes ac species numerorum, in indiuisibili positæ, vt dicitur in 8. Metaphys. cont. 10. nam vt dicitur in 7. Metaphys. 43. vltima differentia est totum id, quod res est, si autem mens versatur in intelligendo aliquo quanto, vt linea, id apprehendit vt vnum, & propterea vt non diuisum, quod dicitur indiuisibile actu, & si id in partes diuideret, & partes distinctè cōsideraret, id faceret distincto actu intelligendi, & tempore distincto, semper itaque mens est indiuisibilium. Et si quis obiiciat: quia mens cognoscit, & dicit continuū esse

Dubitatio. diuisibile in infinitum, numerum parem in partes æquales, quando tunc cogno-

Solutio. scit diuisibile, vt diuisibile est: Respondeo, dum mens id apprehendit, illud iudicat vt naturam vnam, cui vna competit definitio, eamque nectit cum sua affectione, quę similiter vna est, at si vellet seorsum partes apprehendere, cogeretur id facere distincto tempore, distinctoque actu intelligendi. Verum ex solutione huius primæ difficultatis, emergit secunda, quæ erat, an obiectum & rem indi-

Solutio 2. uisibilem, apprehendat tempore indiuisibili? Pro solutione vtens cum Aristot. eadem indiuisibilis distinctione, dico, fieri tempore indiuisibili, dupliciter contingere, vel in indiuisibili potestate, hoc est momento, vel in indiuisibili actu, hoc est, tempore continuato, & non diuiso, quo assumpto, tria profero, primum est, congruens applicatio facultatis ad obiectum fit tempore aliquo cōtinuato, & non diuiso, ita rectè dicitur in lib. de Memor. & Reminiscentia, nos nil intelligere sine continuo & tempore; veluti etiā quamuis momēto videamus, tamen pilam tormento bellico expulsam, ob velocem motum non videmus, quia non potest fieri congruens applicatio. Addo secundo, iudicium obiecti siue actū intelligendi, fieri momento. Ratio est: quia facultas est indiuisibilis, vt dicitur duocimo Metaphysicæ, 51. Obiectum, (vt patuit) est indiuisibile, quare est necesse, vt apprehendatur tempore indiuisibili, hoc est momento, hoc nos docet Arist. in 3. de Anima, & ob id in cont. 28. inquit, sensitiuum à sensibili non pati, nec alterari, & eam esse aliam speciem motus, nam motus imperfecti actio est, quæ vero simpliciter actio, alia est quæ perfecti, indicans sentire esse actionem perfectam, & totam simul, vt declarat in eius expositione Simplicius, necnon Auerroes, & ob idipsum Aristoteles 9. Metaphysicę 22. dixit: Obiectum vel attingi, vel non attingi, attingere illud, verum est, non attingere, falsum, tactus autem indiuisibilium, indiuisibilis est. Hæc quæ dixi pręsertim vera sunt de mente, modo etiam aliquo vera sunt de sensu: nam connexio facultatis cum obiecto, eget tempore aliquo non diuiso, cum sit rerum coniunctarum cum tempore, iudicium tamen fit momento & in termino temporis. Addo tertio, dum nouerimus essentiam aliquam, & versamur in eius inspectione & cōtemplatione, id dicitur fieri tempore indiuisibili actu, hoc est non diuiso, & vtitur Philosophus hoc loquendi modo, indiuisibili actu: quia quamuis per horam versemur in cōtinuata contemplatione vnius simplicis esse essentiæ, ea tamen contemplatio in quouis momēto est tota simul, quia est actus perfectus, non aūt imperfectus, vt motus, veluti dum sol per continuatas horas aerem illustrat, dicitur id facere tempore indiui-

indiuiſibili; quia ea illuſtratio ſingulis momentis eſt tota, & perfecta. Et ſi quis obiiciat, quia nonnunquam eſſentiam aliquam primo noſcimus in parte, vt noſcendo genus eius, mox exacte noſcendo poſtremam differentiam, quare apprehendimus indiuiſibile cum diuiſione, & actus ille non eſt vnus, & perfectus, ſed ex imperfecto tendit in perfectionem. *Dubitatio.* Reſpondeo, dum id facimus, perinde diſponimur, ac dum continuum in partes diuidimus, & partes ſeorſum diſtincto tempore indiuiſibiliter apprehendimus, nam ſeorſum conſiderando & genus, & differentiam, eas conſideramus vt eſſentias diſtinctas, & quamlibet apprehendimus indiuiſibiliter, tunc tamē eſſentiam rei dicimur attingere, dum attingimus differentiam poſtremam, quæ eſt totum id, quod propriè res eſt, & id facimus momento. *Solutio.* Erat tertia dubitatio, an ſimul tempore valeamus plura intelligere? *De 3. dub.* Inquit Ariſt. in 3. de Anima: Si diuidimus intelligibile, etiam eſt neceſſe, vt diuidatur tempus, indicans, plura ſcire non apprehendi niſi diſtincto tempore. Hinc in 2. Topicorum c. 4. ait, nos poſſe plura ſimul, at non ſimul actu intelligere, pro quo oſtendendo formatur ratio, vt de corporum penetratione, nam ſi plura ſimul valemus intelligere, ideo & omnia, vt enim poſſimus duo ſimul intelligere, ita quatuor, & octo, & ſic de cæteris. Confirmatur: quia vt materia ſimul actu non recipit plures formas, ita mens non poteſt ſimul actu fieri plura. Ex aduerſo videmur poſſe plura ſimul actu intelligere, quoniam plura ſimul & videmus, & audimus: inſuper mente, componimus varia, eaque inuicem comparamus, comparatio autem expoſcit vt eadem facultate, ſimul ea noſcantur, quæ comparantur, vt dicitur in 2. de Anima, 146. Similiter experientia noſcimus, nos ſimul albi & nigri eſſentias ſpeculari: Hinc Ludouicus Boccafer. & alii nonnulli viri docti, dixerunt, nos poſſe ſimul plura intelligere. *Lud. Boc.* Pro ſolutione dico primo, nos poſſe plura ſimul ſcire habitu, & hoc notum eſt, & conceſſum. Dico ſecundo, nos poſſe ſimul pura ſpeculari poteſtate, adeo, vt eodem tempore, & vnum, & alterum ſpeculari valeamus. Inſuper alio pacto valemus ſimul plura intelligere poteſtate, quatenus intelligendo vniuerſale, dicimur poteſtate intelligere contenta ſub eo, vt dicitur in primo poſteriorum. Dubitatio eſt de actu, de quo dico apprehendere ſimul plura actu, contingere dupliciter, vel apprehendendo ea ſub ratione vnius, vel plurium, ſub ratione vnius proculdubio contingit, vt dum fit cōparatio, & noſcitur id quod eſt commune, vel per quod differunt, nam differentia, & commune obtinent conditionem vnius, vt etiam duo relata, per relationem. At ſi apprehenduntur vt plura ſunt & varia, vel debent apprehendi exacte, & diſtincte, & id non contingit, indiuiſibile enim non valet exacte variis indiuiſibilibus hærere, variaque attingere; vel id fieri debet confuſe, & cum impedimento, & hoc contingit; Vera eſt itaque Philoſophi ſententia, mens hominis non valet ſimul actu plura, & varia ſine impedimento & diſtincte intelligere. *Concluſio.* Ex his eliciuntur ſolutiones pugnantium rationum. Et animaduertendum quod magis ſenſus valet ſimul plura apprehēdere, quam mens, vt præſertim patet de ſenſu viſus, & auditus, cuius varietatis triplex ratio aſſignari poteſt: prima eſt, quia ſenſus eſt magis materiatus, & extenſus, hinc tactu per varias partes ſimul calorem, & frigus percipimus. *Senſus valet plura ſimul apprehendere quā mens.* Altera ratio eſt, quia ſenſus minus fit vnus cum obiecto quam mens, hinc mens facta actu vnum, non eſt ſimul oppoſitum, vel aliud quoduis. Tertia ratio eſt, quia ſenſibilia manifeſtius offeruntur ſenſibus, & propterea vt iudicentur non egent ea cura, & diligenti applicatione, qua mens, vt magis latentia iudicet, & hæc de prima humanę mentis actione.

Cap. IIII.

De secunda humanæ mentis actione, quæ dicitur compositio.

QVEMADMODVM ea quæ per naturam, & artem congruenter componuntur, recte composita & verè talia dicuntur, perperam vero composita, dicuntur monstra, deprauationes, & recessus à conditione & lege componentium, ita ex recta compositione simplicium à mente facta, consurgit veritas enunciationis, ex peruersa, mendaciũ, & hoc est id verum, & falsum, quod in compositione & diuisione dicitur locum habere. Veritas dicitur ens, quia rerum conditioni respondet, mendacium non ens, quia à rerum conditione recedit. Huiusmodi compositio à mente facta, duplex est, vna rei cum re, vt lac cum albedine, altera rei cum tempore, vt Eclypsis cras erit. Compositio rei cum re, duplex est, vel coniunctorum per essentiam, constituendo primum, vel secundum modum dicendi per se, vel coniunctorum ex accidenti, quod fieri potest tribus modis, vel enim accidens nectitur cum accidente, vt album cum dulci, vel accidens tribuitur subiecto, vt mel est dulce, vel contra, vt dulce est mel, vt docet Arist. in 5. Meth. cont. 13. Altera compositio est, rei cum tempore, quæ potest fieri duob. modis, vel enim fit connexio cum tempore ex accidenti, vt Alcibiades currit, nam verba consignificant tempus, vel ea fit per se, vt Eclypsis erit cras, ex prima, & secunda compositione, consurgit tertia, quę est rei cum re, & tempore, vt luna cras eclypsabitur. At dicet aliquis, dari etiam compositionem quartam, quæ fit temporis cum tempore, vt si dicam ver nunc est, nunc est dies. Respondeo, has non esse compositiones temporis cum tempore, sed rei cum tempore, quia considerantur dies, annus, ver, & similia tanquam res, quæ cum differentiis temporis connectuntur. Et quemadmodum fit compositio rei cum re, & cum tempore, ita ratione vtriusq; potest compositioni competere verum & falsum, vt si dixero, homo est lapis, est compositio falsa ex parte rerum, si dixero de luna quæ eclypsetur hora quarta noctis, quod eclypsetur hora octaua, est compositio falsa ex parte temporis, si de cane dico, canis nunc volat, est falsa ratione vtriusque. At quæritur. num fieri possit compositio sine tempore? nam in compositione sumitur verbum quod consignificat tempus, ideo semper videtur esse cum tempore. Respondeo, compositionem esse duplicem, & sine verbo, & cum verbo, compositio sine verbo est intimior, & magis rem effert sub specie vnius, vt mel dulce, hinc dicitur in primo Phys. cont. 20. Lycophronem ex oratione reiecisse verbum substantiuum, ne distinctio rerum appareret, sic agnus iudicat lupum aduersum tanquam vnum; Hæc compositio proculdubio potest esse sine tempore. Alia est compositio cum verbo, quæ quamuis ex parte verbi semper connotet tempus, tamen potest dici & cõpositio, & cum tempore, dum eius seorsum fit mentio vt nunc Alcibiades currit: & sine tempore, vt Arist. est Philosophus, nam illud esse, dicitur de Arist. ex accidenti, non quia nunc sit, sed quia sit Philosophus, vt docet Philosophus in libro de Interpretatione de hac enunciatione, Homerus est Poeta. Sed quæritur insuper, an phantasia valeat res componere cum tempore per se, & primo? nam ex accidenti non est dubitatio, & hoc quæri potest, cum de phantasia iumentorum, tum de ea hominis, nam formica colligens grana pro futura hyeme, & hyrundines construentes nidum, & aues mutantes regiones pro varietate temporum, non videntur id posse facere sine compositione rerum cum differentiis temporis. Pro responsione; in libro de internis sensibus patefeci, feras obscurissimè, & adumbrate solum componere, phan-

Verũ est ens. *Compositio cum tempore.* *Dubitatio.* *Solutio.* *Dubitatio.* *Solutio.*

phantasiam hominis cōponere imperfectè, attinentia ad singularia, solam mentem componere exactè, & distinctè; Loquendo autem de compositione cum tempore de qua modo est quæstio, dico tempus secundum propriam formā sola mente cognosci, ratio est: quia tempus est numerus motus, sola mens apta est numerare, ideo inquit Arist. in 4. Phys. t. 131. Si autem nil aptum est numerare præter animam, & animæ mētem, fieri nequit vt tempus sit, cum non sit anima, &c. Iumenta & feræ noscunt tempus pro fundamento, noscendo motū, & pro connexis, vt noscendo frigus, vel calorem quatuor temporum anni, mens autem secundum propriam formam, ideo propria conditione valet componere res cum tempore; Phantasia hominis consideratur dupliciter, vel ratione propria, & ita tempus solum cognoscit vt feræ, modo tamen aliquo distinctiore, vel cōsideratur vt dirigitur, & formatur per rationē, vt dicitur in 3. de anima, 57. & ita distinctius res particulares, cum partib. temporis componit, vt accidit dum mente dirigimur ad aliquid agendum in vno potius, quam in alio tempore, & ex his elicitur solutio instantiæ sumtæ ex formica, hirundine, & similib. nam ducuntur instinctu naturæ, & tempus noscunt, vt dixi. Cum autem mens, ea sit, quæ proprie componit, quæritur num id faciat tempore, vel momento, cum enim sit rerum distinctarum videtur id efficere tempore & cum sit rerū indiuisibilium, eaq; sit indiuisibilis, videtur id facere momento. Respondeo, dum mente componimus primo simplicia componentia, seorsum intelligimus, quomodo autem ea tempore indiuisibili intelligamus iam patefeci. Mox ea componimus momēto, persistimus autem seruando ea compositionem per tempus aliquid, ita tamen in ea persistimus, vt in quouis momēto sit tota. Hinc dicitur fieri tempore indiuisibili potentia, & seruari tempore indiuisibili actu. Pertinet hæc cōpositio ad vtramq; differentiam mentis, nempe ad agentem, & mentem potestate, vt declaraui, sed cum in mente considerentur potentiæ variæ, videndum est, ad quam pertineat. In mente consideratur facultas appetens, & iudicans, hæc tria officia non appetentis, sed iudicantis sunt. In facultate iudicante cōsideratur primo νῦς, siue intelligentia, ad hanc pertinet cognitio primorū principiorum, & quamuis hæc quoque componat constituendo dignitates, & positiones, tamen ad ea proprie pertinet apprehensio simplicium. Hinc dicitur oculus animi. Reperitur deinde διάνοια, & facultas dianoectica, cuius componendi officium magis est proprium, & ad eandem pertinet officium ratiocinandi, sed tunc dicitur ἐπιστημονικὸν & λογιστικὸν, vt patet ex sexto Nicomachiorum capitulo primo. Sed cum humana mens componendo constituat, & affirmationem, & negationem, quæritur, quid prius constituat, vel aptū sit originis ordine constituere, num affirmationem, vel negationem? Arist. in primo de Interpretatione præfert affirmationē, inquiens: Est autem vna prima enunciatio affirmatio, deinde negatio, & iure: nam affirmatio, est simplicior negatione, & id oportet negationē negare, quod affirmauit affirmatio. Ex aduerso nonnulli viri docti vt Fracastorius, in libro de Intellectione, præferunt negationē, hac ducti ratione, quia primo tenemur res apprehēdere vt distinctas, adeo vt vna non sit altera, mox eas componere. Confirmatur: quia negatio cum sit diuisio, est similior apprehensioni simplicium. Respondens dico, affirmationem & negationem non adeo essentialiter esse ordinatas, vt cogamur semper eandē prius quam alterā formare. Hinc distincta consideratione, & vna, & altera pōt præferri, considerari. n. potest ordo inter eas cōsideratione Logica, Metaphysica, & Physica: cōsideratione Logica fieri pōt dupliciter. Primo, cōsiderādo eas vt species enunciationis, & quia vna nō est enunciatio ob aliam, ideo,

Dubitatio. *Solutio.* *Facultas iudicans.* *Num affirmatio sit prior.* *Solutio.*

vna non est prior altera. Secundo, referendo eas ad compositionem, & quia affirmatio est simplicior, ideo dicitur ab Arist. prior. Si consideratur ordo earum consideratione Metaphysica, affirmatio est prior, quia ens absolute, prius est non ente, & vnum ac simplicius, prius est multitudine, & compositis, vt legitur in 2. de Cœlo 22. affirmatio autem respondet enti, & est simplicior. At si tertio consideratur ordo Physicè, vt pertinet ad tertium de Anima, & nostrũ modum cognoscendi, sic primo formamus enunciationem de secundo adiacente affirmatiuam, vt calidum est, album est; nam, ita obiecta nos mouent, secundario negamus, calidum non est; Mox autem transeundo ad enunciationes de tertio adiacente, primo apti sumus constituere negationem, vt dicendo, calidum non est frigidum, mox vero affirmationem, vt ignis est calidus. Ratio huius est, quia prius noscimus accidentia quorum vnum de altero negatur, quam noscimus substantiam, cum qua per affirmationem nectitur accidens. Ex his constat, hæc tria rectè dici posse, affirmatio non est prior negatione, nec vice versa. Insuper, affirmatio est prior negatione. Demum negatio, est prior; Ratio Fracastorii nullius est roboris: nam solum ostendit primo simplicia seorsum apprehendi, mox componi, at non primo vnum de altero negari.

Conclusio

Cap. V.

De tertia muneris functione humanæ mentis.

EX prima & secunda mentis actione, pendet tertia admirabilior, maiorique arte egens cæteris, & dicitur cogitatio, siue ratiocinatio, cuius ope, ex vno elicimus aliud, & ex vno in aliud progredimur. Hæc nuncupatur ratio, vel quia est mutua plurium relatio, ex qua aliud deducitur, vel quia per eum alterius causam, & rationem afferimus. Hæc ratiocinatio fieri potest & natura tantum, & arte naturæ adhibita, & dum fit arte, perfectius fit, quam dum fit sola natura, vt inquit Arist. sub initio primi Rhetoricorum. Ars enim naturã perficit tanquam ministra eius. Quomodo ratiocinatio fiat in tempore, vel momento, ex dictis in præcedentibus notum est, nam semper apprehensio momento fit, semper est tota simul, quamuis per continuatum tempus seruetur, & progrediendo ex apprehensione vnius, in apprehensionem alterius progredimur, ex indiuisibili, ad indiuisibile, vt progrediendo ex emissione radiorum, in illuminationem, & ex hac, in actionem à visibilibus prodeuntem in perspicuum illuminatum. Sed pulchra se nobis offert dubitatio, quia dicimus in formanda demonstratione maiorem prius tempore nosci, minorem vero, simul tempore cum conclusione, nam quæro minorem, & conclusionem; vel noscimus eodem momento, vel distincto, si eodem, falsa erit sententia Aristot. in secundo Topicorum, dicentis nos non posse simul plura intelligere, si distincto, quia inter duo instãtia mediat tempus, non simul tempore noscemus minorem, & conclusionem. Respondeo, de his se habere vt de interitu vnius & ortu alterius: nam quæri solet, an eodem momento quo vna forma desinit, incipiat esse altera? & dicendũ, id fieri eodem instanti temporis, distincto instanti naturæ, nam inquit Philosophus in 8. Phys. 65. medium in transmutatione esse numero vnum, ratione vero duo; Hinc dicimus, ob distinctam rationem, instans vnum temporis esse duo instantia naturæ, idipsum dicendum de ratiocinatione apprehensa minori, eodem instanti temporis noscitur conclusio, & distinctio naturæ, ob distincta cognoscibilia: & præsertim hoc accidit de indiuisibilibus quæ ex se non egent tempore, sed sunt actus perfecti.

Ratio. *Dubitatio.* *Solutio.*

perfecti. Hoc tertium humanæ mentis officium maximè proprium hominis est, & cum eo reciprocatur, nam solus homo est animal rationale, cætera enim vel sunt supra rationem, vt separatæ mentes, vel infra, vt iumenta, & feræ: Solus homo est particeps officii ratiocinandi, quod profecto sublime est, & vberrimos parit fructus, vt ex calce libri patebit. Nam cum homo per mentem nil sit actu, sed omnia potestate, fit omnia actu, & fit omnia, non cum materia, & interitu, sed seorsum ab illis, cum sola perfectione, fit omnia, cum sensibilia instrumento sensuum, tum intelligibilia facultate propria, fit omnia apprehendendo Simplicia, componendo, ratiocinando; fit omnia, & vera, & vtilia, & honesta; fit omnia contemplando, agendo & efficiendo; & cum modis variis homo per rationem & mentem fiat omnia, euadit vniuersum spiritale, & incorporeum, & cum sit vniuersum, est imago & vmbra Dei, in qua adumbratione & consimilitudine, summum eius bonum est collocatum. Et cum mens ita fuerit facta omnia, tunc valet intelligere seipsam, quod ei competit actu reflexo, iudicando per opera vires suas. Sed hoc in dubium verti solet, an mens quia intelligit, dicatur fieri omnia, vel potius vice versa, quia fit res aptas cognosci, ideo eas intelligat & cognoscat? Aiunt nonnulli, mentem primo res fieri, quia primo earum recipit actionem, & species, mox nutu temporis, saltem originis ordine, eas intelligit; Hanc sententiam minus veram puto, nam mens & facultas cognoscens per se, dicitur fieri obiectum suum, hoc est vt cognoscens; Hinc dicitur fieri res per cognitionem. & id confirmatur: quia aer recipiens actiones visibilium, non dicitur fieri visibilia, sed solum oculus, nec oculus ea fit, nisi dum per videndi facultatem ea iudicat. Hinc Arist. in cont. 8. 3. de Anima, dixit. Cum autem mens fuerit facta omnia, vt sciens dicitur qui secundum actum, &c. adeo, vt per scientiam quæ cognitio est, dicatur fieri scibile, & id ipsum elicitur ex cont. 37. in quo Arist. explicans quomodo anima fiat omnia, inquit: est autem scientia quidem scibilis, &c. adeo, quod scientiam, quæ iudicium est, scibilia appellet. Quod cõfirmatur præsertim de mente, quia in ea nil noui recipitur, sed solum iudicat obiectum, adeo vt species intelligibilis nil aliud sit, (vt suo loco patebit) nisi actus intelligendi, & propterea non potest primo fieri intelligibile, mox illud intelligere, solum conciliando possumus dicere, facultatem cognoscentem primo fieri obiectum per præsentiam & oblationem, mox vero per iudicium, & cognitionem, propriè tamen & per se, quia facultas iudicat, dicitur fieri res quæ iudicatur, non vice versa.

Solus homo particeps ratiocinandi est.

Dubitatio.

CAP. VI.

An detur species intelligibilis distincta ab actu intelligendi.

CVM consideratione actionum humanæ mẽtis iuncta est consideratio specierum intelligibilium, de quib. hoc præsertim in dubium verti solet, an detur species intelligibilis distincta ab actu intelligendi. Qua de re verba faciens accipio inueniri has voces intelligibile potestate, intelligibile actu, actionem intelligibilis, actionem mẽtis intelligentis, siue notionem, speciem intelligibilem, & habitum mentis. Dubitatio est de specie intelligibili, an sit eadem cum actione rei intelligibilis, siue cum actione mentis, vel potius sit medium aliquod inter eas actiones, ab vtrisque distinctum; Quicunque putant dari speciem intelligibilem, mediam, & distinctam, eam ita describunt, quod sit qualitas spiritalis, quæ in mente potestate, vt forma in subiecto recipiatur, producta à phantasmate, auxilio mentis agentis, repræsentans menti essentiam rei, per quam mens ob-

Voces variæ.

De specie intelligibili.

iecto redditur similis. Hanc speciem inquiunt non esse intelligibilem, sed esse rationem intelligendi per quã mens primo intelligit intelligibile, mox actu reflexo valet etiam intelligere speciem illam. Est itaq; dubitatio, an detur huiusmodi species intelligibilis, distincta ab actu intelligendi, quæ etiam rei notio dicitur? Qua de re quatuor sunt opiniones, prima Theoph. Plutarchi Lydi, & Prisciani Lydi, necnon Simplicii, qui species ad mentẽ animariam pertinentes concedũt, easq; aiunt esse duplicis generis, nempe vel in essentia animæ insertas, quas rationes appellant, vel ab eis per excitationem factam ab externo obiecto emissas; Primas distinguunt ab actu intelligendi, vel sentiẽdi, secundas loquendo de sensibilibus, eas distinguunt ab actu sentiendi, non autem loquendo de intelligibilibus. Ideo inquiens Simplicius in 3. de anima, 39. Sensibiles formas vocat totum hoc, formas sensibiles in ipso sensu, & imaginatione existentes, quas à facultate sensuum formatrice ait fieri puriores, non autem sentiri. Intelligibiles autẽ formæ ipsius mentis animariæ intellectiones sunt. Hæc Simplicius. Sed quomodo species, & rationes insertæ in essentia animę reiectæ sunt, de specieb. primi generis non erit sermo, sed de aliis. Ideo est secunda opinio, Scoti, primo Sent. d. 3, q. 6. & 6. Metaphysic. q. 18. Insuper D. Th. Io. Gand. Zim. & multorum. Hi duplicem ponunt speciem, vnam quam dicunt expressam, & est phantasma illustratum lumine agentis, alteram impressam productam facultate luminis mẽtis agentis, & in mente potestate, vt in subiecto receptam, distinctam ab actu intelligendi. Tertia opinio, est Ludouici Boccaf. & aliorum quorundam illustrium Philosophorum qui nec in sensu nec in mente concedunt speciem sensibilem, vel intelligibilem ab actu sentiendi vel intelligendi distinctam. Nonnulli demum se medios constituunt, concedunt enim species sensibiles distinctas ab actu sentiendi, & negant id de specieb. Intelligibilib. vt Alexan. Achilles, & alii nonnulli, qui in parte consentiunt cum Simplicio, solum dissentiunt de modo. Ex horum itaque opinione, species intelligibilis est res in esse cognito, & spiritali, recepta in mente, non vt subiecto, sed cognitum in cognoscente, & cum non sit quid reale, non est in subiecto, sed solum modo aliquo mentem format, vt cognitio cognoscentem, inhærentia enim est conditio accidentis realis; relatæ itaque opiniones in tres rediguntur, vel enim species in omnibus distinguitur, vel in nullo, vel distinguitur in sensibus, non autem in mente: ideo ego in his versabor, quod species intelligibilis sit distincta ab actu intelligendi, & in mente vt in subiecto recipiatur ex variis colligi posse videtur, & primo Arist. in 2. de Anima diuidit actum in primum & secundum, & inquit, scientiam esse actum primum, speculationem vero actum secundum, cum autem speculatio sit actus intelligendi, & speculatio supponat actum primum, qui est habitus scientiæ, est necesse vt actus intelligendi, sit distinctus à specie intelligibili, attinente ad habitum scientiæ, & ratio ita formatur: omne id cui competit actus secundus, est necesse vt prius includat actum primum, menti competit speculatio, quæ est actus secundus, quare prius ei competit actus primus, à secundo distinctus, includens speciem sine actu intelligendi; Confirmatur: quia mens puerorũ est in potentia ad actum primum, quæ dicitur potentia essentialis, mox dicitur in potentia ad actum secundum, ideo, vt speculentur, debent primo actum primum, & speciem recipere, mox speculari, & propterea est necesse, vt actus primus, & species, ab actu intelligendi secernatur. Præterea, vt sensitiuum se habet ad sensibilia, ita mens ad intelligibilia. & 3. de Anima, cont. 2. sensitiuum recipit species à sensibilibus distinctas ab actu sentiendi, quare & mens eas recipit ab intelligibilib. distinctas ab actu

Marginalia: *An detur species intelligibilis.* — *Opinio prima.* — *Simplicius.* — *Secunda opinio.* — *Tertia opinio.* — *Quarta opinio.* — *Species intelligibilis quid ex aliorũ opinione.* — *Conclusio.* — *Dari distinctas.* — *Ratio 1.* — 2.

actu intelligendi; Minor est Arist. in lib. de Memoria, dicentis à sensibiliũ actio-
nib. imprimi species, vt à sigillo imprimitur figura in cera. Præterea, cum intelli- 3.
gere sit modo aliquo pati, & mens potestate sit similis primæ materiæ, omnis
potentia patiẽs, primo recipit formam, mox per eum agit, mens potestate est pa-
tiens, ideo primo, debet speciem recipere, vt mox ex ea prodeat actio. Præterea, 4.
Arist. in cont. 4. inquit, Mentem vt omnia intelligat, debere esse nudatam omni
specie, quoniam prope apparens prohibet alienum, & obstruit. Hæc regula est
vera de eo quod recipit formam aliquam vt subiectum, distinctam ab actu reci-
pientis, vt eam declarauit Arist. in 2. de Anima, 71. & 118. de medio deferente a-
ctiones, & de instrumentis sensuum. Præterea, Arist. in cont. 6. commendat, di- 5.
centes animam esse locum specierum, at veteres id enunciantes, putabant ani-
mam ita esse locũ, vt vel esset, vel in se haberet rem intelligibilem, ideo dicebant
simile simili nosci, non autem ita putabant esse locum (quia solum iudicaret) &
præsertim quia tunc mens non diceretur potestate, iudicare enim est agere, non
pati, & iudicium fit per potentiam agendi, non recipiendi. Præterea, id ipsum 6.
ex 8. contex. elicitur, inquit enim Phylosophus, mentem in habitu esse omnia,
intelligere ad libitum, & intelligere se, hæc conspicuè indicant dari speciem in-
telligibilem distinctam ab actu intelligendi, quæ in mente vt in subiecto, primo
recipiatur, mox per eam agat, promendo iudicium, nil enim dicitur fieri aliud,
nisi ab eo vt à forma perficiatur, & si mens nil reciperet, semper egeret alio ei
offerente obiectum, & nunquam ad libitum intelligeret, & nisi reciperet spe-
ciem rei intelligibilis, & recipiendo eam, fieret illud, non posset per intelligi-
bile, intelligere se. Insuper, Aristot. in 1. & sexto Nicomachiorum, habitus ani- 7.
mi diuidit in morales attinentes ad appetitum sentiendi, & rationales, attinen-
tes ad mentem, cum autem habitus sit Qualitas primæ speciei, & huiusmodi
Qualitas sit distincta ab actione, & subiecto egeat, cui inhæreat; cogimur fate-
ri, habitus mentis qui sunt vniuersalium, esse in mente vt in subiecto distinctos
ab actu intelligendi, cum præditus habitu non semper speculetur; Quæ autem
ita se habent, vt seruetur vnum pereunte alio, necessario distinguuntur. Et con- 8.
firmatur: quia nisi huiusmodi habitus in mente reciperetur, tunc mens viri sapi-
entis, non cõtẽplans, distingueretur ab ea ignari. Preterea, prodeuntia ex prin- 9.
cipiis distinctis, necessario sunt distincta, actus intelligendi prodit ex mente, spe-
cies intelligibilis ex phantasmate illustrato, quæ sunt principia distincta, quare a-
ctus intelligendi & species, inter se distinguuntur. Hoc videtur etiam existimasse
Auerr. nam in 3. com. 3. de Anima, ait, Mens recipit formam quam comprehen- *Auerr.*
dit, adeo, vt comprehensionem Auerr. distinguat à forma, siue specie. Similiter
cont. 5: ait, intelligibilia habere duplex subiectum, vnum per quod sunt vera, &
est phantasma, alterum per quod sunt vnum entium, & est mens potestate, at
subiectum quod accidens est vnum entium, est subiectum cui inhæret forma.
Et in secundo de Anima, 149. inquit, in Anima recipere, aliud esse à iudicare,
ideo antecedit receptio speciei, sequitur iudicium; Similiter Themistius in di- *Themi-*
gress. tertio de Anima, Memoriam ait Thesaurum specierum, & species ab actu *stius.*
intelligendi secernit. Clarius etiam Alexander, eas statuit secretas: nam in pri- *Alexan.*
mo suo lib. de Anima, cap. 19. loquens de phantasia, ait: Eiusmodi igitur figuras,
siue relicta vestigia imaginationem nuncupant, & imaginationem esse figura-
tionem affirmant, sed figura hæc imaginatio non est, sed circa eiusmodi figuram
imaginandi facultatis actio: etenim si figuram & imaginationem idem esse con-
cesseris, statim efficies, vt ii qui figuram illam habuerint, etiam cum nil imagi-

nentur, nihilominus in imaginatione sint, &c, Conspicue Alexander distinctionem ponit, & ratio eius consimilem vim habet de mente habitu prodita, ideo cap. 25. inquit: Materialis mens est facultas ad formas excipiendas tabellæ nondum scriptæ similes, at tabella figuras recipit distinctas ab eius actione; Iure itaque videtur dicendum, species intelligibiles quarum mens dicitur locus, distingui ab actu intelligendi.

CAP. VII.

Ostenditur ex sententia Arist. species intelligibiles non distingui ab actu intelligendi.

RELATA opinio quamuis cum rationi, tum decretis Theologorum satis sit consentanea, ex opinione tamen Aristot. puto dicendum, actu intelligendi non distingui à specie intelligibili, nec recipi in mente vt in subiecto, sed vt actū cognoscendi in iudicante, quod variis rationibus ostendi potest; & primo. Superius non perficitur ab inferiore, vt à propria forma, perficiens enim est aliquid præstantius, sed solum superius potest esse iudex inferiorum, mens est præstantior quidditate materiata, quare non ab ea, vt à forma perficitur, per quam mox operetur, sed solum eam iudicat. Hinc dicitur non mixta, vt dominetur, hoc est vt intelligat, veluti inquit Arist. in cont. 4. 3. de Anima. Confirmatur, quia nulla forma ex materia non pendens recipit denuo formam aliam vt subiectum, mens est forma ex materia non pendens, quare, &c. Maior patet per Arist. in primo de ortu & interitu, 55. dicentem, originem passionis, & receptionis esse materiam, & si daretur forma sine materia, non pateretur. Confirmatur, quia inuariabile non recipit id, quod varietati est obnoxium, Hinc Cœlum vilius mente, quia æternum est, nullum à mortalibus recipit accidens. Præterea, id ipsum ostenditur ratione sumpta ex memoria, nam si in mente vt in subiecto per receptas species gignerentur habitus, etiam deberet mens nedum seruare species, sed etiam maxime seruare, cum varietati non sit obnoxia: At Aristot. menti memoriam non tribuit, solum ait seruari vniuersalia ex accidenti, quatenus seruantur phantasmata per memoriam phantasiæ iunctam, ex quibus ad libitum vniuersalia eliciuntur. Confirmatur: quia si mens reciperet species, & in ea seruarentur habitus, tunc non esset necesse dum intelligere volumus, quod prius phantasmata specularemur: nam habens habitum valet per illum vt per formam ad libitum operari; At Arist. in 3. de Anima, & alibi ait, quod est necesse intelligentē phantasmata speculari, ideo inquit Auerr. in 3. de Anima, 39. cum corpus quod est vniuersalius intelligibilium, abstrahitur à mente, & existit in reb. Sensibilibus, necesse est, vt formæ sint in mente secundum velocitatem & rem velocis transmutationis non fixam, &c. Insuper, quoniam natura nunquam abundat supernacaneis, nec facit per plura quod valet efficere per pauciora, cum huiusmodi species ad nil conferre videantur, reiiciendæ sunt penitus. Nam si conferrent, vel conferrent pro repræsentando obiecto, quod non est dicendum, quia phantasma illustratum satis est, vel vt mens per eam intelligat, quod etiā concedi non debet, quia mens vt intelligat, non habet ab alio, cum ex se sit principium intelligendi: Vel demum, vt mens contrahatur ad definitam alicuius intelligibilis cognitionem, quod dici non debet, quia ad id efficiendum phantasma est satis. Quare species ab actu intelligendi distinctæ vt redūdātes, sunt negligendæ. Præterea, si daretur huiusmodi species, tunc in mente intelligente tria inuenirentur, mens, actus.

Margin notes: Quod nō distinguatur. — Ratio 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6. — 7.

actus intelligendi, & species, quod nunquam dixit Arist. nam in ea nil est præter intelligibile, & mentem. Et præsertim, quia si mediaret huiusmodi species, tunc 8.
ex mente & intelligibili non fieret maximè vnum, quoniam non fieret sine medio, nec maximè fieret intelligibile, sed hoc competeret menti specie formatæ, & demum redderetur falsa sententia Arist. in 51. cont. dicentis, Mentem nil esse 9.
actu antequam intelligat; nam prius esset actu per speciem intelligendi. Præterea, hoc lucidissimè elicitur ex 7. Phys. 20. quo loci inquit Philosophus. Vt igitur 10.
neque cum dormiens excitatur, aut ebrius esse desinit, aut ægrotás conualescit, fit sciens, quamuis prius non valuerit vti & agere secundum scientiam, sed abeunte perturbatione, & ad tranquillitatem redacta mente, inest potentia ad scientiæ vsum: Ita huiusmodi aliquid fit in prima scientiæ adeptione, perturbationis enim quies quædam fit, & tranquillitas, &c. & colligens inquit: patet itaque, quod alteratio in sensibilibus est, & in sentiente animæ parte, in alia autem nulla (nisi ex accidenti) conspicuè Philosophus affirmat; in mente nil recipi, sed solum ex ea prodire iudicium, cõpositis aliis, quod eo loci etiam confirmat Auerr. Neque est putandum Arist. & Auerroem: tunc non ex propria sententia, sed ex opinione Platonis loqui, vt inquiunt Scotus, & Zimara, nã ex sententia loquuntur, alioquin Aristot. non recte soluisset difficultatem propositam, quæ erat; an motus pertineat ad animam; Et illi præsertim qui mentem vniuersæ humanæ speciei putant vnam, coguntur hoc fateri; quoniam si quid in mente vt in subiecto reciperetur, quod vnus addiscit, addiscerent & alij, & cum mentes superiores nil vt in subiecto recipiant, etiam de humana mente idipsum iudicandũ est. Colligamus itaq;, non esse concedendam speciem intelligibilem distinctam ab Conclus.
actu intelligendi, & hæ voces, species intelligibilis, intelligibile actu, notio, actus intelligendi, re idem denotant, sola ratione distinctum, dicitur species intelligibilis, vt est essentia rei intelligibilis in esse cognito, perficiens modo aliquo mentẽ potestate, dicitur notio, quia est iudicium eius, & ob id ipsum etiam dicitur actus intelligendi. Et si quis quærat, an hoc iudicium sit in mente vt in subiecto, videtur enim quod sic, quoniam inquit Arist. 9. Metaphy. 16. intelligere esse operationem immanentem: Respondeo, actum intelligendi esse iudiciũ, quod est perfectio iudicantis, & est in iudicante, vt in fundamento actionis, non vt in subiecto, & præsertim, quia res subiecto proprie eget pro suo esse materiato, at non pro spirituali & cognito. His accedit, quod Aristoteles loco relato inquit, quod visio est in vidente, speculatio in speculante, vita in anima; at speculãs non est sola mens, sed homo, vt etiam videns, sat est, vt pertinentia ad scientiæ habitum in memoria seruentur, nam in quinto gradu moralis Philosophiæ c. 6. patefeci habitus mentis non esse in mente, vt in subiecto, sed in phantasia per memoriam seruari.

CAP. VIII.

Resolutio difficultatis de specie intelligibili, & solutio aduersarum rationum.

VT propositæ difficultatis resolutio magis conspicua refulgeat, quoniam noster philosophandi modus nititur experientia, vt fundamento, & per opera eleuamur in notitiam principiorum, ideo in nobismet considerare debemus progressum, & ordinem nostræ cognitionis: nam primo occurrunt externa sensibilia, quæ propria quadam actione agũt in sensus, vt visibilia in oculum, quæ actio non propriè dicitur species visibilis, sed solum latè: propriè autem di- *Ordo nostra cognitionis.*

Species sensibilis. citur actio rei visibilis. Tertio sensus externus excitatus ab ea actione, iudicat: id iudicium est id, quod mox offertur sensui communi, illumque excitat, in eoque perficitur: & hoc iudicium, quod est res sensibilis in esse cognito, propriè dicitur species sensibilis, vt speciem, hoc est rei formam repræsentat, & sensum perficit. Hoc iudicium communis sensus, id est, quod excitat & mouet phantasiam. Hinc phantasia definitur ab Aristotele, quod sit motus factus à sensu, nempe communi, qui actu est: Sensus autem est actu per iudicium rei sensibilis: mox phantasia idipsum imaginatur, aliquid superaddens, idque in memoria recondit, & dum phantasia imaginatur, suo imaginandi actu, qui est phantasma actu, mentem excitat, ei offerendo id phantasma, mens in illud conuersa, primo particulare illud iudicat, mox quasi in se rediens, derelictis conditionibus indiuiduantibus, solam essentiam, quæ est ipsum vniuersale, considerat, in quo progressu nulla reperitur propriè sumpta species distincta ab actu sentiendi, vel in-

Tres thesis. telligendi: & propterea tres profero conclusiones. Prima est, non datur species intelligibilis distincta ab actu intelligendi. Secunda est, non datur propriè species sensibilis distincta ab actu sentiendi. Tertia est, in attinentibus ad sensum externum, datur actio externi sensibilis, distincta ab actu sentiendi, quæ solum

Prima cõclus. minus propriè dici potest species. Prima cõclusio ex dictis conspicua est. Secunda attinens ad sensus, similiter est conspicua, quia ea species distincta, redundans

2\. penitus est. Hinc Aristoteles in 2. de Anima 141. inquit, eundem esse actum, rei sensibilis & sensitiui: at actus sensitiui non est species, sed iudicium, quare etiam sensibile non constituit speciem, à iudicio distinctam. Confirmatur: quia si darentur huiusmodi species ab actu cognoscendi distinctæ, tunc possent etiam seruari per memoriam, absq; eo quod prænoscerentur, quod minime accidit, nam experientia percipimus, id solum memoria seruari, quod prænouimus, adeo, vt memoria sit notionum, nõ specierum ab eis distinctarum. Præterea lucidissimè Aristoteles in lib. de sensu & sensili huiusmodi species renuit, nam disputans aduersus Democritum, damnat de modo vidẽdi sententiam eius, putabat Democritus visionem fieri per species ex visibilibus prodeuntes, fatetur Arist. sensibilia agere, at negat species distinctas vel ab actione sensibilium externorum, vel

3\. ab actu sentiendi. Tertia conclusio, nempe, dari actiones externorum sensibilium, distinctas ab actu sentiendi notum est, nam sensibilia etiam agunt in medium, non cognoscens: insuper vehemens sensibile labefactat sensum, at iudicium non labefactat. Hinc Aristoteles in 2. de Anima, 127. inquit, aerem pati à sensibilibus, at per eam passionem non sentire, sed reddi sensibilem, quæ actiones non propriè dicuntur species, sed actiones sensibiliũ, & si quis dicat in speculo apparere species rerum visibilium, dicendum est cum Arist. in lib. de sensu & sensili, eas non esse species, sed actiones visibilium repercussas à speculo leni, repræsentantes visibile, cuius iudicium propriè est ea species, de qua Arist. in 2. de

Diluuntur aduersæ rationes. Anima inquit, sensum recipere speciem sine materia, quę est res sensibilis in esse cognito. His explicatis, facilè modo est aduersas rationes diluere. Prima erat, quia actus intelligendi est actus secundus præsupponens primum, in quo primo includitur species. Respondeo, actus primus est habitus, qui non est in mente, vt in subiecto, sed in phantasia per memoriam; Vt pertinet ad mentem ea nullo eget, vt iudicet quæ ei offerantur, & ipsamet est actus primus. At dices, eadem dubitatio est de phantasia, quia ea per memoriam seruat, & seruat nõ iudicium, sed speciem, & formam sine iudicio, nam dormientes & non imaginantes non iudicant, quare datur species distincta à iudicio. Respondeo, id esse iudicium in habitu,

habitu, nō actu, & esse veluti impressionem quandam factam à sigillo, quia per sensibilia actu cognita definito quodam modo, permutantur spiritus, hinc memoria exposcit temperamentum siccum pro retentione, & ob id Aristot. in 7. Phys. 20. dixit, alterationem ad solum sensum, & sensitiuum pertinere, sic itaq; phantasia per habitū prodeuntem ex iudiciis imaginabilium, cum alteratione, & definita quadam dispositione spirituum, ad libitum ab actu imaginantur, & tunc species quæ erat in habitu, constituitur in actu. Addebatur, mentem puerorum esse potestate ad actum primum. Patet solutio: nam actus primus in eo formandus est habitus, vt dixi. Addebatur, sensitiuum recipere species, ab actu sentiendi distinctas, cum in memoria fiat impressio earum, iam hoc solutum & explicatū est. Dicebatur intelligere modo aliquo esse passionem, & mentem esse tanquam materiam intelligibilium; Respondeo in mente nō reperiri aliam passionem præter excitationem factam per oblationem phātasmatis in esse cognito, per cuius iudicium dicitur fieri intelligibile, perfici ab eo, materia eius, & locus: nam quod alij referunt ad speciem sensibilem, nos tribuere debemus actui intelligendi, modo iam explicato: adest similitudo inter materiam, locum, & mentem in parte, non absolutè. Addebatur, mentem debere esse nudatam formis intelligibilibus, vt eas recipiat, &c. Respondeo, regulam esse veram de omni receptione & reali, & spiritali, tum in materia, tum in loco, tum in anima, siue recipiendum sit, notio, siue species, immo Aristoteles dans regulam, dixit, quod prope apparet, prohibet alienum, dixit apparet, denotando actum intelligendi, actus autem dicitur recipi in iudicante, quia est obiectum externum in esse cognito, cuius cognitionis fundamentum est cognoscens. Insuper instabatur, quia Aristoteles commendat veteres, dicentes animam esse locum specierum; Respondeo, illum commendare sententiam, at non modum. Quod mens dicatur fieri omnia, & quod dentur habitus mentis, nobis non aduersatur: iam patefeci quomodo id intelligi debeat. Et vt pertinet ad solam mentem, cum ex sententia Arist. nil noui recipiat, tamen differt mens pueri, ab ea viri sapientis: differentia est in attinentibus ad phantasiam, per memoriam ei iunctam & habitus, qui sunt phantasmata firma, constantia, & ordinata. Addebatur prodeuntia ex principiis distinctis esse distincta. Respondeo, phantasma non producere speciem, sed esse speciem, quæ oblata menti iudicatur, ea autem in phantasia est species sensibilis, & per mentem fit species intelligibilis, quæ est ipsemet actus intelligendi. Confirmabatur eadem sententia per Auerr. at iam patefeci, Auerroem non distinguere actum intelligendi, à specie intelligibili, & cum dicat, mens recipit formam, quam comprehendit, indicat mentem eatenus recipere, quatenus comprehendit, & id iudiciū cum sit perfectio, & actus secundus mentis, per mentem fundamentum actionis dicitur vnum entium. Demum afferebatur sententia Alexandri, qui figuram impressam, & actum imaginandi ait esse duo distincta; Respondeo considerasse Alexandrum id, quod iam dixi, nempe in phantasia & memoria effici mutationem, & impressionem quandam factam ab actu sentiendi & imaginandi, quæ dici potest figura impressa, quatenus est definita quædam constitutio producta ab actu sentiendi, in instrumento phantasiæ & memoriæ, & præsertim in spiritibus, & hoc etiam in sensibus considerauit Auerroes, in 2. de Anima, 149. inquiens, quod recipere aliud est ab ipso iudicio. Cætera attinētia ad habitus mentis, & præsertim quid sint, quomodo distinguantur, & in quo vt in subiecto recipiantur, in quinto gradu moralis Philosophiæ patefeci, quæ repetere nolo.

Cap. IX.

An in Hominis mente per naturam insertæ sint Formæ intelligibiles.

Arist. libenter cū Plat. pugnat. ARISTOTELES partim Platonis gloriæ æmulus, partim ingenij acumine exactius cæteris veritatem indagans, in pluribus Platoni contradixit, præsertim tamen in attinentibus ad ideas, quarum simulachra quædam sunt rationes, quas in essentia animę rationalis, Plato censuit per naturam insertas, de quibus cum frequenter mentionem fecerim, easque renuerim, an recte id factum sit, modo considerandum occurrit: & præsertim, quia plurimi reperiuntur de doctrina Platonis & Aristotelis optimè meriti, qui satis firmis rationibus eas debere concedi affirmant, veluti Theophrastus, Plutarchus, Priscianus Lydus,
Diuisio. Simplicius, Themistius, Porphyrius, Ammonius, & similes. Considerationem hanc in tres partes distribuam. Referam primo potiora fundamenta eas approbantium. Secundo, eas reiiciam. Tertio, dubia soluam.
Academici. Academici Deum statuunt super mentem & ideas, menti ideas tribuunt, animi insitas & coæuas rationes, naturæ semina, materiæ vmbras idearum. Necessitatem rationum rationali animæ insertarum. His præsertim rationibus ostendere nituntur.
Ratio 1. Et primò, nisi in anima cognoscendarum rerum insitæ essent rationes, non possemus percipere essentias rerum, nam sensibus sola accidentia percipimus, quæ rerum essentiam non sunt apta patefacere. Hac ratione vtitur Plato in Phedone, quam confirmat Proclus in primum Euclidis, inquiens: nisi darentur huiusmodi rationes, non darentur figuræ, & affectiones, de quibus agit Geometra, quoniam in materia nec exactè rectum, nec exactè cubum reperitur, & sic de cæteris.
2. Præterea, nisi insitæ nobis essent rationes rerum, non intrinsecus commoueremur ad cognitionem rerum, nec per naturam appeteremus scire, nam huiusmodi appetitus interna scientiarum semina exposcit nos excitantia.
3. Præterea, nisi in anima scibilium insertæ essent rationes, tunc ea esset indifferens ad opposita, nec magis in vnam, quam in oppositā partem inclinaret; at nos experimur per simplicem accidentium oblationem, ac per leues quasdam interrogationes, excitari ingenia nostra ad approbandam partem veram, renuendam falsam, veluti etiam Aristoteles in 1. Physic. inquit, veteres sine ratione, sola veritate coactos, dixisse, principia esse contraria.
4. Præterea, Plotinus & Iamblichus, id ipsum eliciūt ex connexione rerum, earumque ordinato fluxu, ex primo principio: nam serie idearum, rationum, & seminum tanquam catena aurea, cuncta nectuntur, descendunt, & redeunt in primum principium.
5. Præterea, idipsum approbare debemus, vt seruemus graduum vniuersi perfectionem, & omnia esse in omnibus, ita enim cuncta sunt in mente per ideas, cuncta in anima per rationes, cuncta in natura per semina, & demum cuncta in materia per vmbras.
6. Præterea ex conditione animæ nostræ, quæ mens animaria ab Academicis dicitur, eandem sententiam elicere valemus: cum enim mens nostra sit ab interitu immunis, etiam debet esse expers cuiuslibet alterationis, adeo, vt nil noui tanquam subiectum recipere valeat; cum autem nil noui recipiat, & sit rectus iudex rerum, est necesse, vt per naturam earū rationes & formas insitas habeat, alioquin nec recte iudicaret, nec sciens esset. Præterea, Deus & natura, nil imperfectum producunt, valde imperfecta esset anima nostra, si rerum cognoscendarū formas non includeret. Demum omne agēs ne temerè agat, debet includere rationes rerum agendarum, mens agens dicitur agens, quia intelligibilia potestate, reddit intelligibilia

ligibilia actu, ideo ne temerè id efficiat, est necesse, vt earum rationes insitas habeat, non secus ac artifex rerum effectibilium: Has insitas rationes aiunt denotasse Aristotelem in primo Poster. dicentem, nedū nobis competere scientiam, *Arist.* verum insuper principium scientiæ, nempe mentem, qua terminos, hoc est, rationes & ideas cognoscimus, de his aiunt Aristotelem loqui in 3. de Anima, 21. dicentem in apprehensione indiuisibilium, hoc est rationum, & idearū non esse falsum. Has insitas rationes & ideas videtur approbare Auerroes, cum in 12. *Auerr.* Metaphys. com. 17. dicat, Mentem nostram nudatam potestate, intelligere cuncta per essentiam mentis agentis, non autem id ei competeret, nisi in essentia mentis agentis huiusmodi rationes insitæ essent; id etiam ipsum affirmat in 3. de Anima, com. 20. & 36. Themistius in digressione sua in 3. de Anima, si cuncta eius verba considerantur, conspicuè easdem approbat Philosophus in 3. de Anima, comm. 14. vna cum Iamblicho huiusmodi rationes animæ insitas affirmat, *Themist.* *Philos.* quare cum ratio, tum authoritas, ad huiusmodi formas, & insitas rationes approbandas conspicuè conspirarę videntur, ob quas iure optimo anima denominatur rationalis.

Cap. X.

Reijciuntur cum Aristotele rationes animæ insitæ.

Aristotelem non approbasse, verum potius conspicuè ab anima reiecisse insitas rationes, ex varijs elicere valemus, & præsertim, quia huiusmodi rationes supponunt in mente ideas, quas in prima Philosophia, in Philosophia de moribus, in Logica, & naturali scientia, Aristoteles nixus est euertere, & redundantes patefacere. Insuper ex eo, quod animæ huiusmodi rationes per naturam competunt, colligunt Academici scientiam nostram esse reminiscentiam. *Arist. reiecisse insitas rationes.*
2. Econtrario Aristoteles negat scientiam nostram esse reminiscentiam. Tertio, 1.
3. quia animæ rationes rerum competunt, inferunt naturæ competere semina, & naturam esse vim seminariam a mundi anima materiæ infusam, ex aduerso Aristoteles ait: Naturam esse materiam & formam, vim autem seminariam materiæ insitam non concedit, sed inquit eam omnino esse potestate. Præterea Aristoteles naturam & conditionem nostræ mentis explicans, patefacit in 3. de Anima, hanc esse conditionem eius, vt sit potestate, vt sit nudata omni forma, vt sit locus specierum, non actu, vt censuit Plato, sed potentia, vt sit tanquam tabula, in qua nil sit scriptum. Hæc & similia conspicuè indicant, Arist. huiusmodi insitas rationes reiecisse. At soluentes, inquiunt Arist. tunc loqui de mente potestare, quæ est anima, nō quidem in se manens, in qua sunt rationes, sed progressa, & dicitur tanquam tabula, in qua nil sit scriptum, quoniam obscurè solum & tanquam deletæ in ea seruantur. Hæc euasio inanis est, tum quia nil à se, & à sui natura & conditione recedit, tum quia Arist. absolutè ait, mentem similem tabellæ sine inscriptione, non in qua obscure inueniantur; tum demum, quia ad actum redigi ait, non per rationes in anima insitas, sed per phantasmata. Præterea si in anima per naturam huiusmodi insitæ rationes inuenirentur, tunc habitus animæ cum fiant per huiusmodi rationes essent essentia, & substantia, non autem accidens, & qualitas: At Aristoteles scientiam & habitus inter qualitates numerat, ad animam pertinentes. Præterea, si in mente insitę essent huiusmodi rationes, re vera memoria ad mentem pertineret, & seruarentur vniuersalia, quia huiusmodi rationes vniuersalia quædam sunt: at Aristoteles in lib. de Memoria 4. *Solutio.* *Euersio.* 5. 6.

negat dari memoriam vniuersalium, præterquam ex accidẽti, quatenus seruan-
7. tur phantasmata, ex quibus ad libitum ea eliciuntur. Præterea, si animæ huius-
modi rationes competerent, tunc anima ex se, per distinctas rationes moueri
posset, vt aiunt Academici quod reiicitur ab Aristotele in 1. de Anima. Similiter
idem esset docens & addiscens, quia homo per animam progressam addisceret,
per eam in se manentem rationibus præditam doceret, quod absurdum indicat
8. Arist. in 8. Phys. 4. Præterea, illis concessis, daretur vniuersale seorsum à singula-
ribus, nam huiusmodi rationes & ideæ sunt vniuersalia quædam ante rem, fre-
quenter reiecta ab Arist. ideo in 1. Poster inquit, vt detur demonstratio & scien-
tia, non est necesse dari ideas, & huiusmodi rationes, sed sat est, vt sit vnum in
9. multis particularib. quod de multis dicatur. Præterea, si anima in sui essentia in-
sitas haberet rerum formas, mirum esset, quod ea nõ ex se posset intelligere, sed
semper exposceret externa phantasmata perinde se habẽtia, ac sensibilia ad sen-
sum, & præsertim, quia dum aliquid includitur modo eminentiori, non recipi-
tur in eo, modo viliori, & quod in sui natura & essentia aliquid includit, nunquã
10. ad id dicitur esse potestate, cum potentia & actus inuicem pugnent. Insuper, nil
redundans in natura concedi debet, at sine huiusmodi insitis rationibus, cuncta
exquisitissime seruantur, quæ ad scientiam nostram, & alias animæ munerum
11. functiones pertinent. Quare huiusmodi rationes, vt redundantes sunt reiicien-
dæ. Quod confirmatur, quia mirum esset, si Arist. eas concessisset, quod nullibi
eas approbasset, nullibi de illis præterquam reiiciendo eas, verba fecisset: & mi-
ror certe, quod Calaber in sua Metaphysica, M. Antonius Genua, & nonnulli a-
lij viri docti ex sententia Aristotelis nixi sint eas approbare. De Simplic. Prisc.
Lydo, & aliis, non miror, quia hoc præsertim sibi proposuerunt, vt velint, vel no-
lint, Aristotelem, & Platonem conciliarent. Auerroes menti agenti eas tribuit,
at ipse vt mentis humanæ vnitatem, ita huiusmodi in agente insertas rationes, ex
Academicis deprompsit, à quibus tamen recedit, quia mentem potestate, essen-
Resolutio difficultatis. tia distinctam ab agente existimatur. Pro resolutione itaque difficultatis dica-
mus, menti humanæ rationes competere, dupliciter intelligi posse, vel pro fa-
cultate & virtute formandi notiones, & ratiocinandi, vel pro formis in ea insitis
respondentibus ideis, in prima significatione concedi debent, reiici autem in se-
cunda. in prima significatione approbantur ab Aristotele, in secunda vero ab eo
Rationes aduersæ diluuntur. reiiciuntur, & approbantur ab Academicis. Rationes aduersæ solum cogunt pro
approbandis rationibus in prima significatione, non autem in secunda. Nam
munere facultatis ratiocinantis, ex effectis eleuamur in causa, & ex propriis ac-
cidentibus elicimus conditionem & essentiam formæ rerum; & dum additur,
quod in materia exactè rectum & cubum non inueniuntur; Respondeo, id pa-
rum referre, quia munere facultatis imaginandi, & cogitandi sine insitis ratio-
nibus, valemus exactè rectum & sphæricum imaginari, nam vt ex recto duci-
mur in notitiam obliqui, & ex perfecto in imperfecti, ita contra. Insuper cum
mens pendeat ex vero & bono, per conditionem propriam ad verum & bonum
conspirat, sibique oblatum verum, vel per signa indicatum approbat. Connexio
graduum vniuersi non eget huiusmodi rationibus, sed per propriam naturam &
conditionem inferiora cum suis superioribus nectuntur, vt perfectibile cum sua
perfectione: nec perfectio graduum mundi exposcit, vt omnia per rationes, vel
ideas sint in omnib. sat est, vt superiora tanquam causæ includant inferiora, hæc
vero vt effecta seruent conditionem illorum. Ratio sumpta ex cõditione men-
tis, quæ nil recipere posse videtur, inanis est, non concesso quod nil recipiat, sat
est,

est, vt ex se hac facultate sit prædita, vt valeat obiecta iudicare, quæ illi offeruntur, vt facultas videndi valet iudicare colores, habitus autem scientiæ, quomodo nobis competat, alibi patefeci. Nec ob id anima nostra dicitur imperfecta, quia eius perfectio in facultate iudicandi, non in rationibus insitis est posita, largitur Deus & Natura actum primū, ex quo deinde fluit secundus, qui actio est, vt non semper gignitur ignis sursum, semper tamen ita gignitur, vt sua natura tendat sursum. Addebatur, agens debere includere rationes eorū quæ agit, quare mens agens debet eis esse prædita. Respondeo, agens esse duplex, vel per habitum artis, & hoc includit rationes. Ars enim est recta ratio efficiendorum: vel per propriam naturam & conditionem, hoc non eget rationibus, sed operatur sua virtute, & facultate, vt sol non includens rationes colorum, reddit colores potentia visibiles, actu visibiles. Similiter, iudex propria facultate obiecta, sibi oblata iudicat. Nec Aristoteles in primo Poster. inquiens, dare principium scientiæ, quo terminos cognoscimus, denotauit huiusmodi rationes, sed terminos simplices, & principia prima, quæ primo à nobis apprehenduntur, per quæ ducimur in notitiam aliorum. Non itaque dantur in anima rationali rationes insertę, formaliter inter se distinctæ, sed datur facultas iudicandi, cogitandi, & ratiocinandi, per quam mens nostra dicitur ex se particeps rationis. *Conclus.*

CAP. XI.

Proponitur agendum de Primo cognito.

QVÆSTIO quæ de primo cognito dicitur, & in proœmio Physicorum agitari solet, propriè pertinet ad tertium de Anima, & ad partem illam, in qua de actionibus humanæ mentis agitur. Propterea loquens ego in hoc libro de mentis actionibus, etiam de primo cognito teneor verba facere. Iure optimo Empedocles hunc nostrum orbem mundum litis nuncupare consueuit, cum in eo nil purum, nilque sincerum inueniatur, & contraria adeo sint complicata, vt vnum accipere non valeamus, quin sequatur & alterum: hoc cum in cæteris, tum in nostra cognitione refulget: frequenter enim apprimè notum, cum apprimè obscuro iunctum est. Nil externis oculis est lumine clarius, nil oculò mentis eo est obscurius, dum quæris, quidnam sit; Similiter nil notius nobis primo noto, nilque ex aduerso est obscurius, quam quid sit hoc primo notum, quod Dei prouidentia nobis competere putandum est, ne in nostra sapientia nimium confideremus, nimiumque ob eam euaderemus superbi. De hac itaque ardua difficultate loquuturus, primò pro parando ingenio, voces explicabo; Secundo, pro eo excitando, opiniones varias referam, & de illis dubitabo. Tertio, pro veritate noscenda, sententiam quam puto veriorem, comprobabo. Demum pro ea clarius illustranda, aduersa dubia diluam. Quæritur, quid sit illud, quod aptum est à nobis primo nosci? Primum aptum nosci est triplex, vel primum perfectione, vt Deus, vel adæquatione, vt obiectum adæquatum, vel origine, & de hoc est dubitatio. Quod primum origine est duplex, vel actu, vel facultate: non quæritur, quod primo actu noscatur, hoc enim ob varias occasiones & oblationes varium est, & indefinitum, quærimus primum facultate, adeo, vt per naturam sit aptum à nobis primo nosci. Insuper, quod pertinet ad facultatem cognoscentem, ea est duplex, sensus, & mens, quæ est de vtraque; at præsertim de mente, ad quam pertinet scientia. Præterea mens duobus modis cognoscit, vel per essentiam vt Deus, vel per notionem ab obiecto, vt mens

Empedocles. *Diuisio et ordo seruandus.* *Primum notum triplex.*

nostra & de hoc noscendi genere est dubitatio. Insuper, hæc cognitio per notionem ab obiecto est duplex, vel sine discursu, vt simplicium apprehensio, & cum Poster. vel cum discursu, dubitatio est de prima. Quæ adhuc est duplex, vel confusa, vel distincta, quæstio est de cõfusa, quæ absolutè dicitur origine prima. Demum quod pertinet ad obiectum natum cognosci, id vel est primæ, vel secundæ actionis: Dubitatio est de obiecto primæ notionis: nam id quod est secundæ notionis, est ens rationis à mente formatum, post cognitionem entis primæ notionis; ens primæ notionis, vel est substantia, vel accidens, vel vniuersale, vel singulare, & de omni est dubitatio. Quæritur itaque, quod nam ens primæ notionis, siue sit substantia, siue accidens, siue vniuersale, siue singulare, sit natũ à nobis, vel mente, vel sensu prius origine nosci cognitione sine discursu, & confusa. *Conclus.*

Cap. XII.

De primo cognito opinio Scoti.

DE proposita difficultate opiniones principales sunt tres, duæ extremæ, & vna media, extremarum vna est ea Scoti in 1. sent. dist. 3. q. 2. necnon Gregorij Arim. 1. sent. d. 3. q. 3. Antonij Andreæ Ioan. Canonici, & similibus. Inquit Scotus in 1. sent. Si comparetur minus cum magis communi, primum origine aptum à nobis cognosci cognitione confusa, non habitu, vel virtute, sed actu, est species specialissima, & cõparatis inuicem speciebus est ea species, cuius singulare efficacius mouet sensum. Dum vero absolutè quæritur primo cognitum, inquit in primo Metaphys. q. vltima, & septimo Metaphysicæ, q. 15. à mente primo esse aptum nosci singulare indefinitum & vagum secundo: naturam speciei tertio singulare definitum, nam species hoc ordine hæc repræsentat. Addit conclusionem debere intelligi remoto omni impedimento ad obiectum, medium, & instrumentum pertinente: iudicium enim quod absolutè statui debet in nobis primum, cuiuslibet impedimenti expers esse debet: Sic itaque & singulare, & species vltima ex sententia Scoti, est primum cognitum distincta cõparatione, & qui secus referunt sententiam Scoti, minus rectè eam referre videtur. Et quamuis Scotus in 1. sent. dist. 3. q. 1. dicat, speciem non singulare esse primo notum, loquitur tunc de singulari signato, quod tertio loco censet intelligi. Pro notitia opinionis eius considerandum, quod ponit triplicem notitiam, in habitu, in virtute, in actu: notitiam habitualem vocat, dum obiectũ ita est præsens menti secundum rationem intelligibilis actu, vt mens statim valeat habere actum elicitum eius: Virtualem vocat, dum aliquid intelligitur in aliquo, vt pars primi intelligibilis, non vt primum, & adæquatum intelligibile, terminans actum intelligendi, vt dum intelligendo hominem, intelligi dicitur animal in eo inclusè. Notitia actu dicitur, dum aliquid actum iudicatur. De notitia quam habitualem & virtualem appellat, ait cõmuniora esse primo nota: de actuali vero speciem specialissimam. Vtitur tribus rationibus. prima est: Agens secundum naturam non impeditum agit pro viribus, & opus efficit vt valet præstantissimum, conspirantia ad nostram cognitionem, operantur secundum naturam, quare efficiunt opus, vt valent præstantissimum, huiusmodi est notio speciei vltimæ, quæ perfecta est: Vtitur secundo authoritate Auicennæ 1 Metaphys. cap. 3. dicentis, Metaphysicam ordine addiscendi esse nobis vltimam, ac vt inquit in 6. Metaphysicæ, est vltima ordine cognitionis confusæ, prima verò ordine cognitionis distinctæ: quare principia & termini cæterarum scientiarum, possunt cognosci, ante quam noscan-

Opi. Scoti. *Instãtia.* *Triplex notitia.* *Ratio. 1a.* *2a.* *3a.*

noſcantur principia Metaphyſicæ, quod non accideret ſi communiora deberét primo noſci: veluti etiam Mathematicus noſcit lineam, ignorans an ſit Subſtantia, vel Accidens. Tertio ſi primo noſcenda eſſent communiora, tunc dum ſingulare mouet Senſum, & Mens eſt libera, magnum cõſumeret tempus antequam ſpeciem poſtremam cognoſceret: nam teneretur prænoſcere omnia cõmuniora, quod experientiæ aduerſatur. Comprobatur a variis eadem Sententia variis rationibus, veluti id eſt aptu n prius confuſe apprehendi, quod eſt confuſius, per Ariſtotelem in 3. cont. primi phyſ. ſpecies ſpecialiſſima eſt actu & maximè confuſa. Inſuper, id facilius Mente cognoſcitur quod facilius abſtrahitur, huiuſmodi eſt ſpecis vltima, cum enim ſit proxima ſingularibus, quorum ſimilitudo eſt nobis notior, primo & facilius ex eis abſtrahitur. Præterea, id quod magis mouet, facilius eſt aptum apprehendi, ſpecies vltima quia magis eſt actu, efficacius mouet. ergo eſt apta facilius apprehendi. Quamuis magna ex parte opinionem hanc approbandam putem, tamen quia de nonnullis diſſentio, ideò, vt ad veri inſpectionem paremur, inſtabo aduerſus illam, & primo per Ariſtotelem in procœmio Phyſic. cont. quarto, dicentem, communiora eſſe nobis notiora: at ſoluunt aſſeclæ Scoti, dicentes, id debere intelligi de cognitione diſtincta, attinente ad ſcientias, non de confuſa. Hinc ait Scotus cum duplex ſit confuſum, nempe totum Vniuerſale, & totum Eſſentiale, hoc eſt cõpoſitum, ideſt prius notum diſtinctè, hoc autem confuſè. Hæc ſolutio conſpicuè pugnat cum Ariſtotele. Nam proculdubio Ariſtoteles in eo procœmio ſtatuens pro primo noto confuſum de ſola cõfuſa cognitione loquitur, quod patet: quia cognitum confuſum reſpondet cognitioni confũſæ, vt diſtinctum diſtinctæ. Inſuper Ariſtoteles id oſtendit tribus rationibus, quæ vt conſideranti redditur notum, ſolũ ſunt veræ de notitia confuſa. Demum Ariſtoteles loquitur tunc de cognitione principiorum: at dum per confuſa declaramus principia, ea ſolum ſunt primo nota confuſè, cum diſtinctè noſci debeant per principia. Inſuper minus rectè ait Scotus, vt duplex eſt cõfuſum, ita duplex eſt primo notum, confuſè & diſtinctè. Nam dum vniuerſalia ſunt primo nota diſtinctè, tunc conſiderantur non vt cõfuſa indefinitè multa includentia, ſed vt ſimplicia & diſtincta. Inſuper, aduerſus principalem concluſ. inſto: per conſpicuam experientiam qua vtitur Auicenna, vtuntur & Græci, nam ſi eminus accidentem Alcibiadem intuemur, primo noſcimus quod eſt Corpus aliquod, ſecundo quod Animal, mox quod Homo. Similiter, ſi in viridarium ingredimur, ſtatim noſcimus eas eſſe plãtas, & herbas, at quæ ſint ſpecies plantæ, vltimo percipimus. At de primo experimento inquit Scotus, id accidere, ob impedimentum ex nimia diſtantia prodiens: quæ ſolutio non ſatisfacit: quia ea experientia noſcimus quid potentius moueat, id enim mouet potentius, quod mouet per maiorem diſtantiam, vt elicitur ex primo de Cœlo 117. cum autem communius moueat per maiorem diſtantiam mouet potentius, & ob id eſt aptum facilius noſci. At reſpondet Scotus inquiens, non eſſe dicendum quod ratio realis imperfectior a qua ſumitur genus, ſit ratio mouendi, dum magis diſtat, ſed quod forma ſpeciei ſit imperfectior ratio aſſimilandi in magna diſtantia, perfectior verò in diſtantia congruente. Hæc euaſio dubia eſt: quia accidentia varia ſunt quæ nobis naturam generis & eam ſpeciei patefaciunt, & id eſt natum facilius noſci, cuius accidentia potentius mouent: huiuſmodi autem ſunt accidentia patefacientia genus, vt experientia docet, hæc enim mouent per maiorem diſtantiam. De altero experimento ſumpto ex Plantis, inquiunt, nos cognoſcere tunc ſpecies illas plantarum confuſè, &

Ratio 3. *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Ratio 6.* *Euerſio.*

quærere cognitionem distinctam. Quæ solutio etiam non satisfacit: quia inspicientes eam multitudinem plantarum, quærimus confusè cuius sint speciei, & quod sit nomen proprium, non autem distinctè earum definitionem. Præterea noscere confusè minus communia, est ea noscete per communiora, quare ea sunt notiora. Præterea, cum dicat Scotus primo Metaphysicæ, q. vltima 27. Metaphys. q. 15. primum quod percipitur esse singulare vagum, ac insuper dicat in 1. Sent. d. 3. q. 2. Mentem in sui cognitione sequi sensum, per concessa ab eo ita argumentor. Vt singulare vagum se habet ad distinctum, ita magis vagum ad minus vagum, at singulare vagum prius distincto cognoscitur, quare magis vagum noscitur prius minus vago, sed singulare magis vagum repræsentat id quod est magis vniuersale, quare magis vniuersale est aptum prius nosci quam minus vniuersale. Rationes Scoti non cogere, & facile in eum reflecti posse ex dicendis patebit.

Cap. XIII.

De primo cognito, opinio D. Thomæ & Alberti.

Opinio. D. Thomæ, & Alberti Magni. Auerr. Themistius, Simplicius. Experientia.

ALTERA opinio aduersa primæ, est ea D. Thomæ, Alberti Magni, & plurimorum Philosophorum, qui inquiunt, primum origine aptum à nobis mente cognosci, esse conceptum communissimum. Cuius opinionis etiam videtur esse Auerroes, & præsertim, cum dicat à communiorib. esse ordiendum, quia sunt nobis notiora, & in 1. Poster. com. 12. inquit, communiora esse notiora nobis. Themistius quoq; id ipsum affirmat in Paraphrasi 4. cont. primi Phys. & clarius prope calcem 2. Poster. Similiter Simplicius explicans illum quartum cont. inquit, communia & ea quæ totius obtinent rationem, esse nobis notiora, & vniuersale vt confusum & compositum esse nobis notius. Vtuntur Græci interpretes experientia, qua etiam vsus est Auicenna sumpta ex accidente particulari homine, quem prius noscimus per communia prædicata quam per propria.

Ratio 1. Vtitur D. Thom. in procemio Phys. pro hoc comprobando hac ratione: quotiescumque competit eidem potentia & actus, potentia semper est prior origine actu, viaque ad illum: at in nostra cognitione locum habet potentia & actus, quare potentia est prior, sed noscere aliquid per communiora, est noscere potestate, vt dicitur in 1. Poster. quare communiora sunt apta prius origine cognosci.

2. Præterea, omne agens ducens aliquid ex potentia ad actum, prius origine producit actum imperfectum, mox perfectum; at notio vniuersalioris imperfectior

3. est. Præterea, illa notio quæ pauciora actu includit, quæ est magis tenuis, cuius accidentia efficacius & per maiorem distantiam mouent sensum, quæ est magis totum & confusum, cuius singularia facilius sensu apprehenduntur, quæ ex pluribus potest elici, nec supponit alias notiones, sed supponitur ab aliis, huiusmodi notio facilius abstrahi & nosci potest: huiusmodi autem est notio communior: Et id quod dicitur à Scoto abstractionem communioris esse difficiliorem, quia fit ex minus sensibilibus, falsum videtur, quia motus indicans animal, facilius & per maiorem distantiam sensum mouet, quam id faciant accidentia propria ho-

4. minis, & cæterarum specierum. Præterea, illæ notiones sunt aptæ in nobis prius fieri, ex quibus conflantur enunciationes primo notæ, at primo notæ sunt dignitates conflatæ ex communissimis terminis, quare notiones communiores sunt aptæ prius, & facilius in nobis fieri, ita primo noscimus de quouis dici esse,

5. vel non esse. & demum ea prius sunt apta apprehendi, quę facilius, & diutius sunt

apta seruari memoria: huiusmodi autem sunt communiora, vt dicitur in lib. de Memoria, & reminis. comprobatur authoritate Aristotelis conspicuè dicentis in 4. cont. 1. Phys. vniuersale esse quoddam totum, & multa continere vt partes, & ob id esse nobis notius. Hæc opinio rationi, experientiæ, & authoritati satis est consentanea, tamen est dubia. Nam Aristoteles in primo Posteriorum capitulo secundo, inquit notiora nobis, esse propinquiora sensibus: sunt autem longinquissima vniuersalia maximè, proxima autem singularia, & opponuntur hæc adinuicem. Conspicue Aristoteles inquit, quo aliquid est vniuersalius, eo esse remotius à sensu, & nobis ignotius; quod etiam affirmauit in procemio Metaphysicæ, inquiens: Fere autem difficillima hominib. cognitu esse vniuersalia, siquidem remotissima sunt à sensu; Auerroes in 1. Poster. com. 12. inquit, Aristotelem per vniuersalia denotasse principia & causas, quæ sunt vniuersalia secundũ esse, & ante rem vt separatæ formæ. Quæ solutio non est approbanda, primo: quia Aristot. consueuit vocibus propriis vti, formas separatas, & principia non consueuit vniuersalia nuncupare. Platonici illi sunt, qui Ideas communes multis consueuere nuncupare vniuersalia. Præterea, ea interpretatio non respondet verbis procemii Metaphysicæ, quia Arist. eo loci per vniuersalia ea denotat, quæ dum aliquis noscit, etiam cognoscit subiecta aliarum scientiarum, quod non est verum de separatis formis, sed de notitia entis, vt ens, quod dicitur de subiectis aliarum scientiarum, & si denotasset formas separatas, non dixisset ferè difficillima, sed absolutè, cum absolutè sint tales. Similiter ea interpretatio non respondet verbis primi Posteriorum: nam inquit Philosophus, notiora nobis esse singularia, notiora natura vniuersalia maximè, & hæc opponuntur: at dum dicimus singularia, & vniuersalia opponi, denotamus propriè singularia, & communia, quæ per relationem opponuntur, non causas siue principia, & materiata effecta. His accedit, quod si nomine vniuersalis Aristoteles denotasset causas, eas non ob aliud dixisset vniuersalia & remotiora à sensibus, nisi quia sunt principia, & magis secreta à materia, at huiusmodi sunt etiam communiora comparata cum minus communibus, vt conspicuum est. At inquiunt, comparatio inter magis, & minus commune, in primo Posteriorum, non facit ad rem, quia principia demonstrationis non debent esse communiora, sed æqualia, debent tamen esse causæ conclusionis. Hæc instantia inanis est, quoniam institutum fuit Aristotelis dare nobis regulam noscendi, nobis primo & postremo nota, id fecit per esse proximum sensibus & remotum. Hæc illustrantur per singulare & maximè vniuersale: quia maxime vniuersale est remotius, cum sit magis abstractum: ad id, quod gratia exempli dixit de singulari, & vniuersali, etiam voluit intelligi de omni alio minus & magis materiato, vt de causa & effectu, & de cæteris. Insuper Aristoteles in 2. Poster. docens Methodum indagandi definitiones communiorum per notiora nobis, ait eas elici ex minus communibus, ita inductio dicitur nos deducere per notiora nobis, cum tamen nos eleuet ex singularibus ad species, & ex speciebus ad genus. Similiter abstrahẽdo dicimur progredi per notiora nobis, & per proximiora sensibus, at abstrahentes ex minus communibus elicimus communiora, non econtrario: quare minus communia sunt propinquiora sensibus; & confirmatur: quia in omni ordine constituto, primo cætera mensurantur per recessum & accessum ad illud, at singularia sunt propinqua sensibus, quare propinquiora singularib. erunt etiam propinquiora sensib. minus cõmunia sunt singularibus propinquiora, quam cõmuniora, igitur minus communia sunt propinquiora sensibus, & nobis notiora quam communiora.

Aristot. *Dubia.* *Aristot.* *Auerr.* *Euersio.* *Instantia quorundam.* *Euersio.*

Cap. XIIII.

De primo cognito, opinio tertia.

Opinio tertia. Nonnvlli quæstionem de primo cognito & vtramque extremarum opinionem inspicientes dubiam, se medios constituerunt, & dixerunt, nec magis nec minus communia esse absolutè primo nota, nec dari posse regulam vniuersalem absolute veram de omnibus, sed dicendum esse id vniuersale esse nobis notius, cuius singularia vehementius mouent sensum. *Media.* Et quoniam nonnunquam singulare magis indefinitum, nonnunquam id quod magis est definitum vehementius mouet, ideo nonnunquam magis vniuersale, aliquando minus vniuersale est nobis notius, vt plurimum tamen communius est notius, quia vt plurimum singularia eius magis sensum mouent. Adeo, vt ratio ob quam aliquid sit aptum facilius apprehendi, non sit, quia sit magis vel minus vniuersale, sed quia eius accidentia magis mouent sensum. Et Aristoteles inquiens vniuersalia esse notiora, inspexit id quod accidit vt plurimum. Et huius opinionis fuit *Zimara.* Zimara, quod nonnunquam minus communia sint notiora, patet de corallo, de quo noscimus esse corallum noscendo confusè speciem, ignoramus tamen an sit lapis, & quodnam sit proximum genus eius. Similiter Aristoteles in 7. Metaphysicæ, 28. inquit, commune, proximumque genus equi & asini, carere nomine, sunt autem ambo fortè velut multa, &c. ait Philosophus nonnunquam latere genus, & notam esse confuse speciem, cum tamen ex aduerso dicat in quarto cont. primi Physic. communiora esse notiora. *Euersio.* Hæc sententia non videtur approbanda: quia Aristoteles regulam tradit vniuersalem, inquiens, nobis notiora esse confusa magis, vt patet ex tertio cont. procemii Physic. Insuper vniuersè ait in primo Posterior. & primo Metaphysicæ. Notiora nobis esse propinquiora sensibus, & magis vniuersalia magis distare à sensibus, adeo vt quo ad esse confusum, & distinctum, remotius, & proximius sensibus, magis & minus vniuersale regula sit communis. Præterea, quæ ad naturam rerum pertinent, consimiliter de omnibus se habent, ea namque sunt prædita ordine certo, & definito, & quæ sunt præter ordinem, dicuntur esse præter naturam, vt ait Philosophus in 3. de Cœlo, 24. & alibi. Præterea, ostendit Zimara, non semper vniuersalius esse nobis notius, per Aristotelem 9. Metaphysicæ 20. dicentem, quod actus est ratio intelligendi, & cognoscendi: at si eius ratio est alicuius momenti, ex ea vniuersè elicietur, minus vniuersale esse notius, quia semper minus vniuersale est magis actu, vt conspicuum est; quid autem veri includant rationes pro eius opinione relatæ, ex dicendis patebit.

Cap. XV.

De primo cognito, opinio propria.

Duplex comparatio. Vt de re apprimè dubia dicam quod sentio, accipio, quod cum quæratur magis, siue primo notum, magis & minus, prius & posterius, denotant comparationem, & ordinem. Comparatio duplex esse potest: vel inter ea quæ sunt distincti generis, vel inter ea, quæ sunt eiusdem generis: si fiat prima comparatio, occurrunt in attinentibus ad nostram cognitionem sex gradus, in quorum primo, inueniuntur sensibilia per se & primo, quę sunt sensibilia propria externorum sensuum, & inter ea, illa quæ attinent ad sensum tactus, & præsertim *Gradus primus.*

calidum & frigidū, & hoc est id quod absolute primo a nobis cognoscitur, dum
in lucem hanc prodimus. Hoc primo notum patefecit Aristoteles in tertio, de a-
nima, cont. 10. inquiens: Sensitiuo igitur calidum & frigidum cognoscit. Ratio
est conspicua. Nam omnis nostra cognitio ex Sensu oritur, inter Sensus autem,
origine & necessitate primus est tactus, qui maxime a frigido & calido moue-
tur. Dico calidum non calorem primo sentiri, quoniam Aristoteles in 2. de ani-
ma, 66. inquit, concretum sentiri, qualitatem vero esse rationem primam, per *Gradus*
quam sentiatur, in secundo gradu inueniuntur Sensibilia communia, quæ plu- *secundus.*
rib. Sensibus sentiuntur, maximè iuncta sunt cum sensibilibus propriis, & vna
cum eis mouent. Hæc non primo, sed secundo loco dicuntur cognosci: quia nō
primo sensus mouent, sed vna cum propriis, & per illa, adeo vt demptis propriis,
non valeant sensus mouere. Hinc eos decipi puto, quia communibus Sensibili- *Gradus*
bus primum tradunt cognitionis gradum. In tertio gradu sunt substantiæ Mate- *tertius.*
riatæ compositę, & inter has Elementa; ratio est, quia huiusmodi Substantia sub
sensum cadit ex accidenti, per Sensibilia accidentia quæ sunt in ea. Hinc quiddi-
tas Materiata dicta est Obiectum Mentis, quia proximè per accidentium phan-
tasmata Menti offertur, præsertim autem Elementa cognosci dicūtur, quia sunt
prædita qualitatibus intensioribus, magis mouentib. Sensum, quamuis dum *Gradus*
considerantur vt simplicia, relata ad mixta cōfusiora, secus se habeant. In quar- *quartus.*
to gradu inueniuntur interna principia, quæ ex accidenti per transmutationem
& opera noscuntur, & inter ea prius Materia, mox forma, est apta confusè no-
sci. Ratio est: quia Sensibile primo indicat Materiam, omne enim sensibile in
Materia est, vt dicitur in primo, de Cœlo. Hinc Cœlum, quamuis careat forma
formante, tamen sub Sensum cadit, & ob id veteres nouerunt, & concesserunt
Materiam, & non putarunt in composito inueniri formam aliquam substantię, *Gradus*
sed sola accidentia. In quinto gradu inueniuntur formæ secretæ ab accidenti- *quintus.*
bus & Materia, inter quas primo aptus est nosci Deus, quia ordo Vniuersi & *Gradus*
motus diurnus primum principium pręsertim patefaciunt. Sextum gradum sibi *sextus.*
optant secundæ notiones a nobus formatæ de primis, & ob id posterius notæ.
Hæ non sunt inferendæ & permiscendæ cū primis: quia sunt distinctę conditio-
nis, & si insererētur, collocandæ essent post quartum gradum, nempe post Ma-
teriata, quia de illis formantur, & eorum notitiam supponunt. Hi gradus sunt
statuēdi, dum Comparatio fit inter ea quę sunt distincti generis. At facta com- *Triplex*
paratione in eodem genere, nempe inter magis, & minus vniuersalia, tres pro- *compara-*
deunt partes eius: nam primo comparari potest cognitio Singularium, cum ea *tio.*
Vniuersalium. Secundo, cognitio minus vniuersalis, cum ea magis vniuersalis.
Tertio, cognitio Singularis magis definiti, cum ea minus definiti, de quibus vt *Primum*
pateat quid sit dicendum, accipio, quod vel loquimur de cognitione distincta, *cognitum*
vel confusa, si de distincta, nulla est dubitatio, consentiunt omnes simpliciora, *distinctè.*
communiora, & principia esse prius nota, quia sine horū notitia cætera cogno-
sci nequeunt. Hæc sententia est vera de communi vniuoco, non de communi
ab vno. Ratio varietatis est: quia commune ab vno, non est natura vna in omni-
bus eadem, sed varia in variis, ideo distinctè nosci non potest non notis conten-
tis. Propterea non consentio cum Scoto, putante, Ens non posse nosci confusè,
cum sit conceptus simplicissimus, immo censeo maximè omnium nosci cōfusè,
dum non cognoscuntur contenta sub eo, cum sit conceptus ambiguus & in va- *Alterum*
riis varius. Insuper, accipio in nostra cognitione confusa duplicem considerari *praeacci-*
ordinem, vnum in conficienda abstractione, alterum cum nobis res se offerunt *pitur.*

nentur, nihilominus in imaginarione sint, &c, Conspicue Alexander distinctionem ponit, & ratio eius consimilem vim habet de mente habitu prodita, ideo cap. 25. inquit: Materialis mens est faculras ad formas excipiendas tabellæ nondum scriptæ similes, at tabella figuras recipit distinctas ab eius actione; Iure itaque videtur dicendum, species intelligibiles quarum mens dicitur locus, distingui ab actu intelligendi.

Cap. VII.

Ostenditur ex sententia Arist. species intelligibiles non distingui ab actu intelligendi.

Quod nõ distinguatur. RELATA opinio quamuis cum rationi, tum decretis Theologorum satis sit consentanea, ex opinione tamen Aristot. puto dicendum, actu intelligendi non distingui à specie intelligibili, nec recipi in mente vt in subiecto, sed vt actũ cognoscendi in iudicante, quod variis rationibus ostendi potest; & primo. Superius non perficitur ab inferiore, vt à propria forma, perficiens enim est aliquid præstantius, sed solum superius potest esse iudex inferiorum, mens est præstantior quidditate materiata, quare non ab ea, vt à forma perficitur, per quam mox operetur, sed solum eam iudicat. Hinc dicitur non mixta, vt dominetur, hoc est vt intelligat, veluti inquit Arist. in cont. 4. 5. de Anima. Confirmatur, quia nulla forma ex materia non pendens recipit denuo formam aliam vt subiectum, mens est forma ex materia non pendens, quare, &c. Maior patet per Arist. in primo de ortu & interitu, 55. dicentem, originem passionis, & receptionis esse materiam, & si daretur forma sine materia, non pateretur. Confirmatur, quia inuariabile non recipit id, quod varietati est obnoxium, Hinc Cœlum vilius mente, quia æternum est, nullum à mortalibus recipit accidens. Præterea, id ipsum ostenditur ratione sumpta ex memoria, nam si in mente vt in subiecto per receptas species gignerentur habitus, etiam deberet mens nedum seruare species, sed etiam maxime seruare, cum varietati non sit obnoxia: At Aristot. menti memoriam non tribuit, solum ait seruari vniuersalia ex accidenti, quatenus seruantur phantasmata per memoriam phantasiæ iunctam, ex quibus ad libitum vniuersalia eliciuntur. Confirmatur: quia si mens reciperet species, & in ea seruarentur habitus, tunc non esset necesse dum intelligere volumus, quod prius phantasmata specularemur: nam habens habitum valet per illum vt per formam ad libitum operari; At Arist. in 3. de Anima, & alibi ait, quod est necesse intelligentẽ phantasmata speculari, ideo inquit Auerr. in 3. de Anima, 39. cum corpus quod est vniuersalius intelligibilium, abstrahitur à mente, & existit in reb. Sensibilibus, necesse est, vt formæ sint in mente secundum velocitatem & rem velocis transmutationis non fixam, &c. Insuper, quoniam natura nunquam abundat superuacaneis, nec facit per plura quod valet efficere per pauciora, cum huiusmodi species ad nil conferre videantur, reiiciendæ sunt penitus. Nam si conferrent, vel conferrent pro repræsentando obiecto, quod non est dicendum, quia phantasma illustratum satis est; vel vt mens per eam intelligat, quod etiã concedi non debet, quia mens vt intelligat, non habet ab alio, cum ex se sit principium intelligendi: Vel demum, vt mens contrahatur ad definitam alicuius intelligibilis cognitionem, quod dici non debet, quia ad id efficiendum phantasma est satis. Quare species ab actu intelligendi distinctæ vt redũdãtes, sunt negligendæ. Præterea, si daretur huiusmodi species, tunc in mente intelligente tria inuenirentur, mens,

Ratio 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

actus.

actus intelligendi, & species, quod nunquam dixit Arist. nam in ea nil est præter intelligibile, & mentem. Et præsertim, quia si mediaret huiusmodi species, tunc ex mente & intelligibili non fieret maximè vnum, quoniam non fieret sine medio, nec maximè fieret intelligibile, sed hoc competeret menti specie formatæ, & demum redderetur falsa sententia Arist. in 51. cont. dicentis, Mentem nil esse actu antequam intelligat; nam prius esset actu per speciem intelligendi. Præterea, hoc lucidissimè elicitur ex 7. Phys. 20. quo loci inquit Philosophus. Vt igitur neque cum dormiens excitatur, aut ebrius esse desinit, aut ægrotās conualescit, fit sciens, quamuis prius non valuerit vti & agere secundum scientiam, sed abeunte perturbatione, & ad tranquillitatem redacta mente, inest potentia ad scientiæ vsum: Ita huiusmodi aliquid fit in prima scientiæ adeptione, perturbationis enim quies quædam fit, & tranquillitas, &c. & colligens inquit: patet itaque, quod alteratio in sensibilibus est, & in sentiente animæ parte, in alia autem nulla (nisi ex accidenti) conspicuè Philosophus affirmat, in mente nil recipi, sed solum ex ea prodire iudicium, cōpositis aliis, quod eo loci etiam confirmat Auerr. Neque est putandum Arist. & Auerroem: tunc non ex propria sententia, sed ex opinione Platonis loqui, vt inquiunt Scotus, & Zimara, nā ex sententia loquuntur, alioquin Aristot. non rectè soluisset difficultatem propositam, quæ erat; an motus pertineat ad animam; Et illi præsertim qui mentem vniuersæ humanæ speciei putant vnam, coguntur hoc fateri; quoniam si quid in mente vt in subiecto reciperetur, quod vnus addiscit, addiscerent & alij, & cum mentes superiores nil vt in subiecto recipiant, etiam de humana mente idipsum iudicandū est. Colligamus itaq;, non esse concedendam speciem intelligibilem distinctam ab actu intelligendi, & hæ voces, species intelligibilis, intelligibile actu, notio, actus intelligendi, re idem denotant, sola ratione distinctum, dicitur species intelligibilis, vt est essentia rei intelligibilis in esse cognito, perficiens modo aliquo mentē potestate, dicitur notio, quia est iudicium eius, & ob id ipsum etiam dicitur actus intelligendi. Et si quis quærat, an hoc iudicium sit in mente vt in subiecto, videtur enim quod sic, quoniam inquit Arist. 9. Metaphy. 16. intelligere esse operationem immanentem: Respondeo, actum intelligendi esse iudiciū, quod est perfectio iudicantis, & est in iudicante, vt in fundamento actionis, non vt in subiecto, & præsertim, quia res subiecto propriè eget pro suo esse materiato, at non pro spiritali & cognito. His accedit, quod Aristoteles loco relato inquit, quod visio est in vidente, speculatio in speculante, vita in anima; at speculās non est sola mens, sed homo, vt etiam videns, sat est, vt pertinentia ad scientiæ habitum in memoria seruentur, nam in quinto gradu moralis Philosophiæ c. 6. patefeci habitus mentis non esse in mente, vt in subiecto, sed in phantasia per memoriam seruari.

Marginalia: 8. — 9. — 10. — Conclus.

CAP. VIII.

Resolutio difficultatis de specie intelligibili, & solutio aduersarum rationum.

VT propositæ difficultatis resolutio magis conspicua refulgeat, quoniam noster philosophandi modus nititur experientia, vt fundamento, & per opera eleuamur in notitiam principiorum, ideo in nobismet considerare debemus progressum, & ordinem nostræ cognitionis: nam primo occurrunt externa sensibilia, quæ propria quadam actione agūt in sensus, vt visibilia in oculum, quæ actio non propriè dicitur species visibilis, sed solum latè: propriè autem di-

Marginalia: Ordo nostræ cognitionis.

Species sensibilis. citur actio rei visibilis. Tertio sensus externus excitatus ab ea actione, iudicat: id iudicium est id, quod mox offertur sensui communi, illumque excitat, in eoque perficitur: & hoc iudicium, quod est res sensibilis in esse cognito, propriè dicitur species sensibilis, vt speciem, hoc est rei formam repræsentat, & sensum perficit. Hoc indicium communis sensus, id est, quod excitat & mouet phantasiam. Hinc phantasia definitur ab Aristotele, quod sit motus factus à sensu, nempe communi, quia actu est: Sensus autem est actu per iudicium rei sensibilis: mox phantasia idipsum imaginatur, aliquid superaddens, idque in memoria recondit, & dum phantasia imaginatur, suo imaginandi actu, qui est phantasma actu, mentem excitat, ei offerendo id phantasma, mens in illud conuersa, primo particulare illud iudicat, mox quasi in se rediens, derelictis conditionibus indiuiduantibus, solam essentiam, quæ est ipsum vniuersale, considerat, in quo progressu nulla reperitur propriè sumpta species distincta ab actu sentiendi, vel in-

Tres theses. telligendi: & propterea tres profero conclusiones. Prima est, non datur species intelligibilis distincta ab actu intelligendi. Secunda est, non datur propriè species sensibilis distincta ab actu sentiendi. Tertia est, in attinentibus ad sensum externum, datur actio externi sensibilis, distincta ab actu sentiendi, quæ solum

Prima cõclus. minus propriè dici potest species. Prima cõclusio ex dictis conspicua est. Secun-

2. da attinens ad sensus, similiter est conspicua, quia ea species distincta, redundans penitus est. Hinc Aristoteles in 2. de Anima 141. inquit, eundem esse actum, rei sensibilis & sensitiui: at actus sensitiui non est species, sed iudicium, quare etiam sensibile non constituit speciem, à iudicio distinctam. Confirmatur: quia si darentur huiusmodi species ab actu cognoscendi distinctę, tunc possent etiam seruari per memoriam, absq; eo quod prænoscerentur, quod minime accidit, nam experientia percipimus, id solum memoria seruari, quod prænouimus, adeo, vt memoria sit notionum, nõ specierum ab eis distinctarum. Præterea lucidissimè Aristoteles in lib. de sensu & sensili huiusmodi species renuit, nam disputans aduersus Democritum, damnat de modo vidẽdi sententiam eius, putabat Democritus visionem fieri per species ex visibilibus prodeuntes, fatetur Arist. sensibilia agere, at negat species distinctas vel ab actione sensibilium externorum, vel

3. ab actu sentiendi. Tertia conclusio, nempe, dari actiones externorum sensibilium, distinctas ab actu sentiendi notum est, nam sensibilia etiam agunt in medium, non cognoscens: insuper vehemens sensibile labefactat sensum, at iudicium non labefactat. Hinc Aristoteles in 2. de Anima, 127. inquit, aerem pati à sensibilibus, at per eam passionem non sentire, sed reddi sensibilem, quæ actiones non propriè dicuntur species, sed actiones sensibiliũ, & si quis dicat in speculo apparere species rerum visibilium, dicendum est cum Arist. in lib. de sensu & sensili, eas non esse species, sed actiones visibilium repercussas à speculo leni, repræsentantes visibile, cuius iudicium propriè est ea species, de qua Arist. in 2. de

Diluuntur aduersæ rationes. Anima inquit, sensum recipere speciem sine materia, quę est res sensibilis in esse cognito. His explicatis, facilè modo est aduersas rationes diluere. Prima erat, quia actus intelligendi est actus secundus præsupponens primum, in quo primo includitur species. Respondeo, actus primus est habitus, qui non est in mente, vt in subiecto, sed in phantasia per memoriam; Vt pertinet ad mentem ea nullo eget, vt iudicet quæ ei offerantur, & ipsamet est actus primus. At dices, eadem dubitatio est de phantasia, quia ea per memoriam seruat, & seruat nõ iudicium, sed speciem, & formam sine iudicio, nam dormientes & non imaginantes non iudicant, quare datur species distincta à iudicio. Respondeo, id esse iudicium in habitu,

habitu, nō actu, & esse veluti impressionem quandam factam à sigillo, quia per sensibilia actu cognita definito quodam modo, permutantur spiritus, hinc memoria exposcit temperamentum siccum pro retentione, & ob id Aristot. in 7. Phys. 20. dixit, alterationem ad solum sensum, & sensitiuum pertinere, sic itaq; phantasia per habitū prodeuntem ex iudiciis imaginabilium, cum alteratione, & definita quadam dispositione spirituum, ad libitum ab actu imaginantur, & tunc species quæ erat in habitu, constituitur in actu. Addebatur, mentem puerorum esse potestate ad actum primum. Patet solutio: nam actus primus in eo formandus est habitus, vt dixi. Addebatur, sensitiuum recipere species, ab actu sentiendi distinctas, cum in memoria fiat impressio earum, iam hoc solutum & explicatū est. Dicebatur intelligere modo aliquo esse passionem, & mentem esse tanquam materiam intelligibilium; Respondeo in mente nō reperiri aliam passionem præter excitationem factam per oblationem phātasmatis in esse cognito, per cuius iudicium dicitur fieri intelligibile, perfici ab eo, materia eius, & locus: nam quod alij referunt ad speciem sensibilem, nos tribuere debemus actui intelligendi, modo iam explicato: adest similitudo inter materiam, locum, & mentem in parte, non absolutè. Addebatur, mentem debere esse nudatam formis intelligibilibus, vt eas recipiat, &c. Respondeo, regulam esse veram de omni receptione & reali, & spiritali, tum in materia, tum in loco, tum in anima, siue recipiendum sit, notio, siue species, immo Aristoteles dans regulam, dixit, quod prope apparet, prohibet alienum, dixit apparet, denotando actum intelligendi, actus autem dicitur recipi in iudicante, quia est obiectum externum in esse cognito, cuius cognitionis fundamentum est cognoscens. Insuper instabatur, quia Aristoteles commendat veteres, dicentes animum esse locum specierum; Respondeo, illum commendare sententiam, at non modum. Quod mens dicatur fieri omnia, & quod dentur habitus mentis, nobis non aduersatur: iam patefeci quomodo id intelligi debeat. Et vt pertinet ad solam mentem, cum ex sententia Arist. nil noui recipiat, tamen differt mens pueri, ab ea viri sapientis: differentia est in attinentibus ad phantasiam, per memoriam ei iunctam & habitus, qui sunt phantasmata firma, constantia, & ordinata. Addebatur prodeuntia ex principiis distinctis esse distincta. Respondeo, phantasma non producet speciem, sed esse speciem, quæ oblata mente iudicatur, ea autem in phantasia est species sensibilis, & per mentem fit species intelligibilis, quæ est ipsemet actus intelligendi. Confirmabatur eadem sententia per Auerr. at iam patefeci, Auerroem non distinguere actum intelligendi, à specie intelligibili, & cum dicat, mens recipit formam, quam comprehendit, indicat mentem eatenus recipere, quatenus comprehendit, & id iudiciū cum sit perfectio, & actus secundus mentis, per mentem fundamentum actionis dicitur vnum entium. Demum afferebatur sententia Alexandri, qui figuram impressam, & actum imaginandi ait esse duo distincta; Respondeo considerasse Alexandrum id, quod iam dixi, nempe in phantasia & memoria effici mutationem, & impressionem quandam factam ab actu sentiendi & imaginandi, quæ dici potest figura impressa, quatenus est definita quædam constitutio producta ab actu sentiendi, in instrumento phantasiæ & memoriæ, & præsertim in spiritibus, & hoc etiam in sensibus considerauit Auerroes, in 2. de Anima, 149. inquiens, quod recipere aliud est ab ipso iudicio. Cætera attinētia ad habitus mentis, & præsertim quid sint, quomodo distinguantur, & in quo vt in subiecto recipiantur, in quinto gradu moralis Philosophiæ patefeci, quæ repetere nolo.

De mēn.

CAP. IX.

An in Hominis mente per naturam insertæ sint Formæ intelligibiles.

ARISTOTELES partim Platonis gloriæ æmulus, partim ingenij acumine exactius cæteris veritatem indagans, in pluribus Platoni contradixit, præsertim tamen in attinentibus ad ideas, quarum simulachra quædam sunt rationes, quas in essentia animæ rationalis, Plato censuit per naturam insertas, de quibus cum frequenter mentionem fecerim, easque renuerim, an recte id factum sit, modo considerandum occurrit: & præsertim, quia plurimi reperiuntur de doctrina Platonis & Aristotelis optime meriti, qui satis firmis rationibus eas debere concedi affirmant, veluti Theophrastus, Plutarchus, Priscianus Lydus, Simplicius, Themistius, Porphyrius, Ammonius, & similes. Considerationem hanc in tres partes distribuam. Referam primo potiora fundamenta eas approbantium. Secundo, eas reiiciam. Tertio, dubia soluam. Academici Deum statuunt super mentem & ideas, menti ideas tribuunt, animi insitas & coæuas rationes, naturæ semina, materiæ vmbras idearum. Necessitatem rationum rationali animæ insertarum. His præsertim rationibus ostendere nituntur. Et primò, nisi in anima cognoscendarum rerum insitæ essent rationes, non possemus percipere essentias rerum, nam sensibus sola accidentia percipimus, quæ rerum essentiam non sunt apta patefacere. Hac ratione vtitur Plato in Phedone, quam confirmat Proclus in primum Euclidis, inquiens: nisi darentur huiusmodi rationes, non darentur figuræ, & affectiones, de quibus agit Geometra, quoniam in materia nec exactè rectum, nec exactè cubum reperitur, & sic de cæteris. Præterea, nisi insitæ nobis essent rationes rerum, non intrinsecus commoueremur ad cognitionem rerum, nec per naturam appeteremus scire, nam huiusmodi appetitus interna scientiarum semina exposcit nos excitantia. Præterea, nisi in anima scibilium insertæ essent rationes, tunc ea esset indifferens ad opposita, nec magis in vnam, quam in oppositā partem inclinaret; at nos experimur per simplicem accidentium oblationem, ac per leues quasdam interrogationes, excitari ingenia nostra ad approbandam partem veram, renuendam falsam, veluti etiam Aristoteles in 1. Physic. inquit, veteres sine ratione, sola veritate coactos, dixisse, principia esse contraria. Præterea, Plotinus & Iamblichus, id ipsum eliciūt ex connexione rerum, earumque ordinato fluxu, ex primo principio: nam serie idearum, rationum, & seminum tanquam catena aurea, cuncta nectuntur, descendunt, & redeunt in primum principium. Præterea, idipsum approbare debemus, vt seruemus graduum vniuersi perfectionem, & omnia esse in omnibus, ita enim cuncta sunt in mente per ideas, cuncta in anima per rationes, cuncta in natura per semina, & demum cuncta in materia per vmbras. Præterea ex conditione animæ nostræ, quæ mens animaria ab Academicis dicitur, eandem sententiam elicere valemus: cum enim mens nostra sit ab interitu immunis, etiam debet esse expers cuiuslibet alterationis, adeo, vt nil noui tanquam subiectum recipere valeat; cum autem nil noui recipiat, & sit rectus iudex rerum, est necesse, vt per naturam earū rationes & formas insitas habeat, alioquin nec recte iudicaret, nec sciens esset. Præterea, Deus & natura, nil imperfectum producunt, valde imperfecta esset anima nostra, si rerum cognoscendarū formas non includeret. Demum omne agēs nē temerè agat, debet includere rationes rerum agendarum, mens agens dicitur agens, quia intelligibilia potestate, reddit intel-

Marginalia: Arist. libenter cū Plat. pugnat. — Diuisio. — Academici. — Ratio 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6.

ligibilia actu, ideo ne temerè id efficiat, est necesse, vt earum rationes insitas habeat, non secus ac artifix rerum effectibilium: Has insitas rationes aiunt denotasse Aristotelem in primo Poster. dicentem, nedū nobis competere scientiam, verum insuper principium scientiæ, nempe mentem, qua terminos, hoc est, rationes & ideas cognoscimus, de his aiunt Aristotelem loqui in 3. de Anima, 21. dicentem in apprehensione indiuisibilium, hoc est rationum, & ideatū non esse falsum. Has insitas rationes & ideas videtur approbare Auerroes, cum in 12. Metaphys. com. 17. dicat, Mentem nostram nudatam potestate, intelligere cuncta per essentiam mentis agentis, non autem id ei competeret, nisi in essentia mentis agentis huiusmodi rationes insitæ essent; id etiam ipsum affirmat in 3. de Anima, com. 20. & 36. Themistius in digressione sua in 3. de Anima, si cuncta eius verba considerantur, conspicuè easdem approbat Philosophus in 3. de Anima, comm. 14. vna cum Iamblicho huiusmodi rationes animæ insitas affirmat, quare cum ratio, tum authoritas, ad huiusmodi formas, & insitas rationes approbandas conspicuè conspirare videntur, ob quas iure optimo anima denominatur rationalis. *Arist.* *Auerr.* *Themist.* *Philos.*

CAP. X.

Reijciuntur cum Aristotele rationes animæ insitæ.

ARISTOTELEM non approbasse, verum potius conspicuè ab anima reiecisse insitas rationes, ex variis elicere valemus, & præsertim, quia huiusmodi rationes supponunt in mente ideas, quas in prima Philosophia, in Philosophia de moribus, in Logica, & naturali scientia, Aristoteles nixus est euertere, & redundantes patefacere. Insuper ex eo, quod animæ huiusmodi rationes per naturam competunt, colligunt Academici scientiam nostram esse reminiscentiam. Econtrario Aristoteles negat scientiam nostram esse reminiscentiam. Tertio, quia animæ rationes rerum competunt, inferunt naturæ competere semina, & naturam esse vim seminariam a mundi anima materiæ infusam, ex aduerso Aristoteles ait: Naturam esse materiam & formam, vim autem seminariam materiæ insitam non concedit, sed inquit eam omnino esse potestate. Præterea Aristoteles naturam & conditionem nostræ mentis explicans, patefacit in 3. de Anima, hanc esse conditionem eius, vt sit potestate, vt sit nudata omni forma, vt sit locus specierum, non actu, vt censuit Plato, sed potentia, vt sit tanquam tabula, in qua nil sit scriptum. Hæc & similia conspicuè indicant, Arist. huiusmodi insitas rationes reiecisse. At soluentes, inquiunt Arist. tunc loqui de mente potestate, quæ est anima, nō quidem in se manens, in qua sunt rationes, sed progressa, & dicitur tanquam tabula, in qua nil sit scriptum, quoniam obscurè solum & tanquam deletæ in ea seruantur. Hæc euasio inanis est, tum quia nil à se, & à sui natura & conditione recedit, tum quia Arist. absolutè ait, mentem similem tabellæ sine inscriptione, non in qua obscure inueniantur; tum demum, quia ad actum redigi ait, non per rationes in anima insitas, sed per phantasmata. Præterea si in anima per naturam huiusmodi insitæ rationes inuenirentur, tunc habitus animæ cum fiant per huiusmodi rationes essent essentia, & substantia, non autem accidens, & qualitas: At Aristoteles scientiam & habitus inter qualitates numerat, ad animam pertinentes. Præterea, si in mente insitæ essent huiusmodi rationes, re vera memoria ad mentem pertineret, & seruarentur vniuersalia, quia huiusmodi rationes vniuersalia quædam sunt: at Aristoteles in lib. de Memoria

Arist. renuisse insitas rationes. 1. 2. 3. 4. *Solutio.* *Euersio.* 5. 6.

negat dari memoriam vniuersalium, præterquam ex accidēti, quatenus seruantur phantasmata, ex quibus ad libitum ea eliciuntur. Præterea, si animæ huiusmodi rationes competerent, tunc anima ex se, per distinctas rationes moneri posset, vt aiunt Academici quod reiicitur ab Aristotele in 1. de Anima. Similiter idem esset docens & addiscens, quia homo per animam progressam addisceret, per eam in se manentem rationibus præditam doceret, quod absurdum indicat Arist. in 8. Phys. 4. Præterea, illis concessis, daretur vniuersale seorsum à singularibus, nam huiusmodi rationes & ideæ sunt vniuersalia quædam ante rem, frequenter reiecta ab Arist. ideo in 1. Poster. inquit, vt detur demonstratio & scientia, non est necesse dari ideas, & huiusmodi rationes, sed sat est, vt sit vnum in multis particularib. quod de multis dicatur. Præterea, si anima in sui essentia insitas haberet rerum formas, mirum esset, quod ea nō ex se posset intelligere, sed semper exposceret externa phantasmata perinde se habētia, ac sensibilia ad sensum, & præsertim, quia dum aliquid includitur modo eminentiori, non recipitur in eo, modo viliori, & quod in sui natura & essentia aliquid includit, nunquā ad id dicitur esse potestate, cum potentia & actus inuicem pugnent. Insuper, nil redundans in natura concedi debet, at sine huiusmodi insitis rationibus, cuncta exquisitissime seruantur, quæ ad scientiam nostram, & alias animæ munerum functiones pertinent. Quare huiusmodi rationes, vt redundantes sunt reiiciendæ. Quod confirmatur, quia mirum esset, si Arist. eas concessisset, quod nullibi eas approbasset, nullibi de illis præterquam reiiciendo eas, verba fecisset: & miror certe, quod Calaber in sua Metaphysica, M. Antonius Genua, & nonnulli alij viri docti ex sententia Aristotelis nixi sint eas approbare. De Simplic. Prisc. Lydo, & aliis, non miror, quia hoc præsertim sibi proposuerunt, vt velint, vel nolint, Aristotelem, & Platonem conciliarent. Auerroes menti agenti eas tribuit, at ipse vt mentis humanæ vnitatem, ita huiusmodi in agente insertas rationes, ex Academicis deprompsit, à quibus tamen recedit, quia mentem potestate, essentia distinctam ab agente existimatur. Pro resolutione itaque difficultatis dicamus, menti humanæ rationes competere, dupliciter intelligi posse, vel pro facultate & virtute formandi notiones, & ratiocinandi, vel pro formis in ea insitis respondentibus ideis, in prima significatione concedi debent, reijci autem in secunda. in prima significatione approbantur ab Aristotele, in secunda vero ab eo reiiciuntur, & approbantur ab Academicis. Rationes aduersæ solum cogunt pro approbandis rationibus in prima significatione, non autem in secunda. Nam munere facultatis ratiocinantis, ex effectis eleuamur in causa, & ex propriis accidentibus elicimus conditionem & essentiam formæ rerum; & dum additur, quod in materia exactè rectum & cubum non inueniuntur; Respondeo, id parum referre, quia munere facultatis imaginandi, & cogitandi sine insitis rationibus, valemus exactè rectum & sphæricum imaginari, nam vt ex recto ducimur in notitiam obliqui, & ex perfecto in imperfecti, ita contra. Insuper cum mens pendeat ex vero & bono, per conditionem propriam ad verum & bonum conspirat, sibique oblatum verum, vel per signa indicatum approbat. Connexio graduum vniuersi non eget huiusmodi rationibus, sed per propriam naturam & conditionem inferiora cum suis superioribus nectuntur, vt perfectibile cum sua perfectione: nec perfectio graduum mundi exposcit, vt omnia per rationes, vel ideas sint in omnib. sat est, vt superiora tanquam causæ includant inferiora, hæc vero vt effecta seruent conditionem illorum. Ratio sumpta ex cōditione mentis, quæ nil recipere posse videtur, inanis est, non concesso quod nil recipiat, sat est,

Margin notes: 7. (beside "tur phantasmata"); 8. (beside "Arist. in 8. Phys."); 9. (beside "multis particularib."); 10. (beside "ad id dicitur"); 11. (beside "functiones pertinent"); Resolutio difficultatis. (beside "tia distinctam"); Rationes aduersæ diluuntur. (beside "reiiciuntur")

est, vt ex se hac facultate sit prædita, vt valeat obiecta iudicare, quæ illi offeruntur, vt facultas videndi valet iudicare colores, habitus autem scientiæ, quomodo nobis competat, alibi patefeci. Nec ob id anima nostra dicitur imperfecta, quia eius perfectio in facultate iudicandi, non in rationibus insitis est posita, largitur Deus & Natura actum primū, ex quo deinde fluit secundus, qui actio est, vt non semper gignitur ignis sursum, semper tamen ita gignitur, vt sua natura tendat sursum. Addebatur, agens debere includere rationes eorū quæ agit, quare mens agens debet eis esse prædita. Respondeo, agens esse duplex, vel per habitum artis, & hoc includit rationes. Ars enim est recta ratio efficiendorum: vel per propriam naturam & conditionem, hoc non eget rationibus, sed operatur sua virtute, & facultate, vt sol non includens rationes colorum, reddit colores potentia visibiles, actu visibiles. Similiter, iudex propria facultate obiecta, sibi oblata iudicat. Nec Aristoteles in primo Poster. inquiens, dare principium scientiæ, quo terminos cognoscimus, denotauit huiusmodi rationes, sed terminos simplices, & principia prima, quæ primo à nobis apprehenduntur, per quæ ducimur in notitiam aliorum. Non itaque dantur in anima rationali rationes insertę, formaliter inter se distinctæ, sed datur facultas iudicandi, cogitandi, & ratiocinandi, per quam mens nostra dicitur ex se particeps rationis. *Conclus.*

Cap. XI.

Proponitur agendum de Primo cognito.

QVÆSTIO quæ de primo cognito dicitur, & in proœmio Physicorum agitari solet, propriè pertinet ad tertium de Anima, & ad partem illam, in qua de actionibus humanæ mentis agitur. Propterea loquens ego in hoc libro de mentis actionibus, etiam de primo cognito teneor verba facere. Iure optimo Empedocles hunc nostrum orbem mundum litis nuncupare consueuit, cum in eo nil purum, nilque sincerum inueniatur, & contraria adeo sint complicata, vt vnum accipere non valeamus, quin sequatur & alterum: hoc cum in cæteris, tum in nostra cognitione refulget: frequenter enim apprimè notum, cum apprimè obscuro iunctum est. Nil externis oculis est lumine clarius, nil oculò mentis eo est obscurius, dum quærit, quidnam sit; Similiter nil notius nobis primo noto, nilque ex aduerso est obscurius, quam quid sit hoc primo notum, quod Dei prouidentia nobis competere putandum est, ne in nostra sapientia nimium confideremus, nimiumque ob eam euaderemus superbi. De hac itaque ardua difficultate loquuturus, primò pro parando ingenio, voces explicabo; Secundo, pro eo excitando, opiniones varias referam, & de illis dubitabo. Tertio, pro veritate noscenda, sententiam quam puto veriorem, comprobabo. Demum pro ea clarius illustranda, aduersa dubia diluam. Quæritur, quid sit illud, quod aptum est à nobis primo nosci? Primum aptum nosci est triplex, vel primum perfectione, vt Deus, vel adæquatione, vt obiectum adæquatum, vel origine, & de hoc est dubitatio. Quod primum origine est duplex, vel actu, vel facultate: non quæritur, quod primo actu noscatur, hoc enim ob varias occasiones & oblationes varium est, & indefinitum, quærimus primum facultate, adeo, vt per naturam sit aptum à nobis primo nosci. Insuper, quod pertinet ad facultatem cognoscentem, ea est duplex, sensus, & mens, quæ est de vtraque, at præsertim de mente, ad quam pertinet scientia. Præterea mens duobus modis cognoscit, vel per essentiam vt Deus, vel per notionem ab obiecto, vt mens *Empedocles.* *Diuisio et ordo seruandus.* *Primum notum triplex.*

nostra & de hoc noscendi genere est dubitatio. Insuper, hæc cognitio per notionem ab obiecto est duplex, vel sine discursu, vt simplicium apprehensio, & cum Poster. vel cum discursu, dubitatio est de prima. Quæ adhuc est duplex, vel confusa, vel distincta, quæstio est de cōfusa, quæ absolutè dicitur origine prima. Demum quod pertinet ad obiectum natum cognosci, id vel est primæ, vel secundæ actionis: Dubitatio est de obiecto primæ notionis: nam id quod est secundæ notionis, est ens rationis à mente formatum, post cognitionem entis primæ notionis; ens primæ notionis, vel est substantia, vel accidens, vel vniuersale, vel singulare, & de omni est dubitatio. *Conclus.* Quæritur itaque, quod nam ens primæ notionis, siue sit substantia, siue accidens, siue vniuersale, siue singulare, sit natū à nobis, vel mente, vel sensu prius origine nosci cognitione sine discursu, & confusa.

CAP. XII.

De primo cognito opinio Scoti.

DE proposita difficultate opiniones principales sunt tres, duæ extremæ, & vna media, extremarum vna est ea Scoti in 1. sent. dist. 3. q. 2. necnon Gregorij Arim. 1. sent. d. 3. q. 3. Antonij Andreæ Ioan. Canonici, & similibus. *Opi. Scoti.* Inquit Scotus in 1. sent. Si comparetur minus cum magis communi, primum origine aptum à nobis cognosci cognitione confusa, non habitu, vel virtute, sed actu, est species specialissima, & cōparatis inuicem speciebus est ea species, cuius singulare efficacius mouet sensum. Dum vero absolutè quæritur primo cognitum, inquit in primo Metaphys. q. vltima, & septimo Metaphysicæ, q. 15. à mente primo esse aptum nosci singulare indefinitum & vagum secundo: naturam speciei tertio singulare definitum, nam species hoc ordine hæc repræsentat. Addit conclusionem debere intelligi remoto omni impedimento ad obiectum, medium, & instrumentum pertinente: iudicium enim quod absolutè statui debet in nobis primum, cuiuslibet impedimenti expers esse debet: Sic itaque & singulare, & species vltima ex sententia Scoti, est primum cognitum distincta cōparatione, & qui secus referunt sententiam Scoti, minus rectè eam referre videtur. *Instātia.* Et quamuis Scotus in 1. sent. dist. 3. q. 1. dicat, speciem non singulare esse primo notum, loquitur tunc de singulari signato, quod tertio loco censet intelligi. *Triplex notitia.* Pro notitia opinionis eius considerandum, quod ponit triplicem notitiam, in habitu, in virtute, in actu: notitiam habitualem vocat, dum obiectū ita est præsens menti secundum rationem intelligibilis actu, vt mens statim valeat habere actum elicitum eius: Virtualem vocat, dum aliquid intelligitur in aliquo, vt pars primi intelligibilis, non vt primum, & adæquatum intelligibile, terminans actum intelligendi, vt dum intelligendo hominem, intelligi dicitur animal in eo inclusè. Notitia actu dicitur, dum aliquid actum iudicatur. De notitia quam habitualem & virtualem appellat, ait cōmuniora esse primo nota: de actuali vero speciem specialissimam. *Ratio. 1.* Vtitur tribus rationibus. prima est: Agens secundum naturam non impeditum agit pro viribus, & opus efficit vt valet præstantissimum, conspirantia ad nostram cognitionem, operantur secundum naturam, quare efficiunt opus, vt valent præstantissimum, huiusmodi est notio speciei vltimæ, quæ perfecta est: *2.* Vtitur secundo authoritate Auicennæ 1 Metaphys. cap. 3. dicentis, Metaphysicam ordine addiscendi esse nobis vltimam, ac vt inquit in 6. Metaphysicæ, est vltima ordine cognitionis confusæ, prima verò ordine cognitionis distinctæ: quare principia & termini cæterarum scientiarum, possunt cognosci, ante quam noscan-

noſcantur principia Metaphyſicæ, quod non accideret ſi communiora deberẽt primo noſci: veluti etiam Mathematicus noſcit lineam, ignorãns an ſit Subſtantia, vel Accidens. Tertio ſi primo noſcenda eſſent communiora, tunc dum ſingulare mouet Senſum, & Mens eſt libera, magnum cõſumeret tempus antequam ſpeciem poſtremam cognoſceret: nam teneretur prænoſcere omnia cõmuniora, quod experientiæ aduerſatur. Comprobatur a variis eadem Sententia variis rationibus, veluti id eſt aptu n prius confuſe apprehendi, quod eſt confuſius, per Ariſtotelem in 3. cont. primi phyſ. ſpecies ſpecialiſſima eſt actu & maximè confuſa. Inſuper, id facilius Mente cognoſcitur quod facilius abſtrahitur, huiuſmodi eſt ſpecis vltima, cum enim ſit proxima ſingularibus, quorum ſimilitudo eſt nobis notior, primo & facilius ex eis abſtrahitur. Præterea, id quod magis mouet, facilius eſt aptum apprehendi, ſpecies vltima quia magis eſt actu, efficacius mouet. ergo eſt apta facilius apprehendi. Quamuis magna ex parte opinionem hanc approbandam putem, tamen quia de nonnullis diſſentio, ideò, vt ad veri inſpectionem paremur, inſtabo aduerſus illam, & primo per Ariſtotelem in procœmio Phyſic. cont. quarto, dicentem, communiora eſſe nobis notiora: at ſoluunt aſſeclæ Scoti, dicentes, id debere intelligi de cognitione diſtincta, attinente ad ſcientias, non de confuſa. Hinc ait Scotus cum duplex ſit confuſum, nempe totum Vniuerſale, & totum Eſſentiale, hoc eſt cõpoſitum, id eſt prius notum diſtinctè, hoc autem confuſè. Hæc ſolutio conſpicuè pugnat cum Ariſtotele. Nam proculdubio Ariſtoteles in eo procœmio ſtatuens pro primo noto confuſum de ſola cõfuſa cognitione loquitur, quod patet: quia cognitum confuſum reſpondet cognitioni confuſæ, vt diſtinctum diſtinctæ. Inſuper Ariſtoteles id oſtendit tribus rationibus, quæ vt conſideranti redditur notum, ſolũ ſunt veræ de notitia confuſa. Demum Ariſtoteles loquitur tunc de cognitione principiorum: at dum per confuſa declaramus principia, ea ſolum ſunt primo nota confuſè, cum diſtinctè noſci debeant per principia. Inſuper minus rectè ait Scotus, vt duplex eſt cõfuſum, ita duplex eſt primo notum, confuſè & diſtinctè. Nam dum vniuerſalia ſunt primo nota diſtinctè, tunc conſiderantur non vt cõfuſa indefinitè multa includentia, ſed vt ſimplicia & diſtincta. Inſuper, aduerſus principalem concluſ. inſto: per conſpicuam experientiam qua vtitur Auicenna, vtuntur & Græci, nam ſi eminus accidentem Alcibiadem intuemur, primo noſcimus quod eſt Corpus aliquod, ſecundo quod Animal, mox quod Homo. Similiter, ſi in viridarium ingredimur, ſtatim noſcimus eas eſſe plãtas, & herbas, at quæ ſint ſpecies plantæ, vltimo percipimus. At de primo experimento inquit Scotus, id accidere, ob impedimentum ex nimia diſtantia prodiens: quæ ſolutio non ſatisfacit: quia ea experientia noſcimus quid potentius moueat, id enim mouet potentius, quod mouet per maiorem diſtantiam, vt elicitur ex primo de Cœlo 117. cum autem communius moueat per maiorem diſtantiam mouet potentius, & ob id eſt aptum facilius noſci. At reſpondet Scotus inquiens, non eſſe dicendum quod ratio realis imperfectior a qua ſumitur genus, ſit ratio mouendi, dum magis diſtat, ſed quod forma ſpeciei ſit imperfectior ratio aſſimilandi in magna diſtantia, perfectior verò in diſtantia congruente. Hæc euaſio dubia eſt: quia accidentia varia ſunt quæ nobis naturam generis & eam ſpeciei patefaciunt, & id eſt natum facilius noſci, cuius accidentia potentius mouent: huiuſmodi autem ſunt accidentia patefacientia genus, vt experientia docet, hæc enim mouent per maiorem diſtantiam. De altero experimento ſumpto ex Plantis, inquiunt, nos cognoſcere tunc ſpecies illas plantarum confuſè, &

Ratio 3.
Ratio 4.
Ratio 5.
Ratio 6.
Euerſio.

quærere cognitionem distinctam. Quæ solutio etiam non satisfacit: quia inspicientes eam multitudinem plantarum, quærimus confusè cuius sint speciei, & quod sit nomen proprium, non autem distinctè earum definitionem. Præterea noscere confusè minus communia, est ea noscere per communiora, quare ea sunt notiora. Præterea, cum dicat Scotus primo Metaphysicæ, q. vltima 27. Metaphys. q. 15. primum quod percipitur esse singulare vagum, ac insuper dicat in 1. Sent. d. 3. q. 2. Mentem in sui cognitione sequi sensum, per concessa ab eo ita argumentor. Vt singulare vagum se habet ad distinctum, ita magis vagum ad minus vagum, at singulare vagum prius distincto cognoscitur, quare magis vagum noscitur prius minus vago, sed singulare magis vagum repræsentari id quod est magis vniuersale, quare magis vniuersale est aptum prius nosci quam minus vniuersale. Rationes Scoti non cogere, & facile in eum reflecti posse ex dicendis patebit.

Cap. XIII.

De primo cognito, opinio D. Thomæ & Alberti.

Opinio. D. Thomæ & Alberti Magni. ALTERA opinio aduersa primæ, est ea D. Thomæ, Alberti Magni, & plurimorum Philosophorum, qui inquiunt, primum origine aptum à nobis mente cognosci, esse conceptum communissimum. Cuius opinionis etiam videtur esse Auerroes, & præsertim, cum dicat à communiorib. esse ordiendum, quia sunt nobis notiora, & in 1. Poster. com. 12. inquit, communiora esse notiora nobis. *Auerr. Themistius, Simplicius.* Themistius quoq; id ipsum affirmat in Paraphrasi 4. cont. primi Phys. & clarius prope calcem 2. Poster. Similiter Simplicius explicans illum quartum cont. inquit, communia & ea quæ totius obtinent rationem, esse nobis notiora, & vniuersale vt confusum & compositum esse nobis notius. *Experientia.* Vtuntur Græci interpretes experientia, qua etiam vsus est Auicenna sumpta ex accidente particulari homine, quem prius noscimus per communia prædicata quam per propria.

Ratio 1. Vtitur D. Thom. in proœmio Phys. pro hoc comprobando hac ratione: quotiescumque competit eidem potentia & actus, potentia semper est prior origine actu, viaque ad illum: at in nostra cognitione locum habet potentia & actus, quare potentia est prior, sed noscere aliquid per communiora, est noscere potestate, vt dicitur in 1. Poster. quare communiora sunt apta prius origine cognosci.

2. Præterea, omne agens ducens aliquid ex potentia ad actum, prius origine producit actum imperfectum, mox perfectum; at notio vniuersalioris imperfectior

3. est. Præterea, illa notio quæ pauciora actu includit, quæ est magis tenuis, cuius accidentia efficacius & per maiorem distantiam mouent sensum, quæ est magis totum & confusum, cuius singularia facilius sensu apprehenduntur, quæ ex pluribus potest elici, nec supponit alias notiones, sed supponitur ab aliis, huiusmodi notio facilius abstrahi & nosci potest: huiusmodi autem est notio communior: Et id quod dicitur à Scoto abstractionem communioris esse difficiliorem, quia fit ex minus sensibilibus, falsum videtur, quia motus indicans animal, facilius & per maiorem distantiam sensum mouet, quam id faciant accidentia propria hominis, & cæterarum specierum.

4. Præterea, illæ notiones sunt aptæ in nobis prius fieri, ex quibus conflantur enunciationes primo notæ, at primo notæ sunt dignitates conflatæ ex communissimis terminis, quare notiones communiores sunt aptæ prius, & facilius in nobis fieri, ita primo noscimus de quouis dici esse,

5. vel non esse. & demum ea prius sunt apta apprehendi, quę facilius, & diutius sunt

apta

apta seruari memoria: huiusmodi autem sunt communiora, vt dicitur in lib. de Memoria, & reminisc. comprobatur authoritate Aristotelis conspicuè dicentis in 4. cont. 1. Phys. vniuersale esse quoddam totum, & multa continere vt partes, & ob id esse nobis notius. Hæc opinio rationi, experientiæ, & authoritati satis est consentanea, tamen est dubia. Nam Aristoteles in primo Posteriorum capitulo secundo, inquit notiora nobis, esse propinquiora sensibus: sunt autem longinquissima vniuersalia maximè, proxima autem singularia, & opponuntur hæc adinuicem. Conspicue Aristoteles inquit, quo aliquid est vniuersalius, eo esse remotius à sensu, & nobis ignotius; quod etiam affirmauit in proœmio Metaphysicæ, inquiens: Fere autem difficillima hominib. cognitu esse vniuersalia, siquidem remotissima sunt à sensu; Auerroes in 1. Poster. com. 12. inquit, Aristotelem per vniuersalia denotasse principia & causas, quæ sunt vniuersalia secundũ esse, & ante rem vt separatæ formæ. Quæ solutio non est approbanda, primo: quia Aristot. consueuit vocibus propriis vti, formas separatas, & principia non consueuit vniuersalia nuncupare. Platonici illi sunt, qui Ideas communes multis consueuere nuncupare vniuersalia. Præterea, ea interpretatio non respondet verbis proœmii Metaphysicæ, quia Arist. eo loci per vniuersalia ea denotat, quæ dum aliquis noscit, etiam cognoscit subiecta aliarum scientiarum, quod non est verum de separatis formis, sed de noritia entis, vt ens, quod dicitur de subiectis aliarum scientiarum, & si denotasset formas separatas, non dixisset ferè difficillima, sed absolutè, cum absolutè sint tales. Similiter ea interpretatio non respondet verbis primi Posteriorum: nam inquit Philosophus, notiora nobis esse singularia, notiora natura vniuersalia maximè, & hæc opponuntur: at dum dicimus singularia, & vniuersalia opponi, denotamus propriè singularia, & communia, quæ per relationem opponuntur, non causas siue principia, & materiata effecta. His accedit, quod si nomine vniuersalis Aristoteles denotasset causas, eas non ob aliud dixisset vniuersalia & remotiora à sensibus, nisi quia sunt principia, & magis secreta à materia, at huiusmodi sunt etiam communiora comparata cum minus communibus, vt conspicuum est. At inquiunt, comparatio inter magis, & minus commune, in primo Posteriorum, non facit ad rem, quia principia demonstrationis non debent esse communiora, sed æqualia, debent tamen esse causæ conclusionis. Hæc instantia inanis est, quoniam institutum fuit Aristotelis dare nobis regulam noscendi, nobis primo & postremo nota, id fecit per esse proximum sensibus & remotum. Hæc illustrantur per singulare & maximè vniuersale: quia maxime vniuersale est remotius, cum sit magis abstractum: ad id, quod gratia exempli dixit de singulari, & vniuersali, etiam voluit intelligi de omni alio minus & magis materiato, vt de causa & effectu, & de cæteris. Insuper Aristoteles in 2. Poster. docens Methodum indagandi definitiones communiorum per notiora nobis, ait eas elici ex minus communibus, ita inductio dicitur nos deducere per notiora nobis, cum tamen nos eleuet ex singularibus ad species, & ex speciebus ad genus. Similiter abstrahẽdo dicimur progredi per notiora nobis, & per proximiora sensibus, at abstrahentes ex minus communibus elicimus communiora, non econtrario: quare minus communia sunt propinquiora sensibus; & confirmatur: quia in omni ordine constituto, primo cætera mensurantur per recessum & accessum ad illud, at singularia sunt propinqua sensibus, quare propinquiora singularib. erunt etiam propinquiora sensib. minus cõmunia sunt singularibus propinquiora, quam cõmuniora, igitur minus communia sunt propinquiora sensibus, & nobis notiora quam communiora.

Arist. *Dubia.* *Arist.* *Auerr.* *Euersio.* *Instantia quorundam.* *Euersio.*

calidum & frigidũ, & hoc est id quod absolute primo a nobis cognoscitur, dum in lucem hanc prodimus. Hoc primo notum patefecit Aristoteles in tertio, de anima, cont. 10. inquiens: Sensitiuo igitur calidum & frigidum cognoscit. Ratio est conspicua. Nam omnis nostra cognitio ex Sensu oritur, inter Sensus autem, origine & necessitate primus est tactus, qui maxime a frigido & calido mouetur. Dico calidum non calorem primo sentiri, quoniam Aristoteles in 2. de anima, 66. inquit, concretum sentiri, qualitatem vero esse rationem primam, per quam sentiatur, in secundo gradu inueniuntur Sensibilia communia, quæ pluribus Sensibus sentiuntur, maximè iuncta sunt cum sensibilibus propriis, & vna cum eis mouent. Hæc non primo, sed secundo loco dicuntur cognosci: quia nõ primo sensus mouent, sed vna cum propriis, & per illa, adeo vt demptis propriis, non valeant sensus mouere. Hinc eos decipi puto, quia communibus Sensibilibus primum tradunt cognitionis gradum. In tertio gradu sunt substantiæ Materiatæ compositę, & inter has Elementa; ratio est, quia huiusmodi Substantia sub sensum cadit ex accidenti, per Sensibilia accidentia quæ sunt in ea. Hinc quidditas Materiata dicta est Obiectum Mentis, quia proximè per accidentium phantasmata Menti offertur, præsertim autem Elementa cognosci dicũtur, quia sunt prædita qualitatibus intensioribus, magis mouentib. Sensum, quamuis dum considerantur vt simplicia, relata ad mixta cõfusiora, secus se habeant. In quarto gradu inueniuntur interna principia, quæ ex accidenti per transmutationem & opera noscuntur, & inter ea prius Materia, mox forma, est apta confusè nosci. Ratio est: quia Sensibile primo indicat Materiam, omne enim sensibile in Materia est, vt dicitur in primo, de Cœlo. Hinc Cœlum, quamuis careat forma formante, tamen sub Sensum cadit, & ob id veteres nouerunt, & concesserunt Materiam, & non putarunt in composito inueniri formam aliquam substantię, sed sola accidentia. In quinto gradu inueniuntur formæ secretæ ab accidentibus & Materia, inter quas primo aptus est nosci Deus, quia ordo Vniuersi & motus diurnus primum principium pręsertim patefaciunt. Sextum gradum sibi optant secundæ notiones a nobis formatæ de primis, & ob id posterius notæ. Hæ non sunt inferendæ & permiscendæ cũ primis: quia sunt distinctę conditionis, & si insererẽtur, collocandæ essent post quartum gradum, nempe post Materiata, quia de illis formantur, & eorum notitiam supponunt. Hi gradus sunt statuẽdi, dum Comparatio fit inter ea quę sunt distincti generis. At facta comparatione in eodem genere, nempe inter magis, & minus vniuersalia, tres prodeunt partes eius: nam primo comparari potest cognitio Singularium, cum ea Vniuersalium. Secundo, cognitio minus vniuersalis, cum ea magis vniuersalis. Tertio, cognitio Singularis magis definiti, cum ea minus definiti, de quibus vt pateat quid sit dicendum, accipio, quod vel loquimur de cognitione distincta, vel confusa, si de distincta, nulla est dubitatio, consentiunt omnes simpliciora, communiora, & principia esse prius nota, quia sine horũ notitia cætera cognosci nequeunt. Hæc sententia est vera de communi vniuoco, non de communi ab vno. Ratio varietatis est: quia commune ab vno, non est natura vna in omnibus eadem, sed varia in variis, ideo distinctè nosci non potest non notis contentis. Propterea non consentio cum Scoto, putante, Ens non posse nosci confusè, cum sit conceptus simplicissimus, immo censeo maximè omnium nosci cõfusè, dum non cognoscuntur contenta sub eo, cum sit conceptus ambiguus & in variis varius. Insuper, accipio in nostra cognitione confusa duplicem considerari ordinem, vnum in conficienda abstractione, alterum cum nobis res se offerunt

Gradus secundus.

Gradus tertius.

Gradus quartus.

Gradus quintus.

Gradus sextus.

Triplex comparatio.

Primum cognitum distinctè.

Alterum praeaccipitur.

facta abstractione, Similiter in cognitione singulariũ magis & minus confusorum, duplex ordo consideratur: vel in prima eorum cognitione, antequam nota sit multitudo, vel cum praenota fuerit multitudo indiuiduorũ. His assumptis, tres profero Conclusiones: prima est, comparando Singularia cum vniuersalibus, primo cognitum est singulare; Altera est: in cõficienda abstractione, & ordine abstractionis, comparando minus cum magis vniuersali, minus vniuersale est prius notũ: facta vero abstractione, dum obiecta se nobis offerunt, prius noscimus magis commune, & vniuersale. Tertia est: antequã noscamus plura Singularia eiusdem, vel variarũ specierum, primo notum est Singulare magis definitum, nota vero multitudine, contra se habet. Prima conclusio vera est, siue referatur cognitio ad hominem, quauis facultate cognoscẽté, siue ad eam Mente iudicantem, nam Homo primo per sensus noscit Singularia, & dum iudicat per Mentem, orditur a phantasmatibus, quae cum moueant vt sunt, & sint Singularia, primo offerunt singulare, nam in facultatibus iudicantibus, finis vnius, est principium cognitionis alterius, hac de re verba feci, dum consideraui, an Mens noscat Singulare. Fundamentum secundae, & tertiae Conclusionis est id, quod dicitur ab Aristotele confusum esse nobis notius: & quoniam antequam communiorum sit facta abstractio, minus commune se offert vt totum confusum actu, & cõpositum, ideo prius noscitur: cum vero fuerit facta abstractio, & apparuerit, praedicata superiora esse communia multis, tunc se ea nobis offerũt, vt totum confusum, & multa continens potestate, ideo prius noscuntur; idipsum dicendum est de singularibus magis, & minus definitis, adeo vt semper cum Aristotele confusum sit primo notum, sed ante quam fiat abstractio, confusum actu est primo notum, ea facta, confusum potestate: vera est sententia Scoti, in conficienda abstractione, vera est ea D. Thomae cum facta fuerit abstractio, & quia ordo abstractionis antecedit, ideo verior est opinio Scoti; hoc experientia cognoscimus: nam dum volumus noscere progressum naturae, praesertim cõuerti debemus ad pueros, qui naturam sequuntur, & secundum eam viuunt, ipsi primo id quod apprehendunt, iudicant sub ratione proprii, veluti dum primo alium equum non viderunt, nisi suum, omnes quos vident putant equum suum. Ratio est, quia ea primo sentiuntur, quae mouent, & eatenus sentiuntur quatenus mouent, at mouent, vt accidentia propria eius particularis cuius sunt, ideo vt talia primo iudicantur. Hoc nobis indicat exemplũ de eminus inspecto Alcibiade, & ad nos accedente, nam si nos non praenouissemus alia praeter Alcibiadem ex se moueri statim, quod eminus illum ex se moueri perciperemus, iudicaremus illũ esse Alcibiadem, quia id ex se moueri solum praenouimus in eo. At nota multitudine eorũ quae ex se mouentur, id ex se moueri agit in Sensum, vt accidens commune; Hoc indicare voluit Arist. in quinto contextu prooemii Phys. inquiens, & pueri primo appellant omnes viros patres, non enim pueri primo cognoscant quod sit aliqua Substantia, aliquod Corpus, vel animal, vel Homo, sed econtrario, viros omnes apprehendunt sub ratione proprii parẽtis, quia eorum accidentia mouent vt propria sui parentis, quem primo nouerunt, at nota multitudine Hominum, iam incipiunt primo noscere sub ratione alicuius Hominis indefiniti, mox sub ratione proprii parentis. Haec cõprobantur per varia variis in locis ab Aristotele prolata, nam quod ordine abstractionis minus communia sunt nobis notiora, ex eo lucidissimè patet, quia Aristote. in primo Topic. c. 10. inquit, argumentationum inductionẽ esse nobis familiariorem, & nos deducere per notiora nobis, in formanda autem inductione ex inferioribus progre-

Tres Theses. *Prima Conclusio.* *Secunda & tertia Conclusio.* *Quomodo vera sit sententia Scoti & D. Th.* *Exemplum.* *Confirmatio.*

progredimur ad superiora, & id facimus, quia tunc prima nostra cognitione abstrahendo progredimur, & ob id ipsum in 18. part. Probl. 3. loquens de exẽplo, dixit, partem esse nobis notiorem toto. Hoc ipsum conspicuè enunciauit dum in procemio Metaphysicæ, & in primo Poster. cap. 2. dixit, vniuersalia maximè esse remotissima a nobis. Et in 2. Poster. dum Methodum tradẽs indagandi Definitiones per notiora nobis, dixit ex Posterioribus ad superiora esse progrediẽdum, & ex eis eliciendas esse Definitiones superiorum, veluti, ex indiuiduis specierum, ex speciebus generum. Ad hoc quoque approbandum cõducit id, quod legitur in 6. Topicorum cap. 3. quo loci inquit Philosophus, aliis interdum alia magis esse nota in principio sensibilia, instructioribus autem factis econtrario, &c. Similiter ante abstractionem minus communia, post vero communiora sunt primo nota. Et Auerroes veritate coactus, in secundo Poste. 72. dixit, nobis indiuiduum esse notius specie, & speciem genere, quod repetit com. 73. & id est verum in conficiẽda abstractione. Propterea in 3. de anima com. 10. & 35. dixit, primo abstrahi speciem vltimam, mox eis proximas vsque ad supremum genus. *Confirmatio prima.* Confirmatur: quia vt singulare se habet ad vniuersale, ita minus vniuersale ad magis, nam sæpe species comparata cum genere dicitur Singulare, at Singularia sunt primo nobis nota & proximiora Sensibus, ita seruatur regula, quod *Secunda.* inuento primo, cetera mensurentur per accessum ad illud, vel recessum. Insuper *Tertia.* cum totum & confusum sit nobis notius, quod verius est, totum & magis confusum, verius est primo notum, minus commune est totum actu, magis cõmune potestate, id autem quod tale est actu, magis est tale. Et demum, id ordine *Quarta.* abstractionis est notius quod facilius abstrahitur, huiusmodi est minus vniuersale, nam species abstrahitur ex Singularibus nobis primo notis, quorum similitudo est magis conspicua. At postquam facta fuerit abstractio, & nota fuerit multitudo, contra se habet, tunc enim cõmunius, se offert vt totum, & accidentia repræsentantia commune, quæ primo se offerebant, vt propria alicuius prænoti, mox se offerunt vt communia multis, & id ipsum etiam verũ est de cognitione sensuum, relata ad singularia, vel magis vel minus definita, vt dixi, sic cognitio sensuum recta ratione respondet cognitioni Mentis, cum sit origo eius, & Arist. in 4. cont. inquiẽs, vniuersale esse notius, patefecit primo notum, facta abstractione, in quinto autem textu, vtẽs exemplo Definiti, & cognitionis puerorum, qui primo appellant omnes viros patres, patefecit primo notum ante abstractionem, & in ea conficienda, ita seruatur regula Aristotelis vniuersalis, quod totum & confusum sit primo notũ, aduersus Zimaram. Similiter seruatur confusum semper esse primo nobis notum notitia confusa, nam de notitia distincta se habet econtrario, primo enim notum obtinet locum simplicis, distincti, & principii, aduersus Scotum, qui ait confusum potestate, hoc est cõmunius, esse prius notum notitia distincta, nam dum distinctè noscitur, non apprehenditur vt confusum, sed vt distinctum, distinctè notum per sua principia, & tanquam principium alterius. Insuper, conciliatur in parte opinio Diui Thomæ, cũ ea Scoti, quamuis absolutè rectius loquamur, dicendo minus cõmunia esse nobis primo nota. Ratio est: quia notio præcurrens abstractionẽ absolute est prior, & confusum actu est absolutè confusius. Demum ex his conspicuè elicitur concilium dictorum ab Arist. qui aliquando minus communia, aliquando communiora, ait notiora, frequentius tamen hoc repetit, minus communia esse nobis notiora, quia hoc vt patuit verius est. Neq; est putandum, vt inquiunt nonnulli, quod facta abstractione cõmunius sit notius distinctè, nã genus non dicitur di- *Conciliantur sententia varia Aristo.*

ſtinctè notum dum eſt abſtractum, ex ſpeciebus, ſed dum eſt notum per ſua interna principia, illud conſtituentia, ſic genera ſunt nota Logico confuſe, Metaphyſico vero diſtinctè.

CAP. XVI.

Diluuntur aduerſa rationes.

Diluuntur aduerſa rationes. EXPLICATIS explicandis, ſupereſt vt dubia magis vrgentia diluam, & aduerſis rationibus ſatisfaciam. Rationes Scoti oſtendẽtis minus cõmunia eſſe prius nota, mihi non obſunt, id enim in parte verum eſt: dico tamen, quod ipſe non cauſam tradit pro cauſa, & cauſam non veram, pro vera. *Ratio 1. Scoti.* Nam dum primo ait minus commune prius noſci, quia agens per naturam, primo producit opus, vt valet perfectum, hoc non eſt verum: quia agens per naturam, progreditur ex imperfecto ad perfectum, & primo origine producit opus non perfectius, ſed facilius, quod ſi primo offertur minus cõmune, id euenit quia id eſt confuſius, & ea cognitio eſt confuſior & imperfectior, cũ ſit diſtantior a cognitione diſtincta, quæ eſt per vniuerſalia & ſimplicia. *Ratio 2.* Similiter ſecunda ratio non cogit, cum dicat in ſcientiis ſub Metaphy. poſitis primo noſci minus communia, mox in Metaphyſica noſci cõmuniora. Nam id eſt verum, ordine abſtractionis, progrediẽdo enim ex ſcientiis ſub Metaphyſica poſitis, ad Metaphyſicã progredimur abſtrahendo. Inſuper, non recta ſit comparatio, quoniam dum verſamur in ſcientiis particularibus, non cognoſcimus diſtinctè earum principia, niſi eleuemur in Metaphyſicum, nõ enim diſtinctè noſcuntur minus cõmunia niſi notis communiorib. hinc ea ratio ſi quid veri includit, mihi prodeſt. *Ratio 3.* Tertia ratio quæ erat, quod ſi primo noſcenda eſſent cõmuniora, nimium temporis conſumeretur ante quã infima poſſemus noſcere, hæc nullius eſt roboris, primo, quia poſſet refleсti: nam ſimiliter plurimum temporis conſumeretur ante quam noſceretur commune, quod experientiæ aduerſatur. Secundo, quia vere facta abſtractione, vltima ſpecies tardè noſcitur, ante autẽ econtrario, vt patuit. Tertio, ea ratio nõ cogit, quia accidentia vtriuſq; ſimul mouent, cum ſint iuncta, & poſt abſtractionem ſimul tempore vtrumq; noſci poteſt: at nos conſideramus quid facilius ſit aptum apprehendi. *Rationes.* Rationes aliæ quæ ab aliis adduntur mihi non aduerſantur, & quid veri includant patet ex dictis. *D. Thomæ.* Similiter rationes D. Tho. mihi non obſunt: dicebatur primo potentiam actui antecedere: Reſpõdeo, nos ſemper in cognitione progredi ex potentia ad actum; & ex imperfecto ad perfectũ, vel ordine abſtractionis, vel oblationis poſt abſtractionẽ, & ſemper primo notum eſſe totum & confuſius, quod indicat imperfectionem & potentiam, inſuper tunc noſcere in cõmuni, eſt noſcere poteſtate, dum commune obtinet locũ totius, quod ſolum ei cõpetit facta abſtractione. & prænota multitudine; Quod ſi accidentia communium potentius mouẽt, id non obeſt, quia ante quam ſit facta abſtractio non mouent vt accidentia eius communis, ſed tanquã accidentia alicuius propria. At inſtabatur adhuc: quia notio communior pauciora actu includit, eſt magis tenuis, ex pluribus poteſt elici, non ſupponit alias notiones, ſed ſupponitur, &c. Hæc ratio ſolum oſtendit communiora eſſe notiora notitia diſtincta, quæ per ſimplicia, & ſimplicium eſt: de confuſa contra ſe habet, primo notum cum ſit confuſum, debet plura continere, & dum Vniuerſale prius noſcitur, quod ei competit facta abſtractione, tunc noſcitur vt confuſum totum, & aptum pluribus competere. Inſtantia ſumpta ex dignitatibus quæ conſtant

ex

ex vocibus cõmunissimis,soluitur, quia noscuntur facta abstractione. nam primæ dignitates & enunciationes ex singularibus in ductione & progrediendo per abstractionem formantur, & noscuntur, vt patet ex calce secundi Poster. & dum mox per eas distinctè noscimus cætera, illæ prænoscuntur distinctæ. Ratio sumpta ex memoria, quia communia facilius seruantur memoria, soluitur: nam iure communiora facilius memoria seruantur facta abstractione, quia includũtur in minus communibus, nec seruari possunt minus communia, nisi seruentur communiora. Non distinctius soluam controuersias in verbis Arist. apparentes, quia earum solutio ex dictis conspicua est.

CAP. XVII.

De primo cognito cognitione complexa.

VERSATI hactenus sumus in explicando primo cognito cognitione prima, & incomplexa, nunc sequentes ordinem originis, explicare tenemur primum cognitum cognitione complexa, qua de re breuibus & lucidè loquar, cũ eius explicatio pendeat ex declaratione primi noti cognitione incomplexa. Vt enim Enunciationes conflantur ex simplicib. vocibus, ita cognitio earum pendet ex notitia simplicium; Vox complexa siue Enunciatio, vel est de ipso esse secundo adiacente, vel de eo tertio adiacente, vt distinguitur in lib. de Interpretatione. Enunciatio de ipso esse secundo adiacẽte, quæ omnium est simplicissima, et potest esse prima, vel absolute & ex natura rei, vel ex parte nostræ cognitionis. Prima absolutè, est duplex, vel dignitate, & est hæc, Deus est, vel prima, hoc est suprema abstractione, & est hæc, Ens est siue essentia est: At ex aduerso Enũciatio prima de secũdo adiacẽte ex parte nostrę cognitionis, ea potest esse prima vel origine, vel absolute, vel in eodẽ genere, absolute prima hæc est, calidum est, frigidũ est, nam hæc primo nobis occurrunt in hanc lucẽ prodeuntib. si dicimus motus est, multa entia sunt, non ita sunt primo nota, quia sunt de Sensibilibus communibus, quæ non cognoscuntur sine propriis. At si fiat comparatio, in eodem genere, sic ante abstractionem enunciatio de minus communi, post abstractionem vero enunciatio de subiecto communiore est prius nota, & prius apta formari cęteris paribus, vt ens est. Progrediendo autẽ ad enunciationes de ipso est tertio adiacẽte, similiter in eis considerare possumus primum vel ex natura rei, & absolute, vel ex parte nostræ cognitionis. Ex natura rei adhuc potest esse prima, vel dignitate, vel abstractione; Dignitate, vel includit nugationem, sic prima ex natura rei hæc est, Deus est Deus, quæ maximè est vera, tamen non est propria prędicatio. Vel est sine nugatione, & ita prima hęc est. Deus est vnus, Deus est bonus. Prima autem ex natura rei ordine abstractionis quæ est suprema, ea est, quæ ex vocibus cõstat communissimis, veluti sunt duæ illę dignitates, de nullo simul vere dicitur esse & non esse, & de quolibet dicitur esse vel non esse, quarum duarum quæ sit prior, dum agerem de secunda actione Mentis, patefeci. At si loquimur de Enunciationibus de ipso est tertio adiacente, & primis ex parte nostræ cognitionis, tunc vel cõsideramus primo notum absolutè, ac ita hæc erit prima, calidum calefacit, frigidum refrigerat. Vel consideramus primo notum in eodem genere, & tunc antequam fiat abstractio, enunciatio constãs ex vocibus minus communibus erit nobis prior, veluti hic est pater meus, facta vero abstractione econtrario, & quia dum formantur enunciationes vt plurimum est facta abstractio, & nota est multitudo, ideo vt plurimum enuncia-

De Enũciationib. de ipso est secundo adiacente.

De Enũciationib. de ipso est tertio adiacente.

tiones ex communibns conflatæ sunt nobis notiores, quamuis absolutè primo nobis notum sit id, quod minus commune est magisque definitum.

Cap. XVIII.

An intelligibile, dignitate præstet Menti, vel vice versa.

Academici. PVLCHRA & nobilis est controuersia inter Mentem & intelligibile, quodnã eorum alteri dignitate præstet, & antecedat, quæ cum pertineat ad considerationem humanæ Mentis, iure optimo discutiendo proponitur: pro cuius notitia accipio ex sententia Academicorum, considerati hunc ordinem. Primo datur id quod est supra Mentem, & supra intelligibile, huiusmodi est Deus. Secundo reperitur intelligibile, & sunt Ideæ. Tertio scibile, & hoc pertinet ad Animam per rationes, & est id quod consimiliter se habet, & per rationes & causas necessarias noscitur; Quarto reperitur opinabile, & est id quod generationi, interitui & varietati subiicitur, ad quod pertinet Fides, & imaginatio: siue assimilatio ex quibus duobus consurgit opinio, infimum gradum sibi optant Sensibilia, quæ Sensibus externis se offerunt, quæ sunt vmbræ rerum, dum proprie vtimur vocibus, approbandus est ex sententia Academicorum relatus ordo, nonnunquam tamen scientia sumitur pro gradu supremo, quia perfecta scientia ex Ideis pendet, in qua significatione ait Plato in septimo de Republ. & in calce sexti. scientiam & cogitationem versari circa essentiam rerum, & ex vtrisque consurgere Intelligentiam: Fidem vero & imaginationem versari circa generationem, & ei obnoxia, ex quibus duobus ait consurgere opinionem; Sic itaque ex sententia Platonis proprie intelligibile est idea, mox ratio insita essentiæ Animæ; Ex sententia vero Aristotel. id quod est, diuiditur in sensibile & intelligibile, sensibile est omne materiatum, sub sensum cadẽs, intelligibile absolutè, est omne quod ex materia non pendet, & in ordine intelligibilium absolute, primus est Deus, infimà est Mens Humana. Hinc Arist. in 3. de anima 15. inquit, quod vere intelligibile, etiam intelligit, in eadem significatione Arist. in primo de partibus animalium ait, Mentẽ referri ad intelligibile, & eiusdem esse rationis, & considerationis: Insuper, genus Sensibilium dupliciter consideratur, vel actu, vel potestate, actu & sui conditione Sensibile est, potestate vero dicitur intelligibile, quatenus per mentem est aptum abstrahi, & reddi intelligibile, & dicitur reddi intelligibile actu, non quia euadat proprie intelligibile, vt formæ abiunctæ, sed quatenus ei competit actus, qui valet ei competere, vt abstrahi potest, hinc Arist. in 3. de anima. 16. Materiata negat esse absolute intelligibilia, sed solum potestate, vt dixi. Adeo vt ex sententia Aristot. absolute intelligibile sit forma sui conditione abiuncta, scibile autem est omne quod per principia necessaria & causas cognoscitur, opinabile & suasibile, quod noscitur per principia necessitate carentia. His assumptis dum quæritur quid sit præstantius, num Mens, vel intelligibile, triplex se offert comparatio: primo inter mentẽ hominis, & absolute ac sui natura intelligibilia. Secunda, quia absolute intelligibilia etiam intelligunt, quæritur qua ratione præstent, an quatenus intelligunt, vel quatenus intelliguntur. Tertia comparatio versatur inter humanam Mentẽ, & quidditatem Materiatam, quæ dicta est obiectũ eius; His assumptis si fiat prima & secunda comparatio absolutè dico intelligibile preferri, & dignitate antecellere Menti. At si fiat tertia comparatio vtor distinctione, & dico: Mens & intelligibile, vel consideratur pro esse absoluto, vel cum ratione intelligentis & intelligibi-

Sententia Platonis.

Sententia Arist.

Resolutio difficultatis.

telligibilis,pro esse absoluto,non est dubitatio:nam proculdubio humana mens dignitate præstat cunctis formis Materiatis: At si considerantur cum reduplicatione aliqua, tunc dico intelligibile vel consideratur vt re rtur ad mentem poestare vt potestate est, & ita intelligibile præstat, cum sit tanquam actus, finis & perfectio eius, vel consideratur vt refertur ad Mentem agentem, per quam cum sit intelligibile potestate, redditur intelligibile actu, & ita Mens ei præstat: nam propter quod vnumquodque tale, & id magis tale est, per Mentem agentem intelligibile potestate redditur intelligibile actu, quare Mens agens primo, maximè, & ex se intelligibilis est, & intelligibilibus potestate præstat. Pertinentia ad primam & secundam comparationem, conspicua sunt: nam in vtrisq; intelligibile obtinet locū superioris, perficiētis, & formantis: Hinc Auer. ait, inferiores intelligentias intelligere superiores, non econtrario, & intelligibile esse causam intelligentis, vt patet ex 12. Metaphysicæ com. 44. Arist. 12. Metaphysicæ 51. inquit, pater quod aliquid aliud honorabilius esset quam Mens, id scilicet, quod intelligitur; Conspicue Arist. intelligibile præfert menti, & inquit: Quod si Deus intelligeret mortalia vilesceret, indicās intelligibile debere præstare intelligenti. Simplicius in 3. de anima, exponēs con. 4. 19. trib. rationib. ostēdit intelligibile pręstare Menti. Primo, quia intelligibile denotat essentiā, mens verò actionē. Secundo, quia intelligibile est tanquam forma & perfectio, Mens autem id quod perficitur. Tertio, quia Mens etiā dicitur de imperfecta, vt de mente potestate quæ vt talis, nil est actu ante quam intelligat: Intelligibile autem, nempe absolute & sui natura, non dicitur de imperfecto, nam mens potestate non est intelligibilis, vt potestate est. Simplicius præsertim considerat mentē, & intelligibile, consideratione Academica, quæ modo declarato etiam sunt vera consideratione Peripatetica: & cū Academici absolutè dicant intelligibile præstare Menti, Peripatetici id non inficiantur, sed solum modo vario id explicant, vt patefeci.

CAP. XIX.

Munera quæ in Hominem redundant ob connexionem Mentis cum eo.

VARIA & ea quidem pręclara & saluberrima sunt ea munęra, & beneficia, quibus ornatur & munitur homo per connexionem Mentis cum eo, quorum explicatio integrum exposceret volumen: ego tamen, vt considerationi mentis congruentem tribuam finem, ea breuissimè & per capita referam, inde enim refulgebit quæ sit propria hominis conditio, quam eximias teneatur Deo referre gratias, qui eum Mente honestauit, & quam accuratus esse teneatur de recta sui institutione. Quamprimum Homo munere Dei Mente decoratur, statim redditur Hymenæus æternorum & mortalium, in eo enim solo æterna cum mortalib. connectuntur, quod coniugium cum sit fęcundissimū, generosa & numerosa sequitur proles: nam primo redditur Homo proprie sumptæ disciplinæ capax: quamuis enim nonnullæ feræ, & iumenta, videantur disciplinæ capacia, ea tamen potius vmbra est, quā reuera disciplina, non enim seruatur propria disciplina, sine notitia vniuersalium, quæ sola mente apprehenduntur. Secundo, redditur homo per mentem capax virtutum moralium, quæ quamuis proximè attineāt ad appetitum Sensuū, tamen nequeunt ei competere sine auxilio rationis, & Mētis, terminos pręscribentis; Tertio redditur capax habituum & virtutū rationis, nimirum sapientię, Intelligentiæ, Scientię, Prudētiæ & artis,

Vtilitas considerationis munerū Mentis.

Homo cur Hymenæus.

Vtilitas 1.

Vtilitas 2.

Vtilitas 3.

qui habitus eius sunt facultatis, vt Homo per tres primos valeat per cognitio-
nem fieri omnia, per Prudentiam, valeat cunctas suas actiones rectè compone-
Vtilitas 4. re, per artem valeat artificiosa innumera formare, & imitari naturam. Quartò,
redditur Homo capax Heroicæ Virtutis, cuius beneficio supra Hominis condi-
Vtilitas 5. tionem eleuatur. Quintò, capax redditur diuinarum virtutum, quarum spiritu
Vtilitas 6. eleuatur ad Deum, & cum eo fœlicissimè nectitur. Hinc sextò, dicitur reddi ca-
pax summi boni, eximiique gaudii, quod summum bonum comitatur, adeò, vt
Vtilitas 7. appetitiones eius omnes cumulatissimè expleātur; Septimò, redditur capax Re-
ligionis & diuini cultus, sola enim Deo similia, valent illum colore, & cum eo li-
Vtilitas 8. gari. Octauo per internum Mentis contactum, & diuinam inspirationem red-
ditur Homo Prophetiæ, & diuinationis particeps. Nonò, ornatur Homo per
Vtilitas 9. Mentem libertate Arbitrii, adeò, vt cum iumenta & feræ instinctu naturæ ducā-
tur, solus homo valeat cui libuerit parti hærere: hinc solus suarum actionū, suæ-
que fortunæ est faber. Decimò, reditur Homo ciuis nedum suæ vrbis, verum e-
Vtilitas 10. tiam Vniuersi orbis, cum beneficio Mentis ei competat facultas regendi, & im-
perandi. Vndecimò, redditur Dominus iumentorum & ferarum, quarum plu-
Vtilitas 11. rimæ cum sint robustiores homine, Hominē sibi subiicerent, nisi homo ratione
Vtilitas 12. & Mente earum vires prosterneret, & inanes, redderet. Duodecimò, ornatur
Homo elocutione & de articulato sermone, quo varia loquendo componit, &
Vtilitas 13. secernit, suasq; animi affectiones aliis patefacit, quod experia Mētis efficere nō
sunt apta. His decimotertiò accedit, quod cum Homo sit Mente præditus, dici-
Vtilitas 14. tur præditus oculo & acie animi, qua sola id quod absolute verum, bonum, &
pulchrum est, nobis datum est intueri; ideo iure enunciauit Plato, nos pluris de-
bere facere oculum vnum Mentis, quam mille corporis. Insuper decimoquartò,
redditur Homo diues, cum enim sine vsu non seruentur diuitiæ, & sola ratione
& Mente valeamus vti fortunæ bonis, ideo iure solus homo, non iumenta & fe-
Vtilitas 15. ræ dici valet diues. Decimoquintò, redditur homo inter mortalia verè pulcher,
Vtilitas 16. verè gratia præditus, & verè particeps propriè sumpti amoris, vera enim pulchri-
tudo ad animum pertinet, Materiæ expertē: nam Materia fœdat & minuit pul-
Vtilitas 17. chritudinem, vera gratia comitatur propre sumptam pulchritudinē: amor quo-
Vtilitas 18. que verus & legitimus, veram inspicit pulchritudinem. Hinc etiam solum inter
viros probos versatur amicitia: probi enim & sapientes verè pulchri sunt. Deci-
~ mosextò, per Mentem redditur Homo Simia, & Ludus Dei, vt enunciauit Pla-
to: nam per solam Mentem valet eum imitari. Insuper, decimoseptimò: aptus est
Homo tanquam per sublimationem ex cunctis quæ ei occurrūt, elicere id quod
bonum est, nil enim in Vniuerso adeo est malum, quin boni aliquid includat.
Præterea, decimooctauò, redditur homo Mundus paruus includens Mentem,
tanquam Deum proximum, a quo dirigatur, ac simul redditur Epilogus Mundi
Magni, & insigne miraculū vniuersæ Naturæ, cuius caput est Deus. Insuper, de-
Vtilitas 19. cimononò, redditur absolutè particeps vitæ, quatenus est aptus viuere vitam
Vtilitas 20. omnem, & præsertim est particeps vitæ veræ & immortalis, de qua legitur: Da
mihi Domine intellectum & viuam. Vigesimò, constituitur homo in terræ are-
na tanquam miles, & gladiator, armisque per Mentem munitur quib. primo in-
ternos hostes, nimirum deprauatas animi perturbationes, Naturæq; imbecilli-
tates, mox externos, fortunæ exercitum constituentes, prosternere aptus est, &
Vtilitas 21. ob huiusmodi victoriam parata est ei veræ Gloriæ insignis corona. Demum be-
neficio Mentis & rationis, valet Homo verti in se, noscere se, & noscere finem
suum, per quem præsertim rationem afferre valet cunctarum suarum actionū,

actiones enim eatenus iudicandæ sunt probæ, quatenus conducunt pro assequendo veriore fine, eique sunt consentaneæ: nam finis generationis hominis anima est, finis vero hominis geniti est duplex: vnus cuius gratia, & est summum bonum ei paratum; alter, cui, qui duplex etiam est: vnus proximus, & est ipsemet homo, qui fruitur summo bono, alter postremus, & est Deus optimus maximus, cui omnia seruiunt, & in quo cuncta quæ ad eum eleuati sunt apta, fœlicissimè requiescunt. Requiescamus itaque & nos in eo, vt vera quiete fruamur, eique soli gloriam & honorem tribuamus.

FRANCISCI PICCOLOMINEI SENENSIS,

De Facultate animæ, per quam sua sponte animalia mouentur.

LIBER VNVS.

Procemium, in quo Consilium authoris, & seruandus ordo explicantur.



VNDVS, *qui sapientum consensione est conspicua imago; sublimis, & nos latentis opificis, quemadmodum quia pendet ex bono, & vno, est bonus, & vnus, & quia pendet ex eminentissima ordinis ratione, est ordinatissimus, ita quoniam ex vniuerso vitæ fonte Principia ducit, est corpus vniuersum, omnem vitæ gradum cumulatissimè includens: Hinc pro constituendis cunctis viuentium gradibus, facultates animi varias Dei prouidentia paratas inspicimus: compertum enim est sublimibus ingeniis, gradu facultatis nutrientis constitui plantas, facultate sentiente sine motu, formari stirpanimalia, eadem facultate sentiente cum distincto motu, animalia absolutiora, gradu rationis, constitui hominem, & demum mente pura, supra ratione meleuata, constitui supera numina. Gradus profecto hi omnes præclari sunt, & accurata consideratione digni: inter quos, facultas animalium motrix, vt est difficilis cognitu, variisque ambiguitatibus inuoluta, ita cum explicata, elucidataque fuerit, varias studiosis animis est apta præbere vtilitates: propterea consilium meum est, de ea ex Peripateticorum sententia verba facere, variaque ad eius notitiam pertinentia explicare. Quæ omnia in sex præsertim prima capita redigam. Nam explicabo primo, de qua mouendi facultate futurus sit sermo.*

Mundus imago opificis.

Gradus varii vitæ.

Institutum authoris.

Sex capita explicanda.

Perpendam secundo, cur Aristoteles agens de partibus Animæ, de fa... moruendi postremo loco differuerit. Perpendam tertio, quot & quæ sint principia motus Animalium. Et cum varia ad motum Animalium conspiciant, perpendam quarto loco, quid eorum revera sit vis mouens. Quinto loquar de modo, quo Animalia ex se mouentur, nonnullaque inferam attinentia ad causas admirabilium motuum. Demum perpendam affectiones quasdam, & nonnullas, quæ pro Animaliũ motu requiruntur. Ex quorum explicatione (ni fallor) cuncta ad motum mortalium Animalium attinentia reddentur conspicua.

CAP. I.

Cuius Motus Principia, & affectiones quaruntur.

Cunctis Mundi partibus competit Motus. MOTUS adeo cum corporeo Mundo est complicatus, adeoq; illi est salutaris & accommodatus, vt nulla eius pars sit, quæ motu aliquo suę naturæ contentaneo non moueatur, per motũ enim corpora vel perfectionem seruant quam habent, vel eam assequuntur qua carent, vel aliis illam impartiuntur: Et quoniam hi motus, facultatesq; mouendi varii sunt, ideo ne ob scopi ambiguitatem, in sermonis cursu reddamur ancipites, cuius motus inquiratur Principia, primo patefaciendum duxi. *Varia motuum genera.* Genera motuum quæ reb. natura constantib. cōpetunt, varia profecto sunt, motus.n. Physicorum corporum, vel pendet ex forma supra naturam posita, quales sunt motus Cœlorum, de quibus non est sermo, vel prodeunt ex forma & Natura infra animã collocata, quales sunt motus inanimorum corporum, qui etiã ad rem non faciunt, vel tertio, medii sunt, & ex anima tanquam formarum media ortum ducunt. *Motus ex anima prodeuntes varii.* Qui motus etiam sunt varii: viuentia.n. per animam nutriuntur, crescunt, generant, de quib. motibus non est nobis propositus sermo, sed de eo solo motu loquemur, qui secundum locũ dicitur, cum sit ex loco vno in aliũ. insuper, hic motus ad locum pertinens adhuc in animali multiplex apparet, in eo.n. inueniuntur motus, qui ex cognitione, & appetitu non pendent, sed ex Principiis prodeunt penitus, per naturam operãtib. qualis est agitatio Cordis, Arteriarum, pulsus, ex spirituum & caloris feruore prodiens, motusque alimenti ad nutriienda membra. *Motus cognitionem sequentes.* Ex aduerso dantur motus alii, qui cognitionem & appetitum sequuntur, & animarii, vltroque facti dicuntur, quib. sua sponte animalia mouentur. Demũ inueniuntur nonnulli, qui inter hos mediãt, & partim per naturam, partim per appetitum, & cognitionem fiunt, ex quorum genere est exspiratio, & inspiratio aeris, quæ vigilantib. & dormientib. competit: *Inspiratio.* hæc quamuis præsertim per naturam fiat, in parte tamen appetitui subiicitur, quatenus ad libitum spiritum, vel detinemus, vel frequentius inspiramus, aeris.n. inspiratio, vt pendet ex necessitate refrigerandi Cor, & feruorem eius, per naturam fit, ob instrumenta verò nonnulla ei inseruientia, quæ Phantasiæ, & appetitui subiiciuntur, potest sponte nostra detineri, & reddi frequentior. *Tremor. Rigor.* Similiter etiam tremor ex gelu pendens, vel ex causa aliqua morbum afferente, qualis est rigor in principio febrium, est motus in parte medius, quatenus non fit sine sensu, cum tamen Phantasiæ, & appetui non obediat: *Motus pudendorum.* hinc in 8.c. de animalium motu Arist. motum pudendorum nuncupat inuoluntariũ, somnum verò, vigiliam, & respirationem, dicit non voluntarium motum, quatenus

tenus modo aliquo mediant. De motibus his non est nobis propositus sermo, sed de illis tantum, qui sponte nostra fiunt, & voluntarii, ac vltro facti dicuntur, nuncupantur autē voluntarii, non quia semper ex hominis voluntate prodeant, sed vel quia ex ea prodire possunt, & aliquando prodeunt, ac ita a potiore sumitur denominatio: vel quia vltro fiunt, & ex appetitu proficiscūtur, appetitus autem omnis cognitionem sequens, lata significatione voluntatis nomine frequēter denotatur, proprie tamen communi voce motus nostra sponte vel vltro facti nuncupari deberent. Demum hic postremus, qui absolute animalium motus dicitur, triplex est, vel. n. est talis vt per illum animal totū vltro loco mutet, quo absolutiora animalia mouentur, vel tantum est partium, adeo, vt locus vniuersus non deferatur, qualis est motus stirpanimalium, lapidibus hærentium, dum contrahuntur, & extenduntur; vel medio quodam modo se habet, vt in vermibus euenire inspicimus, qui partium contractione, & extensione priorem locū deserentes, nouum acquirunt. Loquar ego de motu absolutiorum animalium, & præsertim Hominis: nam ex eius declaratione, quid de cæteris sit sentiēdum, lucidè constabit.

CAP. II.

Cur Aristoteles in Lib. de Anima, postremo de Principio Motus disseruerit.

MIRARI profectò poterit aliquis, quomodo Arist. qui in seruando ordine admirabilis iudicatur, disputans de ea animæ facultate, quæ principium motus dicitur, ordinem turbasse visus sit, de illa postremo loco verba faciens, nam frequēter nos monet, communiora primo esse declaranda, vis mouens est communior Mente, nam competit nedum hominibus, verum iumentis quoque, & feris, quare de ea prius quam de Mente fuisset agendū. Præterea, in ordine partium scientiæ tēnemur sequi, & æmulari naturam, & ea quę natura priora sunt, tenemur primo declarare, vis Mouens est origine, ac ita natura prior Mente, sequitur enim proxime Sensum, & ante vsum rationis competit pueris, quare de ea prius quam de Mente fuisset agendum. Demum, si facilitatem inspicimus, vis mouens est nobis magis familiaris, magis per opera sub Sensum cadens, aptaque facilius apprehendi, quam mens, quæ omnium animæ partium est cognitu difficillima. Accedit ad hæc, quod vis mouens omnium consensione ad Physicum vere attinet, Mens vero in primo de partibus animalium a Physica consideratione reiicitur, id autem quod vel nō attinet, vel minus attinet ad Physicū, congruentius postremo quam medio loco explicatur, ne ordo vere attinētium ad Physicum turbetur; Ideo dixit Philoponus, consueuisse Aristotelem nonnunquam in calce Physicorum librorum ad ea eleuari, quæ super naturam sunt posita. Dixere nonnulli viri docti, id ab Aristotele fuisse factum ob connexionem, & affinitatem Sensus, & Mentis, ambæ enim hæ sunt facultates cognoscentes, adeoque similes, vt a veteribus inter se non secernerentur, quæ etiam cum re vera secernantur, ita se habent, vt in propria muneris functione sensus Menti famuletur, & per analogiam a Sensu, & sensibilibus ductam, cōparatione mq; cum Sensu, cognitio Mētis refulgeat. Hæc ratio profectò negligenda nō est, maximè enim ex notitia attinentium ad Sensum, vt constat ex initio tertii de anima, ducimur in notitiā mentis. At nō ob id vniuersa dubitatio dissoluitur, ratio etiam ea potius viæ, quam ordini congruit, ordo enim ex natura rerum pe-

Videtur Aristo. non seruasse ordinem.
Ratio 1.
Ratio 2.
Ratio 3.
Ratio 4.
Philoponus.
Sententia quorundam.
Euersio.

Propria solutio. tendus est, via autem ex nostro modo cognoscendi. Soluens itaque, dico, quattuor potissimum ob causas id ab Aristotele fuisse factum; Quarum prima ea est, *Ratio 1.* quæ ex natura petitur. Nam de Principiis primo est agendum, cum sint natura prima, & per ea cætera cognoscantur. Inter Principia autem motus, Mens quoque numeratur, vt suo loco patebit. Præterea, principium proximũ motus animalium est appetitus, hic cognitionem, tanquam vmbra corpus sequitur, quare prius de facultatibus cognoscentibus, quam de prodeuntibus ex appetitu fuit differendum. Tertio, secarunt veteres animam in cognoscentem & mouentẽ, vt refert Aristoteles, in primo de anima, 19. in secundo 150. & in 3. 40. & quia cognitio antecedit, ideo vt quid veri includeret ea diuisio constaret, primo de vniuersa facultate cognoscẽte, mox de appetente, ac mouente tenebatur Philosophus verba facere. Demũ vis sentiens, & intelligẽs vere sunt partes animæ inter se distinctę, ideo prius declarãdę: vis aũt mouens, non verè est pars animę distincta, sed est ipsamet vis appetens sola ratione a cognoscente seiuncta, adeo vt motus solum sit distinctum quoddam officium facultatum cognoscentium, per intermedium appetitum, quod innotescere nõ potuit, nisi principaliores partes primo fuissent explicatæ. Ex his constat, Arist. sequutum fuisse naturam & a recta ordinis ratione non recessisse. Nec arduum est rationib. aduersis satisfacere.

Ratio 2. *Ratio 3.* *Ratio 4.*

Diluuntur rationes aduersæ. Dicebatur primo, & secundo loco, cõmuniora, & priora origine, primo esse declaranda. Respondeo, motum animaliũ considerari posse dupliciter, vel pro parte considerando motum ex solo sensu pendentem, ac ita fateor cõmuniorem: & origine priorem esse Mente: vel pro vniuersa eius laditudine quatenus cum a sensu, tum a Mente prodire potest, qua consideratione non communior est, sed æquatur complicato ex suis principiis; eoque est origine posterior: & quia effectio dum exactè consideratur, non in parte, sed vniuerse accipi debet, & de suo primo subiecto per adæquata principia ostendi, vt constat ex primo Poste. ideo vt motus animalium est posterior suis principiis, nec potest vniuersè cognosci, nisi ex eorum pręcurrente notitia, ita posterius debuit declarari. Ratio sumpta ex facilitate, non cogit, tum quia ea non est potissima ratio ordinis, sed viæ, tum insuper, quia de cognitione distincta, quæ in scientiis quæritur, contra se habet, non enim potest distinctè cognosci vis mouens nisi pręnoscantur eius principia. Addebatur postremo, vim mouẽdi verè ad physicum attinere, non ita Mẽtem. Respondeo, non quia minus attinet, ideo aliquid posterius debet declarari, sed pro facilitate naturę ordo seruandus est; Addo insuper, Mentem vt particulam animæ, vt principium actionum Hominis, ac demum vt consideratur in tertio de Anima, ad Physicum attinere, quamuis eius essentia, vt ex materia non pendens, & absolutè, ad Metaphysicam pertineat. At alia emergit dubitatio, quia Aristoteles redundans, & superuacaneus videtur, variis enim in locis, de animalium motu verba facit. Respondeo, id iure ab eo fuisse factum: nam Motus animalium tribus modis considerari potest: Primo, vt refertur ad membra motui animalium inseruientia, ac ita de eo verba fecit in libro, de partibus motui animalium inseruientibus; Secundo, vt pendet ex facultatibus animæ, qua consideratione de eo loquitur in tertio de anima, vt distinctius pateant omnes animæ partes. Tertio considerari potest vt operatio totius Animalis, perpendendo modos quibus fit, & quæ pro eo requiruntur, ac ita Philosophus de eo loquutus est in lib. de animalium motu, qui inter parua naturalia numeratur, ex quo constat Aristotelem non redundantem esse, sed accuratissimè pertinẽtia ad rem hanc cognitu vtilissimam explicasse.

Ratio ex facilitate. *Dubitatio.*

Cap. III.

De Principiis Motus Animalium.

QVONIAM cognitio pendentium ex principiis, ex notitia Principiorum cōsurgit, ideo a principiis ordiens dico, cùm animalium motus non temerè fiat, sed in finem, per congruentia principia, media, & Instrumenta dirigatur, pro sui constitutione absoluta, quattuor eget: Fine excitante, Principio dirigente, Medio exequente, & Instrumento absoluente: quæ quatuor, si exactè rem consideramus, ad animalium motū fęlicissime conspirare inueniemus. Primo enim animalium iudicantib. facultatib. varia se extrinsecus offerunt, vel vitanda: vel amplectenda, quæ obiecta, & fines dicuntur, sine sui motu, animalia ad motum excitantia, & inuitantia, & hæc dicuntur Principia externa. At pro cōstituēdo motu, requiruntur deinde principia interna, cū principalia, tum famulantia, vt constēt Principalia considerandum est, motum adeo animę & viuentium omniū esse proprium, vt Democritus & Epicurus animā ex athomis motui aptissimis conflatam enunciauerint. Plato, & Zenocrates, Phytagoram sequuti animam definiētes, dixerint esse numerum se mouentem, Arist. in 2. de Cęlo, & 8. Phys. affirmauit, mouere se, viuentium esse proprium: nam inspicere licet, (si accurate viuentium gradus consideramus,) vnicuiq; animæ gradui propriū aliquem motū respondere, & quo animæ gradus fuerit eminentior, vitaq; fuerit præstantior, eo eminentiorē, absolutioremq; motum habere comitē, propterea motus hic animalium, de quo loquimur, qui satis est insignis, ex quo animæ gradu prodeat, considerare tenemur. Conspicuū primo est animam nutrientē non esse principium eius, tū quia non cognoscens non valet ab obiecto excitari; & cætera dirigere, tum insuper; quia cōpetit plantis, quæ tamē sunt expertes huius motus. Similiter constat: non quēlibet gradum sensuū id posse efficere, stirpanimalia. n. Sensu aliqua sunt prędita, nec ob id absoluto motu mouentur; idipsū dicendum est de Sensu communi; qui sine eo motu ex loco ad locum. Stirpanimalib. competit. & ratio est: quia motus absolutus ad absentia ducit, ideo ex ea facultate tantum pendere valet, quæ nedum in præsentibus, sed etiam in absentib. versatur, externi Sensus, & cum eis Sensus Cōmunis, solum versari valent in obiecto præsente, non itaq; huius motus valent esse principia. Quare superest, vt cæteri animæ gradus, vel omnes vel nonnulli, debeant statui principia eius. Quod vt reddatur conspicuum, ab eo ordiri debemus, quod dictū est, principio externo excitanti, tria intrinsecus pro motu constituendo debere respondere, dirigens scilicet, exequens, & famulans. Principium dirigens, vt suo munere congruenter fungatur, non debet esse cognitionis expers, ne cæcus cæcum ducat, nec debet esse aptum tantum pręsentia iudicare, sed etiam absentia, cum ad absentia ducat, & dirigat; Hæ conditiones, nec facultati nutrienti, nec sensibus externis, nec communi competunt, superest itaque Phantasia, & Mens hominis, quæ cum sint facultates aptæ iudicare nedum præsentia, sed etiam absentia, hoc munere fungi fęlicissimè valent. Et quoniam ambæ hæ facultates communi quodam Mentis nomine frequenter denotantur, ideo officium hoc ab Aristotele in tertio de anima, 48. Menti vtrisque communi tribuitur, cum dicat, videntur autem duo hæc mouentia aut appetitus, aut Mens, si quis phantasiam statuat vt Mentem quandam, &c. Cum itaque Menti, & phantasiæ conditiones principii competant intrinsecus dirigentis, iure statui debent Principium Dirigens, Mens tamen sine Phantasia mouere non valet, cum è contrario Phantasia

Motus eget quatuor.

Motus apprimè vita iuncitus.

Anima nutriens non est principiū motus secundum loca.

Principiū dirigens.

Mens & Phantasia sunt principia dirigentia.

va! t sine Mente mouere. Principio dirigenti succedit Principium exequens, & quoniam directio fit per cognitionem, ideo exequens debet esse aptum sequi cognitionem, huiusmodi est appetitus, qui perinde dicitur cognitionem sequi, ac vmbra corpus; Mens itaq; vel Phantasia Obiectum vt sibi congruens, vel aduersum iudicans, excitat appetitum ad vitandum illud, vel assequendum; Hinc appetitio, quæ est actus secundus facultatis appetentis, ab Aristot. in tertio de anima, 54. motus quidam esse dicitur; Et quoniam appetitus exequi debet mandata dirigentis, ideo recta ratione ei semper respondet, si enim cognitio dirigẽs fuerit confusa, appetitio confusa consurgit, si ea fuerit distincta, hæc quoque distincta erit, in stirpanimalibus hæc confusissima sunt, vt dicitur in tertio de anima, 56. In iumentis, & feris medio modo se habent: in Homine Prudente sunt recte formata, in imprudente, & vitioso, deprauata penitus. Requiritur tertio, & postremo loco facultas famulans, quæ est vis proximè mouens, de qua Aristoteles, in 3. de anima 55. dixit, mouens vt instrumentum ibi reperitur, vbi principium, & finis idem est, vt est cardo, & connexio ostium, quæ γιγλυμὸς ab Aristotele dicitur, in quo, & gibbum ostis, & concauum repetitur tanquam principium, & finis: requiri hoc principium ex eo patet, quia frequenter inspicimus, ac nos ipsi experimur, cognitionem dirigentem vigere, adesseq; appetitum: at quia hoc tertium deest, operari non valemus, tunc dicimur scire, & velle, at non posse, hæc sunt ea tria, quę in solo Deo coniunctissima sunt, in nobis autem frequenter inueniuntur seiuncta: hoc tertium Principium quod famulans dicitur, quãuis dignitate sit vltimum, quia tamen proximè, & conspicuè mouet, frequẽter nomine mouẽtis facultatis absolutè honestatur. Quod Arist. ex Corde, Medici ex Cerebro duci existimarũt, ac per spiritus, & neruos vnà cũ Sensu effundi in vniuersum corpus. Quæ vis postrema motrix est duplex, vel cõmunis totius corporis, vel propria distinctarum partium, ideo per ægritudines nonnunquam læditur vniuersa vis mouens, nõnunquam vero tantum propria alicuius partis.

Appetitus principium exequens.

Principiũ famulãs.

Scire, Velle, & posse raro in Homine conspirant.

CAP. IIII.

Explicatio primi principii nempe Obiecti.

QVATVOR apparuere communia quædam, & subordinata Principia motus animalium: Excitantia, Dirigentia, Exequentia, & Famulantia, quæ cum exactiorem exposcant declarationem, de singulis seorsum agẽs a primo ordiar, quod Scopus, Obiectum & Finis dicitur esse, de quo tria præsertim occurrunt consideranda: primum est, in quo genere causæ moueat. Alterum an sit immobile. Tertium, an in omni motu locum habeat, & pro omni requiratur. Quod pertinet ad primum, sententia est Auerrois 12. Metaphysicæ 36. formam balnei, hoc est Obiectum, vt est extra animam, mouere tanquam finem, in anima vero tanquam causam efficientem: quę sententia est dubia. Primo, quia sic finis non esset causa distincta, vel ab efficiente, vel a re effecta, nam in mente esset efficiens, extra mentem est res effecta, vt cõstat exemplo Domus, statuæ, & similium. Præterea, videtur aduersari Aristoteli qui in primo de Ortu, & inte. dixit, finem non mouere nisi per Metaphoram, quare in anima non videtur posse dici efficiens. Tertiò, balneum extra Animam relatum ad facultatem cognoscentẽ, non videtur posse dici finis, sed potius efficiens, cum per inter medios externos Sensus moueat Phantasiã. Prętereà, res extra animam, quę producitur, & efficitur, est aliquid vltimum, maximè pendẽs ex causis, quare non videtur posse dici causa

De Obiecto.

Obiectũ quomodo moueat. Dubitatio.

causa in genere finis, cum cōditio causę sit vt antecedat, & proprium finis est, vt minimè pendeat, sed causarum sit causa, dominans cæteris causis. Demum si obiectum in anima esset efficiens, tunc non duo, sed tria essent interna mouentia obiectum in anima, Phantasia, & appetitus, cum tamē Aristoteles duo tantum statuat. Pro responsione dico, magnam esse cōtrouersiam inter Philosophos de modo, quo finis dicatur causa; Qua de re breuiter loquens, accipio primo, obiecto duplex esse competere, vnum in anima, quod notio dicitur, alterum extra, & est natura rei. Accipio secundo, illud obiectum ad duo posse referri, ad facultatem cognoscendi, & ad eam appetendi. dum refertur ad facultatem cognoscēdi, magis propriè dicitur obiectum, & oppositum, quia ei facultati obiicitur, in eamq; agit: dum verò refertur ad facultatem appetendi, rectius dicitur scopus, & finis: nam est id quod quęritur, & in quem tendit appetitus. Addo tertiò, in efficiendo motu, hos quatuor principales gradus cōsiderari: primo cum obiectum mouet facultatem cognoscēdi: Secundò, facultas cognoscendi formata eo obiecto iudicato, tanquam illi vtili vel aduerso, excitat appetitum ad assequendū illud, vel vitandum. Tertiò, vis appetendi excitata, ad id tanquam ad finem tendit. Quartò, consurgit conspicua corporis motio. His præassumptis, vt elucidatio fit conspicua, tria enuncio: primum est, obiectum in primo, & secundo gradu dicitur mouere vt efficiens; Alterum est, obiectum, vt est in appetitu agentis, nō pro eo notionis esse, sed pro principali, quod sortiri valet extra animam, dicitur finis. Tertium est, si res extra animam non refertur ad appetitum agentis, sed cōsideratur pro esse absoluto, vt pendens ex causis, dicitur nō causa, sed res effecta. Prima conclusio satis est conspicua, nam obiectum dicitur in Sensus agere, & Sensus omnes ab eo pati dicuntur, vt latè patet ex secūdo, de anima. Similiter Mens & Phantasia dum considerantur, vt formata notione obiecti, sunt id, quod proximè dirigendo mouet: nam ea notio est ratio, per quam phantasia mouet, & ambo iuncta constituunt completū principium mouens. Hoc sæpè indicauit Aristoteles, & ob id in 12. Metaphysicæ 18. dixit, artificiosa quoque fieri a simili, quatenus fiunt ab anima, per rectam rationem rei efficiendæ, quæ est notio illius, similiter in 7. Metaphysicę 23. dixit sanitatem fieri a sanitate, & arte medendi modo aliquo esse sanitatem, vt ars ędificandi dicitur ædificium. Altera cōclusio, quę erat, obiectum vt est in appetitu agentis, non pro eo esse quod in illo habet, sed pro eo quod extra animam habere debet, dicitur esse finis. Hæc est obscurior, & maioris momenti, quæ cum con stat ex duab. partibus, pro vtraque ostenditur, includit primo, quod finis referatur ad appetitum, includit secundo, quod sit finis pro esse externo. primum ex eo colligitur: quia finis cum sit causa, debet præire rei effectæ, at solū præire valet, vt etiam est in appetitu. Confirmatur quia conditio finis est bonum, appetitus nil quærit, nisi quod videtur bonū; idem cum res in appetitu consideratur, seruat rationem boni, & propterea finis, & præsertim, quia appetitio est motio finem quærens. Quod autē debeat censeri finis, pro esse absoluto, & externo, patet ratione, & authoritate. Ratione: quia pro eo esse est finis, in quo est vltimum, optimū, & cuius gratia sunt cętera: at hoc ei competit p id quod extrinsecus habet. Confirmatur authoritate; nā Aristoteles in primo de Ortu, & int. ait, finem mouere per Metaphoram: quia fine præsente desinit res Moueri: at hoc solum est verum pro esse extra animam. Insuper in 2. Phys. cont. 30. ait, causas esse sibi inuicem causas, vt exercitium est efficiens sanitatis, sanitas est finis exercitii, at sanitas per exercitium producta, non est ea quæ in anima, sed quæ extra animam est. Ex his constat primo in.

Solutio.

Tres Theses.

Conclusio prima.

Conclusio secunda.

Conclusio dictorum. quo genere causæ obiectum moueat: constat secundo, quomodo finis ad facultatem appetentem referatur, non ad cognoscentem: constat tertio, quomodo vera, & quomodo falsa sit sententia Auerrois: nam dum ait Balneũ in anima esse causam efficientem, est verum, si refertur ad facultatem cognoscentem falsum, si ad appetentem. Similiter dum ait, rem extra animam esse finem, est verum, vt pro constitutione finis reperitur relatio ad illud esse quod constitui debet extra animam, falsum absolutè, nam absolute est res effecta. Ex his constat quomodo aduersæ rationes dilui debeant.

Cap. V.

An obiectum mouens sit immobile, & num pro omni motu sit necessarium.

Controuersia in Aristotele. De obiecto nos ad motum excitante tria dubia proposui, primum est resolutum: duo alia diluenda supersunt. Videtur Philosophus de huiusmodi Obiecto pugnãtia enunciare: nonnunquã ait id esse immobile, vt in 3. de anima 54. inquiens, mouens immobile esse bonum agibile, monens, & motum esse ipsum appetens, quam sententiam sæpe repetit. Hinc 12. Metaphysicæ 36. ait, mouet autẽ vt optabile, & intelligibile, hæc enim sola mouent non motum, loquitur Philosophus de motorib. Cęli, & ait, quod cum moueãt, vt optabile, & intelligibile non mouentur. Ex aduerso in libr. de motu animalium ait, conditionem Obiecti & finis motus esse, vt sit aptum moueri, & secus se habere; quod etiam affirmat in 3. de anima 51. inquiens: Ideo semper mouet appetibile, quod est bonum, aut apparet bonum, non omne autem, sed id quod sub actionem cadit, & potest secus se habere: id ipsum etiam colligitur ex sexto Moralium Nicoma.

Solutio. Pro solutione dico, Obiectum ac finem motus dupliciter posse considerari: primo, vt mouet: secundo, vt per motum acquiritur. Si consideratur vt mouet, sic dicitur per se immobile, per se dico, quia vt ita mouet, non mouetur, si autẽ mouetur, id est ex accidenti, vt lepus qui excitans appetitum in cane fugit. At dum consideratur vt terminus, qui per motũ attingitur, sic eius conditio est, vt secus se habere valeat. Hęc resolutio est conspicua, nam Obiectum spiritaliter mouens vim cognoscendi, appetitumque excitans, agendo non repatitur. Similiter notio in mente artificis, quę est recta quædam mouendi ratio, mouendo non mouetur, ideo Aristoteles in primo de Ortu, & inte. 53. dixit, artẽ medendi existentem in anima Medici, mouere quidem, & agere, at non pati. Ex aduerso, quod finis, & appetibile, dum cõsideratur vt terminus motus, aptus per motum ab aliquo acquiri, debeat posse secus erga illum se habere, conspicuum est: termini enim motus, varietati, & permutationi necessario sunt obnoxii, cum primo non competant; deinde competant rei mobili.

Tertia dubitatio. Erat postrema dubitatio, num hoc mouens, vt Obiectum, & appetibile in omni motu locum habeat?

Solutio. Respondeo, reperiri quidem in omni motu per se facto, non tamen eodem modo. Reperitur pro omni motu quia omne agens operatur propter finem, addo per se, vt excludam motus temerè factos, & nullius finis gratia; insuper dico, non in omni motu eodẽ modo locum habere, quia non omnis motus ex cognitione proxime pendet, vt constat de naturali motu grauium, & leuium, quæ mouentur quidem propter finem, at finis ille non est notus eis, sed dirigenti, nempe Deo, vel per eminentiam, vt censent Peripatetici, vel per propriam formam, & motum Deo consentaneum, vt rectè sentiunt Theologi, & hoc prętereundum

eundum non eſt, quod in motu grauium, & leuium non conſideratur proprie Obiectum, cum non cognoſcant, ſed finis tantum.

CAP. VI.

De ſecundo principio motus, quod cognoſcendo dirigit.

PRINCIPIVM mouens ordine ſecundum quod cognoſcendo dirigit, ſtatuebatur Mens: nomine autem Mentis, cum veram Hominis Mentem, tum Phantaſiam denotari dicebam, qua de re variæ occurrunt ambiguitates. Nam primo Ariſtoteles ſatis conſpicue ſecū pugnare videtur. In primo enim, de partibus animalium, inquit, Mentem non attinere ad Phyſicum, quia nec natura eſt, nec Principium motus, idque probat: quia motus feris quoq; & iumentis competit, quibus nōn competit Mēs, ex aduerſo in 3. de Anima 48. eam ſtatuit Principium motus. Præterea afferenda eſt ratio ob quam Philoſophus Phantaſiam, & principium motus nomine Mentis voluit honeſtare; Tertio dubitatur, quomodo Mens poſſit dici principium motus, cum Mens ſit vniuerſalinm, motus vero in ſolis particularibus locum habeat. Quarta dubitatio eſt de Phantaſia, de qua etiam Ariſtoteles ſecum pugnare videtur, nam in 2. de Anima 154. diſputās contra Platonem, ait, per Phantaſiam nos non moueri, vt dum bella, & fulgura imaginamur, niſi aliud adſit non timemus. In tertio, de Anima & in lib. de Animalium motu. Phantaſiam ſtatuit principium motus. A' prima controuerſia ordiens, aiunt nonnulli, Ariſtotelem in tertio, de Anima nomine Mentis, nō veram Mentem, ſed ſolum Phantaſiam denotaſſe, quod confirmant per verba, quæ in cont. 48. leguntur, quo loci Philoſophus ait. Videntur autem duo hæc mouentia aut appetitus, aut Mens, ſi quis Phantaſiam ponat vt Mentem, &c. At hi minus recte ſententiam Philoſophi interpretantur, non enim per ea verba Philoſophus indicat, ſe nomine Mentis ſolum Phantaſiam denotaſſe, ſed late & Phantaſiam, & propriè ſumptam Mentem, quod nedum ipſamet relata verba patefaciunt, Græciq; omnes interpretes affirmant, verum inſuper ipſe quoque Ariſtoteles per plures ſubſequentes contextus, luce clarius manifeſtat, veluti in cont. 49. dum Mentem agentem ait eſſe principium motus: Mens autem practica proculdubio à Phantaſia ſecernitur. Inſuper in cont. 50. voluntati, quę eſt appetitus Mentis, tribuit vt ſit principium motus, inquiens, cum ſecundū rationem mouemur, & per voluntatem mouemur. Præterea (vt cætera ſileam) in cont. 58. manifeſtat Mentem, & per vniuerſalem, & per particularē propoſitionem mouere, inquiens: Quoniam autem exiſtimatio, & ratio hæc quidem vniuerſalis, illa vero ipſius ſingularis eſt, illa enim dicit quod oportet tale, & tale agere, hæc autem, quod hoc eſt tale, & ego quidem talis, &c. Conſpicuè, Philoſophus illi mēti tribuit eſſe principium motus, quæ rationem illam format, at eam non format Phantaſia, ſed Mens propriè ſumpta, vt patet. Id ipſum affirmat, lucideq; explicat Philoſophus in lib. de cōmuni Animalium motu, nec ſecus ſentire valuit, cum omnium conſenſione hominis Mens in Theoricam, & Practicam diuidatur. Practica autem dicitur, quia actionum, & motus principium eſt. Propterea dicunt alij, Ariſtotelem in primo de partibus negantem Mentem eſſe Principium motus, Theoricam denotaſſe; in tertio, verò de Anima denotaſſe practicam, idem in cont. 58. dixit Mentem Theoricam non mouere, ſed manere. Quæ Sententia, etiam vera non eſt: quoniam Ariſtoteles in primo de partibus, abſolutè inficiatur Dianiā ad quam cum Theorica, tum Practica Mens pertinet.

Prima dubitatio. *Secunda dubitatio.* *Tertia dubitatio.* *Quarta dubitatio.* *Solutio primæ opinio.* *Quorundam opinio.* *Euerſio.* *Alia opinio.* *Euerſio.*

nnnn

etiam principium motus. Et confirmatur: quia ratio, qua eo loci vtitur Philosophus æquè vim habet de vtrisq;. Inquit enim Mentem non esse principium motus, quia iumenta, & feræ mouentur, quæ tamen ea carent, at iumenta vt Theorica ita practica Mente priuata sunt. Præterea quorũdam sententia est, Aristotelem in primo de partib. solum inficiari Mentẽ esse adæquatum principium motus, nõ autem quod eius absolutè principiũ sit, & id aiunt colligi ex ratione Philosophi. Quæ sententia etiam non est approbanda primo, quia id instituto Aristotelis non inseruiret, ostensurus erat Philosophus, Mentem non esse naturã, at ex eo quod non sit adæquatum principium motus, non valemus colligere illam non esse naturam, quia nec forma ignis, nec terræ sunt adæquata principia Physici mot⁹, cũ tamẽ sint naturæ, sed sunt principia motus sui mobilis, vt mẽs hominis. Præterea simili ratione possumus ostendere animã nutrientem non esse naturam, quia non est adęquatum principium motus Physici, sed tantũ partis eius, cum tamen ea ab Aristotele dicatur natura. Quare dicamus Mentem esse, & non esse principium, motus: nam est principum remotum, non proximum, & non est id principium de quo erat sermo in primo de partibus. Loquebatur ibi Philosophus de principio motus quod est natura: at natura principium motus est proximum, non remotũ: Mens autem est principium non monens nisi per mediam Phantasiam. Insuper, natura est principium motus Physici, Mens verò artificiosi. Demum natura absolutè principium est motus, Mens verò non motus, sed potius qualitatis, ordinis & figuræ eius; ac ita nulla in Aristotele est controuersia. At ex solutione pulchra oritur dubitatio, quia si mens nõ est principium motus Physici, igitur Mens, vt principiũ motus, non attinebit ad Physicum, tenetur enim Physicus id principium motus considerare, quod natura est. Pręterea ex eo quod sit principiũ remotum, non debemus inferre nõ esse principium motus, immo potius maxime esse principium, nam sententia Aristotelis est in 8. Phys. 33. priorem motorem magis mouere cæteris, & in 7. de Repu. dixit cõsultorem dirigentem maxime agere. De prima difficultate dico, Mentẽ non esse naturam, sed supra naturam, & motum eius, vt ex ea pendet, eminentiorem esse motu naturali, & cum non sit natura, non dicitur attinere ad Physicum pro suo esse absoluto, vt Mens est, sed solum vt est pars animæ, & principium operationum hominis. Et dum instatur, quia neq; vt principiũ motus deberet a Physico considerari. Respondeo, cum motus pendens ex Mente, etiam pendeat ex Phantasia, quę natura est, & comperat homini, qui est corpus Physicum, & motus ille, quem dirigit Mens, quatenus pendet ex interno principio dicatur naturalis, ideo, cum ea relatione, ad Physicum pertinere valet. Erat altera dubitatio, quia ex eo quod mens sit principium prius, & remotius, non debuisset Aristoteles colligere, non esse principium motus. Respondeo, Aristotelem debuisse id facere in libro de partib, quia tunc sermo erat de Principio motus, non absolute, sed de eo quod est natura, & ideo rectè dicit mentem, non esse id principium motus, quod in Definitione naturæ sumitur, & præsertim, quia Mens non ita primo mouet, vt sine ea nequeant animalia moueri, vt se habet de mouente primo absolutè.

Alia opinio. *Euersio.* *Sententia propria.* *Dubitatio.* *Solutio.*

Cap.

Cap. VII.

Diluuntur reliquæ difficultates.

QVATVOR difficultatum, in principio præcedentis capitis propositarum tres postremæ diluendæ supersunt, quarum prima erat, cur Phantasia quæ est forma Materiata, nomine Mentis frequenter honestetur, vt constat ex secundo de anima 155. & ex 3. 48. Respondeo, ob quinq; causas præsertim id fuisse factum, prima sumitur ex Analogia: nam in pueris, feris, & amentibus, congruēte quadam rationis similitudine Phantasia Menti respondet, eiusq; officio fungitur, quatenus in eis perinde est operationum dux, ac in agente per rationem fit vera Mens. Hæc ratio elicitur ex Aristotele in 2. de anima 162. dicente, animalia per Phantasiam multa efficere, vel quia carent Mente, vel quia si ea sunt prædita, vt pueri, carent eius vsu. Altera ratio sumitur ex præstantia operum prodeūtium ex Phantasia, nam animalia per Phantasiam frequenter ea efficiunt, quæ mente, & ratione facta videtur, vt exemplo Hirundinum, apum, aranearum, & Formicarū manifestat Aristoteles in 2. Phys. 80, ob quæ opera Plutarchus, Porphyrius, Phytagoras, & alii viri docti, ea animalia ratione prędita existimarunt. Tertia ratio ex eo sumitur, quia Phantasia Hominis est nata Humana ratione formari, & ob id in 3. de anima 56. dicitur rationalis. Similiter ea vna cum appetitu est apta rationem sequi, eique subiici, vt constat ex calce primi Moralium Nicomach. quod etiam in parte con petit Phantasiæ eorum iumentorum, quæ Humanæ disciplinæ subiiciuntur. Quarta ratio est, quia Phantasia seruat imaginem, & præsefert vmbram quandam rationis, cum comparare, subnotiones addere, & ex vno aliud elicere, videatur, vt in lib. de internis Sensibus manifestaui. Quinta, & postrema ratio ex veteribus depromitur, veteres enim vel Mentem a Phantasia non secreuere, vt constat ex secundo, de anima, vel Mentē cunctis animalibus competere existimarunt, vt dicitur de Anaxagora in primo, de Anima, 24. Licet autem nonnunquam vti communibus vocibus, vna cum aliis, dummodo Sententia lucidè manifestetur. Missam facio rationem a Philopono in tertio de anima in exposit. 48. cont. traditam, quæ est, quod Phātasia dicatur Mens, quia perinde ac Mens intus habeat id, circa quod versatur, & ad libitum per eam operamur, & cū Phantasia omnis nomine mentis honestari valeat, prętertim tamen Phantasia hominis, vt præstantior, Menti proximior, eiusq; magis capax, eo nomine est digna. Ex quo constat, in qua significatione nos cū veteribus tueri valeamus iumenta, & feras esse mente prędítas. Dubitatio ordine tertia, erat: quia Mens non videtur posse dici principium motus, cum non cognoscat Singularia: Respōdeo, alienissimum a vero esse, quod ea nō cognoscat, vt latissimè suo loco patefeci: nam cum mens sola valeat Singularia cū Vniuersalibus comparare, & ea sola rationem formet, ex vniuersali, & singulari conflatam, vt constat ex tertio, de anima, 58. cogimur fateri, eam cognoscere Singularia, quod ex eo quoque elicitur: quia Reminiscentia nobis competit per Memoriam, & rationem, vt constat ex lib. de Memoria, & reminiscentia, & quia reminiscentia est etiam Singularium, necesse est fateri, etiam rationem, & mentem esse Singularium. Quod confirmatur: Nam cum Mens instruat Phantasiā, & Phantasia in solis Singularib. versetur: est necesse, vt Mens quoq; instruens ea cognoscat, alioquin perinde se de illis haberet, ac si Scytha Græcum institueret, quorum vnus non perciperet quid diceret alter. Erat postrema dubitatio, quia

Cur Phātasia nuncupetur Mens. *Ratio 1.* *Ratio 2.* *Ratio 3.* *Ratio 4.* *Ratio 5.* *Philopon.* *An intellectus sit principiū motus.*

An Phantasia sit principiũ motus. Phantasia quoque non videbatur posse dici principiũ motus. Respondeo, phantansiam esse duplicem, vnam inanem: & ad libitum, quam Phantasticam nuncupabat Plato, cui assensio iuncta nõ est. Alteram ex obiecto aliquo externo prodeuntem cum sub notione, & assensione, dum imaginamur re vera ita se habere, & hęc est principium motus, & multarum operationum, vt in calce secundi de anima, & in tertio, ait Philosophus. *Dubitatio.* At alia ex hoc emergit dubitatio, quoniam vermes, animalia ostreacea, & vt dicitur in 2. de anima, t 56. Formicæ, & apes carent Phantasia, cum tamen moueantur. *Solutio.* Soluitur dubitatio ab Aristotele in tertio de anima, 56. dicente, in huiusmodi animalib. eodem modo, & motũ, & Phantasiam reperiri, ambo enim in eis inueniuntur confusa, & inchoata, non autem perfecta, & distincta, qua de re cumulate in libro de Sensibus internis verba feci.

Cap. VIII.

De principio Motus ordine tertio, nempe de Appetitu.

VIs appetendi, quæ tertio loco Principiũ motus statuebatur, adeo cũ motu est complicata, vt appetitio eius in 3. de anima, 54. motus quidam esse dicatur, ac ea absolute nonnunquam dicatur animalia mouere. Sic dicimus; Trahit sua quemque voluptas, & animalia appetitu vario ad varia moueri. At non tam *Dubitatio prima attinens ad appetitum.* apertè principium motus est, vt de eo quoque non variæ se nobis offerant ambiguitates. Nam primò, cum vis appetendi sit multiplex, dubitare aliquis posset, cui nam id officium competat, & num vni soli, vel omni. Secundo, nulla motio recte statuitur principium motus, ne vel idem sit principium sui, vel detur *Dub. 2.* motus ad motum, quod reiicitur in 5. Physi. at appetitio est quidam motus 3. de *Dub. 3.* anima, 54. Tertiò, non apparet appetitum posse dici principium motus per se, quia non est quid necessarium pro motu, possunt enim etiam præter appetitum animalia moueri, & aliquid facere, veluti equi nonnunquam præter appetitum currunt calcaribus impulsi, famuli præter appetitum in varia loca iussu domini *Dub. 4.* tendunt, & febre correpti sine appetitu comedunt. Quarta dubitatio est, cum appetitio dicatur principium motus sponte facti, & ea sit motus quidam, qualis motus censeri debeat, num Physicus, vel potius vltrò, & voluntate factus? non videtur posse dici Physicus quia prodit ex cognitione & est principium motus, non Physici, sed sponte nostra facti; Nec etiam videtur vltrò factus, quia tunc in nostra facultate esset appetere aliquid, & non appetere, quod verum non est: non enim esuriens, & sitiens potest ad libitum, vel non esurire, vel *Dub. 5.* non sitire, vel aliud simile sibi vtile non appetere. Quinto loco ambigere valemus, *Dub. 6.* cum Phantasia, & appetitus sint principia motus, Phantasia quo pacto ad appetitum se habet, num sit facultas eadem, vel distincta? Demum dubitatur, si *Solutio prima.* appetitus est principium motus, num sit facultas cognoscens, vel cæca penitus & cognitionis expers? Ordiens a Prima difficultate, dico, cum appetitio cognitionem sequens sit quadruplex, Voluntas, Prælectio, Appetitus irascendi, & Cupiditas, quilibet eorum, modo tamen vario, potest esse principium motus, & illi quatuor appetitus in producendo motu, nonnunquam omnes vna conspirant, nonnunquã verò inuicem pugnant, adeo vt motus pendeat ex præpotente, veluti in viro per virtutem operante, omnes pro actione proba conspirant, in vitioso, conspirant omnes pro actione improba, in continente, & in incõtinente appetitiones Sensuum cum illis rationis pugnant. Et cum ex omni appetitu prodire

prodire possit motus, non tamen proximè, ex quo vis pendet, sed tantum ex appetitionib. Sensus: vt enim Mens non mouet proximè, sed phantasia, ita appetitiones ad mentem pertinentes proximè non mouent, sed per medias appetitiones Sensuum, quæ cum instrumentis corporeis sunt complicatæ. Et si quis ambigat de viro continente, qui pugnante appetitu sensuum operatur: Dicendum, quod vel operatur per appetitum irascendi, qui pro ratione aduersus cupiditatē pugnat, vt ait Plato, vel operatur proximè per appetitum Sensuum victum, & coactum, non secus ac equus coactus ab equite nonnunquam currit, & saltat. Erat secunda dubitatio, si appetitus est motus, quomodo est principium motus? Respōdeo, appetitum dupliciter vsurpari, vel pro actu primo, nempe pro facultate appetente, vel pro actu secundo, qui est appetitio, & operatio. Pro actu primo, non est motus, sed facultas animæ, quæ per cognitionē excitata appetit, & mouet; pro actu autē secundo, loquendo de appetitione Sensuum, est cōmotio quędam spirituum, quę deinde principium est subsequentium motuum, nec propterea motus vnus est per se terminus alterius, quod reiicitur in sexto Physicorum. Sed tantum motus vnus excitat alterū quod frequenter contingit. At loquendo de appetitione Mentis, ea non similiter est motio, non enim proxime cum spiritibus est complicata, sed tantum potest dici motio, quia est quædā spiritalis propensio, & excitatio ad finem, vel medium aliquod pro fine conducēs. Dubitabatur tertio, quia non semper motus animalium est cum appetitu. Respondeo, motum animalium vltrò factum semper ex dominante appetitu ortum ducere, nam accidit ob pugnam variarum appetitionū, vt animalia, & præsertim Homo, aliquando moueantur appetitu vno, pugnante altero. Insuper, quod moueantur appetitu Mentis, contra appetitum Sensuum qui cum sit cōmunior, nobisq; familiarior, absolute nomine appetitus nonnunquam denotatur. Demum quod moueantur contra appetitum eis absolutè competentem, ac per appetitum eis competentem ob conditionem aliquam, vt accidit naturę dū imminente periculo naufragii, varias, & sibi gratas merces in mare proiicit, similiter se habet de virò ægrotante, dum appetens sanitatem, medicamenta, & cibos recipit gustatui aduersos. Et pro exactiore notitia considerandū, inter appetitiones posse versari pugnas varias quæ in sex prima capita rediguntur: primo enim, pugnare potest cupiditas cum cupiditate variarum rerum. Secundo, appetitus irascēdi secum, ob varia illū excitantia. Tertiò, versari potest pugna inter appetitiones rationis ad inuicem, ob rationes aduersas suadentes, & dissuadentes. Quartò, inter cupiditatem & appetitum irascendi, vt dum Lupus cupit agnum, timet Pastorem. Quintò, inter appetitum rationis, & cupiditatem, vt in viro cōtinente. Sextò, inter appetitum rationis, & appetitum irascendi. Quotiescunque pugna aliqua inter appetitiones vertitur, appetitus, qui est potentior, alterum superans, euadit principium motus, vt inquit Aristoteles in 3. de anima, 57. & in homine secundum naturam constituto, facultas superior dominatur nēpe ratio; eaq; mouet: in constituto autem præter naturam, contra, in eo enim terra dominatur Cœlo, & qui per naturam est seruus, nempe Sensus, dominatur domino, hoc est, Rationi & Menti.

Dubitatio. *Solutio.* *Solutio secunda.* *Solutio tertia.* *Pugna appetitionis.*

CAP. IX.

An Appetitio sit Motio per naturam.

INTER difficultates ad appetitum pertinentes, quarto loco ea proponebatur, quæ erat, cum appetitio sit quædam motio, num debeat censeri motio

Qua motio sit appetitus. sponte nostra nobis competens, vel potius motio per naturam? Dicamus, appetitum posse dici per naturam dupliciter: primò, vt distinguitur a connexo cum cognitione, sic appetitus Materiæ Elementorum, & Plantarum, dicitur per naturam, animalium verò per cognitionem. Vel accipitur per naturã latius, vt contradistinguitur ab eo, qui sponte nostra nobis cõpetit, vt modo præsertim vsurpatur, dum loquimur de motu animaliũ, in qua significatione ea voce vtentes, dicendum est, appetitum animalium, vel magis attinere ad corpus, vt fames & sitis, vel magis ad animam, vt animi perturbationes, appetitionesq; scientiæ, & virtutum; de primis loquendo, dicendum est, appetitiones ad corpus magis attinentes posse nobis competere, & per naturam, & sponte nostra, & præter naturam: per naturam, vt fames, & sitis, quæ consurgunt ex propria actione naturalis caloris consumentis humores; nostra verò sponte, dum nos causam afferimus, vt dum nuces, & salsamenta comedimus, pro excitanda siti; ideo Aristoteles in secundo Moralium Nicomachior. dicebat nonnullos sponte ægrotare, dum sibi causam ægrotandi adhibent. Præter naturam demum, dum ortum ducit ex affectione prętet naturam, vt dum fœminæ vtero gerentes cinerem, & calcem appetunt, & comedunt. Similiter appetitiones ad animum magis pertinentes, possunt competere nobis tribus illis modis: per naturam primò, vel totius speciei secundum naturam affectæ, vt omnes Homines natura scire desiderant; Vel variorum indiuiduorum, dum ex proprio eorum temperamento appetitio aliqua consurgit. Secundò, potest nobis competere spontè, dum pendet ex nostra assensione, veluti primi motus nobis per naturam competunt, dũ anteuertunt assensionem nostram, secundi verò motus, quia assensionem nostram sequuntur, nostra sponte dicuntur nobis competere. Tertiò dicuntur nobis competere præter naturam, vt dum prodeunt ex aliqua affectione aduersa *Conclusio.* naturæ, qualis est appetitio interficiendi parentes, prodendi patriam, & alia similis. Ex his constat motionem illam, quæ appetitio dicitur, posse esse naturalem, vt pendet ex naturæ principiis sine nostra assensione: posse dici pręter naturam, vt prodit ex affectionibus naturæ aduersis: posse dici sponte nostra factam, vt sequitur assensionem nostram: & demum posse iudicari mediam, qualis est fames, quæ media dici potest, quatenus non est per naturam infra animã *Instãtia.* collocatam, & sine cognitione: nec ita nostra sponte nobis competit, vt ad libitum valeamus sitire, & non sitire. Sed instabatur: si hæc motio nonnunquam non est in nostra facultate, quomodo statui potest principium motus sponte nostra facti? Respondeo, si motus solum consurgit ex appetitione per naturam orta, nequaquam dicitur nostra sponte factus, sed per naturam, vt motus spirituum, & sanguinis in erubescẽte, & timente: at eatenus dicitur principium motus sponte nostra facti, quatenus pro eo cõspirat assensio nostra; nam primi motus non cogunt nos, sed valeamus eis obsistere, & ob id secundi motus ex nostra assensione pendentes, iudicari debent proxima principia motus sponte facti.

CAP. X.

Quomodo Phantasia ad Appetitum se habeat.

Quō facultas appetens se habeat DVBITABATVR quinto loco in præcedentibus, quomodo ad Phantasiam, & vniuersè facultas cognoscens ad appetentem se haberet, num inquam sint distinctæ, vel ne. Nam ex vna parte videntur distinctæ, quia opera, & Obiecta distincta sunt; Obiectum appetitus est Bonum; Obiectum facultatis cogno-

cognoſcentis, Verum, actio vnius eſt iudicare, alterius appetere, quæ manifeſtè diſtinguuntur inter ſe, & vna ſeruari poteſt ſine altera, frequenter enim iudicamus, & non appetimus. Confirmatur: quia niſi inter ſe diſtinguerentur, non deberent cenſeri duo diſtincta principia motus. Ideo Ariſtoteles in tertio de Anima, quadrageſimoſecundo, inquit: Datur vis appetens, quæ & ratione, & poteſtate alia videtur eſſe à cæteris. Ex aduerſo non videntur diſtingui. Primò, quia earum facultatum non ſunt loca, & inſtrumenta diſtincta. Inſuper, quia Ariſtoteles per ſecundam Animæ Definitionem, numerans facultates Animæ, de appetitu tanquam de facultate diſtincta mentionem non facit, tantum ait Animã eſſe principium nutriendi, ſentiendi, loco mouendi, & intelligendi. Et in tertio de Anima, vigeſimonono, ait: & non eſt aliud vis appetendi, & fugiendi, nec inter ſe, nec à Senſitiuo, ſed eſſe aliud eſt, &c. Ideò, in contextu quadrageſimoſecundo, Platonem carpit, vt carpi etiam debet Galenus, quia facultatem appetēdi ſecernebat loco, ab ea iudicandi: hi namq; vim iudicandi tribuebãt Cerebro, vim appetendi, Hepati, & Cordi, ideo inquit Ariſtoteles, facultatē cognoſcendi non debere loco diſtingui ab ea appetendi. Dubitationi itaq; cum Ariſtotele reſpondens, dico: Vim appetendi non fundamento, non loco, non Obiecto abſolutè diſtincto, nec penitus inſtrumento, ſed ſola ratione à cognoſcēte diſtingui; & hoc recta ratione, eminentiq; Dei prouidentia factum eſſe cenſendum eſt, vt ex cognitione ſibi apprimè iuncta, appetitus conſurgeret citius, & vehemētior, cum. n. appetitio prodeat ex cognitione, ſi facultates loco, & fundamento eſſent diſtinctæ nimium conciſè, tardè, & debiliter, appetitio cognitionē ſequeretur. Cenſeri itaq; debet appetitio tanquam vlterior actio, & officium eiuſdem facultatis. At dices, etiam cæteræ facultates Animæ Sentientis inter ſe ſola ratione diſtinguuntur, non fundamento, & pro abſoluto, cū vna ſit eſſentia Animæ, à qua potentiæ pro abſoluto ſumptæ non diſtinguuntur. Reſpondeo, de cæteris ſecus ſe habere, nam cæteræ non verſantur in eodem Obiecto, cum eodem gradu abſtractionis, nec operatio vnius prodit ex ea alterius, & maxime inſtrumēto proprio, & proximo ſunt ſeiunctæ. Rationes quibus oſtēdebatur debere diſtingui, nil aliud oſtendunt, niſi quod diſtinguantur ratione, vt dixi. Dicebatur diſtingui Obiecto, & muneris functione. Reſpondeo, diſtingui Obiecto ratione tantū, non abſolutè, & appetitio ex cognitione conſurgit tanquam officium ſequens, ex priore prodiens; Nec eſt abſurdū, quod eiuſdem facultatis operatio prior ſeruetur ſine poſteriore, vt prima operatio Mentis ſine ſecunda, & hæc ſine tertia. Addebatur demum, quod niſi diſtinguerentur, non deberent ſtatui duo principia motus. Reſpondeo, ea eſſe principia duo, ſola ratione diſtincta, & ſubordinata, quæ ob id ab Ariſtotele in tertio de Anima, quinquageſimo, rediguntur in vnum, nempe in appetitū, inquit enim, & Phantaſia cum mouet, non mouet ſine appetitu, vnum igitur erit mouens vis appetens: ſi enim duo, Mens, & appetitus mouerent ſecundum communem aliquam ſpeciem mouentem, &c. Sic itaque motus ſponte noſtra factus, appetitum habet pro principio proprio, qui eſt cum cognitione iunctus & conſenſione. At quæres, num vis appetens ſit prædita inſtrumento diſtincto ab eo facultatis cognoſcētis? Reſpondeo, appetitum Mentis non egere inſtrumento. Appetitum iraſcendi, & concupiſcendi ex Sententia Platonis præditos eſſe inſtrumentis diſtinctis cum Phantaſia, & vis cognoſcēdi ex eius, & Galeni opinione ſit in Capite, appetitus iraſcēdi in Corde, concupiſcendi verò in Hepate. Quæ Sententia non videtur approbanda, cum appetitio prodeat ex iudicio, ac illud ſequatur vt ducem: hinc Plato vt ea ſeruaret, quæ

Ad noſcē-dem. *Solutio.* *Dubitatio.* *Solutio.* *De inſtrumēto facultatis appetentis.* *Opinio Platonis & Galeni.*

experientiæ sunt consentanea, fuit coactus dicere, ad Hepar varias rerum deferri imagines, in eoq; percipi, quod rationi satis apertè videtur aduersum. *Euersio.* Cum itaq; apparuerit has facultates sola ratione distingui, putãdum est, earum instrumenta magna ex parte esse eadem, & parum inter se differre, nam pro origine, natura, & communi instrumento eadem sunt, quatenus eodem spiritu, quo iudicamus, etiam irascimur, timemus, & consimilibus motibus commouemur: ac inde oritur, quod hæ appetitionum commotiones iudicium turbant, quod non accideret, nisi eodem instrumento perficerentur. *Sententia propria.* Sunt deinde distincta duplici modo, primò, quia pro iudicio egemus præter spiritum, parte aliqua corporis firmiore, & solidiore, veluti panniculo referto venulis, & exiguis quibusdam arteriis, in quo rei Sensilis actio firmior, & magis conspicua refulgeat, quo pro officio appetitionis non egemus: cum enim sit motio, solum exposcit aliquid facile mobile. Secundo differunt, quia pro appetitione egemus maiori copia spirituum, secusque affecta quam pro iudicio, ac ita ira est feruor sanguinis, & spirituum circa præcordia, non autem iudicium iniuriæ.

Cap. XI.

An vis appetendi cognoscat.

Num appetitus cognoscat. Difficultatum ad appetitum attinentium postrema erat, num appetitus cognoscat, vel potius sit cæcus, & cognitionis expers? Pro notitia considerandum, quod non est dubitatio, an facultas fundamento eadem, ratione distincta, cognoscat, & appetat, iam enim patuit facultatem iudicantem sola ratione ab appetente distingui, sed dubitatio est, an præter iudicium cognoscentis in ipsomet appetitionis actu, includatur cognitio. *Opinio quorundam.* Non desunt viri docti, qui id necessarium affirmant, quod ostendunt, tum, quia si appetitio esset cognitionis expers, non posset disciplina corrigi, non posset emendari ratione, nec diceretur rationalis per participationem, quæ tamen omnia ei competunt ex Sententia Aristotelis in calce primi Nicomach. & alibi; tum insuper, quia si cognitio, & appetitio essent actus distincti, posset petitio seruari sine cognitione, ac ita animal animario appetitu id posset appetere, quod non cognosceret, quod apprime est absurdum. Et demum id, quod maioris momenti est, nisi voluntas contradistincta a Mente cognosceret, non esset libera, non posset imperare Menti vt specularetur, nec facultatib. aliis, non. n. hæc sine cognitione seruari possunt; insuper, non posset frui suo fine, & ob id gaudio perfundi, non .n. gaudium sine cognitione seruatur. Iure optimo itaq; dicendum videtur, in actu appetitionis cognitionem includi, distinctã ab ea, ex qua prodit. *Euersio.* At qui sunt huius operationis (ni fallor,) longè distant a vero, cum appetitio, & cognitio distinguantur ratione, id quod est in ratione vnius, vt contradistincti ab altero, nõ potest in altero includi: at vis iudicans, & appetens, vt tales, distinguuntur ratione, quare nec in actu cognitionis appetitio, nec in eo appetitionis cognitio includi põtest. Præterea quod sequitur aliud, non includit illud, alioquin sequeretur seipsum, appetitio sequitur cognitionem, non itaq; cognitionem includit. Insuper ea, quæ sunt, non debent sine necessitate multiplicari, at putare dari cognitiones duas eiusdẽ facultatis sola ratione distinctæ, eiusdemq; obiecti, penitus est superuacaneum. Præterea actus qui est quidam motus, non est iudicium, appetitio est actus, qui est quidam motus, 3. de anima, § 4. quare non est iudicium. Demum, feruor sanguinis circa præcordia, nõ est cognitio, ita est appetitus, qui est feruor sanguinis circa

circa præcordia, quare non est cognitio. Colligamus itaq;, quod cum vis appetens, & cognoscens ratione distinguantur, vt cognoscens, quatenus cognoscens non appetit, ita neq; appetens, vt appetens cognoscit. Nec difficile est aduersis rationib. respondere: nam vnicuiq; facultati proprium officium tribuere debemus, & id quod conditioni eius est consentaneũ, appetitus quamuis ratione propria non cognoscat, tamen ob iudicium, ex quo consurgit, est oculatissimus, vt eius conditioni cõgruit, veluti ambulans, non ob id dicitur cæcus, quia eius pedes non vident, sat est vt visus ei parti competat, cui competere debet. Similiter appetitus ob facultatem cognoscentẽ sola ratione distinctam, potest corrigi, rationi subiici, disciplinaq; dirigi, veluti etiam pedes disciplinæ, & directioni subiiciuntur. Addebatur, quod nisi in actu appetitus includeretur cognitio, posset seruari appetitus sine cognitione: Hæc ratio leuis est, quia appetitus sequitur cognitionem, vt vmbram Corpus, & quemadmodum vmbra pendet secundũ esse, & conseruationem, ita appetitus, & propterea dempto priore, demitur sequens, vt dempto Corpore, demitur vmbra. Addebatur postremò, quod nisi voluntas cognosceret, nec libera esset, nec imperaret Menti, nec frui diceretur obiecto. Hæc & huiusmodi, nil aliud ostẽdunt, nisi voluntatem necessario, iunctam habere cognitionem, sine qua nil eorum ei competeret, & per quam ei cõpetunt illa omnia. *Conclusio.* *Diluuntur rationes aduersæ.*

Cap. XII.

De quarto principio motus ad instrumentum pertinente.

VT animalia sponte moueantur, præter obiectum, iudicium, & appetitionẽ, quarto loco necessariam dixi facultatem quandam organicam, quæ proxime moueat membra, de qua Arist. in cont. 54. tertii de anima dixit; quo vero vt organo vis appetendi moueat iam corporeum est, de quo in communib. animę, & corporis operib. considerandum est. Nunc autem vt compendio id proferã, mouens quo, & tanquã instrumentum, ibi est, vbi principiũ, & finis idem, qualis est cardo, siue connexio ossiũ &c. De hoc itaq; postremo principio, sequitur agendum, de quo tria præsertim considerãda occurrunt, primo quidnam illud sit. Secundo, quomodo in eodem principii genere quatuor vnius motus statuũtur principia, vnius. n. in vno genere, vnicum principium esse dicitur. Denum, si principia mouentia sunt quatuor, quodnam illorum debet iudicari principale? A primo ordiens, Aristoteles hoc postremum principium apprimè humile statuit, nec illud principii nomine appellat, sed instrumenti, quo principium mouens mouet. Ex aduerso veteres Philosophi, animam in cognoscentem & mouentem secantes, id plurimi fecisse visi sunt. Similiter Medici id principium numerãt pro facultate principali, ab appetitu distincta, cum appetitum in Corde, & Hepate, facultatem verò mouendi in Cerebro iudicent collocatam, eamque a Cerebro, vna cum Sensu per spiritus, & neruos dicant effundi in vniuersum corpus. At profectò minus rectè sentiũt: nam primò, instrumentum accipiunt pro principio principali. Secundò: sedẽ virtutis mouentis distinctam statuunt ab ea appetentis, quod fieri non debet, cum appetitus ille sit qui mouet. Tertiò, sedem virtutis mouentis statuunt Cerebrum, ineptum prorsus ad mouendum, impotens, calorisque expers, nõ Cor quod continenter mouetur, quod est potens, & calidum. Demum, principia, & facultates Animæ sine vlla necessitate multiplicant. Quare dicamus, hoc quartum principium, non pro- *Facultas Organica.* *Tria cõsideranda.* *Aristoteles.* *Veteres.* *Euersio.*

Sententia Verior. prie esse principium, sed instrumentum, & id, quo fit motus, quod nil est aliud nisi congruens constitutio instrumentorum motus, quę dum per vim nutriendi incolumia à deprauatione seruantur, recteque per naturam fuerint affecta Phantasiæ, & appetitus mandata congruenter exequuntur, nec alia animę vis præter relatas pro efficiendo motu constitui debet; & dum Aristoteles in secundo de anima Definiens animam, dixit esse principium nutriendi, sentiendi, loco mouendi, & intelligendi, per principium motus, appetitum denotauit, quod patet ex tertio de anima, vbi principium motus appetitum esse dixit, ideo in Definitione animæ numerans vim mouendi, appetitum pro distincta facultate non numerat; quod si in contextu vigesimoseptimo secundi de anima, referens animæ facultates, & appetitum, & vim mouendi retulit, id fecit, quia præter appetitum, requiritur vis quædam instrumentaria, & etiam ob communem loquendi modum veterum Philosophorum: at principalia principia esse censuit Phantasiam, & appetitum, ideò in secundo de anima, cont. 20. dixit: vbi motus, ibi Sensum, & appetitum reperiri, quia hæc sunt principia illius. Sed hoc superest explicandum, quodnam sit id, quod ab Aristotele instrumentum motus nuncupatur. *De instrumento Motus.* Aristoteles in cont. 55. ei varia tribuit, primò, vt sit corporeum, secundò, quod finis eius cum principio connectatur, tertio, quod in constituendo motu, vnum quiescat, alterum moueatur, quartò, quod perinde se habeat, ac γιγγλυμὸς siue cardo. At quid est hoc, cui hæ conditiones competunt? *Simplicius.* Simplicius dixit esse animam formantem, quam nuncupauit vitam animalis, considerauit enim more Academicorum primò animam vtentem, secundò formantem, tertio corpus formatum: anima formans, quę est vestigium quoddam vtentis, cum mediet inter vtentem, & corpus, est principium vnius, finis alterius, & ob connexionem cum corpore est corporea. *Euersio.* Hoc longissimè a vero abest: nam Aristoteles explicationem reiicit, in librum de motu animalium, in quo nequaquam id retulit ad animam formantem, ab vtente distinctam, imò ea diuisio animæ Peripatetica non est, sed Platonica, eadem enim facultas format instrumentum, & eo vtitur (ex Sententia Aristotelis) ideo dicitur principium in triplici genere, nempe formæ, finis, & efficientis: nec ei proprie competunt conditiones, quas instrumento motus tribuit Aristoteles. *Philoponus.* Philoponus ait, id instrumentum esse spiritum, quem ait similem γιγγλυμῳ, quæ Sententia etiam non est vera, nam spiritus est instrumentum commune, & consimile, non ita, vt pars vna moueat, altera moueatur, hoc enim corpori continuo, hoc est consimili, non competit. *Euersio. Auerroes. Euersio.* Auerroes hæc refert ad Cor, qui etiam non rectè sentit, nam Cor est cōmunis, & prima sedes, non instrumentum proprium motus, insuper in Corde motus fit per naturam, non sponte. *Sententia Verior.* Quare dicamus cum Aristotele in 2. de partibus animalium, cap. 1. passionem fieri per similia, actionem vero per corpora dissimilia, quæ instrumenta dicuntur, veluti oculus totus, non pars vna eius, dicitur instrumentum videndi, instrumentum itaq; proximum, & totum motus, vltro facti, est, quod consurgit ex cunctis proxime constituentibus motum, quorum conspiratio in cōnexione ossium reperitur, & pro distinctiore explicatione cōsiderandum, quod neruus, & ligamentum, dum attingunt principium musculi carnei, in varias, & exiguas partes diuiduntur, *Nerui.* Neruus diuiditur in exiguos villos per substātiam carnis progredientes: *Ligamentum.* Ligamentum similiter extenditur, & pāniculum constituit, quo tegitur musculus, in fine autem musculi, iterū in vnum redeunt, & ligamentū vna cum neruo constituit cordam neruo maiorem, adeo vt *Corda.* musculus constet ex carne, neruo, ligamento, & corda, corda verò ex ligamēto, & neruo,

& neruo, alligatur deinde musculus ossi per cordam, connectitur autem cũ osse præsertim per ligamentum, per neruum vero dat motum munere spirituũ manantium ex corde, & se habentium ad totum hoc instrumẽtum, perinde ac formam quandam, nec ob id putandum, musculos omnes in cordam desinere, nam musculis frontis, ani, colli, vesicæ, & similibus, hoc non competit, hi enim solum contractione, & extensione more vermium mouentur, sed id intelligi debet de musculis, qui os trahendo, motum constituunt, hoc itaque constitutum ex connexione ossium, vnà cum musculo, & corda, congruẽtibus spiritibus præditum, debet censeri integrum instrumentum motus animalium, de quo Aristoteles in cont. 55. verba fecit: dico motus totius, nam vt dixi, musculi nonnulli sine cõnexione per cordam cum ossibus, motum aliquem constituunt. At dubitabatur secundo quomodo motus animalium tot possint esse principia? Respondeo, ea esse principia, non æquè proxima, sed ordine prædita, qui ordo in omni causæ genere locum habet, vt dicitur in secundo Physicorum, 32. Sed ex solutione hac oritur tertia dubitatio, & est, facta comparatione inter ea quatuor subordinata principia, quod nam eorum principalius, & absolutè principium primum iudicari debet? Respondeo, aliud est principium esse absolutè primũ, & principalius. Aliud esse alicuius rei proprium, si inquirimus principale & prius absolutè, dicimus primum esse Obiectum, secundum Phantasiam, &c. At si inquirimus principium illud primum quod etiam est proprium, & est id, per quod primo motus hoc habet, vt nostra sponte fiat, dicendum, id esse appetitum. Hoc affirmauit Aristoteles in contextu 50. & iure; nam motus non ob aliud dicitur nostra sponte factus, nisi quia fit per appetitum, ideo dixit etiam Simplicius: Facultas, nõ quia cognoscit, ideo mouet, sed quia appetit cognitio dicitur necessaria, quia nisi cognosceret nõ appeteret: at ratio prima ob quam mouet, est appetitus, & hæc est ea causa prima, & summa, quæ præsertim quæritur, vt dicitur in secundo Physicorum, 38. subintelligẽdo semper id, quod iam dixi, appetitum debere esse assensione approbatum, vt motus nostra sponte dicatur fieri. At quæritur: vbinam in Homine positum sit principium motus. Qua de re cum varia dici possint, septem breuissimè profetam: primo, principium motus collocatũ esse in medio, quia Cor in medio munitissimum reperitur, sic Aristoteles in libro de Iuuent. & senect. principium accretionis dixit in medio locatum. Secundo principium est in parte dextra, nempe principium a quo, vt dicitur in secundo de cęlo. Tertio, Principium in parte leua, quia cor cuspidẽ ad eam vergit. Quartò est in parte superiori, quia cor, est supra vmbilicum, & in capite fulget officium dirigẽtis. Quintò est in parte deorsum, ob instrumenta: quæ maxime mouentur nimirũ pedes. Sextò, est posterius, ratione impulsionis, est anterius, ratione attractionis, magis propriè tamen in medio dicitur positum, & sursum.

Quomodo unius motus tot principia.

Principalius principium motus.

Simplicius.

Sedes principii motus.

Cap. XIII.

Definitio facultatis mouentis

QVONIAM ex notitia principiorum rei, elicitur eius Definitio, ideo cum hactenus principia facultatis mouentis sint explicata, eius Definitionem elicere valemus, quam censeo esse hanc. Principium motus animaliũ est Facultas animæ appetens, excitata ab Obiecto per phantasiam iudicato, vt sibi conducente, vel aduerso, instrumẽtis vtens, motui sponte facta accommodatis, pro finis adeptione. Per hanc Definitionem præsertim explicatur principium ordine

Definitio principii Motus.

tertium, quod declaratum est esse primum, & proprium, idque ita explicatur, vt vna constet, quomodo cætera ria ad motum conspirent; Non me latet facultatem hanc mouendi ab Auicenna, & ab aliis secus fuisse definitã. Ego Definitionem dedi, quam puto principiis, & sententiæ Arist. accomodatiorem. At duæ emergunt ambiguitates, prima est: quia instrumenta nõ sumuntur in definitione principalis principii. Altera, est, quia si vis mouens nõ est pars animæ, distincta a phantasia, appetitu, & Mente, cur Arist. in 3. de anima post conr. 40. tanquã de facultate distincta, seorsum de illa proposuit agẽdum: si est aliqua enumeratarum, iam de illis egerat: si vero solum distincta est earum muneris functio, nõ ad libros de anima, sed potius ad parua naturalia pertineret. De prima difficultate dico, hanc non esse Definitionem omnibus numeris absolutam, sed esse circumscriptionem congruentem principio, non enim principia exactè definiri possunt, sed per atttinentia ad eorum opera circumscribuntur: sic Arist. in secundo de anima, in Definitione animæ, sumpsit instrumentum, & si videndi facultatem definire vellemus, per oculum teneremur id facere, & præsertim id fieri debet; quia instrumenta naturalia sunt modo quodam etiam materia suarum facultatum: de artificialibus non ita se habet. De altera Difficultate dico, cum phantasia, & appetitus sint principia motus, iam id principium vt pertinet ad fundamentũ, hoc est ad Plantasiam absolute consideratam, fuerat explicatũ, sed non vt pertinet ad distinctam rationem, per quam est principium motus, ideo hoc fuit addẽdum, & explicandum. Vt vero pertinet ad appetitum, hinc nõ fuerat prius declararus nisi cõfusè, valde enim pauca, & obiter de appetitu prius dicta fuerant, nec fuerat ostensum, quod sit principium motus: & cum in Definitione animæ dictum fuisset, quod est principium nutriendi, sentiendi, intelligẽdi, & mouẽdi, & fuissent declaratæ reliquæ partes Definitionis, hæc remanebat explicãda, quod esset principium mouendi, & ostendendum, quod hæc erat facultas appetens; quæ consideratio per relationẽ ad animam, & potentias eius, ad libros de anima pertinet, non enim de ea se habet perinde ac de Memoria, de qua nec in Definitione, nec in Diuisione animæ fit mentio. Demum hoc faciẽdum fuit, vt constaret, quomodo diuisio animæ a veterib. tradita in iudicantem, & mouentem, vera, & non vera iudicari deberet.

Prima dubitatio. *Secunda dubitatio.* *Solutio 1.* *Solutio 2.*

Cap. IIII.

De modo quo Animalia mouentur, opinio aliorum.

PRo exacta rerum cognitione, quæ latenter ex principiis pendent, non est satis principia cognoscere, verum insuper explicandi sunt modi, quib. ex principiis prodeunt: motus latenter ex principiis suis pendet, & de modo opiniones sunt variæ, ideo accurratè de eo disserendũ est. Vetustissima est sententia consensione sapientum approbata, se mouere, viuentium esse propriũ, & animam eius motus esse fontem, de modo tamen maxima est ambiguitas. Putarũt veteres id non secus contingere posse, nisi quia natura, & conditio animæ ea esset, vt primo ex se moueretur, ac ita deinde esset principium motus animalium, motum animæ dixere primum, cæteros secundos ex primo prodeuntes. Fundamentum est: quia omne per aliud tale, ad id redigi debet, quod ex se tale sit; corpora composita mouẽtur per aliud, quare est necesse aliquid reperiri, quod moueatur ex se, hoc nil præter animã esse potest, ea igitur cum primo ex se moueatur, est origo motus cęterorum. Propterea Democritus, Leucippus, & Epicurus dixere,

Opinio Vetustissima. *Motus primus.* *Fundamentum.* *Democritus.*

dixere animam constare ex atomis, sua conditione maximè mobilibus, quę atomi cum stare nequeant, reddunt mobile corpus illud, in quo in sunt, veluti etiam ait Arist. in primo de anima, 44. Philippum Comediarum authorem Ligneam Venerē reddidisse mobilem, infundendo in eam Mercurium, siue argentum viuum. Plato, qui cum Pythagora animam non esse corpus rectè nouit, dixit Mentem supra motum esse positam, animam verò per insertas rationes Ideis Mentis respondentes, ex se primo moueri, ac ita esse principium motus cæterorum. Hinc Zenocrates dixit animam esse numerum se mouentem, & Macrobius in lib. de somnio scipionis, esse numerum sui essentia mobilem. Simplicius more suo Aristotelem per Platonem exponēs, vt lucidè constat, ex expositione cont. 55. tertii de anima, diuidebat animam in vtentem, & formantem, partem vtentem verè esse animam dicebat, & originem formantis, formantem verò vna cum Plotino, dicebat esse vitam corporis, vmbram vtentis, vestigium eius, & idolum; partem vtentem dicebat ex se motam, & principium motus, formantem statuebat mediam, & ob id motam, & mouentem, corpus demum solum motum in parte vtente vt in fonte motus considerabat motum primū tempusque primum, sistem æternitatis, originem vero secundi motus, secundique temporis competentis corporibus, ita in omnibus seruabat conditionem animæ, Mediam inter Mentem, & naturam, ex eius itaque opinione, anima vtens ex se motu, non autem mota per motum corporis, per idolum medium, quod etiam ex accidenti per motum corporis moueretur, & γυβερνήτῃ esset simile, est principium motus corporis, Hęc profectò est opinio Platonis, quam puto subindicasse Aristotelem in 8. Phys. 28. dicentem: Non latet animalia moueri ab aliquo, sed quomodo oportet accipere in eis id, quod mouet, & quod mouetur, apparet enim vt in nauibus, & his quæ non natura constant, ita in animalibus esse diuisum id quod mouet, & quod mouetur, ac ita animal se ipsum mouere, &c. Idipsum forte subindicauit in secundo de anima 11. inquiens, adhuc non constare, an anima ita sit actus, vt Nauta Nauis. Insuper, in eandem sententiam visus est inclinasse Aristoteles, dum in lib. de motu animalium, cap. 7. dixit, Animam non ita mouere, vt sit in toto corpore, sed esse in Corde, tanquam in arce, ac ita mouere vniuersum corpus, quibus verbis indicare videtur, animam tanquam nautam in certa parte corporis residentem, corporeque vtentē, illud mouere: quod etiam enunciauit sub initio lib. de Iuuentute, & senectute, dicēs animam esse in aliqua corporis parte, quæ principatum obtineat, hoc autem non de parte formante, sed de sola vtente verum esse potest. de hac opinione duo dicenda censeo: primum quod non sit Arist. Alterum, quod vera non sit: quod non sit Arist. satis constat, cumulatè enim aduersus illam disputat in primo de anima. Insuper simul, quod nec Arist. sit, nec vera, ita ostendo: & primò, si consideretur ea diuisio animæ in vtentem, & formantem, vel eiusdem duæ essent essentiæ, vel anima vtens non esset essentia, & id quod est animal, vtrūque est absurdum, & consequentia deducitur, nam forma formans est id quod res est, præterquam si daretur vtens, vel ea esset essentia animalis, vel ne, si primum eiusdē, duæ essent essentiæ, alterum apertè aduersatur Platoni, qui Hominem definiēs, dixit esse animam vtentem. Nec dicere valemus quod vtentis, & formantis eadem sit essentia, quia nil est vestigium, & vmbra sui, nec vtitur se. Præterea si id esset, tunc vis formans, constituens mobile, ea esset quę mouēti resisteret, quod est absurdum: nam mobile resistit mouenti, & debet esse actu, cum autē sit actu per formantē, vis formans vtenti resisteret, at id quod fluit ex aliquo, non ei re-

Plato.

Zenocrates Macrobius

Simplicius.

Aristoteles.

Sententia propria.

sistit, cum resistens debeat opponi. Præterea Aristot. in 1. de Ortu, & inter. 7 3. reiicit sententiam Democriti, dicentis atomos ex se descendere, nam inquit Philosophus, si id esset, idem ageret in se, & relatum ad idem esset actu, & potestate, quæ ratio similiter vim habet aduersus Platonẽ, eadem ratio affertur in 8. Phys. 44. Simplicius illum locum exponẽs, soluendo inquit, id posse competere Animę, munere variarum rationum, ei per naturam insitarum, Ideis mentis respondentium, quarum nonnullæ cum fuerint actu, mouent eas, quæ sunt potestate, vt etiam ex Sentẽtia Arist. datur Mens agens, & mens potestate, quibus anima, tanquam per rationes distinctas se docet, ac à se addiscit. Hæc euasio inanis videtur, tum quia rationes illæ Ideis respondentes, ab Arist. reiiciuntur, cum reiiciatur Ideæ, tum insuper quia rationes illæ omnes sunt actus, & principia actionis, non autem statui possunt principia passionis requisitæ pro motu: tum demum, quia inter varias Animæ rationes solum consideratur motio spiritalis, qualis est Ratiocinatio, quæ pro constituẽdo corporeo motu non est satis. Insuper quamuis Plato, in 10. de Legib. iudicet Animã se mouere motu late sumpto, inquiens, ducit Anima omnia quæ Cœlo, Terra, Mariq; continentur suis motibus, quorũ nomina sunt Volũtas, Meditatio, Concilium, Opinio, Gaudium, Mœror, Fiducia, Metus, Odium, Amor, & similia, motum primum denotantia, &c. Quamuis inquam Plato indicet se latè vti nomine motus, tamen ea tribuit Animæ, quæ non Animæ; sed composito competunt, vt ait Arist. in primo de Anima, 65. nec fiunt sine corpore, vt constat de Metu, Amore, & similibus perturbationib. Accedit ad hæc, quod si Anima ob id mouet alia, quia ex se mouetur, & Plato in Phedro, ex eo quod ex se mouetur, colligit quod sit immortalis, cogemur dicere, vel Animam iumentorum non esse principium motus, quod apertè aduersatur Platoni in Phedro dicenti, corpus omne Animarum habere internum principium motus: vel eam esse immortalem, quod penitus est absurdum. Hinc inspicimus Academicos cupientes vim huius instantiæ vitare, in varia, & conspicua labi absurda. Simplicius exponẽs cont. 44. 8. Phys. dixit, Plato ex se ipsa mobilem tradit esse omnem Animam, vel vt videtur potiorib. interpretib. rationalem, at si anima ferarum non ex se moueretur, nõ esset principium motus eorũ, quod conspicuis verbis Platonis aduersatur, vt dixi: Si autem ex se moueretur esset rationalis, quod est absurdius, ob id alii, vt Numenius & Plotinus, in libro de essentia animæ, & de dubiis animæ dixere Animas omnes vnius communis, & veræ animæ esse participationes, cuius Anima mũdi esset participatio prima, quo nil absurdius dici potest, ita enim viuentia omnia eiusdem speciei essent. Alii dixere plantis, & stirpanimalibus vitam tribui ab anima terræ, perfectiora autem animalia à propria quadam rationali anima vitam suscipere, quæ eis non vere inesset, sed potius præesset, hinc non distinctè, sed solum adumbrate, in eis officiã rationis exercet, quod & à Porphyrio, & mox à Proclo approbatum fuit. Quam longe autem hæc opinio à vero absit, satis superque ex se conspicuum est & pręsertim quia tunc iumenta ab assistente mouerentur non ex se; accedit ad hæc, quod vt argumentatur Aristoteles in primo de Anima 44.

Anima nedum motus, verum etiam quietis causa est, ex eo autem, cuius essentia est motus, non potest prodire quies.

Simplicius. *Euersio.* *Plato.* *Simplicius.* *Numenius.* *Porphyrius.* *Proclus.*

CAP. XV.

Opinio altera, de modo, quo mouentur Animalia.

QVONIAM apertè Peripatetici inficiantur animam ex se moueri, ideo nonnulli illustrium interpretum Arist. dixere, animam non quidem ex se moueri, sed mouere corpus, ac id ita mouere, vt ea sit totus motor, corpus vero totum mobile, animal autem id, quod ex se mouetur, conflatum ex parte mouente, & parte mobili. Quæ opinio etiam approbanda non est: primo, quia forma ex materia pendens non operatur sine corpore, nam forma vt ad esse, ita ad operari se habet; Cum itaq; non habeat esse sine corpore, etiam sine eo operari non valet. Præterea, actiones, & opera, tanquam agentis completi, sunt rerum perfectarum & absolutarũ, huiusmodi non sunt partes, sed solũ totum, imo operationes rerũ materiatarũ, non solius formæ, sed cõpositi esse dicuntur; Quod confirmatur per Aristotelem, in primo de anima, 65, dicentem, non animã sentire, addiscere, & texere, sed hominem per animã: quare lõge minus poterimus dicere animam solã loco mouere, cum hęc sit functio muneris magis materiata, quam sentire, & addiscere. Demum, si id esset, tunc anima sine corporeis instrumentis posset mouere corpora mortalia, quod inficiatur Arist. in 8. Phys. 30. inquiens, nullum corpus cõtinuum, hoc est similium partium mouere se. Et in secundo de Cęlo 50. ait: si stellę essent natæ moueri motu ab eo orbium distincto, fuissent per naturam instrumentis munitę motui proprio congruentibus, quod profecto necessarium non fuisset, si anima esset motor totus, quare dicamus, in animalium motu, totum esse id quod mouet, ac similiter totum moueri: totum mouet quia id perfectum, & completum est, cuius perfecti dicuntur esse actiones, totum similiter mouetur, quia motis nobis, mouentur omnia quæ sunt in nobis, & cum motus sit accidens, recipitur in subiecto, quod actu est, subiectum autem actu, compositum est ex forma, & materia, totum itaq; mouet totumq; mouetur, at ratio tota per quam mouet est anima, per quam mouetur, est corpus & materia; Verum quæret aliquis, an operante composito, materia vna cũ forma operetur, & dum patitur, etiam vna compatiatur forma? Respõdeo, materiam vnã operari dupliciter posse intelligi, vel ita, vt sit ratio quædam operãdi, & hoc non est verũ, ratio enim vniuersa, & tota agẽdi actus est: vel quia sit causa, sine qua forma, & compositum non essent, nec materiatam operationem producerent, & hac ratione concedi potest, quod materia vna operetur, verè tamen compositum solum operatur vt pendet ex forma, pẽdet vt est actu, & ideo per solum actum, tanquam per integram rationem operatur. De forma tamen relata ad perpessionem secus se habet, ea enim etiam simul patitur. Ratio varietatis est: quia forma etiam vt sit, pendet ex Materia, & ob id cũ patiatur materia, etiam patitur forma. At vice versa, materia eget forma, non vt sit, sed vt sit actu, ideo non per suum esse operatur, sed solum per actum. Accedit ad hæc, quod declinare, & labi facile est, hinc facilè forma in passionem labitur, at eleuari super conditionem, & gradum suum, hoc opus, & hic labor est; Et hæc quæ dixi, intelligi debent de Materia prima, nam Materia proxima variis dispositionibus prædita, ob earum varietatem modo vnà operatur, modo contra operatur, vt patet ex 8 Physic. 26.

Opinio *Euersio.* *Arist.* *Opinio verior.* *An Materia cooperetur.*

Cap. XVI.

Quid in Animali debeat censeri, primum quod mouet, vel mouetur.

Quid primum moueat vel moueatur.

Nouem possunt statui prima.

IAM apparuit quid in Animali iudicari debeat, totum mouens, totumq; motum: sed quia pro explicando modo, quo Animal mouetur, distinctè explicare tenemur, quidnam in Animali censeri debeat primum, quod vel mouet, vel mouetur, ideo de hoc exactius agendum, ac disserendum est; Et quoniam varia consideratione, primum mouẽs vel motum est multiplex, ideo cum distinctione progrediendum est, dum quærimus quodnam sit primum in motu Animalium. Nouem pro primo statuere valemus. Nam si consideramus primum ordine inter conspirantia ad motum Animalium, id censeri debet Obiectum. Si quærimus primum pro prima causa, per quam motus dicitur spõte factus, id tribui debet appetitui; Si tertiò, primum quærimus, pro toto mouente vel mobili, hoc dici debet Animal totum. Quarto, si primum vsurpamus pro prima Ratione, sic Anima est primum quod mouet corpus ab ea contra distinctum, est primum quod mouetur; Quinto, si nomine primi denotamus membrum primũ, quod primo, motu aliquo mouetur, id statui debet Cor: nam Cor motu naturali & vitali primo mouetur: id enim cum sit communis, & prima sedes caloris, & spirituum, primo viuit, viuens feruet, feruens agitatur, ac per naturam mouetur, & hoc vt primo viuit, ita vltimo moritur. Sexto, primum sumere valemus pro communi Instrumento, & id iudicari debet spiritus cordis, in quo primo motus appatet, in hoc enim miro quodam, & congruẽte ordine, motus ex naturali penitus, per medium quoddam transit in motum spõte nostra factum: nam calor, & spiritus, primo in Corde, & præcordiis per naturã feruent, ac mouentur: mox medio quodam modo per cognitionem, sine nostra assensione mouẽtur, vt accidit in his affectionibus, quæ primi motus nuncupantur: Tertio assensioni, & appetitui obtemperantes, nostra quadam sponte incipiunt moueri, & mouere, & iure in spiritibus hic motuum progressus, & transitus fieri debet, cum nil eis sit motui accommodatius: hinc vehementissimi, & velocissimi motus, per spiritus in paruo, & magno Mundo efficiuntur, vt in lib. Meteor. considerauit Philosophus, & exemplo fulgurum, ventorum, & terræ motus, redditur conspicuũ. Septimo, cum spiritus sint instrumentum commune motuum per naturam, & sponte, & modo medio productorum, si quærimus instrumentum magis proprium, per quod proximius membrum aliquod, vel Animal sponte mouetur, & appetitui absolutè subiicitur, dicendum est, id esse neruũ, neruis tamen hoc non compereret sine ope, & facultate spirituum; Neruis succedunt deinde Ligamẽta, Cordæ, & Cardines ossium, per quæ motus vltro factus absoluitur. Octauo, vsurpare valemus primum pro eo quod simul sit membrum primum, spõte motum, & instrumentum motus sequentiũ, & huiusmodi est Musculus, qui ex quatuor constat, carne, neruo, ligamento, & corda. Nono demum, datur primum pro minimo Physico, quod primum fere in singulis numeratis primis locum habere potest: nam, & Cor minimum, & neruus minimus, & spiritus secundum extensionem formæ minimus excogitari potest. Ex his constat primum in motu Animalium esse multiplex, ex cuius primi distincta explicatione, variarum difficultatum solutiones elici possunt, quas prætereo.

Cap.

Cap. XVII.

An Animal per se moueatur.

EX dictis in præcedente cap. non leuis oritur dubitatio: nam primo dictum est animal totum distincta ratione mouere, & moueri, ex quo elicitur animal ex se moueri, cum totum per suam formam moueatur. Ex aduerso dictum est, Cor, & spiritus, & neruum primo moueri, at hæc pugnant inter se, id enim quod est per partem, non est per se, vt constat ex 5. & 8. Physi. animal mouetur per partem, quare non per se; Augetur dubitatio: quia id totum quod quiescente parte quiescit, non mouetur per se, nec est primum se mouens, vt dicitur sub initio 7. Phys. & in 8. Phys. 42. At animal quiescente Corde, vel spiritibus, non mouetur, quare non est primum se mouens. Præterea, ait Auerroes in 7. Physi. secundo, animal mouere se, non per se, sed per partem. Est itaq; res satis dubia. *Dubitatio.*
Solutio huius difficultatis ex dictis in cap. præcedente facilè elicitur: Nam animal est primum quod ex se mouetur, sumendo primum pro integro & toto, ac ita non mouetur per aliud totum prius, absolutè autem non est primum: vt primum contradistinguitur ab eo quod non est per aliquam eius partem: animal enim præditū est parte, cui primo origine competit motus, & per eam competit aliis: quare distincta consideratione animal, & ex se, & non ex se mouetur, siue mouetur primo, & non primo. Sed alia insurgit dubitatio mota ab Aristo. in 8. Physic. 44. & est, nū si ex eo quod primo ex se mouetur, vel ex eo quod primo mouet, si diuidi possit, auferatur aliquid, id quod superest, ex se moueatur, vel ne. Proposuit Philosophus hanc difficultatem, at in ea diluenda, adeo se obscurum præbuit, vt neque etiam constet pro qua parte eam diluerit. Auerroes, Aegidius, D. Tho. & cum his alii multi, putant solui pro parte negatiua, adeo vt neget Philosophus id quod superest posse ex se moueri, alioquin id totum pro primo sumptum, non esset primum, sed pars reliqua, quæ adhuc ex se moueretur. Id confirmat Auerroes: per ea quæ leguntur in secundo cont. septimo Phys. quo loci ait Philosophus, in eo quod ex se mouetur, quiescente parte, necessario totum quiescere; At rectius, vt censeo, ea solutio exponitur ab Alexandro & Simplicio, dicentibus; difficultatem solui pro parte affirmatiua, aduersus quam dubitando institerat: nam in primo ex se moto, dari prius aptum moueri, dupliciter intelligi potest, vel actu, vel potestate, in primo ex se moto non datur prius actu, sed potestate, hoc est, nō seiunctum. sed coniunctū, veluti etiam in secundo de anima, ait Philosophus, se habere de planta, & eius anima quæ actu est vna, potestate plures: hoc puto denotasse Philosophum, in octauo Phys. dum eam persoluit difficultatem, considerandum tamen duas illas relatas sententias, quamuis inter se videantur pugnare, re vera non esse aduersas, & ambas veri aliquid includere. Dubitatio proposita erat de primo quod ex se mouetur: huiusmodi primum, (vt apparuit) est multiplex, propterea interpretes varia prima cōsiderantes, varias, at nō pugnantes protulere sententias: nam si consideramus primum pro minimo naturali, vel pro primo membro contradistincto a sequētibus membris, sic vera est sententia Aristotelis in septimo Phys. cont. secundo, ac etiam Sententia D. Thom. Aegdii, & Auerrois, de his enim verum est, quod parte minimi quiescente, vel quiescente primo membro, cætera non mouentur. At si consideretur primum pro integro & toto, vt tota Lacerta, vel pro primo instrumento cōsimili, vt sunt spiritus, & neruus, sic se iuncta aliqua parte

Solutio. *Alia dubitatio.* *Auerroes.* *Verior sententia.* *Conciliū.*

potest reliquum moueri, & hoc significauit Aristoteles in octauo Physicorum 44. nam pars consimilis iuncta toti, dicitur mobilis ex se potestate, non actu. Ideo Aristoteles eo loci inquit, an potestate quidem vtrumq; nil prohibet moueri. Alexander tamen apparentem illam in Aristotelem controuersiam secus soluit: at nolo in eius referenda sententia immorari.

Cap. XVIII.

Distinctius agitur de modo, quo Animal ex se mouetur.

Ordo qui seruatur in motu Animalium.

Vndecim gradus.

CVm apparuerit in eo quod ex se mouetur multiplex primum inueniri, reliquum est vt distinctius modum patefaciamus, quo animal totum ex se mouetur. Dicamus itaque cum primo vitali quodam motu per naturam feruesant spiritus, & naturalis calor, quorum feruore Cor per naturam agitatur, Arteriæque pulsant, animal per hæc ad motum vltro producendum aptissimum redditur: nam motus ille primus, est fundamentum & semen cæterorum, ex quo sequentes motus vires suscipiunt. Cum autem deinde debeat incipere animal sua sponte moueri ab initio, ad finem vndecim gradus considerari possunt. primo enim occurrit obiectum, quod immobile manens per externos, & Communem sensum se offert phantasię, a qua primo origine absoluta quadā cognitione iudicatur, veluti quod sit Lupus, quod sit vinum dulce, vel aliud simile. Ex hac prima cognitione ob naturalem quandam consensionem, vel dissensionem cum obiecto, consurgit secundo loco cōmotio quædam in nobis ad obiectum illud vitandum, vel amplectendū, & hæc est ea prima motio, de qua recte aiunt Stoici, quod in nostra facultate non est posita: sic ex tempore erubescimus, expallescimus, vel alio modo etiā inuiti permutamur. Tertiò accuratius rem considerantes, eamque vel verè nobis aduersam, vel non talem iudicantes, motionem illam primam vel approbamus vel reprobamus, ac ita consensionem nostram, siue dissensionem adhibemus, quam sequitur ille appetitus, qui principium euadit motus vltro facti. Quartò, hoc iudiciū, & appetitio offertur Menti, a qua vel approbatur, vel reprobatur: si approbatur, sine pugna motus consurgit, si reprobatur, pugna oritur in appetitum Sensuum, & Mentis, & quemadmodum sphæra, sphæram, ita appetitus Rationis, illum Sensuum in oppositum mouet, vt dicitur in tertio de anima 57. Quinto loco, cum adsit pugna, ille appetitus, qui est potentior, superans alterum, ac sibi subiiciens, euadit principium motus, qui appetitus vt moueat animal constituendo sextum gradum, mouet spiritus illos, qui ex Corde prodeuntes, inserti sunt in neruis, & per naturam mouentur, ideo facilè est eis ad libitum, formam, & modum adhibere quo vel contractione, vel extensione membra moueant. Septimo loco, spiritus ita moti mouent neruos. Octauo, Nerui mouēt Musculos. Nono, Musculi trahendo, vel relaxando mouent cordas. Decimo, corda iuncta ossi, in ossium cardine os mouet, & membrum. Vndecimo, ex motu membrorum tractione, & pulsione facto, prodit motus totius animalis, cōspirante semper externo aliquo firmo, & immobili. Hi sunt gradus omnes qui in motu Hominis considerari possunt, quorum nonnulli pro omni motu sponte facto necessarii sunt, nonnulli verò non necessarii, qualis est gradus ad Mentem pertinens. In primo, & secundo gradu, motus adhuc principium non habet, per quod dici possit sponte nostra factus: sed in tertio gradu tale principium recipit, in quo nostra assensio, vel dissensio refulget; In quarto, & quinto gradu apparere potest, quomodo

Per quid motus dicatur sponte fieri.

phanta-

phantasia, & appetitus per participationem sint rationis compotes, dum enim ratione mentis formatur phantasia, & appetitus dirigitur, rationis participes redduntur, sic intelligi debet sententia Aristotelis in tertio, de anima 57. dicentis, Phantasiam esse duplicem, sensitiuã vnam, & est, dum a sensibilibus formata, ex se operatur, alteram rationalem, dum a ratione formatur; similiter appetitus in calce secundi Moralium Nicom. dicitur rationalis per participationem. *Dubitatio.* Sed illud occurrit consideratione dignum, cur Aristoteles in tertio de anima 57. referens pugnam inter appetitum sensuum, & rationis, dixit, vincit autem, & mouet aliquando appetitus Sensuum voluntatem, aliquando vero hæc illum, vt sphæra, appetitus, appetitũ, cum incontinentia facta est. Natura autẽ semper facultas superior, est principalior, & mouet, adeo vt tribus lationibus iam moueatur &c. *Tria explicanda.* In his verbis tria sunt consideranda, primò, cur Philosophus vtatur exemplo sphetæ. Secundò, quomodo facultas superior dicatur principalior, & mouere. Tertio, cur de tribus lationibus fiat mentio. *Primum Simplicius.* A primo ordiens, ait Simplicius sumptam fuisse metaphoram a pila, qua ludentes vtimur, vt enim ea a ludentibus hinc inde repellitur, ita appetitio vna repellitur ab altera, at per hoc non apparet, cur potius sphæræ, quam corporalia figura formato appetitio dicatur similis, cum repercussio etiam competat aliis.? *Auerroes, Themistius.* Auerroes, vna cũm Themistio inquit, Metaphoram fuisse sumptam a Cœlorum orbibus, qui & motu totius ab ortu in occasum, & vice versa motu proprio mouentur. Sic mundus paruus seruatur similis magno, nam motus Rationis seruat imaginem motus primi, motus vero Sensuum, motus planetarum, & hoc probaliter dicitur: *Sententia propria.* Valemus tamen nos duas rationes afferre, non minus his conditioni appetitionum congruentes: vna elicitur ex Aristotele sub initio quæstionum Mechanicarum, dicente, hanc esse conditionem circulorum, & spherarum, vt cum se tangant, & vna earum moueatur, per motum eius, altera in oppositum reuoluatur, quod etiam seruatur in pugna appetitionum, nam in oppositum se mouent. *Omnis appetitus est similis circulo.* Altera ratio est: quia appetitus omnis perinde se habet, ac circulus, & sphæra, vt enim sphæra est reuolutio ab eodem ad idem, ita appetitus omnis excitatur ab appetibili vt a principio, & illud tendit, vt in finem. Insuper appetitus cum sit motio, tendit extra se ad appetibile, & illud in se redigit, dum eo fruitur, & hæc de prima difficultate. Quærebatur secundo, cur facultas superior dicatur semper mouere; *Facultas superior ea est qua mouet.* Respondeo, hoc esse verum duplici significatione: prima, quia facultas superior, hoc est potentior, semper mouet, in pugna enim appetitionum semper ea appetitio, quæ est potentior, redditur principium motus, & hoc profecto verum est, sed (vt puto) ad rem non facit, & potius aliud vtilius, & magis proprium denotare voluit Aristoteles, considerauit enim eam Hominis constitutionem, quæ est secundum naturam, in qua superiora dominantur, & regunt, ideo dixit: Natura semper facultas superior est principalior, hoc est in homine per naturam affecto Mens dominatur, & imperat, dum vero contra, Sensus est potentior, & Mens ei succumbit, vt in viro incontinente est, censeri debet constitutio prẹter naturam, tunc enim condicio mortalis, per naturã serua, præest æternæ per naturam dominę, & Terra parui Mundi, pręest Cęlo eius. Philoponus in tertio de anima, in digressione ad hunc locum pertinente, notãs apparentem quandam controuersiam inter Platonem, & Aristotelem, ait ex sententia Aristotelis appetitum esse principium motus: *Philoponus.* ex sententia vero Platonis, id esse principium, quod est superius, vt in expertibus rationis, animã rationis expertem, in homine vero animam rationis cõpotem; nam quamuis Ho-

mo ad voluptates feratur, non ob id mouetur a Sensu, nisi proxime, sed moueri dicitur a mente & ratione, deprauata tamen, & quibusdam quasi præstigiis a cupiditate decepta; at de hoc in ciuili Philosophia verba feci. Quærebatur postremo, quid denotauerit Aristoteles, dum dixit, adeo vt tribus lationibus iam moueatur. Missos facio eos qui id referunt ad tria subordinata mouentia, non enim Aristoteles de mouentibus, sed de motionibus loquitur, & de pugna verba facit, quæ inter appetitiones versatur. Dicamus itaque Aristotelem per ea verba explicare numerum motionum, qui in incontinente (de quo mentionem fecerat) reperiuntur, primo enim cupiditas vna cum Sensu mouet Mentem, & appetitum eius. Secũdo Mens per rationem, & eius appetitum in oppositum mouet cupiditatem, & phantasiam, at cupiditas ob id non succumbit, sed tertio insurgit aduersus appetitum rationis, repellendo motum eius: & cum sit potẽtior, ea mox mouet corpus. Hi tres motus, in incontinente necessario reperiuntur, possunt etiam esse plures, veluti dum vtraque pars magnis viribus munita est, & longa sit pugna, & tunc verum elucescit illud, dum in dubio est animus paruo mouento, huc, vel illuc impellitur, sic itaque in viro probo, & in viro vitioso aduersa motio, & pugna non reperitur, sed omnia conspirant in vnum: in continẽte duo, in incontinente tres necessario repetiuntur motus, nam in viro continente cõsideratur primo pugna inter appetitum sensuum, & rationem, mox imperium rationis dominantis, & mouentis.

De tertia difficultate.

Cap. XIX.

Dubitatio ardua proponitur, & in parte discutitur de modo, quo phantasia, & vis appetendi, possint ad libitum mouere.

VARIÆ ambiguitates considerationem de animalium motu reddunt obscuram, inter quas obscurissimam eam iudico, quæ ad modum attinet, quo phantasia, & appetitus incipiunt sponte mouere, nam de motu spirituum, & Cordis, a feruore caloris per naturam facto, non tam ardua est dubitatio; At quomodo phantasia, & appetitus per spiritus incipere possint ad libitum mouere, hoc apprimè dubium censeo: Cum enim phantasia incipere debeat ad libitum mouere, primo partem aliquam mouere tenetur, hanc partem siue instrumentum primo motum, dictum est esse spiritus, naturalemque calorem, pro corpore calido sumptũ, vt etiam fatetur Auerroes in octauo Physicorum trigesimoquinto; Dubium modo est de hac parte quomodo incipiat sponte moueri; cum enim spiritus sint corpora, non valent sponte mouere aliud, nisi & ipsi primo moueantur. At dicam ego, nullum continuum, hoc est similium partium, potest ex se sponte moueri, octauo Physicorum 3c. & primo de Ortu, & inter. 78. Spiritus sunt corpus similium partium, quare non possunt primo ex se moueri. Præterea, non instrumentum: sed principale aliquod mouens debet esse id, quod primo mouetur, inquit enim Aristot. in 8. Physic. 35. instrumentum esse id, quo mouens mouet, hoc autem sine priore aliquo mouẽte mouere, & moueri non potest: spiritus sunt instrumentũ, quare non sunt id, quod primo sponte mouet, vel mouetur. Confirmatur dubitatio: quia nullum inanimum corpus ex se mouetur, spiritus non sunt anima præditi, vt nec humores, ideo non videntur posse ex se moueri. Nec dicere valemus quod anima moueat spiritus, quia anima sola distincta a spiritibus, nõ valet eos mouere, nam (vt patuit) actiones sunt

Ardua dubitatio.

Confirmatio.

nes sunt compositorum; Nec dicere valemus, quod anima id faciat iuncta alteri corpori, nam in eadem reuolueremur ambiguitate; similiter enim de quauis altera parte dubitabo, & præsertim, quia iam paruit spiritus esse eos, qui primo ad libitum animalis incipiunt mouere: res itaque est apprimè dubia. Propterea dicendum censeo, spiritus esse eos, qui cum primo per naturam moueantur, incipiant ad libitum animalis moueri, & ratio est, quia continenter mouentur, facileque mobiles sunt, ideo facilè est vt ad libitum animalis recipiant formam aliquam motus, eamque seruent, vt etiam pro constituendo motu violento facilè recipit aer aliunde principium motus, & cum incipiunt ad libitum animalis moueri, & mouere, anima est prima ratio actionis, corpus spirituum perpessionis: nam si grauia, & leuia sua forma, tanquam proxima ratione actionis, & materia passionis, descendunt & ascendunt, longe magis id de spiritibus fateri cogemur, quod moueri possint, & mouere, ita tamen, vt totus spiritus moueat, totusque moueatur: At instabatur primo, quia nullum continuū ex se mouetur. Dixit Simplicius in 8. Physi. 30. ex Sententia sua, & Alexandri, animam posse mouere corpus, quia nō continuatur cum eo, est enim indiuisibilis, incorporea, & principium, quod cum corpore non continuatur, sed ei dominatur. Hæc solutio non satisfacit: tum quia anima iumentorum ex materia pendens, extensa est, ex accidenti diuisibilis: tum insuper, quia Aristoteles negat continuum mouere se, quoniam censuit necessariam distinctionem partium, & membrorum pro constituēdo motu animalium, vt constat ex libro de motu animalium: tum demum, quia ratio Aristotelis ad ostendendum Elementa nō ex se moueri, redderetur inanis, dicerem enim eorum formam esse principiū motus, & non continuari cum materia. Propterea dicamus, dū loquimur de mortalibus, & affirmamus, continuum non ex se moueri, id esse verum de motu nostra sponte facto, relato non ad partem, vel instrumentum primum, sed ad vniuersum motorem & mobile, quale est totum animal. Ratio varietatis multiplex est: Nam primò spiritus ex corde, & anima pendent, ideo ad libitum eius ex quo pendent, facile moueri possunt. Secundo, in toto mouente, & mobili consideratur motus totus tractione, & pulsione factus, exposcens distinctionem membrorum, non autem in primo, quod incipit moueri. Tertio, ea pars, quæ ad libitum animalis incipit moueri, tangit partem aliam, ei resistentem, inter quas deinde conspicua actio, & perpessio versatur; Demum conducit pro hoc primo spirituum motu nostra sponte facto, ea continuata notio eorundem ex Corde pendentium, cum enim ita continenter per naturam moueantur, facile recipiunt quamlibet formam motus. Instabatur secundo loco, instrumenta non primo moueri, sed esse id, quo mouens mouet; Respondeo, id esse verum de instrumentis requisitis pro externo motu, at non de requisitis pro motu interno viuentium, pro quo hoc solum est necessarium, quod instrumenta præsupponant animam, tanquam primam rationem mouendi, & sedem eius. Addebatur vltimo loco, spiritus esse expertes animæ, ac ob id non ex se moueri; Respondens dico, magnā esse difficultatem, an spiritus sint animati: Academici aiunt eos esse vehicula animarum; & per eos medios animam cum crasso corpore necti. Quæ sententia, de anima mortali vera esse non potest, cum educatur è potentia corporis organici, illud formet, cum eoque extendatur. Ex aduerso censent nōnulli, spiritus esse inanimos, alioquin etiam genitura animata esset, & innumeræ pro omni parte afferuntur rationes, quas silentio prætereo. Ego sententiam quandam mediam approbare consueui, quæ est, quod spiritus, & calor ille influens,

Resolutio.

Solutio rationū.

Euersio.

Sententia propria.

Opinio propria.

de quo est sermo, qui etiã cum spiritu in mẽbris insetto summopere est cõplicatus, quatenus est in viuente corpore, est actu animatus per participationem illius vitæ quæ in Corde, & solidis partibus tanquam fundamento conseruatur, seiunctus autem a suo fonte, & fundamento, vt in genitura, non actu est animatus, sed virtute, & facultate tantum: & hoc præsertim est verum, loquendo non de anima nutriente, de qua maior est dubitatio, sed de sentiente, & mouente, de qua modo est sermo, quæ non seruatur in corpore sine congruentibus instrumentis. Ex quo patet solutio difficultatis, spiritus enim non sunt penitus animæ expertes, nec adeo sunt instrumenta, vt quatenus viuunt, non sint modo aliquo partes.

Cap. XX.

Quatuor pulchræ difficultates proponuntur.

Quattuor ambiguitates. *De motu Cælorũ.* Ex his, quæ de primo spirituum motu dicta sunt quattuor emergunt ambiguitates, accurata consideratione dignæ; Prima pertinet ad motum Cœlorum: altera, ad motum stellarum: tertia, ad motum dæmonum; Postrema ad motum Humanæ Mentis, quæ extrinsecus accedere dicitur. Vt pertinet ad motum Cœlorum, ambigere iure poterit sublime aliquod ingenium, quomodo intelligentia, quæ magis a corpore soluta est, quam Mens Hominis, valeat sine medio Cęlum mouere, cum tamen Hominis Mens sine media phantasia non valeat mouere Humanum corpus? nam si hoc Humanę Menti competit, quia non est forma Materiata, longe magis motoribus Cœli competere deberet. Respondens dico, non defuisse nonnullos, qui putarunt Cœlorum Mentes non proxime, sed vel per mediam animã, vel per mediam naturam mouere Cœlum. At quoniam ego alterius sum sententiæ, & in Cœlo, cum Aristotele, non puto aliam reperiri compositionem, nisi ex Intelligentia, & orbe, *Solutio.* vt suo loco patefeci: ideo secus soluens dico, rationes varietatis ex tribus fontibus hauriri posse, ex conditione motoris, mobilis, & motus; vt pertinet ad motorem, profecto Cœlorum Mentes sunt agens, totum, & perfectum, non pars alterius, ideo sine interuentu alterius mouere valent, & præsertim quia mouent modo quodam diuiniore, eminentiore, liberioreque a Materia. Vt pertinet ad mobile illud non ad alium, sed ad illum solum motum est procliue: insuper, magis ex suo motore pendet, quam corpus hominis ex propria Mente, in Cœlo enim prima est Mens, quam sequitur Cœli corpus cum suis terminis, & lumine, his succedit motus, adeo, vt nil sit in Cœlo, quod ex proprio motore modo aliquo non pendeat, non sic se habet de homine ad Mentem relato; Quatenus *Quomodo mens Hominis seruet conditionem mediam.* demum pertinet ad motum, ille omni ex parte est secundum naturam, nil violenti includens, & propterea non debet fieri eo tractu, & pulsu qui fit per membra, & instrumenta varia: iure igitur intelligentia a mortalibus penitus soluta, non eget facultatibus illis, quibus Humana Mens iuncta nobis, ob mortalem corporis conditionem, eget: sic de solis mortalibus verum est, superiorem Animæ facultatem non posse sine inferiore seruari, vt dicitur in secundo de anima, Et ex his conspicue elucescit, quomodo Mens Hominis, quæ sui natura media dicitur, medias quasdam conditiones seruet: inferiores enim Animæ fa- *Dubitatio de Motu Stella.* cultates, ex se organicæ sunt, motores Cœli, nec sunt organici, nec egent facultate organica, Mens verò Hominis, organo proprio non eget, at eget pro obeundo in nobis munere suo, facultate aliqua organica ei famulante. Ex solutione huius

huius primæ difficultatis, oritur secunda ad stellas pertinens, & est: Si Cœlum quod est corpus æternum, ab æterno motore motum, ab eo proxime, & sine instrumento mouetur, cur stellę, si motu proprio distincto ab eo orbium deberent moueri, egerent instrumentis, vt in secundo de Cœlo contex. 50. enunciauit Aristoteles, cum tamen illæ quoque sint æternæ, & moueri possint ab æterno motore, & præsertim, quia si nullum continuum ex se mouetur, Cœlū cum sit continuum, ex se moueri non poterit. Respondeo sententiam Aristotelis rationi esse consonam, & ratio varietatis duplex est: vna sumpta ex modo motus; Altera ex parte relata ad totum. Vt pertinet ad modum motus, consiliū Aristotelis fuit, ea ratione à stellis remouere motum illum, quo quis putare posset stellas per aerē, vel per æthera progredi, pro quo progressiuo motu necessaria sunt instrumenta, non autem pro reuolutione totius Cœli circa centrum Vniuersi, progressio enim fit trahendo, & pellendo instrumenta. Quatenus verò pertinet ad rationem sumptam ex relatione totius ad partem, dico, totius, & partis eundem esse secundum naturam motum, propterea, si stellæ motu distincto ab eo totius Cœli mouerentur, earum motus non esset omni ex parte secundum naturam, & propterea egerent instrumentis, quibus egent animalia mortalia. Sed ex solutione huius secundæ difficultatis consurgit tertia, pertinens ad motum Dæmonum, ab Academicis declaratorum: illi dicuntur iuncti vehiculis variis, vel æthereis, vel aereis, vel aqueis, quę vehicula carent instrumentis, nec penitus secundum naturam mouentur, & tamen ad libitum, & velocissimè ex se moueri dicuntur: neque id videtur à ratione alienum, si enim verum est quod diximus, animalium spiritus primo incipere ad libitum animalis moueri, cur etiam Dæmones, & animæ à crasso corpore solutæ, iunctæ vehiculis aereis, non poterunt ad libitum moueri? Non desunt qui dicant, in vehiculis quoque instrumenta reperiri, quatenus figura aliqua sunt prædita, quod tamen dici non debet: primo, quia Academici vehicula ætherea, quibus animæ iunctæ è Cœlo in Terras descendunt, dicunt esse orbiculata, cum qua figura non seruantur instrumenta. Insuper inquiunt, descendere per figuram, Elicis, quod non fit per instrumenta; demum instrumentum est membrum dissimilium partium, quæ partium dissimilitudo in vehiculo Dæmonum non reperitur. Propterea dicendum puto, per principia Aristotelis Dæmones in vehiculis non posse ad libitum moueri, ideo Aristoteles Dæmones non nouit. Et in secundo de anima, contex. 26. damnauit sententiam eorum Philosophorum, qui animam in corpore esse dixerunt, & non distinxerunt in quo, & quali corpore reciperetur, cum tamen vniuscuiusque actus in propria Materia, & eo quod potentia ad illum sit, recipiatur. Et confirmatur: quia motus dæmonum non est per naturam corporum, sed violentiam aliquam includit, & ob id necessaria sunt instrumenta pro eo constituendo; hinc Aristoteles in secundo de Generatione animalium, capitulo tertio dixit, facultatem organicam non posse extrinsecus accedere, quia sine instrumentis non reperitur, at vis mouens est facultas organica: Non itaque sine instrumentis reperitur. Insuper sub Luna non reperitur ex Sententia Aristotelis facultas superior sine inferiore. in vehiculis aereis non reperitur vis nutriens, nec sentiens, quare nec intelligens, & cum in eis non insit phantasia & appetitus, etiam non potest inesse motus, qui ex appetitu & phantasia prodit. At dicet forte aliquis. Dæmones posse moueri sine instrumentis, & inferioribus facultatibus, quia dominantur aeri, aquæ, & similibus corporibus: hoc dicere non valemus, primo, quia similiter possem respōdere Aristoteli ostendēti stellas,

Solutio. *De motu dæmonū.* *Sententia quorūdā.* *Euersio.* *Sententia propria.*

sine instrumentis moueri non posse. Secundo, quia Dæmones non valent ad libitum ea corpora mouere, quæ ex eis non pendent, nec ab eis formata sunt. Insuper, Aristot. in 8. Physicorũ 30. vniuerse de contentis sub Luna agens, ait corpora continuata, hoc est, similium partium, nõ posse ex se moueri, vehicula dæmonum dicuntur esse similium partium, etsi absque instrumentis moueri possent: similiter dicerem, animalibus instrumenta nõ esse necessaria, & profectò, qui tuentur Dæmones, & animas vehiculis iunctas, ex se moueri, etiã existimare coguntur animas primo ex se moueri, & perinde ac nautas in naui mouere corpora, quod cum approbetur ab Academicis, ab Aristotele tamen & in primo de anima, & alibi reiicitur. At instabatur: quia dictum est in præcedentibus, motum sponte factum, primo in spiritibus animalium recipi, quare similiter poterunt sua sponte moueri Dæmones iuncti vehiculis. Respondeo, non esse parem rationem, & multiplicem adesse varietatis causam; prima est: quia aliud est loqui de mobili integro, qualia sunt vehicula, & loqui de primo instrumento, qualis est spiritus. Secunda, quia vehicula Dæmonum non sunt corpora animata, nec pars viuentis corporis, non enim dæmon dat eis esse, vt spiritus sunt pars, vel instrumentum modo aliquo viuens, corporis animati. Tertia ratio est: quia semper motus aliquis secundum naturam est origo & fundamentum motus sponte facti: in animali spiritus ex Corde pendent, & primo per naturam mouentur, ideo facilè est vt in eis fiat transitus ex vno in alium motum, suscipiendo ordinẽ, modum, & qualitatem ab anima: at de vehiculis non sic se habet. Quarta ratio est: quia aliud est dicere spiritum posse esse primum, quod in viuente corpore ad libitum animalis incipiat moueri, & dicere quod valeat fungi officio partium omnium conspirantium ad constitutionem totius motus; hoc secundum sine mutua actione, & oppositione non seruatur, ideò vehiculis competere non potest, nec spiritibus: primum autem spiritibus congruenter competit, at vehiculis Dæmonum nequaquam, cum sint mobile totum, ex alio non pendens, non primo per naturam motuum; Verum ex solutione huius tertiæ difficultatis, emergit quarta, ad Mentem Hominis pertinens, quæ ab Aristot. in secundo de Gener. animalium, cap. 3. dicitur, extrinsecus accedere: si autem extrinsecus accedit, etiam mouetur, immo Aristot. in eo capit. secum pugnare videtur. primo ait vim mouendi non esse sine pedibus, & ob id non posse extrinsecus accedere: deinde ait Mentem extrinsecus accedere: at si accedit, igitur mouetur, si mouetur, igitur est prædita facultate mouendi, cum tamen instrumentis careat. Respondens dico, vt nata moueri non sunt alicubi, & absunt sine motu, ita non apta moueri, non dicuntur per motum adesse, & abesse, sed penitus sine motu, veluti dicitur in secundo de anima, radios per hemisphærium non moueri, sed sine motu adesse, & abesse, ita de Mente dicendum est, eam sine vllo motu in corpore reperiri, ab eoque abesse, nam in sexto Physic. latè ostenditur, sola corpora posse moueri, non insero varia, quæ à Theologis de motu Angelorum rectè dicuntur, quoniam solum sententiam Aristotelis mihi explicandam proposui.

Instãtia. *Solutio.* *De motu humana Mentis.*

Cap. XXI.

De modo, quo phantasia mouet, & de causis motuum admirabilium.

SATIS aperte apparuit, phantasiam vnà cum appetitu ad libitum per intermedios spiritus, neruos, & musculos, mouere membra animalium: at de

imperio phantasiæ supra spiritus,& corpora non leuis est dubitatio: difficile enim est videre,quomodo phantasia imperare valeat spiritibus,eosque per appetitum ad libitum dirigere,& mouere. Sententia est Aristotelis,in libro de motu animalium,cap.4. & 5. quod res phantasia apprehensa vim habet externi Obiecti,non secus ac albedo in oculo recepta, vim habet disgregandi, nigredo verò congregandi,& cum vim illam seruet,dum deinde a phantasia per subnotionē, vt nobis aduersa, vel congruens iudicatur, facultatem habet alterandi spiritus, ac ita vel calefaciendi per lætitiam, vel refrigerandi per dolorem, calefaciendo extendit spiritus pro consequutione, refrigerando contrahit pro fuga, ac inde prodit pulsio,vel tractio instrumentorum,constituens motum partium,pro assequendo,vel vitando Obiecto,non secus ac per timorem,verecundiā, & iram, modo vario inspicimus alterari,& moueri spiritus. Eandem sententiam profert, & approbat Auicenna in 6.naturalium,parte 4.cap.4.inquiens, vim æstimandi formatam Obiecto alterare temperamentum, calefaciendo, vel refrigerando: veluti inspicimus infirmum,existimantem se conualescere,per solam illam existimationem,& Phantasiam,nonnunquam conualescere, & sanum, putantem se ægrotare,in ægritudinem labi. Similiter experientia constat, ob conceptum timorem,non valere hominem ambulare per trabem, super fluuium pro ponte positam,& ambulare super eam in via supra terram collocatam. Et addit,vim imaginandi adeo esse potentem,vt mouere valeat,nedum spiritus, & corpus viri imaginantis,verum etiam alienum,vt patere ait de fascinantibus. De admirabili hac sententia duo occurrunt consideranda: vnum,an semper animalium motus fiat per antecedentem illam alterationem,ab Obiecto factam. Alterum,an res in esse cognito facultatem habeat alterandi. A' primo ordiens, duo statuenda censeo: Vnum est,præcurrentem illam alterationem nō esse satis pro motu nostra sponte efficiendo præcurrere,& anteire. Quod non sit satis,patet: quia ea alteratio ex Obiecto prodit per naturam operante,quæ non est in facultate nostra,& propterea non debet iudicari congruēs origo,& causa motus, ad libitum efficiendi. Insuper sæpè accidit,quod spiritus ab Obiecto Phantasia apprehenso mouentur vno modo,cum tamen homo ratione directus, secus sua sponte moueat corpus,vt accidit de viro timente,& pericula simul subeunte,ac dimicante. Insuper manente eadem spirituum alteratione, valet Homo ad libitum, in partes oppositas,& trahendo,& pellendo instrumenta, mouere corpus, idem autem,eodem modo se habens,non est per se causa oppositorum.Quod etiā præcurrens illa alteratio non sit necessaria, patet experientia: frequenter enim nos absque vlla antecedente propria spirituum alteratione,ad libitum quo voluerimus tendimus: nam sat est,vt præcurrat communis ille motus spirituum, ex caloris feruore per naturam prodiens.Insuper potest Homo etiā nullius finis gratia,aliquando ambulare,mouere membra,& cum nullius finis gratia moueatur, non adest Obiectum in Phantasia quod alteret; Demum, quamuis præcurrens alteratio sit eadem,tamen membra tractione,& pulsione mouentur,tractio,& pulsio sunt duo opposita,quæ ex eadem alteratione prodire non valent,refrigeratio enim solum contrahit,calefactio solum extendit,ideo ex eadem alteratione,tractio,& pulsio prodire nequeunt.Dicamus itaque (vt ostensum est in præcedentibus) originem,& principium motus ad libitum efficiendi, esse conditionem animæ operantis per cognitionem & appetitum, quæ est integra,& proxima ratio mouendi spiritum,etiam nulla præcurrente ab Obiecto concepto,propria alteratione.

De imperio phantasia. *Auicēna.* *Duo cōsideranda.* *Cōclusio.*

Cap. XXII.

An Obiectum in esse cognito vim habeat alterandi.

EX duobus, quæ in præcedenti capite declaranda proposui, vnum fuit declaratum, patuit enim proprium & necessarium principium motus animaliũ, non esse alterationem ab Obiecto cognito factam. Alterum modo superest explicandum, *An Obiectũ in esse cognito habeat vim alterandi.* obscurum profecto, & explicatu difficilius, an scilicet Obiectum in esse cognito vim habeat alterandi? Aristoteles in libro de motu animalium, id conspicue affirmat, vt constat ex cap. 4. & 5. & latius ex cap. 8. inquit enim cap. 5. Instrumentarias partes passiones aptæ parant, appetitus autem passiones, appetitum vero imaginatio. Hæc autem fit aut per Mẽtem, aut per Sensum, simul *Aristoteles.* autem, & cito fiunt, quia efficientia, & patientia eorum sunt, quę secundum naturam operantur, &c. Insuper addit in eodem cap. intentionem aut imaginationem prosequendorum, vel vitandorum, necessario sequitur calor, & frigus. & cap. 4. ait: latio vltima est, eorum quæ in animali fiunt, nam mouetur animal ap- *Auicena.* petitu, aut electione, alterato aliquo per Sensum, & imaginationem. Auicenna luce clarius id approbat, experientia manifestè idipsum confirmat: nam vt ait Philosophus in procem. de anima, atra bile vexati, ob aduersas formas, quæ eorum Phantasiæ offeruntur, etiam nullo imminẽte periculo timent; Experimur in somnis per imagines Phantasiæ oblatas, dormientes modo vario alterari, excitati ad venerem, vel ad alia. Similiter experientia docet, mulieres vtero gerentes, sola Phantasia, & desiderio alicuius rei, modo vario alterare fœtũ, vestigiaq; & colorem rei optatæ in eo imprimere. Propterea fertur, ex Phantasia, & appe- *Rationes aduersa.* titu veneficia præsertim vires suscipere. Ex aduerso tamen id fieri posse non videtur, primo, quia si Obiectum in esse cognito vim haberet alterandi, tunc secus operaretur, ac esset, cum enim sit spiritale aliquid, operaretur modo materiato. Præterea, si res in esse cognito alteraret, tunc Ignis, & Glacies Phantasia apprehensa maxime calefacerent, & refrigerarent, quod experientia constat esse falsum. Similiter statim quod bella & incursiones hostium imaginaremur, timore turbaremur, quod tamen non accidere affirmat Arist. in 2. de anima, 154. Demum agens, & patiens debent habere communẽ materiam, at spiritale, & Materiatum non sic se habent. Insuper alterantia opposita, mutuo se repellunt: at valemus nos sine vlla pugna simul calorem, & frigus imaginari. Accedit ad hæc, ꝙ minimè videtur rationi consentaneum, Phantasiam etiam in aliorum corpora agere posse: quod tamen approbatur ab Auicenna, & ab aliis nonnullis constanter affirmatur, qui inquiunt, sola Phantasia excitari posse ventos, equites in terram prosterni, & similia fieri, quæ ob admirationem, Dęmonum ope facta iudi- *Tres conclusiones.* cantur. Res profecto est ardua, & obscura valdè. De qua vt proferam quod sentio, tres Conclusiones enuncio: prima est, Res Phantasia tantum apprehensa, sine subnotione quod sit aduersa, vel conducens, & sine assensione, non habet facultatem alterandi. Altera est, Res Phantasia apprehensa, cum subnotione, & assensione, vim habet primo mouendi spiritus ope animæ, mox alterandi eos, & corpus imaginãtis. Postrema est, Res Phantasia cõcepta, etiam cũ subnotione, & assensione corpus aliquod externũ sine medio alterare, & mouere non valet, *Prima conclusio.* per mediũ verò aliquod, id valet efficere. Prima Conclusio conspicua est authoritate Arist. in 2. de anima, 157. dicentis, per solã Phantasiã nos minime moueri. Id ipsum patet experiẽtia, frequenter. n. & incẽsiones, & bella, & Cerberos sine vllo

vllo timore imaginamur. Confirmatur ratione: quia alterans est forma Materiata, agens in contrarium per contactum, vt constat ex primo de Ortu, & interitu, at obiectum in esse cognito, non est huiusmodi, non enim est vel calidum, vel frigidum, quamuis sit notio, vel vnius, vel alterius, nec notio calidi alterat notionem frigidi: sola itaque rerum notio nequaquam nos alterat, nisi eam sequatur subnotio aliqua, & assensio.

CAP. XXIII.

Explicatur Secunda Conclusio, & declaratur quomodo per Phantasiam alteremur.

DICEBATVR secundo loco, rem Phantasia conceptam, cum subnotione, & assensione, vim habere mouendi spiritus, & alterandi: hoc patet experientia, quilibet.n. cum in se, tum in aliis experitur, per rem Phantasia apprehensam, vel ob naturalem quandam cōsensionem, & dissensionem, vel ob eandem iudicio, & assensione approbatam, variis modis intrinsecus commoueri, erubescere, expallescere, contremiscere, aliisque similib. commotionibus agitari. Sed hoc ambiguum, & dignum consideratione est, cum in commoti animalis corpore, & latio spirituū, & alteratio appareát, quid eorum pręcurrat, num alteratio, vel latio? Censent nōnulli, alterationem præcurrere, & eam sequi lationem spirituum. Quæ sentētia per iam dicta, reiecta est, iam.n. in pręcedenti cap. apparuit, obiectū in esse cognito non habere vim calefaciendi, vel refrigerandi. Quod præcurrat alteratio, verum quidem est de motu naturali spirituum, qui ex caloreCordis feruoreq; pendet, non de motu nostra sponte facto, excitato ab Obiecto; Quod confirmatur: quia incorporea non alterant, sed tantum corpora; Hinc quamuis intelligentiæ statuantur motores primi, non ob id dicūtur prima alterantia, sed hoc Cęlo tribuitur. Cęlum est primū alterans. Ideo in 2. Physi. 26. Sol, & Homo dicūtur generare Hominem, nomine Solis denotando primum alterans, non primum mouens, generatio.n. est finis quidam alterationis, sic etiam putandū est, Dęmones nō posse sua virtute proximè alterare corpora, sed solum per alia corpora media. Quare dicendum puto, Obiectum Phantasia apprehensum per appetitum primo mouere spiritus, vel eos contrahendo ad Cor, vel a Corde in vniuersum corpus effundēdo, condensando eos, vel rarefaciendo, quod cum fiat, quia spiritus sunt calidi, & vim habent calefaciēdi corpus nostrum, iure optimo partes, quas deserunt, derelinquūt frigidas, & eas calefaciunt, in quib. recipiuntur: ac ita putandū est ex re Phantasia concepta, & optata, alterationes pendere: veluti dum mulier vtero gerens, optans lac, vel vinū, imaginē rei optatæ in fętu effingit, idque fit, non quia notio lactis alibi dealbet, sed quia per notionem, & desiderium commouentur spiritus, excitantur, & diriguntur ad id alteratione efficiendū. Similiter dum laborantes fidē medico prębentes, & putantes se reddi sanos, facilè sanātur, quia excitantur spiritus, & cuncta diriguntur ad id efficiendum, nā primæ qualitates solū prodeunt ex actione corporū, non ex sola notione, qualitates verò secundę, prodeunt ex primis. Res itaq; Phantasia apprehensa habet quidem facultatem alterādi, at non primo, & proximè, sed per mediam lationem spirituum eorumq; condensationem, & rarefactionem, & alterationem. Et propterea ad Aristotelem in lib. de communi animalium motu dicentem, obiectū in esse cognito alterare, & seruare faculta-

Cōclusio secunda.

Dubitatio.

Sententia propria.

Cōclusio.

tem Obiecti. Respondeo, nil aliud denotasse, nisi id quod dixi, vt semetipsum explicat, dum patefaciendo ordinem inquit instrumentarias partes passiones aptè parant, appetitus autem passiones, appetitum vero imaginatio, adeo vt antecedat imaginatio, succedat appetitus, qui est motio spirituũ, sequatur deinde alteratio instrumenta parans. Ex quo cõstat ratio, cur nonnulli, qui incantationibus viros vulgares illudunt, præcipiunt, vt fidem eis adhibeant, nam per adhibitam fidem, frequenter intrinsecus commouentur spiritus, & parantur ad id alteratione efficiendum, quod expetunt, vt dixi de laborãtibus medico fidem adhibentibus, & inde etiam oritur, quod quædam vim habent in vno, & non in altero: nam incantationes præsertim vim habent in quibusdam aniculis, quarum fides (vt ait Auerroes) firmior est & constantior.

Cap. XXIIII.

Explicatur conclusio tertia, Phantasiam non posse sine medio distantia mouere.

Quomodo Phantasiam extremũ operari valeat.

DICTVM est tertio loco, Phantasiam quouis obiecto formatam, in extremum corpus sine aliquo medio operari non posse, per medium verò idoneum id posse facere. Quæ conclusio cum constet ex duabus partibus, ostenditur pro prima parte, quoniam ex primo de Ortu, & interitu nil agit in extremũ, nisi sua prima operatione agat in medium, omne enim agens agit per contactũ, quare Phantasia vnius, non valet alienum corpus sine medio mouere, vel alterare. Confirmatur: quia agens, & mouens debet dominari patienti, & moto, nõ tangens alienum corpus, non valet ei dominari. Præterea dum dicimus Hominem aliquem sua Phantasia mouere alium ab eo seiunctũ, quæro quid est mouens, num notio obiecti, vel Phantasia, vel spiritus eius? non obiecti notio, quia idest forma, sine materia, solũ operans per Phantasiam animalis. Non Phantasia, quia ea non mouet sine corpore, cui iuncta est, compositum enim est quod agit. Non spiritus: quia dum dico Phantasiam non mouere distantia sine medio, suppono spiritus non exire. Non itaq; potest Phantasia corpus aliquod distans alterare, vel mouere. Erat secunda pars conclusionis, Phantasiam id posse facere per medium aliquod, & hoc contingere potest dupliciter, vel per medium aliquod excitando Phantasiam alterius ad imaginandũ aliquid, & dirigendos spiritus ad aliquid efficiendum siue recipiendum, vt accidere dixi, dum præstigiator curat vt patiens ei fidem adhibeat, ita quoque sono tubæ excitantur equites, ad strenue dimicandum. Vel id fieri potest, constante quadam imaginatione, & affectu infectos spiritus per os, vel oculos emittẽdo; ac per eos externa inficiẽdo: sic aniculæ quædã veneficæ, ne dum manibus, verum ore quoq;, & oculis molles præsertim infantes manifestissime lædunt, veluti etiã in lib. de Somniis Aristoteles dixit accidere fœminis, quæ menstruorum tempore spiritibus ex oculis prodeuntibus, speculum fœdant. At pro cumulatiore notitia virium Phantasiæ, & causarum motuũ admirabilium, digrediendum aliquantulum duxi, & cõsiderandum, quomodo per principia Peripateticorum ea seruari, & fieri posse putandum sit, quæ sæpè incantationibus fieri dicuntur, cum tamen sine vllo tactu, maleficus in ea quæ distant, agere videatur. Qua de re multa dicuntur ab Auicenna in sexto naturaliũ, parte 4. c. 4. multa a conciliatore, præsertim differẽtia 135. & 156. necnon a Marsilio Ficino, in lib. de triplici vita, & vita proroganda, & longe

Aniculæ Veneficæ.

De Veneficiis.

longe plura a Pomponio in lib. nefando de incantationibus. Nam aiunt nõnulli sola Phantasia, & incantationibus, non moto medio, posse incantatorem deiicere hominem in puteum, ex equo in terram, sanare laborantem, insuper solis verbis, sine tactu euellere sagittã alteri infixam, quam Chirurgus manu euellere non valeat, & per verba in aure tauri prolata, prosternere taurum, & alia similia posse agere, quæ longum esset referre. Horum nonnulla fieri Sensibus constat, quomodo fiant, nec quidem ratione assequi valemus. A variis modi varii afferuntur, quorum nonnulli cum fundamento vllo non nitantur, sunt negligendi, nonnulli verò aliqua ex parte approbandi, de quibus hoc constanter affirmare debemus, quod Philosophi destituti lumine fidei, de nonnullis veritatẽ exactè inspicere non valuerunt. Ego itaque verissima ea sola esse putans, quæ a sacris Theologis desuper illustratis approbantur, nonnulla ex Peripateticorum fontibus haurire, in mediumque afferre non recusabo.

Cap. XXV.

Capita opinionum de causis motuum admirabilium, & vi maleficiorum.

VT opinionum capita elucescant, simulque constet, quæ earum approbandæ, quæve reiiciẽdæ sint, altius sumpto exordio, ita dicendum puto. Facultas apta mouere aliud, a mouente seiunctum, vel prodit ex conditione agentis, vel patientis, vel medii, si ex conditione agentis, emergit opinio Auicennæ in sexto naturalium dicẽtis: cum homo fuerit rectè affectus munere animæ rationalis, admirabilia facere valet, cum. n. anima rationis particeps supra corpus sit eleuata, ex corporeq; non pendeat, per naturam apta est dominari corporibus, nam vt enunciauit Anaxagoras, & approbauit in tertio de anima, cont. 4. & in 8. Physic. 37. Aristoteles mens non mixta cum Materia dominatur corpori, ideò iure homo vitiis non inquinatus animoq; purgatus, & rectè affectus, sola animę virtute videtur posse imperare, ne dum suo, sed alienis quoq; corporibus, eaque ad libitum mouere, ac insuper, quia anima cũ sit immortalis, & incorporea, nec loco, nec tempori subiicitur, æquè in ea quę distant, ac in proxima agere potest. Huc tendit sententia illa Zoroastri dicentis: Si flagrantẽ ad pietatis officia mentem intenderis, labile quoque copus seruare valebis. Academici censent huius rei se congruentissimam tradere causam, inquiunt enim animam purgatam eleuari ad Mentẽ, nectì cum illa, & cum Ideis eius, & quoniam Ideæ sunt principia ex quib. res pendent, ideo munere Idearum valent eis præesse, & imperare, quæ ex illis pendent. Si autem ex aduerso vis motrix ortum ducit ex patiente, inde prodit fundamentum illud Magorũ, præcipientium patienti, vt eis, eorumque verbis fidem adhibeant, & quoniam aniculæ, & viri vulgares constantem eis fidem præbent, ideo in eis Magia maiorem habet vim, per Phantasiam enim mouent spiritus ad id efficiendũ, corpusq; disponunt ad recipiendum. At si tertio vis mouens prodit ex medio aliquo, id medium, quo magus operatur, vel est ei internum, vel externum, si internum, si voce, sono, cantu, nonnunquam curãtur languentes, ac etiam tactu, sputo. Similiter fascinantes, nonnunquam pestiferis spiritibus lædunt pueros: si verò id medium fuerit externum, vel est Physicum, vel supra naturam: vel infra eam, si fuerit Physicum, inde oritur ea approbata Magia, quæ dicitur Physica, & vsus Physicæ, si fuerit supra naturam mor-

Opinio Auicennæ.

Zoroaster.

Academici.

Ex patiente.

Ex medio.

Magia Astronomica superstitiosa. talem, vel est corporeum, vel incorporeũ, si corporeum, inde oritur Magia Astronomica vtens superstitiose, & maniter variis figuris, imaginibus, & characteribus, sub definito stellarum aspectu formatis: si id medium fuerit incorporeum, vel est primũ, ex alio non pendẽs, vel pendet ex alio: si primũ fuerit, inde *Sententia Vera.* oritur vera sententia nostrorũ Theologorum, enunciantium virum sanctum, & pium, multa agere virtute omnipotentis Dei, ita signa credentiũ esse dicuntur transferre mõtes, nõ lædi a venenis, & similia, si huiusmodi incorporeũ nõ fuerit primum, vel est rectè, vel perperam affectũ, si recte, sic ex sententia Theolo-*Sententia Academicorũ.* gorum multa agimus ope angelorum, curæ hominum destinatorum. Et ex sententia Gentilium, & Academicorum, magna ex parte negligenda & despiciẽda, Magi multa agunt virtute vel animorũ Cœli, vel proborum Dæmonum, idq; posse fieri censent modis variis, vel enim (ex eorum sententia) ipsæmet Magorũ animæ formãtur anima vel mente Saturni, Martis vel alterius, ac ita formatæ virtutisque earum redditæ participes, mirabilia efficiunt, eaq. varia, ob varietatem cœlestium Mentium, quarum virtutẽ sunt prædit. Vel id efficiunt per Cabalistica nomina, Cœlorum mentibus respondentia, & inde virtutem recipientia, vel per varios characteres, imagines, figuras, vel numeros, quæ omnia inquiũt facultatem ex Cœlorũ animis haurire, vel medio lumine, & motu, vel mediis influxibus, vel proxime ex ipsismet Cœlorum animis, quibus Magorum animæ conditione, & affectu sint iunctæ, & affines. Si verò huiusmodi incorporeum, & non primum deprauatum fuerit, inde oritur Magia diabolica, perniciosa, superstitiosa, & detestanda; vtens modis, & mediis variis: quos referre superuacaneũ esset. *Statua Dedali.* Si demum tale medium infra naturam fuerit positum, inde prodeunt admirabiles motus ex arte pendentes, per quos statuæ Dedali (vt ait Plato) nisi fuissent ligatæ fugiebant, columba lignea Archimedis volabat, variæ imagines supra tabulam positæ ambulant, Liramq; pulsant, aliaq; multa non sine præclara admiratione mouentur. Et quoniam hæc omnia supra communes hominũ vires posita videntur, nec sine sublimi, & latente aliqua sapientia iudicantur posse fieri, quæ sublimis sapientia, dum admirabilium operum est principium, Magiæ no-*Magia.* mine honestatur, inde si tale nomen late vsurpatur, varii Magiæ gradus se nobis offerunt. Nam Magi nomen, nec Latinum, nec Græcum fertur, sed a Persis formatum, apud quos idipsum denotabat, quod apud vetustiores Græcos Sapiens, & apud Pythagoram Philosophus, præsefert tamen Magia relationem ad opus aliquod arduum, & admirabile efficiendũ, & propterea dicitur fructus, & vsus *Psellus.* sapientiæ. Ideo Psellus, in calce lib. de Dæmonibus, ait: Magia est facultas quædam, quæ Græcis visa est plurimæ potestatis, tradunt enim hanc esse extremam sacerdotii portionẽ. Hæc a nonnullis duplex ponitur, vna Dæmonũ, altera Physica: at hi diuinam prætermittunt, quæ si additur, triplex consurgit. Et quoniam Magia est coniunctio quædam agentiũ, & patientium, inuicem comparantium, *Diuisio Magia simplex.* ad efficiendum aliquid per sui conditionẽ, & naturam, latenter tamen, & cum admiratione, ideo diuidi posset in simplicem, & mixtam: simplex est triplex, prima est cõnexio spiritus cum spiritu, vt humanæ Mentis cum Angelica, siue vnius influxus cum alio; Secunda spiritus cum corpore, vt influxus cum aliqua definita materia congruenter ei respondente. Tertia corporis cum corpore, vt seminis *Mixta.* cum Terra, prima potest dici diuina & spiritalis. Altera Astronomica. Tertia Physica, ex his consurgit mixta, quæ vel ex duabus tantũ constat, vel ex omnib. tribus modo vario. At si distinctius ad Magiam redigere volumus modos omnes, & causas admirabilium motuum, sapientiam aliquã præseferentium, quas

ego enumeraui, decem Magiæ gradus assignare valemus. Nam prima est magia diuina, vtens munere, & virtute Dei. Secunda, Angelica, vtens virtute intelligẽtiarum, Angelorum, proborumq; Dæmonum. Tertia Astronomica, vtens virtute stellarum. Quarta rationalis, prodiẽs ex animæ rationalis facultate. Quinta, Physica ex virtute Naturæ, rerumq; natura constantium pendens. Sexta, Arithmetica in numerorum facultate collocata. Septima Geometrica, posita in virtute figurarum, Octaua Cabalistica dici potest, in nominum veterum proprietate, & virtute posita, quãuis.n. Cabalæ nomen alia quoq; significet, ad aliaque extendatur, maximè tamen in nominum virtute, & interpretatione refulget. Nona est Dęmonica prauorum Dæmonum facultate vtens. Decima est Artificiosa, ex arte pendens. Hi sunt decem simplices gradus, noti ex prius dictis, ex quibus multi mixti consurgere solent, quorum nonnulli detestandi sunt penitus & explodendi, & illi soli sunt approbandi, quos Sacra Concilia, & illuminati Theologi commendant & approbant. *Decem Magiæ gradus.*

Cap. XXVI.

Breuis consideratio enumeratorum modorum, quibus admirabiles motus fieri posse dicuntur.

TRIA apparuere capita prima, ad quæ modi omnes redigũtur, quibus facultas aliqua distantia corpora mouet e posse iudicabatur: Vel enim id pendet ex facultate mouentis, vel mobilis, vel medii, per quæ capita aliquantulum digrediens, a primoque ordiens, Auicennam inuenio, & cum eo sapientiores, Arabes, necnon Zoroastrem, dicentes, animam rationis compotem sui conditione dominari corporibus, non subiici tempori, non impediri a locorum distãtia, & ob id dum se corpori non mancipat, sed conditionem suam incolumem a vitio seruat, valet imperare corporibus, & in ea, quæ distant, non secus ac in proxima agere, sic Apollonius Thianeus, quem D. Hieronymus in Epist. ad Paulinum, Magum, & Philosophum appellat, ex Vrbe Roma, quę in finibus Mundi fierent, dicebatur videre, & inspiciendo Lunã profitebatur se loqui cum illis qui longe distarent. Hoc primum caput profectò reiiciendum est, primò, quia particulares animæ a communibus Cęlorum animis, hac conditione seiunctę sunt, vt communiores præsint communioribus, particulares verò, suis tantum particularibus corporibus. Præterea Mens nobis iuncta sine Phantasia & instrumentis eius non mouet, eleuata autem supra Phantasiã, & corpus, Phantasmateque non vtens, quia sic nobiscũ iuncta non est, si aliquid tunc ei competit, id nos animaduertere non valemus, & ob id non valemus vel videre distantia, vel cum distantib. loqui. Insuper ait Aristoteles in primo de anima, 65. Mentem nec addiscere, nec operari, sed hominẽ per illam, quare longe minus poterit illa sola mouere distantia. Accedit ad hæc, quòd solus Deus Deiq; virtus, non est circũscripta loco, cum ipse solus sit vniuersi vita, & cunctorum principium. Hinc solus dicitur esse vbiq;; at particulares animæ quamuis ex corpore non pendeant, tamen quia particulares sunt, & sola virtutis parte præditæ, ibi solum operari valent, vbi sunt, non autem in ea, quæ distant, nisi per idonea media. Primum itaque caput constans, & firmum non est. Si ad alterum conuertimur, pertinẽs ad conditionem rei, quæ mouetur, profectò hoc firmius esse videtur, nam laborans fidem adhibens Medico, & viri populares fidem adhibentes variis inanib. *Auicenna.* *Apollonius Thianeus.* *Primum caput reiiciendum.* *De 2. capite.*

incantationibus,& a Medico & a Mago non tangente, motibus variis moueri possunt, quatenus ob assensionem,& fidem illam, per appetitum excitantur, diriguntur,& mouentur interni spiritus ad id efficiendum, quod expetunt, vt etiã in præcedentibus contingere dixi de muliere vtero gerente, vestigium rei optatæ per intermedios spiritus in fętu formante. At transeamus ad tertium caput, quod latius,& obscurius est, dicebatur tertio loco, posse moueri distans per medium aliquod. Hoc medium vel est aliquid ipsius mouẽtis. vel ab eo distinctum, si est aliquid ipsius mouentis, sic multa profecto fieri possunt per alteratos spiritus, vt veneficæ flatu,& humore oris lædere possunt, non secus ac contagiosis morbis inspicimus proximos lędi. Similiter etiã cantu nonnulli sanantur. Musica.n. mirum in modum valet ad excitandos spiritus componendosq; animi affectus vt in 8. de Rep. docet Aristoteles. Si vero tale medium fuerit externum,& a mouente distinctum, id potest esse multiplex, vel enim est aliquod corpus, vel incorporeum, si fuerit corpus, vel erit Physicũ,& mortale,& inde oritur Magia Physica, quæ rectè sumpta a sapientib. omnib. approbatur, cum sit vsus Physicę, hymeneusq; Naturæ, cuius agricultura,& ars Medendi sunt partes principaliores. Si verò id mediũ fuerit corpus, Physicum æternum, quale est cęlũ,& Stellæ, inde oritur Magia Astronomica, vtens imaginib. variis & figuris, quas censent facultatem,& vires recipere a cęlo,& Stellis virtutem illam influentib. sic Excellentiss. Petrus Trapolenus vna cũ Alberto affirmauit, figuras illas operari virtute Cœli, qua de re multa legi possunt apud Marsi. Ficinum in lib. de triplici vita. Hic modus a variis Astronomis approbatur, re vera tamen multa includit leuissima,& inania penitus, quę & cum Peripateticorum principiis,& cum Decretis Theologorum apertissimè pugnant. Nam homo liber est, nec figuris ex cęlo facultatem recipiẽtibus ita subiicitur, vt per eas ad libitum alterius moueri possit. Insuper, Cœlum alio instrumento non operatur nisi lumine,& motu, lumen autem,& motus huiuscemodi figuris,& imaginib. non valent eam facultatẽ impartiri, qua nec ipsa prædita inspiciuntur,& præsertim, quia sunt instrumenta communia, vniuersè tantum ad rerum conseruationem ortum,& interitũ conspirantia. Demum figuræ illæ,& imagines, cum nec motum, nec lumen seruent, etiam eorum virturem seruare nõ valent,& præsertim, quia figura,& numerus inter efficientia non numerantur, non enim operantur nisi facultate rei figuratæ,& numero præditæ. Sententia itaque hæc conditioni hominis, luminis, motus, figurę,& omnium cum his connexorum, manifeste aduersatur, adeò, vt hac ratione pateat Magiam Geometricam, Arithmeticam,& Astronomicã, vt sunt seiunctæ à Physica, nullius esse roboris,& explodendas penitus. At si medium fuerit incorporeum, supraq; naturam positum, vel id non pendet, vel pendet ex alio. Si non pendet, huiusmodi est solus Deus, solo supero lumine aptus rectè omni ex parte a nobis apprehendi, cuius virtus cum sit immensa, nilque in Vniuerso reperiatur non pendens ex eo, iure nec loco, nec tempore est circumscriptus, sed supra omnia collocatus, distantias locorum distinctionesque temporum indiuidue includens; est enim ipsamet æternitas,& ipsum vbique, ideo valet sine medio in quoduis agere. Aristoteles tamen supero lumine destitutus, alterius fuit sententiæ, statuit enim, inter causas ordinem essentialem, adeo vt prima, sine secundis in distantia operari non valeat. Non defuere tamen humanorum sapientum nonnulli, qui eminus saltẽ veritatẽ illã inspexere,& quemadmodum Cabalistæ Hominem præterquam a ratione, etiam a Diuino quodam radio nonnunquam illustrati enunciarunt, ita Plato,& cum eo Acade-

micl

De 3. capite.

Magia Physica.

Petrus Trapolenus.

Per medium incorporeũ.

Aristoteles.

mici omnes animam à supera Mente perfici affirmarunt, quam Hebræorum sapientes nuncuparunt spiraculum vitæ, sub vmbra id indicantes quod D. Ioan. c. 1. Euangelicæ historiæ expreßit, inquiens, Erat Lux vera, quę illuminat omnem hominem, &c. Ad hoc itaque superum medium Philosophis tantum sub vmbra notum, non valent confugere Peripatetici. Si vero id medium fuerit incorporeum, rectè affectum, pendens tamen, huiusmodi etiam medium Peripatetico non inseruit. ex Aristotelis enim falsa sententia non dantur aliæ separatæ Mentes à motoribus cœlorũ distinctæ, quas etiam sine motu, & lumine, in hæc mortalia operari non censuit; & miror Petrum Pomponatium vnà cum præceptore suo Petro Trapoleno, qui in Peripateticorũ Academia floruerunt, tam insignes figuris, characteribus, & imaginibus vires conceßisse, ex cœlo, cœliique intelligentiis haustas. Hoc medio vti voluerunt, & frequẽter vsi sunt Ægyptij, & cum eis Plato, qui Dæmones in parte nouerunt, & eorum virtute à Mago multa fieri posse dixerunt. Recte tamen mediũ hoc nostris Theologis est notum, dicentibus, multa fieri ab homine religioso, sancto & pio, auxilio Angelorum curæ hominum dicatorum. Si verò id medium fuerit incorporeum, & pendens, at perperam affectum, huiusmodi sunt asseclæ Luciferi, rectè noti nostris Theologis, minus rectè Academicis, minimè verò Aristoteli. Ex his prodeunt illusiones variæ, variaq; attinentia ad diabolicam Magiam, detestanda penitus, & longe plura ante Christi aduentum prodiere. Si demũ tale medium infra naturam fuerit positum, sic profectò varia admirabilia, vel manuum dexteritate, vel earũ velocitate, vel circuli virtute effici possunt, de cuius circuli facultate varia ab Aristotele sub initio Mechanicarum quæstionum explicantur. Ex his primo constare puto, prima capita principiorum admirabilium motuum, Secundo conspicuum est nobis, supero lumine illustratis, quid de singulis sit sentiendum. Demũ constat, ad quæ Peripateticus per concessa ab Aristotele confugere valeat, dum eorum motuum cupit causas aßignare, vti profectò potest Peripateticus, suis terminis circumscriptus, primo viribus Phantasiæ, & appetitionum, in pręcedentibus patefactis. Secundo, facultate spirituum hominis modo vario alteratorum. Tertio, Magia naturali in facultate variarũ rerum per naturam operantium collocata, ad quam in parte redigitur vis motus, Luminis Cœli, vocis, & similium. Quarto vti valet varietate temperamentorum, & humorum, ac præsertim Atra bile, varias Phantasias imagines offerẽte, quod etiam in parte ad Physicam Magiam redigitur. Quinto, confugere valet ad artes, quibus vel sensus illuduntur, vel varia admirabilia fiunt. Sextò demum, aliqua ex parte vti valet conditione humanæ Mentis, quæ cum sit iuncta cum superis mentibus, suiq; natura ad verum & bonum sit facilis, munere huius interni contactus, connexionisq; cum superis, ob quam ait Arist. in decimo Nicom. virum sapientem esse amicũ Deo, ab eoq; visitari, valet homo rectè affectus, animoq; purgatus futura vaticinari, reddi bene Fortunatus, insigniaque Arcana reuelare, at non distantia corpora mouere. Hæc ea sunt, quibus motuum admirabilium daturus causas, valet Peripateticus vti: quæ si dubitationem omnem è medio penitus tollere nõ sunt apta, absolute fatendum erit, Aristotelem, vt hominem, non cuncta exacte nouisse, & propterea in lumen desuper infusum animi aciem esse conuertendam, à quo ego donec spiritus hos reget artus, nunquam recedam.

Reijcitur sententia Pomponatij.

Asseclæ Luciferi.

Artificiosa Conclusio dictorum.

Inseruientia Peripatetico.

Cap. XXVII.

An motus omnis fiat Tractione, & Pulsione.

SENTENTIA est Aristotelis in tertio de Anima, 55. & in lib. de Motu Animalium, cap. 6. à me in præcedentibus sæpè repetita, motum omnem Animalium de quo est sermo, fieri tractione, & pulsione, & iure optimo profectò: motus enim Animalium non fit sine violentia partium corporis; motuum autem violentorum prima simpliciaque principia sunt tractio, & pulsio, ex his pendet vectio, & vertigo, vt constat ex 7. Physic. Hæc tractio, & pulsio in variis ad motum Animalium conspirantibus lucide apparet, primo refulget in Obiecto, id enim vel ad se appetitum trahit si gratũ fuerit, vel à se repellit si fuerit molestum & aduersum, ac inde oritur prosequutio, vel fuga: ita trahit sua quemque voluptas; repellit autem dolor, & molestia obiecti. Secundo, eadem tractio, & pulsio modo corporeo, & per naturam apparet in Corde, quod continenter mouetur per extensionẽ & contractionem, quæ sunt tractio quædã, & pulsio. Tertio apparet in spiritibus, qui cum facilè rarefiant, & condensentur, eorũ rarefactio est quædam pulsio, condensatio vero tractio quædã, siue contractio. Quarto loco, manifestius apparet in Musculis, cordis, & ossibus, musculi enim, & Cordæ, vel trahendo, vel relaxando mouent mẽbra. Quinto consideratur pulsio & tractio in externis instrumentis relatis ad externum quiescens, dum enim ambulamus quiescente sinistro pede, incipit moueri dexter, vt calidior, & mouetur per pulsionem factam à sinistro in terra quiescente, mox quiescente dextro, trahitur sinister, & ad anterius repellitur. Insuper tractio, & pulsio vt in interna origine. Sexto consideratur in Anima, quæ in corde, vt in arce locata, membra mouet, vel ea ad se trahendo, vel à se repellendo. Ex his elicere valemus explicationem sententiæ Aristotelis in 7. Phys. cont. 10. dicentis, simulque patet non esse aliud genus motus, quam concretionem, & secretionẽ: quo loci Alexander (referente Simplicio) dixit, concretionem & secretionem esse communissimas mutationes, quibus verbis Aristoteles, & Alexander nil aliud denotare voluerunt, nisi cõcretionem, & secretionem spirituum, ex quibus prodit tractio, & pulsio, quæ vt propriè sunt principia motuum animalium, qui sunt Mundi parui, ita quoque modo aliquo sunt principia motuum magni mundi, vt in progressu constabit, & apertissime sunt principia motuum arte factorum. Eandem veritatem indicauit Aristoteles in octauo Physicorũ quinquagesimoquinto, & septuagesimoseprimo, contextibus, si recte verba eius considerantur, nec loquitur Aristoteles ex aliorum sentẽtia, vt multi censent, sed ex propria, vt patefeci, & lucidius patebit.

Motum fieri tractione & pulsu. — *Prima tractio.* — *Secunda tractio.* — *Tertia tractio.* — *Quarta tractio.* — *Quinta tractio.* — *Aristoteles.*

CAP. XXVIII.

Quatuor proponuntur difficultates ad proximè dicta pertinentes.

EX consideratione rerum difficilium, semper nouæ prodeunt ambiguitates; difficilia sunt hæc, in quibus versamur, ideo ex dictis in præcedente capite quatuor ambiguitates se nobis offerunt diluendæ. Primo dubium est, an de solo Animalium motu, vel etiam de motu cæterorum id verum sit, quod fiat tractione, & pulsione. Altera est, cum Aristoteles in 7. Physic. tractionem, & pulsionem numeret inter motus violentos, & modis illis moueantur Animalia, num motus eorum sit violentus, vel secundum naturam, vel mixtus? Tertio dubitatur, cum motus in optatum finem ducat, & debeat Animalia perficere, cur ea tam facilè defatigantur, cum grauia, & leuia nequaquam defatigari, sed potius perfici videantur, dum suo motu mouentur. Demum quæritur, cur Animalium motus non in principio, nec in fine, sed in medio appareat velocior. Pulchra profectò hæc sunt, & scitu digna. Ordiamur à primo. Quærebatur, num Animalia

Quatuor dubia. — *An mo-*

tantùm,

tantũ, vel cuncta absolute tractione, & pulsione moueantur, respondeo, si propriè loquimur, ea tantum, quę violentiam includunt, tractione, & pulsione mouentur: at si latè vsurpamus tractionis & pulsionis voces, latio omnis fit tractione, & pulsione. *An omnia fiat tractione & pulsio.* Vt hæc resolutio lucide pateat, per omne genus motus digrediendum est. Si cõsideramus motus violentos, & arte factos, de eis nulla est dubitatio. *Resolutio.* Similiter considerando motus, cum Stirpanimalium, tum animalium, id manifestissimum est, vt apparuit & iure: nam Animalium motus non fit sine violentia partium, & membrorum grauium, ideo à distincto aliquo moueri debent, distincto dico, vel secundũ totum, vt mota motu violento, vel secundum partes, vt animalia, mota autem à corpore distincto, vel ab eo trahuntur, vel pelluntur, quia id vel ad se, vel à se mouet: hæc autem est pulsio & tractio. Similiter, vermes, & multi alii similis, vel cõtractione, vel extensione mouentur, quæ sunt pulsio quædam, & tractio. Transiens tertio ad lationẽ grauium, & leuium, dum per naturam mouentur, de his dubiũ profectò est, an pulsione & tractione moueantur. Academici qui elementorum sphęras aiunt esse Anima præditas, aiunt dum ea in suum locum redeunt, ab anima suæ sphęræ trahi, à qua per pulsionem fuerunt seiuncta: quam sententiam Simplicius quoque suo more Peripateticos, cum Academicis Concilians, veram affirmat. *De motu Elementorum.* *Simplicius.* At ex aduerso Aristoteles inficiatur Elementorum sphæras propria Anima esse præditas, & rationibus, ac experientia reijcit Elementorũ partes à sua sphæra trahi. Propterea dicamus motum grauium, & leuium non proprie, sed tantum per quandam similitudinẽ tractione, & pulsione fieri, quod non proprie patet, quia motus ille nõ fit sine partium distinctione, pellentium, & pulsarum, quæ in simplicibus corporibus locum non habet: seruant autem similitudinem pulsionis, & tractionis quinq; modis. *Sententia propria.* Primò, ex parte fundamenti: nam grauia cum sint densa, per quandam concretionem facta, & constituta dicantur, quæ concretio est contractio aliqua, & ad medium propensio, similiter rara & leuia secreta modo aliquo dicuntur: secretio autẽ est quędam pulsio, & recessus à medio, & hac ratione de his vera est sententia Aristotelis, quod eorum motus sit secretio quædam, & cõcretio. Insuper est quædam secretio à suo toto, vel cõnexio cum eo. 1. Secundò, consideratur tractio à loco, vt à forma seruant, & fine. 2. Tertiò, lapis descendens, locumque deserens, dicitur in suum locum trahere superiorem aerem, inferiorem verò repellere. 3. Quartò, consideratur pulsio, qua aer succedens in locum descendentis lapidis, à tergo illum pellit. 4. Quintò consideratur pulsio facta à generante, quatenus dans formam, dicitur per eam pellere compositũ in suum locum: hæ tamen per Metaphoram tantum pulsiones, & tractiones dicuntur, similiter si quarto loco de cœli motu loquimur, dicimus per Metaphoram tantum fieri tractione, & pulsione: 5. in Cœlo consideratur duplex quidam eminens tractus, primus inspiciendo motum totius, competentem singulis Cœli orbibus, dicitur enim primum mobile secum ducere, trahere, & rapere inferiores orbes, ideo Astronomi motum illum raptum appellant, ille tamen est raptus eminens, & diuinus, violentiæ penitus expers: propterea est perfectio eorum, quæ rapiuntur, & est æternus. *De motu Cæli.* Altera tractio, & pulsio est, dum orbes non inuicem comparantur, sed cum motore, & hęc etiam est duplex, prima, dum vniuersum cœlum, & secundi motores referuntur ad motorẽ primum, qui sit finis omniũ, cunctaq; perficiat, dicitur cuncta ad se diuino raptu trahere, veluti dixit Dominus: cum ascendero in Cœlum traham ad me omnia, vt vero cuncta ex eo prodeunt, & distant, dicitur pellere. Altera est, dum orbis ad suum proprium motorem refertur, dum

enim Intelligentia orbem reuoluit, ea vt finis, dicitur orbem ad se trahere, vt verò efficiens, à se repellere, & ob id motus ille fit in orbem, & est ab eodem pellente, ad idem ad se trahens. His addere valemus pulsionem quandam, & tractionem consideratam in partibus Cœli; nam vt ait Philoponus, cum quæuis pars, & punctum circuli sit principium, & finis, semper pars anterior dicitur modo aliquo trahere, posterior verò anteriorem pellere.

Cap. XXIX.

An motus Animalium sit naturalis, vel violentus.

An motus Animalium sit secundum naturam. *Academici.*

QVatuor propositarum difficultatum prima soluta fuit, reliquæ diluendæ supersunt, quarum hæc erat principalior. An motus animalium sit violentus, vel secundum Naturam. Vna ex parte videtur secundum naturam, quia est à principio interno, cui competit Definitio naturæ. Altera ex parte videtur violentus, quia est contra propensionem mobilis, nõ enim corpus graue est aptum per naturam eo motu moueri. Academici inter motum secundum naturam, & violentum aiunt mediare motum ab Anima factum, quam non naturam, sed supra naturam, & mediam inter naturam & mentem, esse affirmant. Horum sentẽtia in parte vera, in parte falsa est. Primò est vera, dum natura presius vsurpatur, vt contradistincta ab anima, in qua significatione dicimus motum naturalem in fine reddi velociorem: abest autem à vero, dum natura vsurpatur latius, vt Definitur in 2. Phys. quod sit internum principium motus, & quietis, & longè profectò Simplicius, & cum eo alij nonnulli à vero recedunt, dum Platonem potius, quam Aristotelem sequentes, inquiunt, Definitionem naturæ in 2. Phys. traditam non competere Animæ: at de hoc obiter. Dicamus itaq; cum Aristotele, motum Animalium distincta consideratione esse secundum naturam, violentum, & medium: est secundum naturam, dum consideratur totum Animal, vt motum ab interno principio, nempe ab anima, quæ Natura est, cum sit forma Substantię, ex Materia pendens, & proximum principium motus. Ex aduerso est violentus, dum refertur ad corpus graue, nõ aptum eo motu moueri. Hoc enunciauit Aristoteles in 8. Phys. 27. inquiens, Quod enim ipsum à se ipso mouetur, natura mouetur, vt vnumquodque Animalium. Quapropter Animal totum natura seipsum mouet, corpus tamen contingit & natura, & præter naturam moueri: refert enim, & quali motu moueatur, & ex quali Elemento cõstet. Ex quo elicio minus rectè Scotum in 2. Sent. Dist. 2. q. 10. dixisse, motum tantum dici secundum naturam ob principium patiens: nam Animalium motus, ob principium efficiens ab Aristotele nuncupatur secundum naturam. Insuper animalium motus, & mixtus, & medius dici potest, quatenus (vt patuit) non omni ex parte est, vel secundum, vel præter naturam; est etiam medius, quatenus non fit per lineam rectam à centro ad circunferentiam, sed secundum latitudinem potius. Idem motus si refertur ad Animam dicitur Animarius, si ad Mentem, dicitur rationalis, si ad Artem, artificiosus, absolute autem mixtus est. At hic occurrit consideratione dignum, cur Animalia non in orbem, nec recto motu, sed in obliquum progrediendo, natando, vel volando moueantur? Sententia est Magni Albertii id Animalibus competere, quia Anima est apta mouere in orbem, corpus moueri motu recto, ideo Animal ex vtrisque conflatum mouetur motu medio ex illis consurgentem. Hanc sententiam quam à variis viris doctis approbatam inuenio, à vero, & à principiis Peripateticorum alienissimam existimo. Primò, quia si Anima sui natura, & conditione esset nata mouere in orbem,

Simplicij error. *Resolutio.* *Aristot.* *Cur animalia nõ in orbem moueantur nec motu recto.* *Albertus Euersio.*

bem, tunc motus animalium relatus ad animam, non esset secundum naturam, cuius oppositũ in 8. Phys. 27. profert Arist. Secundo, quia motus Animalium in tota specie essent præter naturam, & anima speciem totam moueret præter conditionem, & naturam suam, at nil toto genere violentum est. Tertio, quia hæc sententia id supponere videtur, quòd anima sit numerus seipsum in orbem mouens, quod alienissimum est à Sententia Aristotelis, vt patet ex primo de anima. Demum, si anima esset apta mouere in orbem, tunc errasset natura, quæ facultati congruentia instrumenta non dedisset, nec instrumenta animæ facultatibus responderent, quod apprimè est absurdum. Propterea dicamus, Animam esse aptam mouere ad omnem differentiam positionis: Hoc primo competere inspicimus animæ nutrienti, quæ alimentum mouet ad omnem loci differentiam. Manifestius id inspicimus fieri per principia lationis, apta enim sunt moueri Animalia, & sursum, & deorsum, dummodo adsint requisita pro motu; & ratio est: quia Obiectum, Phantasia, & appetitus, sunt principia motus; Obiectum attingitur modis variis, & ascendendo, & descendendo, ideo appetitus Phantasiam sequens, est aptus variis motibus mouere. Insuper cum Anima moueat per cognitionem, & cognitio fit oppositorum, ea non vno, sed oppositis motibus mouere apta est: non itaque motus animaliũ ita est medius, vt consurgat ex variis propensionibus animæ & corporis ad motum. At superest soluenda ratio, quia motus animalium non videtur posse dici secundum naturam, cum fiat tractione, & pulsione, qui sunt modi motus violenti. Respõdeo, dum tractio, & pulsio est ab externo, motus est violentus, at dum prodit primo & præsertim ex interno principio, quatenus ex eo prodit, debet dici secundum Naturam. *Sententia propria.*

CAP. XXX.

Cur Animalia dum mouentur laxentur.

APPARVIT animalium motum ex parte animæ quæ est natura, & internum principium motus, esse Physicum; at inde oritur dubitatio tertio loco in præcedentibus mora, & est, cum ea quæ per naturam mouentur non defatigentur, vt constat de motu grauium, & leuium, cur animalia maxime defatigari videantur? Dixit Albertus in suo lib. de Animalium motu, laborem prodire ex opposita propensione ad motũ animæ, & corporis; at iam in præcedente capite eius Sententia reiecta est, nempe, quod Anima in orbem sit apta mouere, corpus vero aptum moueri secus. Propterea dicamus laborem ex variis ortum ducere, quorum omnium potissimum fundamentum est id, quia proximus motor ex materia pendet, ex qua cum pendeat, mouetur per motum totius, nam agens non propterea defatigatur, quia agit, ita enim etiam motores Cœli defatigarentur, sed solũ quia patitur, & mouetur, ex hac perpessione prodit lassitudo: hoc principale fundamentum etiam in parte est verum de formis grauium, & leuium, cum enim illæ motu compositi moueantur, & patiantur, non valent semper seruari, & mouere: quod si graue descendens continenter, fertur velocius, id pendet ex externa grauitate, hoc est ex pulsione à tergo ab aere facta, absolute tamen descendendo, non posset infinito tempore seruari. Altera ratio lassitudinis animaliũ est, quia eorum motus est cõtra naturam partium, ideo mouẽs eas laborat; Tertia ratio sumitur ex pugna partiũ, pellentium, & pulsarum, trahentiũ, & tractarum. Quarta ex spirituũ proxime mouentium alteratione, & resolutione. At ex solutione tertiæ difficultatis insurgit quarta, & *Cur animalia dũ mouẽtur defatigẽtur. Alberti. Euersio. Sentẽtia propria. Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3. Ratio 4.*

Cur motus animalium vigorem habent in medio. est, cur motus animalium, à violento, & naturali dicatur differre, & ob id non in principio, non in fine, sed in medio reddatur velocior. Ac vt dubitatio clarior appareat, verba Arist. referamus, qui 2. de Cœlo 35. ostendens Cœli motum consimilem, ac regularem esse, ait: Omnis latio irregularis prædita est intentione, remissione, & vigore; vigor autem est, aut vnde fertur, aut quo, aut in medio, veluti forte his, quæ secundum naturam feruntur ad quod feruntur; His autem quæ præter naturā, vnde: proiectis vero in medio, at orbiculationi nec vnde, nec quo, nec medium competit, neq; enim principiū, neq; medium, neq; finis eius absolute est, tempore. n. sempiterna, & longitudine continuata, & sine fractione est, &c. Cum Philos. dicat proiecta in medio ferri velocius, duæ se offerunt difficultates: prima, cur proiecta distinguat à motis violētia: nam proiectio est species motus violenti. Altera, cur in medio ferantur velocius. De re hac duæ sunt opiniones; Vna est Auer. & Alb. quæ etiā prius fuit Alexandri, & Simplicii, quod Arist. per proiecta denotet animalia, quæ præsertim pulsione, quæ est quædam proiectio, mouentur, immo in cont. Auer. loco, proiecti, legitur animal. Huius Sententiæ est etiam Zimara, in Sol. controuersiæ notatæ in eo cont. Quia sententia est dubia, primo quia Arist. vtitur nomine generis, inquiens, proiecta: at si motum tantum animalium voluisset denotare, habuisset nomen speciei, & proprium, consueuit enim Philosophus propriis vocibus vti dum adsunt. Præterea, cum ea sententia, vt patebit, sit vera de omnibus proiectis, non recte contrahitur ad solum motum animalium, qui non absolute dicitur proiectio. Ideo est altera expositio magis approbata ab Alexandro relata etiam, & non reiecta à Simplicio, quod cū Arist. dicat proiecta prædita esse vigore in medio, per medium nō significet mediū temporis, in quo fit motus, sed mediū loci consideratū inter sursum, & deorsum, nam grauia si mouētur secundū naturam in loco infero habent vigorem motus, si mouentur violentia, similiter in loco infero habent vigorē, & in principio motus: leuia cōtra habent vigorē suum in loco supero. Proiecta vero, vigorem habent in loco medio, hoc est in aere per quem feruntur. Hæc expositio minus quam prior approbanda videtur, primo, quia Aristot. medium magis refert ad tempus in quo fit motus, quam ad locum, cum dicat, tempore enim sempiternus est cœli motus, quod si etiam de continuatione loci mentionem facit, id non ob aliam causam efficit, nisi vt ostendat motui cœli non competere medium sui cursus. Præterea pulsio magna ex parte prope terram fit, quo in loco reperitur vigor grauiū: insuper vigor motus ignis violentia moti maxime apparet in medio, hoc est in loco aeris, inde enim frequenter deorsum violentia fertur, vt conspicuū est de motu fulgurum, & aliarum incensionum. Demum quotiescunque dicitur mixta per naturā, vel violētia in principio, vel in fine esse velociora, semper id referri solet ad principium, vel finem motus, non autē ordinis locorum vniuersi. Propterea Cardanus vir doctus, in lib. 2. de Subtilitate, inquit: sententiā Arist. vniuerse de vere proiectis debere intelligi, referendamq; esse ad medium temporis, in quo fit motus, in cuius medio proiecta omnia vigorem habent, quia proiectio est motus medius inter naturalem & violentum, & ob id medio quodam modo se habet. Mediat autem proiectio inter motum violentum & Physicum, quia fit per aerem, qui suscepto à pellente principio motus per naturam mouetur, in principio autem parum agitatus, & liber patū motui prodest. Hæc opinio nonnulla includit quæ approbanda puto, absolute tamen mihi videtur dubia, quoniam nedum proiecta, paulo post principium mouentur velocius, verum etiam

[Margin notes: *Duo dubia.* (beside "ne fractione est"); *Opinio 1.* (beside "hac duæ sunt opiniones"); *Opinio 2.* (beside "citur proiectio"); *Euersio.* (beside "est in aere"); *Cardanum.* (beside "Cardanus vir doctus"); *Quid approbandū vel reprobandum.* (beside "per aerem")]

quæ

quæ trahuntur,& cuncta quæ violentia feruntur:inspicimus enim currum post principium facilius, & velocius reuolui,& duci. Præterea ratio ab eo adducta est dubia,quia nō in solis proiectis locum habet,sed in cunctis violentia motis, vt considerauit redditur notum. Propterea dicēdum puto, Aristotelem motus omnes sub Luna productos in tres redegisse gradus,in duos simplices, & medium.vel enim considerantur vt penitus sunt secundum naturam, vel vt penitus sunt violenti,vel vt medii.Et dum fit hæc distributio,non ita intelligi debet, vt simplicia apud nos vere distincta & seorsum inueniantur, non enim reperitur motus adeo violentus,vt ex natura aliqua non pendeat, & per naturam aliquam non seruetur:nec motus vllus adeo est secundum naturam,vt nil violentiæ iunctum habeat, grauia enim & leuia dum mouentur secundum naturam, seiuncta præter naturam sunt à suo toto,medium diuidunt, à tergo pelluntur à medio,& seorsum à suo loco reperiuntur. Sed Aristoteles, solum considerauit quid motui competat ratione vnius, vel alterius: motus itaq; violentus ratione generis,& vt violentus,in principio est velocior,hoc est, dum fuerit proximior inferenti vim,& violentia est vehementior: contra autē motus secundum naturam,vt talis est, & per se consideratus,pulsio vero considerata ex parte modi, quo fit per intermedij aeris conspirationem, in principio minus, in medio magis ad motum excitati,in medio est velocior: & quod dicitur de pulsione etiam in parte est verum de tractione,quatenus medium ei conducit: quod si nōnunquam tractio in fine est velocior,id accidit, quia id quod trahitur redditur proximius trahenti,per cuius naturam vehementius trahitur, vt ferrum ab Herculeo lapide. Et pro lucidiore notitia considero multa esse vera ex parte generis, quæ ex parte propriæ differentiæ secus se habent, veluti Homo tanquam Animal procliuis est ad illecebras corporis: vt vero Homo ratione directus, est facilis ad honestum, & virtutes; Similiter motus violentus ex parte violentiæ tantum,est velocior in principio,& dum est proximior inferenti violentiam,at ratione maioris agitationis aeris, & melioris constitutionis conspirantium ad illum motum, secus se habet. Arist. itaq; suo more id considerauit quod est per se,& de eo regulas dedit, & quod dictum est de proiectis, etiam de animalium motu verum est,quamuis enim animalia ex parte violentiæ illatæ in membra, deberent in principio moueri velocius,tamen quia in principio spiritus minùs sunt excitati,&membra minus parata ad motum,quam paulo post principium, ideo paulo post principium,velocius currunt.

Opinio propria.

Multa vera ex parte vnius non alterius.

Cap. XXXI.

Pro omni Animalium motu necessario requiri quiescens & immobile.

QVÆCVNQVE in vniuerso reperiuntur,cum ab vno prodeant,mirum in modum iuncta,in vnumque redacta inspiciuntur, & ob id vniuersum est omnia in vnum versa:& quamuis opposita maxime seiuncta iudicentur, ea tamen variis modis colligata inueniuntur,ac vt de immobilitate,& motu loquar, hæc quamuis longissime videantur distare, iuncta tamen sunt & complicata, adeo, vt motus ex immobilitate fluat, & semper quiescens, vel immobile aliquid pro sui productione, & conseruatione exposcat. Hoc verum esse de omni motu facile elucescet, si per singulos digrediendo progredimur. Ac vt ordiar à motu Animaliū,qui magis instituto nostro inseruit, Motus hic multiplici ra-

Cuncta apprime iuncta.

Multiplex quiescens requisitum pro motu animalium. tione, varium, & multiplex quescens exposcit, primo enim exposcit quiescens ratione generis, quatenus scilicet motus est, & iure: nam immobilitas est actus perfectus, motus est actus imperfectus, actus autem imperfectus ex perfecto pendet, illumq; supponit. Hinc Pythagoras motum sumebat pro priuatione, & imperfecto, quiescens vero pro forma, & perfectione. Insuper, immobilitas est mensura quædam motus, mensuratur enim motus per recessum ab immobili, *ratione generis.* est fundamentū quo nititur motus: est id, vnde motus recedit, & à quo, vel per quod vires suscipit; maxime itaq; motus animalium, vt motus exposcit aliquod quiescens. Insuper exposcit quiescens conditione propria, vt motus animalium *Secundo ratione propria.* est tractione, & pulsione productus, tractio enim est ad principium quiescens, pulsio vero à principio quiescente. Quiescens in motu Animalium, non vnum, *Quintuplex quiescēs in motu animalium.* sed quintuplex assignari potest. Quiescens enim vel est externū, vel internum, si externum, vel est a quo animalia ad motū excitantur, & hoc est Obiectum, vel circa quod mouentur, & est id, in quo vel ambulāt, vel natant, vel volant. Internum est triplex, Anima, quæ nō ex se mouetur; Membrum primum, hoc est, Cor, ad quod, & à quo cætera trahuntur, vel pelluntur: & os vnum circa quod alterum os reuoluitur; Externa quiescētia, vna cum anima maxime sunt necessaria pro motu totius, duo vero reliqua proxime pro motu partium. Loquendo de primo, nempe de obiecto, id quomodo sit immobile, suo loco patuit. Quod secundo animal totū pro suo motu exposcat aliquid resistens, ac ita immobile, notum est, quoniam per id resistens fit tractio, & pulsio, & ob id homo per aerem, & aquam ambulare non valet, quia non resistunt pedi quiescenti pro efficienda pulsione, resistunt tamē quatenus expedit, vt volent aues, & natent pisces. quod in vacuo facere nō possent, non. n. per inane possent aues auolate, vel natare pisces. Tertio animam in eo quod ex se mouetur, esse partē immobilem, patet ex 8. Phys. omne. n. quod ex se mouetur, constat ex parte mobili, & parte immobili, quæ si mouetur, tantum ex accidenti mouetur. Hæc tria præsertim referuntur ad motum totius. At si consideramus motum partium, inter eas primum est Cor, se habēs ad instar Centri, à quo per cōmunes spiritus, & ad quod partes reliquæ mouentur, & quamuis Cor continenter agitetur, & ferueat, dicitur tamen quiescere, quatenus nō eo partiū motu mouetur, nec ex alio membro pendet à quo trahatur, vel pellatur. At si demum cæteras partes inuicem comparamus, earumque motus consideramus, similiter in eis pro distinctarum partium motu distincta proxima quiescentia inueniemus, quæ sunt perinde ac cardo, centrum, & connexio pedum circini, in quib. quiescente orbiculato osse, circa illud, cauum alterius ossis reuoluitur, mediat autem inter ea duo ossa, cartilago, tum, ne terantur ossa, tum vt eius humore facilior reddatur reuolutio, *De motu violento.* tum demum, vt distincta illa ossa, velocius auxilio eius intermediū moueantur. Si à motu animalium, ad motum inanimorum, violentia factum pertransimus, facile inueniemus illum quoq; exposcere quiescens: nam ea, vel tractione, vel pulsione mouētur, sine quibus nec vectio, nec vertigo fieri potest, tractionem autem omnem & pulsionem exposcere quiescens: iam apparuit, ea autem quæ pelluntur, aut trahuntur, exposcunt quiescens, primo ex parte animalis quod pellit, vel trahit; Animal enim sine quiescēte aliquo id facere non potest, vt declaraui. Secundo, ex parte rei pulsæ, vel tractæ, quatenus res trahitur ad aliquod primum modo aliquo quiescens, vel ab eo pellitur: non tamen hoc ita est conspicuum vt primum, quia videmus currum trahi ab equis currentibus, lapidem pelli à manu mota; similiter, paruam pilam, qua ludimus: at quamuis proxime pellens

pellens, vel trahens moueatur, semper tamē est necesse ad aliquod primum deuenire quod quiescat, ad quod fiat tractio, vel à quo fiat pulsio, qualis est, vel terra, per quā mouētur equi, vel Cor, vel Anima, vt patuit. Superest considerandū an motus Physici Elementorū, & Cœli exposcant quiescēs? Arist. in lib. de Motu anim. c. 3. dubitat, an pro inanimorū motu requiratur quiescēs. respondetq; ait, non requiri quiescens eis internū, sed cum moueantur ab alio, & inter mota, principium primum motus id sit, quod ex se mouetur, de illo inquit verum esse quod exposcit quiescens, non de Elementis: & huiusmodi est Cœlum. Dicamus itaq;, pro motu grauiū & leuium cum non propriè (vt dixi) fiat tractione, & pulsione, non proximè & propriè requiri quiescēs, quia tamen similitudine aliqua pelluntur vel trahuntur, etiā modo aliquo quiescens exposcunt. primo. n. exposcunt, quiescens ex parte primi, & communis mouentis Elementa nempe Cœli, quod motu recto Elementorū moueri nequit, & eius motus, maximè exposcit quiescens. Secundo exposcunt quiescēs ex parte terminorū motus, à quibus, vel ad quos mouentur, grauia n. & leuia, vel mouentur à Centro, vel ad Centrum quiescens. Similiter vel à Cœlo recedunt, vel ad illud secundum totum firmū, & permanens per rectam lineā accedūt. Demū, si conuertimur ad motū Cœli, hoc mirabile inspiciemus in eo, quod vt maximè omnium corporū mouetur, ita maximè exposcit requiescens, vsurpando semper requiescēs late, vt etiam extēditur ad immobile penitus. Requiritur pro motu Cœli triplex immobile, ex quibus quartū consurgit, primū est Deus secundū Centrum, tertium Poli, primum est extra Cœlum, quatenus nō subiicitur, sed præest corporib. omnib. de quo dixit Arist. in 8. Phys. 52. manente primo, necesse est manere omne quod cōtinuatur cū eo, & in lib. de Motu anim. hoc primum esse immobile etiā authoritate Homeri confirmat: Alterū immobile, nempe Centrum, in medio est collocatū, cuius quietē esse necessariam patefacit Arist. sub initio secundi de Cœlo. Tertium quiescens est in ipsomet Cœlo, & sunt Poli. Ex his trib. immobilib. conspirātib. quartum consurgit, & est ipsum Vniuersum, quod secundum totum requiescit, pro cæteris motib. quoniā sunt motus in parte tantū, etiam requiritur quiescens in parte, & nō penitus; At quoniā Cœlum omnino mouetur, & continēter mouetur, ideo ea quiescētia exposcit, quę omnino quiescunt, & immobilia sunt penitus. Ex his varia elicere valemus, vtilia valde; Primo, colligemus motum oēm exposcere aliquod quiescēs: colligimus secundo, nō ex motu prodire quietē, sed potius vice versa ex quiete, vel immobilitate prodire motum, ideo rectè de Deo cecinit Boetius, *Stabilisq; manens, dat cuncta moueri*. Elicimus tertio, veram esse sententiam Pythagoreorum, dicentium, motum esse priuationē, immobilitatē vero actum, formam, & perfectionē. Demum colligo, minus veram esse sententiam Simplicii, in 8. Phys. 22. dicētis, veteres Philosophos euertētes motū, euertere quietem, at nō vice versa, euertentes quietem, euertere motum. nam ex dictis cōstat, magis euerti motum ex euersione quietis, quam vice versa, vsurpādo quietem late, vt vsurpabatur à veterib. qui dicebāt Ens esse vnum, & immobile. Sic itaq; mirabiliter cuncta ex immobili prodeunt, & per motum fœlici circulo in immobile reuoluuntur.

De motu Physico. *De motu Cœli.* *Quæ colliguntur ex dictis.* *Primum.* *Secundū.* *Tertium.* *Quartū.*

CAP. XXII.

Quomodo in Animalium motu seruetur imago quædam motus in orbē.

SENTENTIA fuit Arist. in 3. de Anima 55. motum Animalium seruare imaginem, & conditionem quandam circuli. inquit n. cum moueātur pulsione,

& tractione, opottet, vt in circulo manere aliquid, & inde incipere motum; Pro qua ſententia explicanda, duo conſiderãda occurrunt: Primum, quomodo animalium motus circuli conditionem ſeruet. Alterum, qua de cauſa eam ſeruet. Quod pertinet ad primum: dico, modos orbicularionis in motu Animaliũ eſſe *Motum Animalium ſeruare conditionem circuli quinque modis* quinq;. Primus oritur ex Obiecto: nam motus animaliũ ab Obiecto immobili excitatur, & ad illum, vt ad ſcopum, & finem cuius gratia ducit. Modus ſecũdus pertinet ad animã: eſt .n. animalium motus ab anima vt à principio, & tendit ad animam, vt ad finem cui. Modus tertius ex Corde ſumitur: nam inſtrumenta & partes animalium pendent ex Corde, vt ex fonte, & ad Cor conſpirant, tanquã ad id, vnde robur, & perfectionem recipiũt: His trib. conſiderationib. cum animalium motus ſit ab eodem, ad idem, iure dicitur ſeruare imaginẽ circuli, mo-

1. tus rectus Elementorum eſt quidem à Ceutto, ad Centrum, at vel nõ eiuſdem
2. Elementi, vel nõ ſecundum naturam tantum, & ſemper id fit per lineam rectã,
3. cum è contrario motus ille animalium ſit eiuſdem mobilis, ſecundum eandem diſpoſitionẽ mediam, & non per lineam rectam, ex qua varietate pendet, vt ille Elemẽtorum non dicatur in orbem, motus vero animalium in orbẽ iudicetur.

4. Quartus ſimilitudinis modus in eo eſt poſitus, quia quemadmodũ pro formando circulo pes circini manet in Centro, altero reuoluto, ita pro cõſtituẽdo motu animalium, manet os vnum, alterum circa illud reuoluitur, vel manet pes vnus, alter mouetur, qui pedes, & crura, nõ ſecus ac ea circini vno communi no-
5. do, & cardine iuncta ſunt. Demum fulget in motu animalium imago quædam Circuli, quatenus animalia non per lineam rectam à Centro ad Cœlum, ſed per lineam obliquam circa Centrum mouentur. Satis itaq; aperte ſeruatur Circulus, & eius conditio in motu animalium: Cuius rei cauſa modo quærẽda eſt. In-

Ratio cur in motu Animalium ſeruetur Circulus. quiunt nonnulli, id ex conditione animæ ortum ducere, quæ ſui natura in orbẽ eſt apta mouere, hinc Cœli animæ, quæ penitus dominantur Orbib. exquiſitiſſimè mouent in orbẽ. At iam in præcedentib. hanc ſententiam reieci quod anima ſui natura, & conditione ſolum in orbẽ ſit apta mouere, ita .n. inſtrumenta non congruerent facultati, & Ariſt. in 1. de Anima 48. & ſequentib. exactiſſimè
Sentẽtia propria. inuehitur in Platonem, tribuentem animæ orbiculationẽ & circulum. Propterea dicamus, hãc circuli imaginem, ex quinq; cauſis ortum ducere. Prima petitur
Ratio 1. ex eo quod animalia parui quidem mundi in 8 Phyſ. nuncupantur, & propterea
Ratio 2. debent pro facultate ſeruare conditiones, & formam motus totius vniuerſi. Altera ratio ſumitur ex conditione mouentium, excitantium, dirigentium, & ex-
Ratio 3. equentium, quæ à ſe, in ſe apta ſunt mouere. Tertia ſumitur ex facultate, & virtute Circuli: nam Circulus eſt fundamẽtum, & origo omnium motuum admi-
Ratio 4. rabilium, vt conſtat ex principio Mechanicarum quæſtionum. Quarta peti poteſt ex conditione modorum motus, per quos animalia mouentur, tractio .n. & pulſio eſt ab eodem ad idem, & fiunt manẽte vno, moto altero, vt conſtituitur
Ratio 5. Circulus, quemadmodum in cont. 55. docuit Ariſt. Poſtrema ratio peti poteſt ex conditionib. motus animalium, cum .n. non ſit penitus per naturam, nec penitus per vim, ideo non eſt rectus vt ille Elementorum, ſed cum ſit medius, medio quodam modo ſe habet, participans conditiones, & ſeruans imaginem Circuli. Vt moneamur pro facultate teneri per actiones noſtras abſoluere, & perficere circulum, redeundo ad id principium, vnde receſſimus, cui Honor, & Gloria.

F I N I S.

INDEX IN HVNC TRACTATVM PHYSICORVM, TAM RERVM QVAM VERBORVM NOTABILIVM COPIOSISSIMVS.

Cuius prior numerus librum, secundus caput, tertius paginam denotat.



B.

C.

Cæli

Definitio

Elemen-

F.

I

L.

M.

Mens in

Mundus

O.

Ordo

P.

Q.

Quali-

R.

T.

FINIS.

AD LECTOREM.

Candide LECTOR, inter cætera errata typographica hoc te non lateat, quod cum in parte operis tertia, tres soli sint de materia libri, perperam Quartus, Quintus, & Sextus inscribitur: Loco igitur quarti, substituatur, De quatuor primis qualitatibus, lib. Vnus. loco quinti: De effectione & perpessione operantium per naturam, lib. Vnus. loco Sexti: De Elementis, lib. primus, Tandem pag. 896. cum seqq. loco Meteorum, vbiq; legatur Meteororum.



